R. P. F. STUMELII
PRIMUM & PERENNE
MOBILE
THEOLOGICUM.

9



COLONIÆ. AGRIPPINÆ. APUD. IOANNEM. WILHELMUM. FRIESSEM IUNIOREM, Aº 1680

CONTROVERSIARUM
INTER PRINCIPES CATHEDRAS
DIVI THOMÆ DOCTORIS ANGELICI,
ET
SCOTI DOCTORIS SUBTILIS,
NEC NON
ALIARUM ILLUSTRISSIMARUM SCHOLARUM
DE
SIMPLICITATE DEI,
ET
DISTINCTIONE IN IPSA DEITATIS AC IDENTITATIS DIVINÆ ABYSSO LATENTER RECONDITA,
Eaque
AD DIVINAM SIMPLICITATEM COMPARATA

PRIMUM & PERENNE MOBILE,

POST INGENTES INGENIORUM AGITATIONES
IN DOCTRINA SCOTI HACTENUS IMPOTENTER IMPUGNATA,
per auream conformitatis catenam ejusdem Doctoris Subtilis cum doctrina SS. PP. Conciliorum, & Definitionum Ecclesiæ potenter adminiculata solidè, fixè & invictè

Tandem

SUBSISTENS.

OPUS

DE
ESSENTIA ET NATURA DIVINA,
ALIISQUE MULTIS, QUÆ IN THEOLOGIA SCHOLASTICA
circa Deum versantur, absolutissimum; Quæstionibus Theologiæ & Philosophiæ abstrusissimis, opportunè reserandis, apprimè instructum,
IN
DUOS DIVISUM TOMOS,
AD
REVERENDISSIMUM ET CELSISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM,

D. PLACIDUM,

INCLYTÆ ECCLESIÆ FULDENSIS ABBATEM, S. R. I. PRINCIPEM, D. AUGUSTÆ ARCHI-CANCELLARIUM, PER GERMANIAM ET GALLIAM PRIMATEM &c.

AUCTORE
R. A. P. FRIDERICO STUMELIO SS. Theol. Lectore Iubilato, Ord. FF. Min. Recollect. Provinciæ Thuringiæ S. Elisabethæ Patre.

Accedit tertij Tomi loco

Unilabium orbis subtiliter literati, de Distinctione formali ex natura rei in creatis, in Schola Scoti simpliciter admittenda &c. ab eodem Auctore olim brevi calamo, & in aliquot foliis evulgatum, nunc recognitum & auctum.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud IOANNEM WILHELMUM FRIESSEMIUM.
ANNO M. DC. LXXX.



REVERENDISSIMO
ET CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

D. PLACIDO
A DROSTE,

INCLYTAE ECCLESIAE FVLDENSIS
ABBATI,
S.R.I. PRINCIPI, D. AUGUSTAE
ARCHICANCELLARIO, PER GERMANIAM
ET GALLIAM PRIMATI, &c. DYNASTAE HAEREDITARIO IN ERVITTE, BVNE,
SCHVVECHAVSEN, ET AMECKE, &c.



Rimum Theologiæ ac perenne Philoſophorum MOBILE in lucis conſpectum produco, REVERENDISSIME ET CELSISSIME PRINCEPS, Mecœnas Illuſtriſsime. Primum illud MOBILE divinæ creationis omni die naturali, cardines Orbis terræ ſeu globum terraqueum medio ſuſpenſum in aere obambiens, reliquas cœleſtes ſphæras cum ſuis luminaribus ſecum mi-

¶ rabi-

rabiliter concordi diſcordia & diſcordi concordia, quocunque fertur, rapit; hoc tranatu difficillimas Philoſophiæ & altiſsimas Theologiæ orbitas ſumma Theologorum diſcordi concordia, & concordi Philoſophorum diſcordia, tantâ neceſsitate ac tali ſecum trahit magnetiſmo, ut creaturis angelicis & humanæ ſpeciei facturæ videri poſſet congeneum, imò & ipſi Deo & Altiſsimo Trinitatis Myſterio, velut principali Theologiæ objecto, coæternum: illud creationis primum MOBILE, ut ex pacto Dei cum
„ hominibus[a] perennent ſementis & meſsis,
„ frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies, cæleſtes orbes ſuis libratos ponderibus, in ſtupenda illa con- & excentrici motûs œconomia firmare expaveſcit ſine motore, quem intelligentiam dicunt; illud noſtrum Perenne MOBILE eadem, quæ præſtantiſsimæ res, ſubiturum fata tantos inter ingeniorum agones, ne dicam Thraſonicos quorundam æſtus ſine proſtatico Motore ac potentis Patroni delectu orbis lucem abhorret, quæ non polleat & reſplendeſcat illius fulgore Nominis, ſub cujus Patrocinio, candidâ ſibi nuncupatione, tutiſsimum ſtabilitatis portum prius non paciſceretur. Sed quorſum ſecuriùs,

a *Geneſ. 8.*

curiùs, quàm ad Tuos, CELSISSIME PRINCEPS, Tuæque Proſapiæ tam Perilluſtres quàm pervetuſtos ſeſe inclinaret ſplēdores? DROSTHEANÆA DOMUS omni ætate peregrè domique Mecœnates optimos, togata ſimul & armata Pallade claros, copioſiſsimè dedit, qui CELSITUDINI TUAE ad ſummum virtutis & dignitatis, quem tenes apicem in Imperio fauſtè feliciterque proluſerunt, & pietate & fidelitate pro Deo & Eccleſia, cujus in ipſo declinantis per Germaniam orthodoxæ fidei occaſu, tam fideles Filii & veri ſemper extiterunt Conſtantini, ut licèt impia illa hæreſis, tot Nobiliſsimas totque Sereniſsimas Germaniæ Ducum & Principum Domus turpiter aduſtulârit, nullus unquam, qui de DROSTHEANAEA PROPAGINE profatus eſſet, fide Petri deſertâ, ne per capillum eâ lue fuerit infectus, quin potiùs ne quis de Poſteris ab hac Progenitorum Tuorum coronata degeneraret gloria, ita Maſcula Tüæ Proſapiæ Proles ſua omni tempore attemperavit Matrimonia, quibus non ſpectaret Arces adnumerandas Arcibus, Dominia miſcenda Dominiis, ac hæreditarias Dynaſtias novis limitibus extendendas, quibus utique à Majoribus Tuis gloriosè locu-

pletata exiſtit; nec ſolum, in quo Germaniæ Proceres apud exteras Nationes in admiratione ſunt, ut ſcilicet Jntaminatæ Nobilitatis, id eſt, pari & nunquam interrupto ſanguinis ſplendore fulgentes Fœmellas, ſed quod perpetuis celebrandum Monimentis, Progenitores de DROSTE non alias Matres ſui ſanguinis deſcendentibus adoptarent, quàm vel de orthodoxa ſtirpe prognatas, vel cum Matrimonio ad fidem converſas, quæ illis cum lacte virtutem, ac ab ipſis papillis Catholicæ fidei pabulum inſtillarent, atque ſic ab utroque Parente hæreditaria fidelitate ad DEUM, ſuamque Sponſam, quæ eſt Eccleſia, incorruptæ fidei cultores eſſent ac Defenſores; Huic rei comprobandæ, ne longius faciam iter, ad Chriſtianiſsimum Galliarum Regem Henricum, hujus glorioſiſsimi Nominis Quartum appello, quis Ligam Galliæ Catholicam in bello contra heterodoxos & Regni illius perduelles Hugonottas meliori operâ & majori felicitate adjuvit ex Germaniæ Heroibus, quàm Generoſiſsimus ille ac pugnaciſsimus Archiſtrategus Caſparus de Heygen, Avus Tuus Maternus? memoranda

Heroum

Heroum hujus ſæculi facta ignorat , qui hoc neſcit ; is nimirum citatiſsima periclitantis in Gallia rei Catholicæ fama tanquam bractea eminus crepitante commotus, non ſine finitimorum Procerum admiratione, pro Deo & Eccleſia , fidei hoſtibus formidabilem cordatiſsimorum Virorum catervam, quam cum Bellona (regimen) dicimus, ære proprio conſcripſit, quocum in Galliam concedens, ceu verus fidei Boanerges, martiali capulo cinctus in ancipiti bello Catholicis ad victoriæ palmam, ſibi autem ſuiſque ſuccedaneis ad æternam contulit laudem. Hæc Parentum, hæc utriuſque lineæ Majorum Tuorum intemerata in fide conſtantia, hoc fidelitatis Veſtræ labarum velut quoddam finitæ æternitatis Patrimonium , perpetuâ traduce ad poſteros transfuſum eſſe, vel in ſola CELSITUDINE TUA celſique animi Tui dotibus velut theatrali ſpeculo effigiatum cernimus, quo pacto cùm Inclyta Eccleſia Fuldenſis ſuo nuper viduata eſſet Præſule , Sacrum Romanum Imperium Principe , Diva Auguſta Archicancellario , Patriarchalis Ordo

S. Benedicti per Germaniam & Galliam Primate, omnium inſtauratio felici omine à toto Nobiliſsimo & Reverendiſsimo Capitularium Fuldenſium Senatu , plurimis eorum, ſpectatâ multiplici eorundem capacitate, Mitræ & Infulæ haud inidoneis, in unius tamen Tuæ Perſonæ augurio concepta fuit, ut non ancipiti ſorte, quomodo in Electoriis & ambiguis hujuſmodi nuptiis fieri aſſolet, ſed ſingulari Dei providentia poſt primum & unicum ſcrutinium cum ingenti populi applauſu, ac feſtivo tam ſacri quàm profani æris concentu, nec non Ambroſiano gratiarum cantico è ſacro Electorum conclavi, velut ex myſtico thalamo evaſeris Inclytæ Eccleſiæ Tuæ Sponſus & Paſtor, quam diſſecto Eminentiſsimi Cardinalis & Sereniſsimi Marchionis Badenſis BERNARDI GUSTAVI, fractoque ſcutario Trabe deciduam erigeres, erectam ſuſtineres, & ita deinceps Gentilitio Muro Tuo circumdes & protegas, neque dubia ſpes hujus Nobiliſsimis Reverendiſsimorum & Perilluſtrium DD. Capitularium inſedit animis, quin potius res & ſpes Principatûs Buchonici , quæ ſuperioribus Prædeceſſorum Tuorum ſæculis crepuſculaſcere viſa ſunt, ſtatim

à ma-

à matutinis Regiminis Tui horis non effectu crepero, ſed felici ſucceſſu poſtliminio redire, & vigilanti induſtriâ è manibus heterodoxorum rapi incipiunt: eò namque celſiſsimi animi Tui cogitatus vergunt perguntque, ut quæ olim à Principatu Fuldenſi per injuriam temporum aliasque occaſiones averruncata exiſtunt, reſtaures: Satrapias, civitates, pagos, hominesq; ære alieno à Territorii Tui ſinu avulſos, deoppignores; vel ut melius dicam, per hypothecæ detentionem captivos, redimas; qua ratione non ſolùm chariſsimam Tuam Sponſam ad priſtinum ſtatum & fulgorem reſtituas, novisque auctam dotibus pro meliori poſteritatis judicio exornes; ſed & cælo acquiras animas, Patriæ ſubditos, ærario nervum, ac Gloriæ Fuldenſi Feudis potenti, accreſcant allodia nova, ut non immeritò in inaugurationis Tuæ ſolemniis [b] acclamatum, imò in omnium animis & linguis, quaſi digito dextræ Dei exaratum fuerit:

pro Trabe Murus erit „
Cum Trabe cardo ruit, ſpes ubi Fulda tua eſt?
Macte animo: fulcri ſupereſt pars altera cœlo
Alternante vices: Pro Trabe Murus erit. „

Per

[b] Coll. Fuld. S. I.

Per modeſtiam Tuam, CELSISSIME PRINCEPS, liceat mihi omine bono pro calamo uti, & lacteo candore in Te & ſcutario tuo Muro eam metiri, ac exploratam facere veritatem, qualem de Summis Pontificibus juxta Divi Malachiæ prophetiam ex avitis eorum inſignibus, Viri graviſsimi hiſce temporibus, de futuro ad Pontificatum ſucceſſore aut palpando præſagiunt, aut Divi Malachiæ præſagio, cælte interim & ſcalpro, tot inter Patres purpuratos, uni ſoli ſupremum honorem divinantibus, ſymbolicè cōſentaneum agnoſcunt. Quid eſt, quòd tanta promptitudine, tanta præter ſtylum & conſuetū curiæ morem facilitate INNOCENTIVS XI. Summus Pontifex, necnon Imperator noſter LEOPOLDVS I. confirmationis Tuæ coronârint expeditionem? An non, quia Murus Gentilitiæ fortitudinis Veſtræ triplici pectoris auctus antemurali cum virtutis honore & felicitatis gloria, aut potius illa cum Inſignibus Tuis & armis Gentilitiis fœdus pepigiſſe videatur? Quid aliud ergo SS. D. Noſter INNOCENTIVS XI. exploratis Tuæ Perſonæ qualitatibus inferre potuit, niſi hoc Tuum, Tuorumque Majorum encomium: Si Murus eſt, (c) ponetur in ea, id eſt, Eccle-

(c) Iſaia 26, v. 1.

Ecclesia Fuldensi, Murus & Antemurale. LEOPOLDUS quid? nonne, si Murus est, ergo Imperio meo[d] quasi Murus validus erit? An non his continuò D. applausit AUGUSTA in illo Cantici Cantic.[e] Si Murus est, ædificemus super eum propugnacula Archicancellariatûs Nostri argentea, in quibus diadema thalami mei sublimetur augustius, & auri pallore splendidius vertici meo obducatur: quidni totius Germaniæ & Galliæ Prælati geminâ congratulatione,[f] Murus ejus, conclamantes in circuitu nostro, TE Benedictinæ Gloriæ Primatem & Arbitrum, nec non pietatis Tutorem salutant? O ter quaterque felix scutarii Muri & antemuralis Tui augurium mysterioso[g] Mardochæi somnio beatius![h] Et posuit in eo, ait Scriptura, „ gemmarum ordines quatuor: in primo erat „ lapis sardius, topazius, smaragdus: in secun- „ do, carbunculus, sapphirus & jaspis: in tertio, „ ligurius, achates & amethystus: in quarto, „ chrysolithus, onychinus & beryllus. in Muro „ Tuo Gentilitio, cujus fundamentali structuræ triplex incumbit antemurale, pulcherrimè ter ternis gradatim consurgens lapidibus, quatuor istos gemmarum ordines jam non quasi per augurium divinamus, sed oculis

d Proverb. 18, v. 11. e Cant. 8, v. 9. f Zach. 2, v. 5. g Exod. 28, v. 18. h Esth. 10, v. 5.

cernimus, ut non temerè primi ordinis gemmæ ad ſtructuram fundamenti pertinentes ſardonius ſcilicet topazius & ſmaragdus, reliquos novenarii numeri lapides, ſive trium ordinum molem ſuſtentarent; ſed fato Topazius ille fulgentiſsimæ ſemper & avitæ pietatis, ſmaragdo fidelitatis & ſardonio conſtantiæ circumpoſitus, armis Tuis Gentilitiis in baſin cederet, & crepidinem gloriæ & honoris: ſicut aurum, inquit Hieronymus,[i] cunctorum metallorum antecellit pretium, ita topazius in pulchritudine omnium gemmarum vincit honores, topazius ſymbolum pietatis, quæ cæteris virtutibus in eo, teſte Apoſtolo[k] præſtat, quòd ſit ad omnia utilis, proinde non alio, quàm fundamento pietatis fidelitate & conſtantia ſtipatæ DOMUS DROSTHEANÆA omnibus utiliter in altum conſcenderet honoris, fieretque ſepticollis Fuldæ Murus & antemurale triplex, ſcilicet non uno glorioſum duntaxat apluſtri, ſed tot fulgidum gemmis, quot per gradus, ſuis conſertum lapidibus, qua ratione nunquam defuerunt DOMUI TUÆ carbunculi, ſapphiri, jaſpides; nunquam defuerunt ligurii, achates & amethyſti; nunquam chryſolithi, onychini & berylli. An non carbun-

culi

i S. Hieronymus. k 1. ad Tim. 4. v. 8.

culi Majores Tui, quorum fulgores tot cathedrales in Germania irradiarunt Ecclesias, ut aliorum oculi Canonicorum hisce fulgoribus perstricti, illos inter & primas Prælaturas & Episcopatûs honorem, ejusque dignitatem ac merita, nihil aut parum discernerent? quid? Si sapphiri, (teste [l] Barthol. Anglico,) Regum & Ducum digitis magis apti, an non optimo jure Majores Tui, sapphiri lucidissimi, qui nullo non tempore ob egregias dotes & raræ felicitatis monimenta summis Principibus nunc à consiliis, nunc eorum Provinciis administrandis, nunc legationibus obeundis, nunc inter Procerum Optimates, aut familiarium suorum Primores adlecti extiterunt? utique sapphirus non unum, sed omnes perfectionum recipit colores, ut idcircò Hebræi (teste [m] Rabbi Moyse) Attributa Divina vocent ספרות sephirot, quasi sapphiros. Porrò, quæ unquam ætas inter Bellonæ turbines DROSTHEANÆ FAMILIAE Heroës non vidit vel jaspides in propugnaculis, vel fortissimos in campis & pugnis Achates, vel in victoriis ligurios, qui perditum rerum colo-

l Barthol. Anglic. de gemm. & metall. lib. 16, c. 87. m In Comment. sui ad caput primum libri Ietsira.

rem, ut de liguriis [n] ſcribitur, Patriis incolarum Penatibus non reſtituiſſent? ſed neſcio quid laudabilius, quidvè in Gente TVA clarius, an horum pulchritudo, & non potius aureæ eruditionis Veſtræ chryſolithi, & invincibilis juſtitiæ amethyſti, adeò ut inter lares DROSTHEANÆOS Themis æquitati & Pallas ſapientiæ Delubrum fixiſſe videantur: His REVERENDISSIME ET CELSISSIME PRINCEPS, tanta Majorum Tuorum felicitate nativæ miſericordiæ conſpirant Berylli in ſublevandis pauperum miſeriis, onychini comitatis & avitæ clementiæ, qua obvios quoſque ſibi devinciunt alliciuntque, ut jam in manifeſto ſit, DROSTHEANÆÆ FAMILIAE Gentem uſque in præſentem diem ex pretioſiſsimis lapidibus ſumma & pluſquam Vitruviana partium aptè ſibi correſpondentium ſymmetria creviſſe in Murum virtutum & antemurale gloriæ & honoris. Sed quorſum avitam Nominis Tui claritatem in Majoribus Tuis ſparſam inſequor? cùm omnis in Te velut in céntri punctum illapſa uberiori virtutum ſplendore, quando fama pietatis, magnanimitatis, ſapientiæ & prudentiæ Imperii oras incipis irradiare, repercuſſa cernatur, quo

n Bartbol. Anglic. lib. 16, c. 60.

quo illud [o] reapſe in CELSITUDINE TUA verificetur:

> Sardonichas, ſmaragdos, adamantes jaſpi- »
> das uno »
> (DROSTHEANAEA DOMVS portat »
> in articulo. »

Idque Majores Tui obtineant, etſi ſemper inter Magnos fuerint Magni, jam Majores exiſtimentur. Patieris itaque ILLVSTRISSIME MECAENAS, hanc ſcholaſticarum lucubrationum mearum Opellam CELSITVDINIS TVAE ambire Patrocinium, Tuo venuſtari ſardio; ut in ſapientum corona gratiam inveniat; Tuo clariorem reddi Topazio, ut Scholis clarius illuceſcat: Tuo Smaragdo, qui omnium gemmarum virentium tenet principatum, inſigniri, ut vireſcat, valeat, & prævaleat: Tuo carbunculo illuſtrari, ut fulgor illius flammas & ſubtilitatis radios ad legentium oculos ſuaviter evibret: Tuo coruſcare ſapphiro, ut interlucentibus aureis punctis, & cryſtallinis centris, quæ ſculpturam non admittunt, ſoliditatis ſuæ robur, ſine erroris ſculptura in manibus terentium

o Martial. lib 5.

ſplendidius eniteſcat, Tuo inveſtiri jaſpide, ut placeat, Tuo rutilare ligurio, ut Adverſarios ſtringat, & ictericis veritatis colorem reſtituat: Tuo candicare & poliri Achate, ut ſpeciem referat, non, ut illi attribuunt, montium & fluviorum; ſed in quo Divinorum de ss. Trinitate Myſteriorum ſpectatur veritas; Tuo clareſcere & diteſcere Amethyſto, ut ſit quaſi roſa nitens fragrantiam cerebris emunctis ſpargens ſuaviorem; Tuo ſcintillare chryſolitho, ut ſua virtute ardentes inter ſcintillas in majus lumen convaleſcat; Tuo ſociari, inſpergi & animari onychino, ut vivat; Tuo denique ſexangulari ſerenari Beryllo, ut perennes intra contradictionum angulos fulgeat blandius, illuminet ſubtilius, perennet ſolidius, & in ſcholis, ut ſolet, (teſte Leonardo Leſsio[p]) triumphet glorioſius, ut totus videat orbis, opus hoc non hoſpitari, ſed Domeſticos Tuos inhabitare ſplendores, Gentilitiique Muri Tui complexu, ceu pignus immortalitatis Veſtræ, in tuto poſitum eſſe. DEUS Ter Opt. Max. CELSITUDINEM TUAM ad majorem ſui Nominis gloriam in pacis nuper partæ longitudine & plenitudine annorum, Patriæ, Imperio, Patriarchali

S. Be-

p in Cenſ. Comment. Oxon.

S. Benedicti, nec non Seraphico Ordini nostro & omnibus bonis salvam servet & incolumem.

Ita animitùs vovet & enixè precatur

REVERENDISSIMÆ
ET ILLUSTRISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

æternùm devotus

F. FRIDERICVS STVMELIVS.

PRAE-

PRAEFATIO
AD
LECTOREM.



Omus iste, quem oculis manibusq; contrectas, situ & ordine primus est, tempore autem & scriptione junior, utpote qui in supplementum eorum conscriptus est, quæ pro objecti amplitudine passim occurrebant inter scribendum Tomum Secundum, qui plurimas & præcipuas secum trahit difficultates, quas in Opere distincto judicavi melius & citra materiarum confusionem expendendas, illis proinde in hoc Tomo expensis, mihi, sicut & omnibus moderni temporis Scriptoribus, duo sunt optanda potius, quàm speranda. *Primum* est, quòd alienæ lucubrationes, singulariores quidem cum plausu, communiores sine contemptu, omnes sine amarulentia & censura cervellotica perlegantur; verùm cùm id nec maximi Doctores Ecclesiæ, nec D. Thomas, nec Scotus Subtilis assecuti sint, pro quo vide *Præfationem* Tomi Secundi, quis id modò sibi promittere potest? nemo sanè, nimis enim verum est, quod clamat Eccl. c. 4. *Contemplatus sum omnes labores hominum & industrias animadverti patere invidiæ proximi*, plerumque non dogma, sed Auctorem vellicantis. *Secundum*, quod summoperè exoptandum foret, est, quòd sicut oculos habent Auctorum Amanuenses, Typographorum & Correctorum Typothetæ, ita erroribus vitiisq;, quæ irrepere solent, arcendis, manus haberent oculatas, sed hæc, Auctorum signanter, quos longius à prelo, uti mihi, elongari contingit, summa est infelicitas; cùm quod plurimùm ejusmodi homines digitis suis tractant, mente non percipiant, hinc integras aliquando lineas, aut tales omittunt particulas, ut totus adulteretur contextus, prout dolenter vidi in hisce Tomis, quos proinde non rigiditati tuæ, *Amice Lector*, sed benignitati offero, rogans ut errores discretè corrigas, materiam, quam legeris, si *Scotista* sis, an *Scoto* Magistro nostro concordet, conferas; si Thomista, *Neutralis*-vè sis, cum fructu, non tamen, si genius tuus ita ferat, sine hilaritate animi, pervolvas. Vale.

CONTROVERSIARUM
INTER PRINCIPES CATHEDRAS
DIVI THOMÆ DOCTORIS ANGELICI,
ET
SCOTI DOCTORIS SVBTILIS,
NECNON
ALIARVM ILLVSTRISSIMARVM SCHOLARVM
DE
SIMPLICITATE DEI & DISTINCTIONE IN DIVINIS
&c.

TOMUS I.
IN
IN DVOS LIBROS DIVISVS,

Quorum primus, qui eſt ad totum Opus, Præliminaris, continet, quidquid Schola Thomiſtarum, quid Nominalium, quid Neutralium, & Recentiorum de Diſtinctionibus entium, tum in creatis, tum vel maximè in divinis, quidve demum de iiſdem ſtatuat Schola Scotiſtarum, & habito inter Auctores acri conflictu Doctoris Subtilis doctrinam uſque modo rationibus firmiſſimis fundatam, ac ad propoſitiones orthodoxas apparenter contradictorias in fide noſtra, quæ ſupra, non contra naturam, tranſcendit non deſtruit illam, ſine contradictionis ictu ſalvandas unicè neceſſariam, & velut divinum inventum contra Ethnicos & heterodoxos utiliſſimam eſſe docet.

SECUNDUS CONTINET
CONTROVERSIAS ET TRACTATVS
DE
ESSENTIA ET QVIDDITATE NATVRÆ DIVINÆ:
Item

De Attributis Dei tam tranſcendentalibus quàm intellectualibus, de eorundem diſtinctione & identitate aliiſque, non ſolùm quà divinam concernunt ſimplicitatem, ſed & per occaſionem & cohærentiam materiæ de altiſſimis totius Theologiæ & præcipuis difficultatibus, Deum ipſum immediatè, ac Auguſtiſſimum SS. Trinitatis Mysterium *contingentibus, ſignanter docet, inter quæ in Divinis diſtinctio* Scoti *admittenda, aut non admittenda ſit.*



APPROBATIO

Admodum Reverendi, Eximii & Magnifici Domini, D. IOANNIS LAYMANN, *SS. Theol. Doctoris, Reverendissimi ac Celsissimi Principis Fuldensis Consiliarii, nec non in Spiritualibus Vicarii Generalis, Ecclesiæ Collegiatæ in Rastorff Præpositi*, &c.



PRæsens Opus, cui Titulus: Controversiarum inter D. Thomam & Doctorem subtilem, &c. PRIMUM & PERENNE MOBILE, ab admodum Reverendo & Eximio Patre Friderico Stumelio Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum, SS. Theologiæ Lectore Iubilato, nec non Provinciæ S. Elisabethæ Ex-Provinciali elaboratum infrascriptus pervolvi, in quo Author Doctoris Subtilis doctrinam, præcipuè eam de Distinctione formali ex natura rei, captu aliàs perdifficilem, pro ingenii sui subtilitate & dexteritate non solùm dilucidè & enucleatè pro- & ex-ponit; sed & tanquam justus Æmulator sive zelator Paternarum traditionum, eandem contra adversarios validissimis rationum monumentis, nec non Oecumenicorum Conciliorum ac SS. Patrum auctoritatibus & testimoniis perinde eruditè, ac solidè propugnat, firmat ac roborat. Cùm nihil in eo, quod Orthodoxæ & Catholicæ fidei, ac bonis moribus officiat, aut repugnet; quin potius eam repererim doctrinam, quæ fidei Mysteriis, præsertim Mysterio SS. Trinitatis explicando percongrua, scholis verò cùm Theologicis, tùm etiam Philosophicis, licet contrariâ opinione imbutis, pro majori ingeniorum lumine & acumine, apprimè utilis meritò habeatur; idcirco illud pro bono communi reip. literariæ luce publicâ dignissimum censeo.

Datum Fuldæ 5. Ianuarii 1680.

IOANNES LAYMANN SS. Theol. Doctor, Vicarius in Spiritualibus Generalis, Præpositus in Rastorff. m. pp.

FR. BARTHOLOMÆVS d' Astroij SS. Theol. Lector jubilatus, Almæ Provinciæ Flandriæ Fratrum Min. Recollect. Ex-Provincialis; & super Provincias Germano-Belgicas, cæterasque annexas Commissarius Generalis, Reverendo admodum Patri Fratri FRIDERICO STVMELIO Ordinis Min. Recollect. SS. Theolog. Lectori Iubilato, nec non Provinciæ Thuringiæ S. Elisabethæ Patri perpetuo salutem in Domino. Quandoquidem Reverenda admodum ac Eruditissima Paternitas Vestra præ manibus habeat opera quadam Theologica doctorum Theologorum judicio ac calculo comprobata: Hinc in illorum editionem typographicam (ubi & quando Reverentia Vestra commodum videbitur) tenore præsentium consensio, servatâ formâ à sacrosancto Concilio Tridentino præscriptâ. Quem in finem salutaris obedientiæ meritum adjungo.

Datum Leodij die 23. Martii 1679.

(L.S.)

Fr. BARTHOLOMÆVS d' ASTROIJ
Commissarius Generalis qui supra.

Fr. PE-

FR. PETRUS Hoff Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum per Provinciam Thüringiæ S. Elisabethæ Minister & Servus, Admodum Reverendo P. F. Friderico Stumelio, SS. Theologiæ Lectori Jubilato, ejusdemque Provinciæ Patri perpetuo, salutem in Domino. Etsi ad approbandum Opus, cui titulus *Primum & Perenne Mobile, &c.* jamtum pro prælo, & propugnanda Scoti doctrina, à Theologis plurimùm laudatum; satis mihi sufficet auctoritas Auctoris, cujus nimirum eruditio & doctrinæ soliditas, tùm ex publicis, cùm etiamprivatis experientiæ argumentis apud omnes in aprico sit; speciali tamen titulo illud imprimendi Paternitati tuæ facultatem cum obedientiæ salutaris merito adjudico, quod post resuscitationem Provinciæ nostræ ab VRBANO VIII. anno 1637. factam, ex primis filiis in ea professis omnium primus anno 1649. capitulariter à Reverendissimo P. PETRO MARCHANTIO Commissario Generali &c. institutus Lector deinceps per octodecim annorum decursum Religiosam illius Juventutem tali cum fructu & labore indefesso erudieris, ut ex ea diversos, in diversis Comitiis Provincialibus Viros, Cathedris regendis idoneos, aliosque præclaros filios genueris. Insuper cùm omnium primus in dicta Provincia inventus fueris, qui doctissimis suis scriptis Seraphicum Ordinem nostrum & Provinciam exornet, Scoti doctrinam ejusque scholam illustret, & aliis junioribus ad hujusmodi studium laudatissimum exemplo suo animos adjiciat, non solum Admodum Reverendæ Paternitatis tuæ Opus Theologicum dictâ facultate nostrâ dignissimum judico; sed & summopere desidero, ut cito in lucis usuram prodeat; servatis tamen Concilii Tridentini & Ordinis nostri Constitutionibus. In hujus rei fidem has manu nostra scriptas, officiique sigillo munitas dedimus Lympurgi ad Lahnam 12. Januarii 1680.

(Loco Sigilli.)

Fr. PETRUS Hoff / qui suprà.

TOmos, *seu Opus dictum* Primum & Perenne Mobile *de Simplicitate Dei, ab Admodum Reverendo P. Friderico Stumelio Ordinis Fratrum Min. Recoll. SS. Theologiæ Lectore iubilato, nec non Provinciæ Thuringiæ S. Elisabethæ Patre perpetuo, eruditione præcipuâ conscriptum perlegi, nihilque in eo bonis moribus aut Orthodoxæ fidei adversum; verùm distinctionem formalem Scoticam velut divinis Mysteriis intelligendis & explicandis congruentissimam, subtiliter ac solidè, tum efficacissimarum rationum energiâ, tum irrefragabilium auctoritatum pondere assertam, probatam, ac contra obtrectatores defensatam inveni; quare lucubrationes has doctissimas, non modo scholæ Doctoris Subtilis, sed omnibus quoque Theologis utilissimas, luce publicâ dignissimas censeo.*

Datum Lympurgi 7. Octobris 1678.

Fr. BERNARDINUS Quatbach Provin. Thuring. SS. Theologiæ Lector jubilatus

---

INfrascriptus testor Opus hoc, cui Titulus: *Primum & Perenne Mobile, &c.* à Reverendo admodum P. Friderico Stumelio SS. Theologiæ Lectore jubilato, & Provinciæ Thuringiæ Patre perpetuo elaboratum, à me esse perlectum, adeoque non esse observatum in eo quidquam à fide vel piis moribus alienum, ullivè censuræ obnoxium, ut ex omni parte publicâ luce, manibusq; Doctorum Subtilis & Angelicæ scholæ dignissimû judicem; non enim solum (quod multi) quæstiones scholasticas de Dei Simplicitate, formali in divinis distinctione; omnes suo ambitu comprehendit, sed præterea adinstar Primi Mobilis, quod secû rapit reliquos cœli orbes molesque eorum librat, volvit, vibrat, suisque fibris suspensos ponderat; ita altissimas quasvis Theologiæ difficultates secum ingenioso cõplexu rapit, pervadit, incingit; eaque perspicuitate, (quod omninò fecère pauci) illam Scoti distinctionem in divinis, nec non ea subtilitate discutit, ea profunditate ex ipsis objectorum rimis egerit, ea dexteritate inter ipsa Deitatis lumina absorptam extundit, humanoque assensui tam propinque scintillantem ostendit, eo judicio suis etiam osoribus amabilem reddit, eoque auctoritatum pondio apud eosdem stabilit, ut SCOTI Adversarios, nisi diem negare velint, suæ scholæ proselytos efficiat; ea denique cum SCOTO consonantiâ totum Opus ad umbilicum redigit, ut nec numerus desit in condita turba, nec detrahat soliditati subtilitas, aut profunditati faciat injuriam perspicuitas, vel authoritati denique contradicat authoritas, quod non tam animo meo, quam ingenuæ veritati dictum existimabit à me testimonium, quisquis ingenuè ingeniosus, & ingeniosè ingenuus positam in eo volutando operam volet. Ita censeo hac die 10. Decembris anno 1678.

Fr. ERNESTUS Opfferman / *Provinciæ Thuringiæ SS. Theologiæ Lector jubilatus.*

LEgi præsens Opus, à Reverendo Admodum Patre FRIDERICO STVMELIO *Ordinis Fratrum Min. Recoll. Provinciæ Thuringiæ Patre perpetuo, nec non SS. Theologiæ Lectore Iubilato concinnatum, & omnibus numeris absolutum; in quo Auctor Controversias inter Principes Scholarum Cathedras Doctoris Angelici & Subtilis, jam à sæculis ardentissimè motas, tam solide figit, ac validissimo rationum pondere firmat sistitque, ut* Mobile *per inconcussas rationes* fixum, *jure meritissimo valeat appellari, nempe totum in eo se figit Auctor, ut concatenatis SS. Patrum sententiis Scotum ab ictibus telisque adversantium tueatur, &* expugnet impugnantes, *sanissimam Doctoris Subtilis de distinctione formali ex natura rei in Divinis doctrinam, ac* concludat adversus eos, *qui hoc in puncto Subtilem immodestiori censurâ perstringunt. Porro hoc ipsum toto Opere præstat Auctor enucleatè adeo & nervose, ut domesticos in Schola subtili discipulos acuat magis; extraneos verò subtilissimo rationum motu etiam nolentes rapiat ad assensum, quapropter Opus multa eruditione refertum, auctoritate SS. Patrum firmatum, nec non sacrorum Conciliorum sanctionibus validissimè suffultum, omninò prælo subjiciendum censeo.*

Dabam Fuldæ 11. Aprilis 1679.

Fr. MARTINVS Sneps/ SS. Theol.
Lector Jubilatus.



INDEX
CONTROVERSIARUM,
QVÆSTIONVM, & ARTICVLORVM
Tomi I.
LIBER, seu *PARS I.*
Quæ est præliminaris.

per diſtinctionem rationis, ſeu multiplicitatem objectivam extendenda ſit ad omnia prædicata contradictoria, quæ abſolutè & ſimpliciter dictante de fide de Deo enunciantur.

Art. I. Referuntur quædam obſervationes, & explicantur fundamenta pro opinione affirmativa.

§. I. Obſervatio, & fundamentum primum contra oppoſitam doctrinam.

§. II. Doctrinæ ſuperioris recentiorum accurata diſcuſſio, in qua tandem meta quieſcat.

Art. II. Invicta Scotiſtarum doctrina occludit ſpecioſum hoc effugium, quo evadere moliuntur enunciationum contradictionem, ob inadæquationem conceptuum ſtatuendo non dari contradictoria in Deo nemine cogitante, vel independenter à diſtinctione rationis.

§. I. Opinionem art. ſuperiori adductam non eſſe admittendam, probatur ab inconvenientiis.

§. II. Eandem recentiorum doctrinam non eſſe ſolidam, rationibus probatur.

§. III. Quid ex hactenus aſſertis pro doctrina Scotiſtarum obſervandum.

Quæſt. III. Reſolvitur quæſtio principalis, & doctrina Scotiſtarum amplius firmatur argumentis ex SS. Trinitatis myſterio petitis, ac quàm valenter iiſdem reſpondeatur, ad trutinam revocatur.

§. I. Primum argumentum aſſumitur ex definitione Concilii Lateranenſis, & articulo fidei, Patrem communicare Filio eſſentiam, non perſonam.

§. II. Alia Scotiſtarum argumenta petita ab *Unitate* eſſentiæ, & *Trinitate* perſonarum, à *productum* eſſe, & non eſſe productum in divinis, & quid ad illa reſpondeatur.

§. III. Tertium argumentum accipitur ex proceſſione Verbi, & Spiritus ſancti.

Utraque reſponſio præterquam q.z. per extenſum refutatæ ſint, amplius infringuntur, oſtendendo primò, quòd per primum quoad rem ſignificatam evertatur actualitas proceſſionum divinarum, & ad noſtros concipiendi modos detorqueatur.

§. IV. Scotiſtæ opinionem ſuam roborant argumento deprompto ex myſterio Incarnationis Dominicæ.

Quid, & quàm ſolidè ad hæc reſpondeat Veken.

Infringitur hoc primum reſponſum, & Scoti doctrina magis elucidatur.

Reſponſum Vekeni ſecundum.

Refellitur hoc reſponſum, & optimis inſtantiis doctrina noſtra confirmatur.

CONTROVERSIA VI.

De altero modo contradictoria in Deo ſalvandi apud Vekenum, ſcilicet de diſtinctione reali indirecta, id eſt, per ordinem ad diverſa connotata realiter diſtincta, ſeu de diſtinctione virtuali Nominalium extrinſeca.

Quæſt. I. Quid ſit importari aliquid de connotato?

Quæſt. II. Quid nomine diſtinctionis virtualis extrinſecæ veniat intelligendum. Ubi de connotatione intrinſeca in Deo ad mentem Vekeni.

§. I. Præponitur, quid nomine diſtinctionis per connotationem extrinſecam intelligi debeat.

§. II. Quæ ſit notio connotationis in Deo intrinſecæ.

Quæſt. III. Poſſintne in aliquo ſenſu per diſtinctionem realem indirectam, ſeu virtualem extrinſecam per ordinem ad connotata realiter diſtincta explicatam, ſalvari contradictoria.

Quæſt. IV. An ſufficiat diſtinctio per connotata ad ſuſterenda contradictoria de re enunciabilia in ſenſu reali, id eſt, prout afficiunt rem nudè ſecundùm ſe, & in ratione actus primi reſpectu actus ſecundi ad connotandum.

CONTROVERSIA VII.

De diſtinctione virtuali intrinſeca, & modo ſalvandi contradictoria per illam diſtinctionem, an illa ſit tanti pretii, vel valoris ac utilitatis in ordine ad præſtandum hunc effectum, quanti à ſuis venditatur patronis.

Quæſt. I. Quid nomine diſtinctionis virtualis intrinſecæ veniat intelligendum?

§. I. Quæ ſit notio diſtinctionis virtualis apud Thomiſtas.

§. II. Quæ ſit notio diſtinctionis virtualis apud Recentiores.

§. III. Notio diſtinctionis virtualis apud quoſdam Nominales.

Conſectarium { primum. / ſecundum. / tertium. }

Quæſt. II. An detur diſtinctio virtualis intrinſeca Thomiſtica, ſeu fundamentalis, id eſt, fundata in eminentia rei, ſive divinæ, ſive creatæ, ſine actualitatis ſuæ dependentia ad intellectum, eaque verè obtineat vim præſtandi ſine vera diſtinctione, quod præſtaret diſtinctio vera, & ſatisfaciat contradictoriis fide credendis.

Quæſt. II. An detur diſtinctio virtualis intrinſeca, quæ explicatur per meram æquivalentiam, & inſitam quandam perindeitatem, id eſt, quæ per *perinde ſe gerere ac ſi*, vel per *perinde ſe habere*, vel denique per *quaſi*, *ac ſi*, obtineat vim præſtandi ad verificanda contradictoria ſine vera diſtinctione, quod præſtat diſtinctio vera, adeòque recurrendo ad hanc virtualem diſtinctionem ſatisfaciat argumentis Scoti, & contradictoriis fide credendis.

Proponitur ſpeciatim genuina Arriagæ doctrina de diſt. virtuali, & refutatur.

Secundò proponitur ſpeciatim doctrina Sebaſtiani Izquierdo, & refellitur.

Proponitur, & exploditur doctrina Honorati Faber.

Proponitur rejiciturque doctrina Martini Peſex de virtuali diſtinctione.

Aſſer-

INDEX

PARTIS SECUNDÆ.

De distinctione & identitate in divinis inter prædicata Dei quidditativa, inter attributa, & essentiam, inter attributa & attributa, inter essentiam, & relationes.

Tandem respondetur directè ad sextum sub n. 5 contra assertionem allatam.

Quæst.IV. An infinitas sit de essentia Dei, & qualiter?

Responsum ex dictis ad argumentum principale.

Digressio consectaria: quo jure P.Gooet Tom. 1. disp. 2. de Natura, & quidditate Dei art. 1. §. 1. n. 4 §. *secunda existimat.* & §. 3. Scoto, & Scotistis attribuit sententiam, quasi teneant Naturam divinam formaliter constitui per infinitatem, seu cumulum omnium perfectionum, quæ sunt in Deo.

Quæst.V. An intellectio divina sub conceptu operationis sit de quidditate Deitatis?

§.I. Quòd intellectio intret quidditativam Deitatis constitutionem, probatur primò auctoritate Scoti Quodl. 1.

§.II. Sententia verior astruitur.

§.III. Subruuntur, & diluuntur argumenta in oppositum allata.

Dubium incidentale ex dato responso ad primum: sitne distinctio aliqua saltem virtualis seu rationis ratiocinatæ in Deo inter essentiam sub conceptu essentiæ præscindendo ab operatione, & sub conceptu naturæ, ut est principium primæ operationis divinæ, quæ est intellectio?

Quæst VI. An Deus essentialiter sit hæc substantia, ut singularitas sit de essentia Dei?

§.I. Auctoritas, & rationes dantur pro sententia negativa.

§.II. Verior opinio affirmativa proponitur, eamque esse magis ad mentem Doctoris Subtilis.

§.III. Enervantur, & obliterantur fundamenta sententiæ oppositæ.

Quæst VII. An essentia divina ultimò constituatur, & formaliter distinguatur per aseitatem?

Quæst. VIII. Resolvitur quæsitum principale Controversiæ, scilicet per quod natura divina sub ratione naturæ, & radicis attributorum constituatur?

CONTROVERSIA X.

An præter realem distinctionem personarum alia distinctio, & quanta, & inter quæ prædicata in divinis sit astruenda?

Quæst. I. An, & quomodo essentia ab attributis & relationibus originis, item, attributa inter se distinguantur?

Responsio prima per effugium ad distinctionem rationis, non spectata ex parte rei pluralitate virtuali exploditur.

Responsio 2. per effugium ad distinctionem virtualem, non spectata distinctione rationis, seu quæ non actuetur, & compleatur per rationis distinctionem, explosa.

Tertia responsio explosa.

Quarta & vulgaris responsio de explicito, & implicito convellitur.

Refellitur responsio quinta, quæ est sub aliis verbis quasi continuatio prioris specialiter data contra argumentum de attributis factum, de modo significandi, appellandi, & reduplicandi proprium, & explicitum conceptum per modum velut differentiæ, seu secundùm quid actu exercet distinctionem virtualem ab altero attributo, eique velut opponitur.

Quæst.II. Sitne eadem ratio admittendi aliquam non identitatem ex natura rei inter prædicata Dei quidditativa, quæ est de essentia, & attributis, item de essentia, & relationibus divinis, & de attributis inter se?

§.I. Affertur auctoritas Scoti, & rationes pro sententia affirmativa.

§.II. Statuitur opinio negans, eaque verior.

Digressio ad quæstionem metaphysicam propositæ difficultati conterminam, videlicet: num detur respectu Dei, & creaturæ conceptus entis ex natura rei actualiter ab inferioribus præcisus?

§.I. Possitne illud ostendi ex auctoritate Scoti?

§.II. Possitne ex ratione ostendi, quòd ens importet realitatem communem ex natura rei præcisam à Deo, & creatura?

Satisfit argumentis, quæ in principio quæstionis adducta sunt.

Quæst.III. Sintne in Deo perfectiones attributales, consequenter eorum inter se, & ab essentia distinctiones numero infinitæ: ubi an ipsa attributa in tot concidantur formalitates, circa quot terminos, & objecta versantur?

Series & ordo doctrinæ de divinis attributis in particulari,

CONTROVERSIA XI.

De Attributis Dei transcendentalibus.

An, & quomodo ab ente distinguatur, consequenter à Deo, quatenus includit rationem entis?

Quæst.I. De unitate entis, & quomodo explicetur?

Quæst II. De veritate entis, ut sic.

Art.I. An veritas, ut est passio entis statuenda sit in conformitate aliqua ad intellectum actualem possibilem?

Art.II. Consistatne veritas, quæ est passio entis in eo, quòd res quævis naturam suam, secundùm quam diceretur vera, sic participet, sicut participare debet, secundùm præscriptum æternæ, & incommutabilis omnium essentiarum legis, & quid de hoc Doctor Subtilis?

Art.III. Consistatne veritas in conformitate ejusdem rei ad sua principia?

Art. IV. Authoris sententia statuitur.

Quæst.III. De bonitate entis.

Quæst.IV. De unitate, veritate, & bonitate, quatenus Deo ut includit rationem entis, præcisè attribuuntur.

Art.I. De unitate Dei.

Art.II. De veritate Dei.

Art.III. De bonitate Dei.

Quæst.V. Quid resolvendum ad quæsitum principale de distinctione attributorum Dei transcendentium ab essentia divina?

CONTROVERSIA XII.

De intellectu divino quatenus est potentia operativa. Ubi de attributis, quæ ad intellectualem Dei naturam spectant, scilicet de intellectu, voluntate, & distinctione eorundem ab essentia divina, item eorundem inter se, & ab actibus suis, & de ratione & distinctione habituum in Deo intel-

intellectualium, & moralium de specie, objecto specificativo scientiæ divinæ.

Quæst. I. An intellectus, ut est facultas intellectiva, & voluntas, ut est facultas impulsiva naturæ intellectualis ad metaphysicam illius attineat constitutionem?

Art. I. Prædicatum intellectus & voluntatis spectare ad quidditativam Dei constitutionem, & auctoritate munitur & ratione.

Art. II. Statuitur, intellectum & voluntatem essentiæ realiter identificata inter se, & ab essentia distingui ea natura rei formaliter.

Art. III. Disquiritur amplius mens Doctoris subtilis, & expediuntur ea, quæ ex ipso in oppositum sunt allata sub n.

Quæst. II. An intellectus & voluntas divina habeant rationem potentiæ sive actus primi respectu divinæ intellectionis & volitionis?

Art. I. An detur in Deo potentia logica?

Art. II. An in Deo potentia intellectiva, idem est de volitiva, physicam referat potentiam, respectu intellectionis, & qualem?

Art. III. Sententia Auctoris: dari in Deo rationem actus primi, & potentiæ intellectivæ & relativæ, respectu intellectionis & volitionis divinæ.

Art. IV. An sublatâ distinctione formali ex natura rei, nihilominus ad constituendum in Deo actum primum & secundum inter potentiam intellectivam & intellectionem, inter voluntatem & volitionem, suppetat distinctio rationis?

Quæst. III. Resolvitur altera pars principalis hujus Controversiæ, qualiter inter se distinguantur potentia intellectiva ab intellectione, volitiva à volitione?

Quæst. IV. An dentur in Deo virtutes intellectuales & morales per modum habitus, & qualiter ab intellectu ac voluntate distinguantur?

Quæst. V. Quodnam sit objectum divini intellectus primarium?

Quæst. VI. An Deus possit seipsum cognoscere increatum?

Quæst. VII. De objecto Dei secundario.

Art. I. Cognoscatne Deus omnes creaturas distinctè & in particulari, ubi & vindicatur S. Hieronymus à censura quorundam?

Art. II. An Essentia divina sit Deo unica ratio ac medium cognoscendi creaturas?

Digressio incidentalis: An data hypothesi, quod omnia, quæ de facto sunt possibilia, impossibilia forent, adhuc superessent in Deo eminentiales continentia & virtus quævis factibilia præstandi, & viralis imago divinæ scientiæ quæ modo est?

Art. III. An Deus per suam dumtaxat Essentiam ita cognoscat creaturas, ut illa non solum habeat rationem medii *quo* & *in quo*, juxta artic. superioris dicta, sed & rationem medii *quod*, tanquam objectum prius natura cognitum ducens in cognitionem creaturarum, velut objectum divinæ intellectionis secundarium.

Vindicatur Aureolus à censura cujusdam Recentioris.

CONTROVERSIA XIII.

De Ideis divinis, num ex illis distinctio Scoti in Divinis ritè probari possit?

Quæst. I. An dentur ideæ in intellectu divino?

Corollarium { primum. secundum. tertium.

Quæst. II. In quo consistat ratio ideæ divinæ?

Art. I. Quòd idea consistat non in solo conceptu formali, vel in solo conceptu objectivo.

Art. II. Quid sit illud objectum, sive illud esse objectivum, quod censentur in Deo habere rationem ideæ.

Art. III. An illud ipsum esse repræsentatum seu esse cognitum creaturæ, id est, ipsasmet creaturas, ut objectivè solùm in divina mente continentur, possint habere rationem ideæ?

Assertio probatur infringendo argumenta in oppositum.

Assertio rationibus positivis firmatur.

Quæst. III. Quali exemplari in assertis comperat esse ideam primario imitabilem aut intuendam ab artifice in opere edendo.

Dubium: de quonam objectivo seu cognito esse procedit quæstio, dum illi adscribit functionem ideæ?

Quæst. IV. De distinctione & pluralitate ideatum.

CONTROVERSIA XIV.

De Distinctione scientiæ simplicis intelligentiæ & scientiæ visionis.

CONTROVERSIA XV.

De Scientia simplicis intelligentiæ, ubi quidnam sit ens possibile terminans divinam sin plicis intelligentiæ scientiam.

Quæst. I. Unde trahatur possibilitas entis?

Artic. I. An possibilitas entis dependeat ab aliquo principio extrinseco?

Quid possibile logicum?

Quid possibile objectivum seu physicum?

Artic. II. Nonnulli Scotistæ assertionem secundam & tertiam adoriuntur, qua dicit possibilitatem lugicam in actu exercito ab intellectu divino nec principiativè auspicandam esse.

Afferuntur fundamenta & argumenta eorum, qui extra scholam Scoti philosophantur.

Quæst. II. An creaturæ ab æterno sub statu possibilitatis dicant aliquod verum esse, idque sit essentialiter quid positivum vel negativum?

Artic. I. Num ens possibile nanciscatur ab æterno verum esse reale?

§. 1. Num illud esse, quod ab æterno habent, essentiæ rerum, sit verum esse actuale?

Digressio incidentalis: An existentia subeat possibilitatem in hoc sensu, quod ab æterno sortiatur prædicatum aliquod reale positivum actualitatis signatæ & potentialis, &c.

CONTROVERSIA XVI.

De Scientia visionis, ubi de futuris contingentibus, sive de objecto scientiæ Dei contingenti.

CONTROVERSIA XVII.

De divisionibus variis Scientiæ Divinæ.

CONTROVERSIA XVIII.

De Distinctione Scoti oriri nata in Divinis ex processione Verbi divini, & Spiritus sancti.



ELEN-

ELENCHUS SEV SERIES CONCLUSIONUM TOMI PRIORIS.

CONTROVERSIA I.

De Simplicitate in genere.

ASSERTIO I.

QVidquid adæquata ratio simplicitatis ad propositum totius voluminis hujus scopum exigit & requirit, omnesque Tractatus qui passim de Divinæ Simplicitatis notione instituentur, ad primum eumque solum simplicitatis modum referendi sunt.

ASSERTIO II.

Simpliciter simplex ex eo quod expers est tam physicè quàm metaphysicè compositionis, non est statim perfectius composito.

ASSERTIO III.

Simplicitas quâ aliquid non solùm omnis expers est compositionis, sed & omnis componibilitatis, omninò præstat compositioni & quibuscunque compositis.

ASSERTIO IV.

Fide tenendum esto Mysterium Trinitatis seu distinctio realis inter Patrem & Filium, & Spiritum S. non lædere simplicitatem divinam.

CONTROVERSIA II.

An ad tuendam Dei simplicitatem, rectè dicatur, Deum per suam infinitatem & eminentiam supernaturalem transcendere prima principia: *quodlibet est, aut non est: impossibile est idem esse, & simul non esse.* Et regulas de contradictoriis, adeo ut in Divinis detur exceptio ab hisce regulis, omnisque excludatur instantia ab Ente creato & limitato ad Ens infinitum & increatum.

ASSERTIO I.

Oppositio contradictoria est eorum quæ secundùm affirmationem & negationem opponuntur.

ASSERTIO II.

Contradictoria quæ complexa dicuntur, & communiter apud Philosophos occurrunt, quædam sunt rationis, fundata supra diversum rationis: quædam contradictoria realia fundata, ut nonnulli volunt, super esse reale & entitativum: quædam secundùm esse formale tantum: quædam denique sunt contradictoria, quæ partim verificantur per opus intellectus, & partim præter opus intellectus.

ASSER-

ASSERTIO III.

Esto oppositio contradictoria possit objectivè dari in intellectu, quatenus ab illo concipitur per apprehensionem,ac juxta hunc conceptum possit voce & scripto significari quasi in actu signato;nullatenus tamen dari potest à parte rei salva natura contradictionis,proinde in nulla sententia verificari possunt duo contradictoria formaliter & simpliciter talia.

ASSERTIO IV.

Doctrina tradita in Assertione de contradictoriis non tenet nisi hoc modo circumscribatur contradictio, ut non tantùm verificentur contradictoria, id est, ut sit contradictio, negando, & affirmando idem, sed & verificentur de eodem, quod ipsum adhuc non sufficit, sed necesse est verificari ratione ejusdem.

ASSERTIO V.

Etsi primum principium de omni ente valeat, prout ens est, cui ut tali nimirum repugnat esse & non esse, si tamen per impossibile posset stare cum sibi contradictoriè opposito, ut valeat idem esse & non esse in ente creato & finito, id tamen ex speciali ratione ita repugnat enti divino & increato, ut nec divinæ Eminentiæ celsitudo,neque ulla virtus, neque ipsa infinitas est sufficiens sine vera aliqua distinctione ad verificandas sine contradictionis repugnantia propositiones de Deo contradictorias.

ASSERTIO VI.

Doctrina de nunquam admittendis contradictoriis de eodem, nisi habeantur in Scriptura sacra,vel ex determinatione Ecclesiæ, vel evidenter ex consequentia formali ex talibus inferantur, nec vera est,nec utilis, quin potius perniciosa Catholicæ fidei Vnitati.

CONTROVERSIA III.

De modo salvandi Contradictoria in Deo, & primò an ad hoc requiratur distinctio realis?

ASSERTIO I.

Vt sine implicantia seu contradictionis repugnantia idem de eodem verè affirmari & verè à parte rei negari possit, non requiritur distinctio summa seu realis inter rem & rem,&c. sed sufficit inter possibiles minima non identitas, dummodo sit vera,& non per intellectum fabricata, & non sit contradictio secundùm esse reale & entitativum simpliciter.

ASSERTIO II.

Nihil Naturæ divinæ in quantum Natura reperitur in omnibus Personis simul sumptis quod non reperiatur in qualibet earum, sed tota Natura totaliter & adæquatè sumpta,tam est identificata cum Paternitate, quàm cum omnibus tribus proprietatibus hypostaticis simul sumptis, proinde proprietates hyposta-

postatieæ non dicunt Naturam , sub ratione Naturæ , sive qua talis est.

ASSERTIO III.

Esto gratis concederetur distinctio realis mediata seu transitiva ad indistinctum in tertio realiter distincto, nullatenus tamen absorbet aut suffocat distinctionem mediatam & intransitivè consistentem inter proprietates hypostaticas & Essentiam Divinam.

ASSERTIO IV.

Distinctio realis mediata nec dabilis inter extrema , de quibus fit affirmatio & negatio , nec sufferendis contradictoriis idonea aut utilis est.

CONTROVERSIA IV.

An & quomodo Divina inter se identificata præscindamus per rationem; ubi & de Præcisionibus, an præter præcisiones formales aliæ admittendæ sint, quas objectivas vocamus?

ASSERTIO I.

Dicendum est nullas omninò dari præcisiones intentionaliter objectivas, id est, in statu reali intentionali medio inter purè formalem & purè realem objectivum, quod à potiori attendendo ad terminos , quibus utuntur nonnulli, dicendum est de præcisionibus objectivis , quæ in ordine ad prædicata secundo intentionalia per solam æquivalentiam logicam ad plura explicantur.

ASSERTIO II.

Dicendum multo minus dari posse præcisiones objectivas , seu ex parte objecti , de quo omnis à parte rei distinctio , id est , tam Scotistica, quàm Thomistica , & quæcunque alia virtualis intrinseca in ordine ad prædicata physica & primo - intentionalia , quæ sit fundamentum in re præcedens intellectum præscindentem unam ab alio , simpliciter negatur.

ASSERTIO III.

Omninò dicendum non dari præcisis connotatis præcisiones tales, quas Q. sup. si tales propter connotata admittendæ forent, diximus esse præcisiones latè & impropriè dictas, & fundantur in distinctione actuali extrinseca penes jam dicta connotata realiter diversa, id est, ut illud, quod dicit connotatum in recto tanquam subjectum se habens per modum materialis non distinguitur intrinsecus nec realiter, nec actualiter, nec virtualiter, seu ex natura rei, sed solùm actualiter extrinsecus in connotatis, à quibus præscinditur.

ASSERTIO IV.

Connotata, quæ referunt pluralitatem effectuum & quidem magis & minus nobilium ab eadem re producibilium: quales sunt v.g. sensationes homini & brutis

tis communes,& discursus soli homini & Angelis proprii, & regulariter loquendo in connotante distinctionem supponunt aliquam priorem & intrinsecam, esto præscindantur,propterea nullatenus explodi possunt præcisiones objectivæ, quin si alias præcisiones objectivæ sint admittendæ, connotans ex intrinseca sua natura habet,ut unum principium ex parte objecti præscindi posit ab alio, citra ordinem ad diversa illa connotata.

ASSERTIO V.

Omnino in hujusmodi creatis præcisiones objectivæ sunt admittendæ, nec unquam formales seu ex parte actus haberi possunt sine objectivis.

ASSERTIO VI.

Dari in Divinis præcisiones objectivas tam solidæ veritatis est, ut sine implicantia negari non posint.

CONTROVERSIA V.

Quid tenendum de modo salvandi contradictoria in Deo per distinctionem rationis?

ASSERTIO I.

Enunciationes contradictoriæ ut afficiunt rem in statu non purè reali, sed secundùm esse extrinsecè denominatum, quatenus in objecto resultat diversitas prædicatorum,in quæ cadit contradictio à sola operatione intellectus constituentis unum prædicatum extra conceptum alterius à contradictione per solam distinctionem rationis ratiocinatæ,salvari possunt, sive fundamentum istius distinctionis spectetur secundùm diversa connotata variarum perfectionum realiter ab illo distinctarum,sive spectetur secundùm inadæquatos conceptus, quatenus, quod à parte rei in seipso unum est,non uno actu inadæquato exprimi posit.

ASSERTIO II.

Si propter vocum & conceptuum inadæquationem v. g. quòd hæc nomina *intellectus,voluntas*,& cætera Dei Attributa absoluta, vel quia voces relatæ,Paternitas,filiatio, spiratio passiva inadæquatè solum relativas Dei proprietates exprimere putant,non innuant in propositionibus illa enunciari secundùm esse, quod referunt à parte rei,positque negari illa suppositio *ex natura rei*,id est,non innuūt proprietates Dei intrinsecas ex natura rei,sed à nostris tantùm conceptibus analogicè & extrinsecè petitas,non solùm incassum Theologi defatigarentur istarum proprietatum,ut his nominibus exprimuntur, quidditates investigare,sed & SS. PP^rum & CC^rum definitiones redderentur ridiculæ hæreticis,inefficaces & suspectæ fidelibus,ac absonis obnoxiæ consequentiis.

ASSERTIO III.

Rem significatam per hæc nomnia:Personalitas,filiatio,Natura & intellectus, voluntas,& cætera,simpliciter & sine additione aliorum in propositionibus contradictoriis posita in divinis esse nostrū conceptum & distinctionem rationis, & tamen ibi esse à parte rei rem,quæ est Personalitas,quæ est Paternitas, rem,quæ est filiatio,rem,quæ est Natura, Rē, quæ est intellectus, rem denique quæ est voluntas,& sic de aliis,tam est repugnans in terminis, quàm dari rem,quæ sit idem

cum eo,quod non est in rerum natura, consequenter sublato solo & merè gratuito opinandi arbitrio quantum ad *quid rei*, quoties verè aliquid de Deo enunciamus,sive dicatur RES,quæ est v.g.intellectus,sive è contrario intellectus, quæ est RES,scilicet enunciando aliquid de Deo per propositiones ex simplicibus terminis formatas,item sive addantur istæ particulæ *à parte rei,ex natura rei, secundùm statum realem,independenter ab intellectu.*& similes, sive omittantur, semper intelligendæ aut reflectendæ sunt ad rem,quam significant,non ad modum, sub quo rem supradicta nomina in propositiones redacta significare concipiuntur;adeoque propter inadæquationem conceptuum prætensam , dum de Attributis inter se,vel de Attributis & Essentia,de Essentia & relativis agitur, nunquam generaliter negari possit suppositio illa,*ex natura rei*,in propositionibus de Deo.

ASSERTIO IV.

Falsum est,quòd in DIVINIS à parte rei una tantùm pars contradictoriorum subsistat & evanescat altera, cui æquè ac alteri veritas in objecto extra animam contenta fundamentum dedit, proinde ad componenda in Deo contradictoria absolutè requiritur distinctio alia, quam sit distinctio rationis, & hoc sive loquamur de Deo , & contradictorias formemus per terminos simplices & præcisivè acceptos, sive per plurium simplicium syllabum & constructionem talem propositionum,quibus subjectum adæquatè significatum exprimatur secundùm nexum omnium in eo indivisibiliter existentium, suntque tales propositiones æque contradictoriæ,ac aliæ per simplices terminos constructæ.

CONTROVERSIA VI.

De altero modo contradictoria in Deo salvandi apud Vekenum, scilicet de distinctione reali indirecta, id est, per ordinem ad diversa connotata realiter distincta,seu de distinctione virtuali Nominalium extrinseca.

ASSERTIO I.

Contradictoria ut afficiunt rem, non tantùm in ratione actus primi & nudè secundùm se spectatam, sed secundùm esse extrinsecè denominatum, quatenus ipsa connotatio in ipsis objectivè accepta constituit per distinctionem realem connotatorum indirectè unum extremum extra aliud, omnino salvantur tam in DIVINIS,quàm in creatis.

ASSERTIO II.

Contradictoria de Deo generatim vel speciatim de Dei Essentialibus purè prout afficiunt Essentiam & Attributa nudè spectata in ratione actus primi non habita ratione ad actum secundum connotandi de quo sæpè non cogitatur, in Deo ea anterioritate vera sunt,qua Deus anterior existit omni alio, quod non est Deus.

ASSERTIO III.

Neque omnia,neque aliqua, consequenter nulla contradictoria notionalia secundùm se spectata præcisè salvari possunt per connotationem Deo intrinsecam Relationum vel Personalitatum realiter distinctarum,quin potius ea connotatio aut destruit sui Auctoris doctrinam, aut incidit in eandem , quam vult vitare implicantiam.

CON-

CONTROVERSIA VII.

De distinctione virtuali intrinseca,& modo salvandi contradictoria per illam distinctionem an illa sit tanti pretii vel valoris ac utilitatis in ordine ad præstandum hunc effectum,quanti à suis venditatur patronis.

ASSERTIO I.

Vis fundata in eminentia rei præstandi sine verâ distinctione, quod præstaret distinctio,in ordine quidem ad alia munia præstanda, quæ non requirunt distinctionem in præstante,non est impossibilis, in ordine autem ad præstandum hoc; si adsint extrema distinctionis formaliter & contradictio realis, ac à parte rei verificata. ut sine repugnantia idem de eodem verè affirmari, & negari possit, tam est impossibilis, quàm impossibile est, aliquid esse, & simul non esse.

ASSERTIO II.

Nominalium distinctio, abusivè solùm, & nulla veri nominis distinctio est censenda,quin potiùs non tam est distinctionis alicujus explicatio, quàm ipsiusmet sacrosancti mysterii Trinitatis expressio fide credenda.

ASSERTIO III.

Distinctio virtualis quæ non est actu verè,& propriè distinctio, sed fundata in mera virtute & æquivalentia distinctorum,vel sita in perindeitate quadam quasi veræ distinctionis in ordine ad recipienda prædicata contradictoria & inutilis, & nulla est.

ASSERTIO IV.

Omninò præposterè Scoti mens,eò quòd dicat suam distinctionem vocari posse virtualem,& violenter trahitur ad distinctionem sive Thomistarum , sive Recentiorum virtualem,dum solùm intendit distinctionem suam esse virtualem non ad formalitates,sed ad res reipsâ discretas, ita ut duæ formalitates in eadem entitate se gerant, ut duabus naturis inter se separatis æquipolleant, & distinctio virtualis,cujus hîc Scotus meminit,ita distinctioni formali præambulæ innitatur, sicut distinctioni virtuali Thomistarum ceu fundamento innititur distinctio rationis,quam ideò rationis ratiocinatæ appellamus.

CONTROVERSIA VIII.

An sit possibilis major distinctio,quàm rationis,& minor in actu, quàm realis,consequenter inter utramque media talis; per quam nec destruatur identitas extremorum realis,nec tamen per illam astruatur identitas earundem ex naturâ rei formalis.

ASSERTIO I.

Ex literâ constat, &ab unanimi & perpetuò tum veterum cum recentiorum Scotistarum à subtili Ordinis Magistro tertiam aliquam distinctionem assertam esse,quæ quia non solùm præcedit omne opus intellectûs secundùm fundamentum,sed etiam secundùm rationem distinctionis sit major, quàm rationis & virtualis,minor in actu, quàm realis strictè.

ASSERTIO II.

Extrema distinctionis Scoticæ ex mente Doctoris,non sunt distinctæ res, aut si vis per abusum ita dicere,realitates actuales,quæ propriam existentiæ actualitatem referunt;sed talia sunt vel gradus metaphysici ejusdem physicæ entitatis,qui eandem omninò existentiam sortiuntur,vel essentia & proprietates illius & similia, id est, sive ipsæ,quæ non sunt aliud & aliud physicæ, sumendo ens physicum,non strictè solùm, sed latè pro quolibet, quod in se, & à se existit, sed aliud & aliud metaphysicè solùm.

ASSERTIO III.

Non correspondet propria & partialis existentia singulis rerum gradibus ac earum formalitatibus,quas quidem in iis asserimus plurificatas,sed unica existentia,quæ sit simplex quædam actualitas indivisibiliter afficiens omnes & singulos ipsius essentiæ gradus per ipsam omnes simul unicè existentias.

ASSERTIO IV.

Nullis omninò rationibus demonstrari potest,quòd sicut duæ formalitates superius descriptæ in una entitate per identitatem realem immersæ proprium facientes ac determinatum effectum formalem, & existentes unicâ eâdemque existentiâ,quâ coexistunt simul reliquæ ejusdem entitatis perfectiones , sicut inquam sunt idem realiter, ita etiam sint idem formaliter inter se , nec proinde, quòd identitas realis negetur per non identitatem formalem , aut identitas formalis affirmetur per identitatem realem, econtrà cùm adsint positivæ rationes , quæ non possibilitatem duntaxat,sed actualitatem indicatæ distinctionis inferre videntur,impossibilem esse,chymericam esse, temerè & insubidè asseritur.

ASSERTIO V.

Nullis etiam rationibus demonstrabilis est in divinis distinctionis indicatæ impossibilitas,quin potiùs econtrà demonstrari potest, cùm contradictio in divinis per CC. & SS.PP. sit admittenda, quandam non identitatem in extremis suæ naturæ proportionatam, id est, non negativam simpliciter, sed præcisivam ibi astruendam esse.

CONTROVERSIA IX.

De Natura & quidditate Dei ejusque ratione formali constitutiva & ultimo distinctiva,seu, per quid Natura divina sub ratione naturæ & radicis attributorum formaliter constituatur.

ASSERTIO I.

Deum esse substantiam & quidem completam, & fides sancta docet & ratio.

ASSERTIO II.

Certum quoque est, & de fide tenetur,Deum esse substantiam spiritualem.

ASSERTIO III.

Certum quoque est Deum esse substantiam viventem vita intellectuali perfectissima.

ASSERTIO IV.

Existentia Dei est de essentia ipsius.

ASSERTIO V.

Subsistentia absoluta, quâ fit ut immediatum quod Deitatis non sint relativâ & incommunicabilia supposita, sed hic Deus subsistens & communicabilis, sive illa sit de conceptu formali existentiæ divinæ, sive solùm modus intrinsecus, simpliciter est astruenda.

ASSERTIO VI.

Infinitatem non consequi Deitatem instar alicujus attributi, certum est non esse de quidditate Dei, sed modum intrinsecum naturæ divinæ probabilius est.

ASSERTIO VII.

Gratis dato quòd infinitas sit de quidditate Naturæ divinæ, nullatenus tamen ultima ratio constitutionis quasi metaphysicè renunciari potest.

ASSERTIO VIII.

Etsi collectio sive cumulus omnium perfectionum (sive tales per essentialem transcendentiam, sive per identicam conjunctionem coeant in unum) constituat Deum in sensu physico, idque in omnium doctrina dicentium sit, nullatenus tamen in metaphysico propriè & strictè, nec usquam vel per umbram oppositam illius Doctor subtilis asseruit, nec aliquis suorum; quod proinde falsò de illis & immeritò dictitatur.

ASSERTIO IX.

Intellectio divina sub operationis conceptu non est formaliter constitutivâ & distinctiva essentiæ divinæ.

ASSERTIO X.

Singularitas ita est de essentia Dei, ut essentia in nullo signo sit de se existens in ultima & consummata actualitate, nisi sit de se hæc, adeoque est etiam de conceptu substantiæ, spiritualitatis, vitæ intellectualis, & cum proportione omnium attributorum & relationum divinarum in Deo.

ASSERTIO XI.

Aseitas non potest constituere Naturam divinam strictè sumptam, quatenus est radix attributorum.

ASSERTIO XII.

Vltima ratio constitutiva, quæ reliquos gradus essentiales in Deitate repertos, Naturæ Dei proprios, atque à tota universalitate entis creati alienos reddit, per quam proinde, non ante quam, nec post quam per aliud Natura divina intelligitur essentialiter distingui à quocunque alio, quod est ipsa, consistit ultimatè

tè in vita radicaliter intellectuali ut consideratur sub conceptu formali ultimæ actualitatis completæ, sive ut est per se existens essentialiter.

CONTROVERSIA X.

An præter realem distinctionem personarum alia distinctio & quanta, & inter quæ prædicata in divinis sit adstruenda?

ASSERTIO I.

Nec attributa Dei, nec relationes originis ab essentia divina realiter distinguuntur, sed summa & perfectissima identitate reali identificantur cum illa.

ASSERTIO II.

Attributa Dei non sunt de essentiali conceptu Deitatis, nec Deitas est de conceptu essentiali attributorum.

ASSERTIO III.

Inter essentiam & attributa, inter essentiam & relationes, inter ipsa quoque attributa datur distinctio, quæ tamen respectu essentiæ & relationum non est distinctio realis inadæquata seu mediante tertio, neque sufficit respectu essentiæ & relationum ex una parte, & attributorum ex altera parte, sola distinctio rationis, neque distinctio virtualis extrinseca. id est. distinctio realis indirecta, seu per ordinem ad diversa connotata, neque distinctio fundamentalis seu virtualis intrinseca, quæ Thomistica dicitur, neque distinctio virtualis intrinseca Recentiorum, quæ non est actu & è re distinctio, sed fundata in mera virtute & æquivalentia distinctorum, vel sita in perindeitate quadam quasi veræ distinctionis in ordine ad sufferenda prædicata contradictoria, sed omninò necessaria est distinctio, seu non identitas formalis ex natura rei, quæ est inter omnes actu & reipsâ possibiles minima, & passim à scholis, *Scoti* appellatur.

ASSERTIO IV.

Ratio, quæ est de essentia & attributis, & aliis proprietatibus in Deo inter se, vel ad essentiam comparatis, quoad distinctionem ex natura rei formalem nullatenus eadem est quoad prædicata Dei quidditativa.

ASSERTIO V.

Probabilius est Deum eò formaliter esse Deum, quò est formaliter ens, ac in eodem sensu, quo est ens, esse substantiam, quo est substantia, esse & spiritum, quo spiritus, esse & vitam, intellectualitatem, singularitatem & existentiam, adeò ut tota actualitas divina nescia sit distinctionis ex natura rei formalis inter prædicata quidditativa, quæ se mutuò transcendunt, ut unum formaliter includatur in conceptu alterius.

ASSERTIO VI.

Præterquàm valdè probabile sit virtutes intellectuales & morales in Deo non distingui ab intellectu & voluntate divina, dicendum quòd perfectiones attribu-

tributales divinæ spectatæ secundùm esse suum absolutum non sint numero infinitæ, consequenter frivolè absque ullo fundamento renunciatur distinctio Scotica inter illas in infinitum numero aut infinities in extensum multiplicata, quasi Deus physicè spectatus nihil foret nisi cumulus infinitarum perfectionum ex natura rei formaliter extensivè in infinitum distinctarum.

ASSERTIO VII.

Attributa divina, quæ perfectionem aliquam important, spectata penes multiplicem tendentiam & habitudinem ad varia objecta nequaquam pro infinita multitudine eorum, circa quæ versantur in attributa quasi partialia & numero infinita subdividenda aut distinguenda veniunt.

CONTROVERSIA XI.

De Attributis Dei transcendentalibus.

An, & quomodo ab ente distinguatur, consequenter à Deo, quatenus includit rationem entis.

ASSERTIO I.

Supposito, quòd unitas transcendentalis, quæ est passio entis, aliquid positivum enti ex natura rei superaddat, non rectè describitur esse per quam refugit ens inclusionem plurium per se non unitorum, seu quæ opponitur multitudini plurium non unitorum unione per se.

ASSERTIO II.

Vnitas entis, supposito, quòd sit quid superadditum, & à nobis per negationem multitudinis & divisionis explicatur, quòd videlicet sit illud, quod est indivisum in se, scilicet quòd non includat plura separata, & divisum à quolibet alio, rectius describitur, quòd sit, quæ positivè opponitur multitudini & divisioni, non quæ tollit & destruit unitatem entis radicalem, seu quæ contradicit enti in primo modo dicendi per se, sed quæ primariò & essentialiter opponitur divisioni & multitudini, quatenus illa divisio & multitudo contradicit unitati formali, & in secundo modo dicendi per se.

ASSERTIO III.

Veritas transcendentalis, quæ est passio entis non consistit in conformitate aptitudinali, seu intelligibilitate, sed est formaliter in rebus absque ordine & respectu ad intellectum actualem vel possibilem, divinum vel humanum, ac meritò oppositum attribuitur Scoto.

ASSERTIO IV.

Licèt conformitas ea, quæ enti creato inest, ad ideas opificis veritas appellari queat, ac proinde una ex veri acceptionibus ea sit, quæ refert conformitatem ad divinas ideas aut mensurabilitatem ad præscriptum legis æternæ essentiarum, eamque Scotus approbat in rebus creatis, nullatenus in ea fuit sententia, ut veritatem, quæ est adæquata entis affectio, in hujusmodi conformitate constituerit.

ASSERTIO V.

Non videtur veritas, quæ est attributum entis, ritè explicari per conformitatem ad sua principia intrinseca, id est, ad cujusvis rei veram & solidam naturam.

ASSERTIO VI.

Veritas, quæ est passio entis, & communiter explicatur per conformitatem ad intellectum non actualem, sed aptitudinalem, ideòque vocatur intelligibilitas, non quæ sit in ente pura non repugnantia ad intelligi, & attendenda penes agens seu cognoscitivum extrinsecum; sed quæ sit quidpiam intrinsecum potius attendendum penes illud, quod intrinsecè & necessariò dimanet ab ente, est illa ipsa vis, ratio, & facultas, quâ res immediatè sine explicito ordine conformitatis ad immutabilem suæ essentiæ regulam seu legem, potis est manifestare seipsam sicuti est, cuicunque intellectui, eam manifestationem attingere valenti.

ASSERTIO VII.

Bonitas absoluta, quæ desumitur per ordinem ad prædicata essentialia, estque illa rei integritas, vi cujus ponitur sub eo statu, sub quo ipsi nihil deest ex illis, quæ ad perfectionem essentialem requiruntur, non est passio entis.

ASSERTIO VIII.

Bonitas, quam Scotus suprà secundariam vocat & accidentalem, & consistit in convenientia unius rei, cum alia re. seu bonitas relata, quâ res est conveniens alteri, non est passio entis.

ASSERTIO IX.

Bonitas, prout coincidit cum appetibilitate, non quòd à parte rei consistat in relatione, quia ut sic ab absoluto & respectivo præscindit velut ens, cujus est passio, sed prout à nobis explicatur per convenientiam ad appetitum aptitudinalem & transcendentalem, est passio entis.

ASSERTIO X.

Vnitas transcendentalis non est in Deo prædicatum quidditativum, sed proprietas essentiam Dei consequens.

ASSERTIO XI.

Deus licèt sit summè unus, tamen nequit venire in numerum, adeò ut unus numero dici nec debeat, nec possit.

ASSERTIO XII.

Transcendentalis Dei veritas, non est ejus prædicatum essentiale & quidditativum, sed attributum consequens ad essentiam divinam.

ASSER-

ASSERTIO XIII.

Deus est bonus, non solùm bonitate quidditativa, sed & transcendentali, & in bonitate perfectissimus.

ASSERTIO XIV.

Tenendo probabilissimam Scotistarum opinionem, quòd *Vnum, verum, Bonum*, sint veræ & reales passiones entis, quæ addant aliquid positivum supra ens, illæ ab Ente divino, sive ab essentia Dei distinguuntur non solùm ratione ratiocinata, sed ex natura rei formaliter ante omne opus intellectus.

CONTROVERSIA XII.

De intellectu divino quatenus est potentia operativa, &c.

ASSERTIO I.

Esto secundùm analogicam concipiendi rationem à facultate intelligendi, & vi appetendi entis creati petitam intellectus & voluntas divina Deitati intimiora & quasi conjunctiora censeantur quàm prædicata, quæ per modum qualitatis, & respectu vis intellectivæ & volitivi in actu signato velut actus secundus inesse Deo considerantur, & in actu exercito nequaquam tamen in ipsam Deitatis essentiam metaphysicè acceptam transferri aut resolvi possunt, nec usquam Doctor subtilis solidè & verè trahi potest in oppositum, statuens potius illa distingui tam ab essentia, quàm inter se ex natura rei formaliter, esseque proprietates divinas realiter solùm identificatas sibi. & essentiæ divinæ.

ASSERTIO II.

Potentialitas logica, quæ non trahitur à non repugnantia terminorum, & non à principio extrinseco, datur in Deo ad omnem intellectionem, & volitionem divinam.

ASSERTIO III.

Potentiam physicam, ut suprà descripta est, quæ apprehenditur per modum actus primi physicè divisi contra actum secundum ita à Deo relegandam esse, adeò perspicuum est, ut hæreticus sit, qui dicit oppositum.

ASSERTIO IV.

Esto daretur potentia physica à supradictis imperfectionibus expurgata, talis adhuc non esset in Deo respectu intellectionis, & amoris essentialis.

ASSERTIO V.

Nulla salvari potest in Deo potentia physica intellectiva aut volitiva respectu intellectionis & amoris essentialis per distinctionem virtualem, seu ut loquuntur, virtualiter realem, multò minus per distinctionem, vel per operam intellectus inter principium, & actum illius.

ASSERTIO VI.

Nulla datur in Deo potentia physica conditionata, quæ actu fundetur in hoc sensu peculiari potentiâ intellectivâ Dei; idem est de volitiva, ejusmodi in se est, ut si à sua intellectione distingueretur reipsâ, re etiam ipsam illam produceret.

ASSERTIO VII.

Nulla quoque in Deo salvari potest potentia propriè physica per distinctionem Scoti, seu ex natura rei formalem, ita ut detur physica activitas potentiæ intellectivæ divinæ respectu suæ intellectionis dicta formalis ex natura rei.

ASSERTIO VIII.

Intellectus & intellectio, voluntas & volitio in Deo ex proprietate sermonis non sunt conceptus synonymi, sed diversum habent significatum proprium, quod menti & audienti objiciunt ut diversa prædicata, quorum unum refert propriè actum primum, aliud propriè actum secundum.

ASSERTIO IX.

Potentia intellectiva (idem esto de volitiva) quæ asseritur actus primus intelligendi in Deo non est pura potentia logica seu non repugnantia terminorum, sed potentia physica, quatenus condistinguitur à potentia purè logica, non ut importat activitatem physicam, quæ in actum physicè distinctum exerceatur, & quæ ad producendum aliquid physicè denuò est quid diversum à seipso, sed potentia physica largè sumpta pro vera potentia realiter per actum perceptiva objecti circa quod versatur, ita ut illud ad se repræsentatione formali, seu cognitione sibi realiter identificata trahere, eique motione objectiva non effectiva vel quasi effectiva assimilari potens sit.

ASSERTIO X.

Advocatâ hypothesi, quid in sententia Scoti inter intellectum in actu primo & intellectionem & voluntatem, in actu primo & volitionem non esset destructio formalis ex natura rei, sed quidditativa eorum transcendentia potiùs astruenda esset, possent quidem doctrinâ datâ superius defendi per analogiam ad creata connotata, quatenus adhuc per distinctionem virtualem extrinsecam inadæquato conceptu apprehendi possent ut actus primus & secundus, probabilius non posset per emanationem quasi logicam & rationis, quæ se tenent ex parte rei conceptæ, ita ut non sit ibi constituenda distinctio virtualis intrinseca, seu rationis ratiocinatæ cum fundamento ab ipsa re petito.

ASSERTIO XI.

Probabile est, vim intellectivam, idem esto de volitiva respectu volitionis per essentialem transcendentiam imbibere intellectionem, esto à nobis conceptu inadæquato apprehendatur illa vis ut non exercita & terminata actualiter ad objectum, & ita ponatur per rationem actus primus & secundus in Deo.

ASSER-

ASSERTIO XII.

Salva doctrina Scoti 1.d.2. q.7. n.23. quod in Deo principium productivum, id est, memoria divina includens intellectum in actu primo verè distinguatur à principio operativo, quod est idem intellectus, ut subest operationi, seu ut tale dicitur respectu actus intelligendi ad mentem ejusdem inter intellectum & suam intelligentiam (de volitione & voluntate idem est) distinctio formalis ex naturâ rei longè probabilius asseritur, quàm alia rationis à nostra fictione & analogia mentis creatæ.

ASSERTIO XIII.

Nulla datur virtus in Deo per modum habitus propriè dicti seu realiter distincti.

ASSERTIO XIV.

Nulla datur quoque virtus in Deo per modum habitus formaliter aut ratione ratiocinata distincti, sed id quod virtutem appellamus in Deo, est ipsum principium proximum operum intellectuali & morali modo factorum abstractè & præcise conceptum.

ASSERTIO XV.

Essentia divina est objectum primarium intellectus divini, non tantùm primitate dignitatis, sed etiam primitate virtutis, adeò ut habeat rationem repræsentantis alia, sive rationem medii cogniti, in quo cognoscuntur omnia reliqua.

ASSERTIO XVI.

Objectum divini intellectus formale motivum & specificativum est divina essentia non quomodocunque, sed ut *hæc est*, & distincta formaliter à relationibus & attributis Dei essentialibus.

ASSERTIO XVII.

Quomodocunque essentia divina dicatur objectum motivum, exerceat ne immediatè munus speciei impressæ respectu scientiæ increatæ, vel medio attributo potentiæ, necesse est, ut sua cognitio ad omne terminatur cognoscibile conjunctim & identicè sumptum, ut simpliciter sit comprehensiva, & terminativa, supra & extra omnem sphæram objectivam infinita, etiam per denegationem termini extrinseci, ut sibi in congruo aliquo sensu dici possit finita.

ASSERTIO XVIII.

Deus essentialem creaturarum à se dependentiam cognoscendo non cognoscit seipsum in illis, sive in seipso cognitis, sive cognitis creaturis in seipsis tanquam in medio cognito.

ASSERTIO XIX.

Ex fide constat, & naturæ lumen docet, Deum distinctè & in particulari cognoscere omnes creaturas sive actu extra causam positas, sive tantum possibiles quasvis etiam minutissimas ac ad infimam rerum classem seu novissimum perfectionis gradum in essendo pertinentes.

ASSER-

ASSERTIO XX.

Deus cognoscit creaturas in seipso tanquam in objecto prius cognito, seu medio objectivo & in quo.

ASSERTIO XXI.

Creaturæ possibiles sunt intelligibiles ab intellectu divino non in propria earum cognoscibilitate, ita ut secundùm modum essendi ipsis proprium se habeant tanquam motivum & objectum primarium intelligibilitatis earum, sed qua per formam intelligibilem increatam sunt intelligibiliter & repræsentativè in illo, ut objectum terminativum attactum in Essentia divina, ut ratione motiva terminationis, & ut medio *quod* cognoscendi illas, ut omnis proinde creatura secundùm omnem rationem formalem ejus in intellectu divino secundùm speciem duntaxat increatam relucescat.

CONTROVERSIA XIII.

De Ideis divinis, num ex illis distinctio Scoti in divinis ritè probari possit?

ASSERTIO I.

Constans est Patrum & Theologorum sententia dari in Deo ideas rerum omnium, quarum Deus potest esse causa libera.

ASSERTIO II.

Ad hoc ut agens intellectuale dicatur principium ad extra idealiter productivum, seu quasi ab indifferentia ad plures factibilium species proximè contrahatur & completè determinetur ad specificationem operis, non ea duntaxat contrahi necesse est idea, quam objectivam dicimus, sed & formali, quæ est cognitio seu notitia factibilium, non ut per actum reflexum ab ipso agente inspiciatur intellectio velut objectum alterius actus intelligendi, sed quatenus per modum intellectionis agens ordinat ad talem speciem influxus vel actionis, ita ut tam expressioni formali, quàm objectivæ creaturarum ratio idealis adcensenda sit, quamvis non seorsim cognitioni, sed ut est objectivæ composita.

ASSERTIO III.

Supposito quòd Essentia divina, ut gerit munus notitiæ, sit aliquo modo dicenda idea ad mentem Doctoris subtilis ipsa cognitio divina ut est similitudo intentionalis, id est, non secundùm solâ entitatem ab objecto sejunctam, sed secundum repræsentationem & directionem in ordine ad objectum habet rationem ideæ creaturarum.

ASSERTIO IV.

Valde probabile est, abstrahendo ab auctoritate Essentiam divinam, ut cognitionis munus obit, non habere rationem ideæ, accipiendo ideam strictim pro ratione & forma, quam Artifex in operando intuetur.

ASSERTIO V.

Quomodocunque Essentia Divina habeat rationem ideæ, nullatenus tamen secun-

secundùm prædicatum, quod est ultima ratio constitutiva Dei, & quæ reliquos gradus essentiales in Deitate reddit Naturæ Dei proprios, ac à tota universalitate, entis creati alienos.

ASSERTIO VI.

Essentia divina sub conceptu relato imitabilitatis ad creaturas non habet rationem ideæ earumdem.

ASSERTIO VII.

Dato, quòd respectus imitabilitatis exigeretur in Deo, attamen neque suppetunt ad rationem ideæ, neque ad ideas (quâ exprimere deberent creaturas, quæ sunt terminus illius respectus) in Deo multiplicandas.

ASSERTIO VIII.

Essentia divina non inducit adæquatam rationem ideæ, ut nuda Natura est, esto talis non præscindat à scientia & volitione divina.

ASSERTIO IX.

Essentia divina, quatenus se tenens in ratione objecti infiniti repræsentat intellectui divino omne factibile, jure censetur habere rationem ideæ divinæ.

ASSERTIO X.

Probabile teneri potest rationem ideæ objectivæ & propriè dictæ, quatenus habent creaturæ esse objectivum in mente divina, id est, quatenus à Deo in semetipso repræsentatæ & cognitæ sunt, ipsismet creaturis idealiter factibilibus adcensendam esse.

ASSERTIO XI.

Supposito quòd creaturæ à Deo præconceptæ, id est, secundùm esse cognitum & objectivum, quod habent in mente divina à cognitione relictum habeant rationem ideæ, sive illæ comparentur cum idea divina, si talis sumenda sit à Deo, ut subit munus cognitionis, sive ut se tenet ex parte objecti cogniti & repræsentantis illam ipsam creaturam à potentia divina factibilem, primariò obtinet rationem ideæ ipsa divina Essentia, creaturæ autem ut terminant divinam cognitionem, secundariò tantùm & participativè.

ASSERTIO XII.

Dantur in Deo plures ideæ, illas actu realiter & positivè in Deo distingui, nefas est.

ASSERTIO XIII.

Accipiendo ideas æternas pro creaturis, quatenus habent esse objectivum in mente divina inter se, id est, prout objicitur menti divinæ, & prout sub actu existentiali extra causæ suæ eminentiam constituitur, & ab Essentia differunt reali et negativè seu distinctione reali potentiali.

ASSERTIO XIV.

Etiam ideam accipiendo pro Essentia divina, sive ut subit munus cognitionis, sive ut est objectum creaturarum repræsentativum, seu in quo omnia exprimuntus

tur adhuc plures ideæ in Deo admitti possunt & debent, nec realiter nec formaliter ex natura rei, sed sola ratione distincta.

CONTROVERSIA XIV.

De Distinctione scientiæ simplicis intelligentiæ & scientiæ visionis.

CONTROVERSIA XV.

De scientia simplicis intelligentiæ, ubi, quidnam sit ens possibile terminans divinam simplicis intelligentiæ scientiam?

ASSERTIO I.

Intellectus divinus confert enti possibili aliquod esse ab æterno, quod nihil est aliud, quàm esse productum in *esse cognito*.

ASSERTIO II.

Intellectus divinus nullo modo confert creaturis possibilibus logicam possibilitatem, quasi illa primò effluat quoad formale significatum suum ab intellectu operativo Dei.

ASSERTIO III.

Quidquid illud sit, quod possibile logicum sibi vendicat in recto & in actu exercito, id ex suiipsius propria ratione formali ita sibi vendicat, ut semota comparatione ad quodcunque primum principium, imò data per impossibile primæ causæ implicantia, creaturæ possibilitas suum quod habet esse, ratum maneret & inablatum.

ASSERTIO IV.

Creaturæ sub statu possibilitatis quomodocunque adumbrent esse reale positivum nullum tale habuerunt ab æterno.

ASSERTIO V.

Descriptio entis logicè possibilis per connexionem necessariam extremorum, non est revocanda ad sensum conditionatum vel hypothesin existentiæ & realitatis positivæ terminorum (*si ponatur ens possibile in esse actuali, nullam inferret contradictionem*) sed ad sensum absolutum, quatenus absolutè utrumque extremum actu importat connexionem cum non repugnantia ad existendum.

ASSERTIO VI.

Nulla creatura, quæ nunc non est, esset, si Deo placeret, constituitur possibilis per hoc, quod connotet tempus suæ non existentiæ in obliquo.

ASSERTIO VII.

Eadem numero creatura, quæ est actualis, fuit possibilis cum omnibus suis gradibus & prædicatis realibus & positivis, eadem, inquam, genere, specie & numero cum illo individuo, quod nunc est, non quod eadem numero forma subjiciatur diversis statibus possibilitatis & actualitatis, seu existentiæ per identitatem realem & rationem eatenus numericam, ut homo v. g. quæ possibilis prædicatur

in recto de ipso jam existente, dicendo convertibiliter, hic homo existens est idem numero, quà fuit possibilis, & hic homo possibilis est idem, quà erit existens: sicut dicimus, hic homo est Petrus, & Petrus est hic homo, non ita; sed res actualis & possibilis est eadem numero terminativè, connotativè seu ratione connotati, & in hoc sensu vera est prædicatio hæc: *hic homo existens est, qui fuit possibilis*, id est, qui fuit connotatum possibilitatis, vel non repugnans ad existendum.

ASSERTIO VIII.

Creatura possibilis est ipsa creatura actualis in actu signato expressa, per hoc quod sit non repugnantia ad existendum, quæ ante accessum positionis, quæ est effectus divinæ potentiæ, taliter secum trahit, fundatque negationem existentiæ actualis, ut illa hæc negatio sit actualis & exercita, positio verò connotata, ac in hac particula ad *existendum* in actu signato expressa, sit potentialis, vi cujus opponitur non solum non enti, quod convertitur cum impossibili, sed omni enti, quod habet duntaxat esse in anima, potestque hoc pacto intra rationem nominalis entis dici quid reale positivum non exercitum & in recto, sed in eo quod connotativè dicit & in actu signato.

ASSERTIO IX.

Doctor Subtilis nunquam opinatus est possibilitatem entis ab intellectu divino ita forinsecus rei accedere, ut pro illo signo naturæ, in quo astruit Scotus rem ab intellectu divino produci in esse possibili, tunc prius res suam obtineat possibilitatem, eamque intellectus producens anteeat ita, ut illam rei de se ab intrinsecis suis principiis competere neget, nisi intellectus illam prius dederit illi.

ASSERTIO X.

Non eo sensu Doctor subtilis pronunciavit, quòd rerum possibilitas principiativè sumatur ab intellectu, quasi Deus producendo res in esse intelligibili, sive cognoscendo rerum possibilitatem faciat eas tunc ab aliquo instanti possibiles esse, sed rebus, quæ erant jam formaliter possibiles ex seipsis, confert aliquod primum esse positivum, quod ante conditionem nactæ nondum fuerant, ita ut ens possibile ante tendentiam intellectus divini in illud ut objectum, quod erat sola non repugnantia ad essendum, & merum ens negativum juxta dicta supra sub n. 395. & seqq post terminationem divinæ mentis accipiat primum esse positivum ex parte formæ, licèt non ex parte objecti, id est, accipiat primum extare in ratione objecti, in qua ratione ante quasi non erat, delituit, jam verò emergere & dici incipit *cognitum esse, manifestatum esse*, quod est quoddam positivum primum ex parte formæ, à qua creatura possibilis denominatur cognita, esto quidditativa ratio creaturæ possibilis, ut condistincta à denominatione cogniti, sit ens reale negativum.

ASSERTIO XI.

Esto possibilitas logica intra merum possibilitatis conceptum subalternetur necessario sine ullius contingentiæ admixtione, absolutè tamen potentiæ divinæ & cuivis perfectioni intrinsecæ Dei principalior & essentialior necessitatis gradus in essendo attribuendus est, quàm omni objecto creato in ratione possibilis, cui minus convenit principaliter & secundario tantum.

ASSERTIO XII.

Ens possibile logicum, quoad formale significatum & in recto non pendet à potentia Dei, pendet tamen ratione connotati, quod exprimit in obliquo.

ASSERTIO XIII.

Possibile logicum spectatum in seipso non trahit à principio extrinseco, sed à propria sua quidditate habilitatem, seu a seipso est non repugnantia ut sit contemplatum a Deitate.

ASSERTIO XIV.

Illud esse, quod creaturæ dicunt ab æterno, tam in recto, quam in obliquo, non est quid medium inter ens, quod est in anima, & ens quod est extra animam.

CONTROVERSIA XVI.

De Scientia visionis, ubi de futuris contingentibus sive de objecto scientiæ Dei contingenti.

ASSERTIO I.

Deum cognoscere futura absoluta contingentia, de fide certum est, habetque tot testes, quot Deus fecit Prophetas.

ASSERTIO II.

Deum cognoscere futura contingentia absoluta constat eâ certitudine ductus naturalis qua infinitum constat esse Deum.

ASSERTIO III.

Deus infallibiliter & determinavit & novit futura contingentia in sua Essentia, supposito decreto de ipsorum futuritione.

ASSERTIO IV.

Non duntaxat probabilior & communior, sed & Scripturæ & SS.PP. conformior est sententia, quæ asserit dari in Deo certam & infallibilem scientiam de futuris contingentibus conditionatis.

ASSERTIO V.

Repugnat primæ veritati & infinito Dei intellectui aliam admittere cognitionem in revelationibus divinitus factis, quam scientiam certam & infallibilem de futuris contingentibus etiam conditionatis.

CONTROVERSIA XVII.

De divisionibus variis scientiæ divinæ, sintne scientiæ divinæ divisiones argumentum distinctionis, ubi fit decisio non solum quæsiti Controversia XIV. ut ibidem polliciti sumus, sed & de actibus voluntatis divinæ necessariis & liberis, an inter se distinguantur ex natura rei formaliter?

ASSERTIO I

Bimembris divisio scientiæ Dei scilicet in simplicem intelligentiam & visionem, sicut & in necessariam & liberam sufficiens est & adæquata.

ASSERTIO II.

Esto secundùm dicta *controv.9.q.5.& controv.12.q.3.assert.3.* omnino probabile sit, quod scientia Dei indivisim ad se intellecta & duntaxat comparata ad ipsam Dei essentiam & ad principium suum intellectivum formaliter ex natura rei distinguatur, comparata tamen & quasi divisim intellecta à seipsa *ad & ob* diversa objecta, tam respectu sui, quàm respectu creaturarum ex natura rei est unica formaliter & simplicissima scientia.

ASSERTIO III.

Ratio actus liberi est in Deo omninò indistinctus, seu formaliter ex natura rei idem adæquatè entitativus actus volitionis divinæ cum actu volitionis essentiali & necessario.

CONTROVERSIA XVIII.

De distinctione Scoti oriri nata in divinis ex processione Verbi Divini, & Spiritus sancti.

ASSERTIO I.

Processiones divinæ nullatenus immediatè sunt per essentiam divinam tanquam per principium radicale *Quod.*

ASSERTIO II.

Processiones divinæ non sunt per essentiam, aut divinam Naturam, ut talis est, tanquam per principium *Quo* divinarum processionum proximum, & immediatum.

ASSERTIO III.

Processiones divinæ etsi non sint per essentiam tanquam potentiam notionalem, seu principium quo proximum, sunt tamen per illam ut suum principium radicale & remotum, id est, essentia non nudè spectata est ultimata agendi ratio in actu primo; sed quà terminatur per relationem personæ producentis non determinatione quasi per modum principii activi, sed per modum conditionis agendi, sic nempe per relationem Paternitatis determinatur, ut sit principium generationis in Patre, & per relationem Patris, & Filii, ut sint principium spirandi Spiritum sanctum, per relationem verò Spiritus sanctus ad nullam aliam determinatur originem activam.

ASSERTIO IV.

Verbum probabilius non procedit per intellectionem, nec Spiritus S. per amorem.

ASSERTIO V.

Verbum procedit per dictionem ab intellectione, & Spiritus S. per spirationem activam ab amore ex natura rei distinctam.

ASSERTIO VI.

Ratio, cur processio Verbi divini sit generatio, non autem processio Spiritus sancti desumenda venit ab hoc: quòd Verbum procedit naturaliter, & non voluntariè; Spiritus sanctus verò producitur voluntariè, & non naturaliter, quare Verbum vi suæ processionis procedit ut imago Patris, non autem Spiritus S.

ASSERTIO VII.

Distinctio Scoti inter intellectum divinum & voluntatem ex dictis manet inficiabilis.





CONTROVERSIA PRIMA, DE Simplicitate in genere.

SUMMARIUM.

QVAESTIO PRIMA.

Quid Simplicitas?

SUMMARIUM.



1 Isthæc Controversia præmittitur cæteris, uti & præliminari huic Tractatui, præcisè ad indicandum totius Operis scopum, qui est pro Scoti doctrina, quod non lædat, ut quidem calumniantur, simplicitatem Dei, non accipimus autem simplicitatis notionem, qua de illa loquitur Salvator noster Matth. 10. *Estote simplices sicut columbæ.* de quo multa passim apud SS. PP. & Scriptores Mysticos, Panegyricos, aliosque, qui in circulos Dominicales scripserunt, videre licet; sed ut est modus entis oppositus compositioni. Varii autem assignantur simplicitatis modi: primus est, quo aliquid dicitur summè simplex, estque hujusmodi, quod neque est compositum physicè neque metaphysicè, id est, ex re & re, aut realitate & realitate, neque alteri aliquo istorum modorum componibile, sic indubiè solus Deus est summè simplex, cætera entia, quæ Deus non sunt, erunt composita.

Secundò sumitur simplicitas pro negatione omnimodæ compositionis actualis, qua simplex dicitur quidquid dicit conceptum simpliciter simplicem physicè aut metaphysicè irresolubilem in ulteriores conceptus convenientiæ & differentiæ, seu quorum unus sit quiddidativus & alius qualitativus, unus determinabilis alter determinativus, hoc modo simplicia dicuntur ens, passiones & modi differentiales entis, seu modi intrinseci, ut perseitas, inaleitas, item differentiæ saltem ultimæ &c.

Tertiò assignatur simplicitas, quæ dicitur simplex, quod expers est physicæ compositionis ex re & re, sive ex materia & forma, esto sit metaphysicè compositum, talia simplicia sunt omnia accidentia, Angelus & alia.

Quartò denique modo aliquid dicitur simplex, quod non est mixtum, quo pacto elementa & orbes cælestes dicuntur corpora simplicia, cætera verò ex miscibilibus composita, unde & dicuntur mixta, de quibus agitur in Physica. his prænotatis ut depuremus tractanda hoc libro ab omni prorsus æquivocatione, sit

ASSERTIO I.

Quidquid adæquata ratio simplicitatis, ad propositum totius Voluminis hujus scopum exigit & requirit, omnesque Tractatus qui passim de Divinæ Simplicitatis notione instituentur, ad primum eumque solum simplicitatis modum referendi sunt.

2 CUr statim in initio hanc Conclusionem, & in his terminis proponam, parebit in decursu, potestque breviter ostendi ex eo, quod simplicitas primo modo sumpta, sit modus quidam entis adæquatè dividens illud cum reliquis modis, quæ ad compositionem reducuntur, totam latitudinem entis, sitque si illi modi comparentur inter se velut divisio entis in simplex & compositum, sub primo membro solos contineatur Deus, sub altero creatura, quare simplicitas primo modo accipitur, ut excludit omnem compositionem tam physicam quàm metaphysicam, ac omnem quoque componibilitatem, quo sensu & mente SS. PP. passim docent, Deum non esse coaflatum ex pluribus, non constare partibus, Deum simplicem idem ac esse indivisibilem, ut Basilius lib. 1. contra *Eunomium* paolò post medium: *indivisibile est, quod e partibus non componitur, simplex pariter, quod ex pluribus non constat*, sed de hac simplicitate per decursum plura.

3 Hic generatim sufficiat conceptum simplicitatis consistere in modo quodam compositionis experte, unde & passim Scholastici simplicitatem describunt per negationem compositionis velut adæquatam rationem simplicitatis, à quibus immeritò Veken *Tract. 1. de simpl. Dei disp. 1. c. 1.* recessit eo solum fine, ut simplicitatis notionem distrahat, ab hoc conceptu simplicitatis, per negationem compositionis explicatò, ad conceptum unitatis, & quidem ex falso fundamento; quod descriptio per negationem compositionis *multis non simplicibus conveniat, ut cumulo lapidum, turba populi, & cæteris aggregatis per accidens, quæ carent compositione, & tamen simplicia non sunt*, si talia entia simplicia non sunt, ergo erunt composita compositione non solum aggregationis, seu qua dicunt ordinem rationis, inter se velut partes, ad constituendum & componendum unum cumulum, sed & compositione intrinseca ex materia & forma, genere & differentia &c. nam omne quod est, aut compositum aut simplex est, hæc duo siquidem totam entis latitudinem exhauriunt, ast illa in dicto cumulo aggregata juxta *Veken* simplicia non sunt, itaque erunt composita, imò talis acervus nihil est, nisi multa composita in unum conglomerata, quod enim v. g. multi homines constituant unam turmam, per hoc non desinunt singuli esse compositum ex corpore & anima &c. fortè posset dici talem acervum suo modo esse compositum ex partibus, cùm non magis acervus lapidum esse potest sine partibus talis aggregationis complementum integrantibus, quam totum continuum, & alia composita sine suis, quam doctrinam esto hic Auctor verbis negat, re ipsa tamen concedit, nam c. 2. particulariùs explicans simplicitatis conceptum, per nil aliod id præstat, quàm per negationem compositionis, non uno solum sed multis & variis modis simplicitati oppositæ, sic ergo, si ita quis loqui vellet, cur non possent componere multi lapides tanquam partes compositum dictum aggregationis? & quid vetat lapidem solitariè sumptum, prout nihil dicit potentialitatis, ut sic loquar, id est, nullatenus concurrit ad structuram talis acervi & nihil actualitatis ad complendum talem acervum lapidum respectu illius dicatur respectu totius aggregati suo modo simplex? præsertim, cùm ipsemet dividat ibidem simplicitatem in *absolutam*, quæ est rei in se, & *relativam* (cave ne hic intelligas simplicitatem relativam, quam *Scotus* 1. d. 7. & in quodl. q. 3. & 5. & alibi dicit, *non quantam*, eo quod nullam perfectionem vel imperfectionem includit) sed accipit hic simplicitatem relativam quæ consideratur in ordine ad alind, de qua mox, nam prior, inquit, simplicitas excludit compositionem intrinsecam & passivam, quæ dici solet *rei ad intra*, vel *hujus ex his*, & talis simplicitas non competit lapidi, ut patet, sicut nec ulli speciei infimæ aut subalternæ, quia semper sunt resolubiles in partes *ex his* scilicet determinabili & determinativo. Altera simplicitas relativa opponitur compositioni, quæ dicitur *ad extra*, vel *cum hoc aut illo*, quæ compositio est activa, & reperitur in una parte respectu compartis, v. g. in anima respectu corporis, aut in subjecto respectu accidentis, imò & suo modo in hoc lapide intra hunc cumulum existente, quatenus dicit ordinem seu respectum rationis ad tale totum aggregationis, nam si accipiatur *solitariè*, sine tali ordine, neque aggregationis acervum componit, neque componere seo ad aggregatum concurrere potest, manebit itaque respectu illius aggregati simplex, id est, solitariè acceptus erit incomponibilis illi, ad instar eorum, qui acervum conficiunt. Sed quidquid sit de hoc, quod discursus, non doctionis gratia scribo, mihi enim non probatur lapidem esse quid simplex sufficit falsum esse, quod entia aggregata, quæ in exemplum adducit *Veken*, careant compositione, quodlibet enim eorum, constat materia & forma, &c. & sunt mera composita.

* * *
* *

QVAESTIO SECVNDA.

An esse simpliciter simplex præstet composito?

SUMMARIUM.

1. *Esse simpliciter simplex, quot modis accipi possit. n. 4.*
2. *Non est perfectiùs semper composito. n. 5.*
3. *Simplicitas materiæ primæ &c. non est perfectio simpliciter simplex. ibid.*
4. *Expers compositionis & componibilitatis præstat omnibus compositis. n. 6.*
5. *Expenduntur rationes Vekeni in oppositum & explodantur. n. 7.*

4 Vidisti ex dictis, aliquid esse simpliciter simplex, non intelligi eodem modo, sed uno modo intelligi pro eo, quod non est compositum ex re & re, sive quod non includit realiter aliquid potentialitatis & aliquid actualitatis, alio modo pro eo, quod non est resolubile in plures conceptus essentiales, quorum unus essentialiter sit determinativus, & alius essentialiter determinabilis, exempla singulorum attulimus q. præced. tertiò pro eo, ut accipitur primo loco & modo simplicitas supra. sit

ASSERTIO I.

Simpliciter simplex eo quod expers est tam physicè quàm metaphysicè compositionis, non est statim perfectiùs composito.

5 *Simplicitas excludit cum compositione componibilitatem*

Probatur clarè in exemplis q. 1. allatis, cum alias materia & forma, passiones entis, modi intrinseci, differentiæ, puncta respectu quantitatis & similia essent perfectiora, & præstarent composito substantiali, quod constat esse falsum: *Secundò* talis simplicitas non est perfectio simpliciter, simplicitas siquidem, ut dicit perfectionem simpliciter, excludit à simplici nedum compositionem, sed etiam componibilitatem, quam non excludunt materia & forma, passiones entis, differentiæ &c. deinde gratis admisso, etiam quod simplicitas materiæ & aliorum dicat perfectionem simpliciter, sicut dicit v. g. in Angelo, adhuc negandum est esse nobiliorem composito, quia ut Doctor Subtilis tradit, quando sunt naturæ habentes peculiares & diversas perfectiones, illa censenda est nobilior, cui conveoit perfectio aliam excedens, actualitas autem est perfectio simpliciter, & simplicitas est perfectio simpliciter, composito autem convenit major actualitas, esto non major simplicitas, materiæ autem aliisque supradictis licet conveniat simplicitas, minimè tamen tanta actualitas, quantá competit composito, simpliciter autem & absolutè actualitas est perfectior simplicitate, & ita simpliciter perfectior potest esse illud, cui convenit actualitas sine simplicitate, quàm illud, cui convenit simplicitas sine actualitate. plura de his infra in solutione objectionum.

ASSERTIO II.

Simplicitas qua aliquid non solum omnis expers est compositionis, sed & omnis componibilitatis, omninò præstat compositioni & quibuscunque compositis.

6 Probatur ex communi Theolog. & SS. Patribus communiter, qui cum S. Anselmo lib. de Incarnat. c. 3. de hac Simplicitate dicunt, *simplicia præstare compositis.* Sic S. Bernardus lib. 5. de cons. c. 7. *Vero judicio natura simplex multiplici anteferitur.* S Thomas 1. contra Gentes c. 18. *in quolibet genere tanto aliquid est melius, quantò simpliciùs,* vide p. 2. Controv. q. 2. n. 26. ubi exactè probatur hæc Assertio, quæ, quia non contingit, nisi simplicitatem divinam, quæ indubiè omnibus præstat extra Deum, apud omnes extra Controversiam esse oportet, unde si in hoc sensu loquitur *Veken* Tract. 1. de Simplic. Dei, disp. 1. c. 3. malè ibi citat *Iycbetum* pro opposito, sed quia videtur concludere generatim omne ens simplex composito præstare: discutere libet rationes, quas affert.

Proponuntur rationes in oppositum primæ Assert:

7 Contra primam primò sic discurrit: Modus possidendi simpliciter est melior & perfectior modo possidendi per compositionem, quia per simplicitatem, bona possidentur magis propriè, independenter, syncere & purè, nihil quippè est rei magis proprium, quàm suum esse, adeoqoe nihil majori proprietate possideri ab ea potest, quàm quod ipsa res est.

Secundò simplicitas reddit rem immunem à causis intrinsecis, à quibus omne compositum depen-

dependet; compositum verò non extrinsecis tantum causis, sed aliis etiam intrinsecis à se distinctis, obnoxium est.

Tertiò simplicitas ab omni illa permixtione & imperfectione rem purgat, quam distinctio & limitatio partium, earumque materialitas aut saltem potentialitas important in compositis.

Quæ confirmat deinde quod majorem entis perfectionem arguant perfectiores ejus passiones sive proprietates, & illæ imprimis transcendentales Unitas, Veritas, Bonitas: hæ autem cæteris paribus sunt multò perfectiores in simplicibus, quàm in compositis.

Cætera quæ adducit, ut quod infinities perfectius subsistat Verbum & in se sanctus sit, quàm humanitas Christi, quæ subsistentiam suam nonnisi per unionem & cōpositionem obtinet, Verbum verò per simplicissimam identitatem, non est ad propositum, tum quia falsum est, quod humanitas Christi illa obtineat per compositionem, ut alibi, tum etiam non loquimur in præsenti de modo habendi hoc vel illo per identitatem, vel non identitatem, sed de modo perfectius essendi relatè adesse simplex & esse compositum, quæ non sunt confundenda cum identitate, vel non identitate, ut etiam alibi, tum denique aliunde contingit humanitatem Christi esse imperfectiorem Verbo, non propter Unionem Verbi, quæ de se significat potius naturam etiam respectu ipsiusmet Verbi, non imperfectiorem facit.

Responsio. *Respondetur* itaque ad primum distinguendo antecedens, modus possidendi simpliciter, qui habetur per simplicitatem, quæ est perfectio simpliciter simplex, excludens omnem non solum compositionem, sed & omnem componibilitatem, est perfectior modo possidendi per compositionem, conceditur antecedens, si non excludat omnem componibilitatem, negatur. falsum autem est, quod adducit per simplicitatem præcisè & immediatè tanquam per causam à priori bona possideri magis propriè & independenter &c. cùm talis independens possessio sui esse, oriatur aliunde, pro quo vide Tom. 2. Controv. 1. q. 3. art. 3. n. 50. Deinde nihil magis proprium materiæ primæ, quàm suum esse, propterea nemo dicet illam esse perfectiorem composito, nihil ergo urget illud argumentum.

Ad secundum simpliciter negamus, ideò aliquid esse perfectius, illud enim nimium probaret, scilicet materiam & formam, imò & accidens, quod est forma simplex esse perfectiora, composito substantiali, quia minus sunt dependentia à causis intrinsecis, à quibus composita substantialia dependent, dicendum itaq; cum substantia composita sit unicus actus alteri incommunicabilis per modum partis, consequenter actualior omni simplici, quod non habet talem incommunicabilitatem & incomponibilitatem quod illius actualitas præstat tali simplicitati materiæ, formæ & similium simpliciter simplicium consequenter & independentiæ, quam habens à causis intrinsecis, quia talis independentia non stat cum tanta actualitate, quantum habet compositum, ut patet.

Ad tertium negatum suppositum, si ut supponitur, sit sermo de illa simplicitate, quæ non excludit componibilitatem, illa enim de se est imperfecta, propter quam materia prima dicitur esse quid imperfectissimum, & propè nihil, & alia taliter simplicia sint vel Entis entia, vel solum entalitates, quod de se imperfectionem dicit, aliud est de simplicitate, quæ vel est perfectio simpliciter & componibilitati incompossibilis, de qua, quod præstet compositis, jam dixi non esse dubitandum, qualiter autem verum sit, prout proponitur in argumento, quod simplicitas tem ab imperfectione depuret, quam distinctio importat in composito; integris Controversiis disputandum in decursu operis.

Ad Confirm: concedo *maj.* negando minorem, quod passiones entis transcendentales sint perfectiores in quocunque simplici, quam in quocunque composito, nam quod unitate compositionis unum est, tam adæquatè est unum secum sic composito, quàm simplex v. g. materia est unum secum, cōpositum siquidem qua tale, perperam dicitur differre à seipso per partes, nihil potest differre à seipso, compositum autem nihil est præter partes, aut saltem intrinsecè includit illas, vel si dicas, compositum esse tertiam entitatem à partibus distinctam, eo quod sit terminus generationis, qualis partes non sunt, illa tam parum differet à se ipsa, quam quodlibet aliud, quod non est ip sum, quam quodcunq; simplex, vide Cont. 11. q. 1. n. 127. Deinde gratis dato, quod simplex sit magis adæquatè unum secum nihilque habeat, quo differat à se, & veritas rei simplicis, ubique sibi similis sit, ubique tota intellectui occurrat, item simplicis bonitas nunquam disparem & discordem à seipsa affectum excitet, falsum tamen quod in tali uno, debitum sibi motus nostri centrum habeant & objectum perfectioris amoris, quod ostendo illo ipso exemplo, quod hic Auctor pro se affert de homine ex Aristotele 4. Metaph. 3. unus homo & homo idem sunt, quemadmodum igitur homo nulla sui parte singulatim accepta homo est, itaque neque est unus homo, puta secundum partem singulatim acceptam, & licet secundum omnes partes simul sumptas homo est, & sic verè unus homo, tamen toties deficit & recedit ab hac unitate, quot partes singulatim acceptas numerat, quare recedit ab hac unitate, nisi quia numerat materiam primam, multas formas partiales, corpus, animam &c. quare non redit ad hanc unitatem, nisi quādo illum ut totum compositum substantiale apprehendit? non ergo præstat unitas (idem est de veritate & bonitate) simplicium generatim, sed, quæ substantialium compositorum est, dico, *simplicium generatim*, quia talem præstantiam negamus dandam esse simplicitati, prout de illa egimus *Assertione prima*, non secunda, ut & supra addidi, si Veken *in sensu secunda Assertionis loquatur*, *rem esse extra controversiam*, cum & in hac acceptione simplicitatis Angelus, quia longè probabilius est, quod expers sit omnis compositionis & componibilitatis physicæ, simpliciter est perfectior quocunque composito physico & materiali &c.

QVAESTIO TERTIA.

An lædat Simplicitatem Distinctio?

SVMMARIVM.

1. *Quæstionis gravitas quanta & unde? n. 8.*
2. *Mysterium Trinitatis non lædit simplicitatem divinam. n. 9.*
3. *Veritas contradictoriorum distinctionem imperstans, quomodo stet cum simplicitate, quare hic resolvi nequeat. ibid.*
4. *Locumne habeant prima principia, in ente infinito, dubitant nonnulli. ibid.*

8 QUæstio hæc magnum petit Tractatum, imò uno solo expediri nequit, propter Argumentum in contradictoriis fundatum propositionibus, quas dici de Essentia & Personis saltem, vel fides dictat, vel communis Theologia admittit. Deinde primum & summum fidei nostræ Mysterium est Deum esse unum & trinum, adeoq; realem distinctionem inter divina supposita credendam esse, quantum ad hoc secundum, sit

ASSERTIO.

Fide tenendum esto Mysterium Trinitatis, seu distinctio realis inter Patrem & Filium & Spiritum S. non lædere simplicitatem divinam.

9 ITa est expressè definitum in diversis Conciliis in Apparatu Tomi 2di adductis côtra hostes Trinitatis, qui ex ipsa distinctione reali simplicitatem impugnabant, & constanter tenetur à sanctis PP. quos longâ serie Tom. 2. p. 2. adducemus, hic sufficiat unicus *Augustinus* de Civit. Dei lib. 11. c. 10. dicens: *Hæc Trinitas unus Deus est, nec ideò non simplex, quia Trinitas*, nam, quia hæc Assertio hic generatim proposita, speciatim in decursu operis multoties redit, & ex divina revelatione SS. Trinitatis fides, præcipuus habeatur fidei articulus, haud opus est fusius de illo cum Catholicis differere, videatur tamen Tom. 2. *Controv.* 1. per totam.

Porro quo pacto simplicitatem divinam non destruat distinctio, quam necessariò importat veritas contradictoriorum de Deo simplici enunciabilium spectato lumine intellectus, tam supernaturali quàm naturali, propter particulares & varias difficultates, non uno, ut dixi, Tractatu absolvendas, in sequentibus decidendum erit, quippe non defuerunt imprimis qui in dubium vocarunt, num hoc principium, *impossibile est, idem simul esse & non esse*, & hoc, *impossibile est utrúmque contradictoriorum veram & falsam esse*, valeat in ente infinito, saltem in iis propositionibus, quas non lumine naturali, sed solo lumine fidei assequi licet, ut v. g. idem realiter produci & non produci, idem realiter communicari & non communicari &c. quia de hoc sentire voluerunt, quemadmodum aliqui de illo axiomate, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. Docentes illud in divinis locum non habere; hinc quia primæ partis Controversiæ sunt præliminares, ordinantur ad sequentia, sit de magna hac difficultate emergentis distinctionis inter Dei Essentiam & Personalitates &c. ex contradictoriis.

CONTROVERSIA SECVNDA.

An ad tuendam Dei simplicitatem, rectè dicatur, Deum per suam infinitatem & eminentiam supernaturalem transcendere prima principia: *quodlibet est, aut non est: impossibile est idem esse, & simul non esse.* & regulas de contradictoriis, adeò ut in divinis detur exceptio ab hisce regulis omnisque excludatur instantia ab Ente creato & limitato ad Ens infinitum & increatum.

SVMMARIVM.

1. *Quis intellectus Controversiæ præsentis.*
2. *Quid & quotuplex sit oppositio contradictoria.*
3. *An detur à parte rei salvâ contradicentia naturâ, & in qua teneat circumstantia: doctrina notabilis de impossibili veritate utriusque.*
4. *Quæsitum Controversiæ negativè resolvitur. Art. 3. per totum.*

10 DUplicem titulus Controversiæ potest habere intellectum: primò ut intelligatur Deum posse facere ut duæ propositiones contradictoriæ sint simul veræ, modo utraque seorsim sumpta pendeat ab ipsius omnipotentia, quia *possibile est apud Deum omne verbum*, posse proinde Deum facere impossibile ut idem sit sol & nubes, item quæ præterierunt, non esse præterita, & facta infecta, quod communiter Scholastici negant. Sic item Deum posse efficere, ut simul sint in eodem instanti temporis & lumen & tenebræ antiquitùs nonnullos sensisse, videre est apud Gersonem 1. p. *Admonitionis de quorundam libris cautè legendis*, qui tamen addit eos distinxisse illud simultaneum instans temporis in duo instantia naturæ velut momentaneæ existentiæ notas, hoc falsum esse tum constat ex dictis Tom. 1. Controv. 3. q. 2. n. 124. & 127, & nihil aliud esse quàm hoc ab illo esse. de quo amplius consule nostros, *Rhadam* q. de ordine in Divinis. Mayronium & Sirectum in formalitatibus art. 2.

Secundò intelligi potest, ut sensus sit, an Deus ita supereemineat regulis & legi contradictoriorum, ut sine contradictionis repugnantia de illo verificari valeant absque eo quod ad sufferenda contradictoria ulla admittatur in Deo distinctio, & in hoc versatur isthæc Controversia, ubi, cùm solidè nihil resolvi potest, sine pleno intellectu naturæ contradictoriorum sit.

QVAESTIO PRIMA.

DE

Natura Contradictoriorum.

S V M M A R I V M.

1. *Oppositio contradictoria est eorum quæ secundum affirmationem & negationem opponuntur. n. 11.*
2. *Contradictoria alia complexa, alia incomplexa in omni schola admittuntur, sed non eodem modo, & quare? ibid.*
3. *Quid, quotuplex contradictio, & qui circumscribenda ut teneat vel non teneat.* Doctrina notanda. *n. 12. & 13.*
4. *Veritas utriusque contradictoria est impossibilis. Varia axiomata Philosophorum ex primo principio nata. ibidem.*
5. *Contradictionis Essentia penitus explicatur. n. 14.*
6. *Quodnam sit principium complexum omnium primum & firmissimum atq; notissimum. n. 13.*
7. *Contradictoria oppositio non est universim convertibilis cum negativa. n. 15.*
8. *Ex speciali titulo repugnat de Deo verificari sine vera distinctione aliqua contradictoria. n. 16. 19. & 20.*
9. *Oppositio contradictoria cur sit omnium maxima. n. 12. & 21.*
10. *Nulla virtus aut eminentia in Deo capax est sine distinctione à contradictionis repugnantia. Essentiam Divinam eximere. n. 20 & 21*
11. *Doctrina de non admittendis contradictoriis nisi per scripturam vel ecclesiam determinentur, rejicitur n. 23.*
12. *Ea doctrina fidelibus perniciosa & sementis erro. ibid.*
13. *Quot vias passim ingrediantur Auctores ad vitandam contradictionem summatim recensetur. n. 24.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ & quotuplicia sint.

ASSERTIO I.

Oppositio contradictoria est eorum, quæ secundum affirmationem & negationem opponuntur.

11. EXempli gratia, sedere non sedere, homo non homo, album non album, quæ differunt per particulam *non*, uni prædicatorũ universaliter adjunctam, & quãdo talia prædicata applicantur subjecto, & de eodem affirmantur & negantur, transeunt in propositiones contradictorias, hac ratione passim opposita contradictoriè duplicia recensentur, complexa scilicet & incomplexa: hæc sunt termini jam dicti sibi contradicentes, seu ipsa prædicata contradictoria opposita, complexa contra sunt propositiones contradicentes v. g. Angelus est spiritus, Angelus non est spiritus, Petrus est amicus Dei, Petrus non est amicus Dei, sol est luminosus, sol non est luminosus, de his *Philosophus* tractat *lib. Periherm.* de incomplexis autem in postpræd. c. de oppositis, & quidem in omnium sententia admittuntur contradictoria penes terminos incomplexos oppositos, sed non eodem modo, eo quod aliqui admittant, alii negent objectivas præcisiones, & eorum, qui admittant, duplex sit opinio, *primò* ut non dentur, nisi cõnotatorum, solumq; ponunt fundamentum actu hæc distinguendi.

Secundò

Secundò Scotistarum tenentium formalitates formaliter ex natura rei in objecto distinctas, quo pacto in sententia *Scoti* in statu reali seu ex natura rei admittitur hoc contradictorium in homine: animalitas, non animalitas, quod idem admittitur in opinione *Connotatistarum*, sed solum pro statu inrenrionali. In opinione verò negantium objectivas illas præcisiones & admittentium duntaxat formales, opponuntur hi termini: cognosci clarè, non cognosci clarè; sed confusè, cognosci in ordine ad hæc connotata, & non cognosci in ordine ad hæc connotata, sic totus Petrus ab illis concipitur relatè ad hæc, & totus non concipitur ad hæc connotata, Item totus Petrus cognoscitur clarè claritate discernente eum ab omnibus brutis, dum cognoscunt rationale, & claritate non discernente eum ab omnibus brutis, dum cognoscitur animal. de quibus agendum pluribus Controversia 4. per totum, imò per totam quasi partem hanc primam.

ASSERTIO II.

Contradictoria, quæ complexa dicuntur, & communiter apud Philosophos occurrunt, quædam sunt rationis, fundata supra diversum rationis. quædam contradictoria realia fundata, ut nonnulli volunt, super esse reale & entitativum, quædam secundum esse formale tantum, quædam denique sunt contradictoria, quæ partim verificantur per opus intellectus, & partim præter opus intellectus.

12. Quia haud parum interest benè cognoscere diversa hæc genera complexorum contradictoriorum, ut certa habeatur regula dignoscendi distinctionem illis componendis necessariam cum qualibet contradictio commensuratam sibi inferat distinctionem, ut qualis sit contradictio, talis sit distinctio, explico singula. Primum contradictoriorum genus, quod rationis dicitur, est ubicunque extrema affirmationis & negationis, sunt diversa per solam rationem, id est, secundum diversum esse purè intentionale, ut cum de eodem Petro in propositione identica verificatur, quod est subjectum & non subjectum, prædicatum & non prædicatum, ubi diversitas non se tenet ex parte objecti, nisi quatenus sub diversis intentionibus concepti, & hæc contradictio infert solum distinctionem rationis.

Secundum genus contradictoriorum secundum esse reale ac entitativum, assignatur ab aliis esse, quæ respiciunt esse rei simpliciter & absolutè sumptum, id est, esse & non esse absolutè sumpta, aut saltem secundum prædicata ad tale esse spectantia, ut esse productum vel non productum, causatum vel non causatum, & ad hanc contradictionem, cum conveniat rei ratione totius Essentiæ & existentiæ, ut unum absolutè negetur & alterum absolutè affirmetur absque reduplicatione, & citra quodcunque opus intellectus, requirunt distinctionem realem ac entitativam, qualis est inter rem & rem.

Tertium contradictoriorum genus secundum esse rerum quoddam formale tantum, ad quod ideò *Scotistæ* requirunt distinctionem ex natura rei formalem, in eo consistit, quod illa contradictoria non omninò insunt simul, aut absolutè attribuuntur toti rei, sed cum reduplicatione formalitatis, cui immediatè conveniunt & ratione ipsius præcisè toti rei, ut esse sensitivum & discursivum in homine, dicitur enim sensitivus quatenus animal, & discursivus quatenus rationalis, & animæ convenit esse volens, quatenus inest illi voluntas, dicitur intelligens, quatenus eidem inest intellectus &c. verificantur proinde actu de homine contradictoria ex natura rei citra quodcunque opus intellectus, quod sit per rationalitatem discursivus, non per rationalitatem, volens per voluntatem, non per intellectum, & vicissim intelligens per intellectum, non per voluntatem, adeoque respectu diversorum formalitatum discursivus & non discursivus, volens & non volens &c.

Quartum denique contradictoriorum genus explicatur apud *Mastrium* d. 6. q. 15. n. 290. & communiter, in exemplo solis, ut cum dicimus in sole idem esse principium calefaciendi, exsiccandi & humectandi, (quamvis id ab aliis negetur) & non esse idem, hæc contradictio à parte rei non verificatur actualiter & formaliter, quia à parte rei idem est utriusque principium simplicissimum, lux solaris, sed tantum virtualiter & fundamentaliter, quatenus unica illa virtus duplici virtuti æquivalet, verificatur autem actu per opus intellectus, qui eandem lucem solarem conceptibiliter partitur in duas virtutes, quarum una sit calefactiva & altera exsiccativa humectativa, ad hæc proinde contradictoria sufficit distinctio rationis ratiocinatæ, primi generis contradictoria itaque exquirunt rationem rationis ratiocinantis, secundi generis distinctionem realem, contradictoria tertii generis distinctionem ex natura rei formalem, quarti generis distinctionem rationis ratiocinatæ.

***

ARTICULUS SECUNDUS.

Denturne à parte rei salva natura contradictionis, ut simul verificentur, & in qua circumstantia id accipiendum, ubi de principio omnium evidentissimo.

ASSERTIO III.

Esto oppositio contradictoria possit objectivè dari in intellectu, quatenus ab illo concipitur per apprehensionem, ac juxta hunc conceptum possit voce & scripto significari quasi in actu signato, nullatenus tamen dari potest à parte rei salva natura contradictionis, proinde in nulla sententia verificari possunt duo contradictoria formaliter & simpliciter talia.

13 HÆc Assertio est communis, ratio est, quia esse & non esse idem respectu ejusdem, est prima ratio contradictionis, implicat autem dari à parte rei, quod idem sit & non sit, unde meritò ait *Aristoteles 3. Metaph. c. 3.* post medium: *idem simul inesse & non inesse eidem & secundum idem adynaton est*, etsi ad commendandam hanc doctrinam opus non sit literis *Aristotelis*, cum evidenter pateat ex ipso naturæ lumine, cujus est primus radius, contra quem non datur exceptio aut instantia, ne quidem in creditis & Divinis, ut infra ad quæsitum principale, atque in hoc consistit potissimum hujus contradictionis majoritas, ut sit omnium oppositionum maxima, & tanto major maximis respectu oppositionum aliarum inter se, quod illatum species salvâ Essentia & natura oppositionis intellectu non solum possit concipi, sed & à parte rei dari, quare si per impossibile admitteretur contra lumen naturæ, posse dari à parte rei duo contradictoriè opposita salvâ contradictione, quod idem secundum idem habeat esse simul & non esse, adeoque sit ens & & non ens summum inveheretur in scholas inconveniens, nec ullum ab aliqua schola posset produci argumentum quo protervus redargui posset, ideò omnes omninò tale velut intollerabile perhorrescunt & multa axiomata ex eo quod impossibile sit idem esse & non esse apud Philosophos circumferri noscuntur, ut palam fit ex iis, quæ hùc cum Ricciolio c. 3 de dist. n. 30. rescribere placet.

1. *Impossibile est idem simul esse & non esse.*
2. *Necesse est idem simul esse, aut non esse.*
3. *Quodlibet aut est, aut non est.*
4. *Quod est, quando est, necesse est esse.*
5. *Quod non est, quando non est, necesse est non esse.*
6. *Nullum Ens idem est, & non est.*
7. *Ens est Ens, Ens non est non Ens.*
8. *Non Ens non est Ens, non Ens, est non Ens.*
9. *Inter contradictoriè opposita, non datur medium.*
10. *Impossibile est idem de eodem respectu ejusdem vere affirmari & negari.*
11. *De duabus propositionibus contradictoriis altera tantum vera est, altera falsa.*
12. *Impossibile est duarum propositionum contradictoriarum utramque veram esse, aut utramque falsam.*
13. *De quolibet quodlibet verè affirmatur aut verè negatur.*
14. *Necesse est idem de eodem verè affirmari, aut verè negari posse.*
15. *Si vera est ejusdem prædicati de eodem subjecto affirmatio & negatio; necesse est ut affirmatio non sit respectu ejusdem, cujus est negatio.*
16. *Nemo potest assentiri simul utrique propositionum, quas noverit esse contradictorias, seu judicare utramque simul veram & falsam esse.*

OMnes istæ maximæ nascuntur ex notissimo principio, quod impossibile sit idem esse & non esse, præsertim 10: *Impossibile est idem de eodem respectu ejusdem verè affirmari & negari.* & 11. *de duabus propositionibus contradictoriis, altera tantum vera est, altera falsa.* his æquipollent 12. & 13. quas sicut sæpissimè ita firmissimè inculcat *Aristoteles* ut cap. de oppos. *quacunque opponuntur tanquam affirmatio & negatio, in solis his necesse est semper hoc quidem verum, illud autem falsum esse.* iterum, *in affirmatione & negatione, semper hoc quidem verum, illud autem falsum erit.* & 1. *Perihermenias* c. 6. *quacunq; contradictionis universalium sunt universaliter, necesse est alteram veram esse vel falsam.* & lib. posteriorum c. 11. *non contingit idem simul affirmare & negare.* & 6. Topicorum c. 1. *de omni affirmatio vel negatio vera est.* & alibi. horum ut experimentum faciamus, si concedat aliquis v. g. Petrum verè vivere, & concedat simul non verè vivere, statim redargui potest per hoc principium universalissimum: *impossibile est idem esse & non esse.* quod *Aristoteles* 3. Metaph. c. 3. post medium, & cap 4. ad initium loquens de principiis, quæ *βεβαιοτάτας ἀρχάς*, id est, firmissima principia ibi appellat, hoc, ait,

esse

esse cunctorum evidentissimum & certissimum, circa quod impossibile est decipi quemquam, tanta enim in illo elucet evidentia veritatis, ut excludat omnem ab intellectu obscuritatem & ambiguitatem, nec potest à priori per aliud evidentius, altius & notius principium deductivum ad aliud majus incommodum probari, cùm nequeat majus incommodum & repugnans excogitari, quàm quod idem simul sit & non sit, unde idem Philosophus l. c. c. 24. velle tale principium probare, dicit esse ignorantiam, *conatur quidam*, inquit, *hoc quoque probare propter ignorantiam. Est etenim ignorantia, nescire quorum oportet quærere demonstrationem, & quorum non, etenim impossibile est omnium esse demonstrationem, in infinitum namque progrederetur, quare nec hoc modo esse demonstratio.* Dixi tamen *altius & notius principium deductivum* &c. quia nolo hic disquirere, num sit principium omnium primum, & in omni linea principiorum, cùm ut aliqui volunt, sicut ly *est* reperitur omnium primum in linea *est*, & affirmativo objecto, & ly *non est*, omnium primum in linea *non est*, & negativo objecto, ita *omne Ens est Ens* sit prius & notius, *prius* quidem, quia prior est affirmativa & simplex propositio, quàm negativa & modalis & prior est pars, quàm totum, hoc autem est pars alterius quod est *notius*, quia nulla propositio est, ut ait *Boetius*, notior & evidentior, quàm si idem de seipso affirmatur, de quibus videri possunt Formalistæ, præ cæteris noster *Antonius Andreas 4 Metaph.* q. 5. ubi *Aristotelem* interpretatur de primitate dicti principii comparativè ad aliqua alia axiomata v. g. ad illud: *omne totum est majus sua parte.* & illud: *quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.* videatur *Mastrius* apud quem hæc adducuntur in Metaphys. d. 3. q. 4. per extensum, & ibidem denique resolvit n. 52. cum Alensi & Scoto principium illud: *Impossibile est idem esse & non esse.* Simpliciter & absolutè loquendo esse omnium primum, quidquid itaque de hoc sit, sufficit ad propositum, illud esse tale, quod intellectui benè disposito sola expositione terminorum ita proponatur, ut immediatè illi per seipsum debeat assentiri vel non dissentiri, dico, *intellectui benè disposito*, neque enim loquimur illis de quibus Aristoteles, inquit, *pravè esse dispositos circa ipsa* prima principia. Deniq; ut penitius explicemus naturam contradictoriorum, sit

ASSERTIO IV.

Doctrina tradita in Assertione. III. de contradictoriis non tenet, nisi hoc modo circumscribatur contradictio, ut non tantum verificentur contradictoria, id est, ut sit contradictio, negando & affirmando *idem*, sed & verificentur *de eodem*, quod ipsum adhuc non sufficit, sed necesse est verificari *ratione ejusdem.*

14 EX hac Assertione perfectè cognoscimus naturam contradictionis, quæ aliter, quàm per affirmationem & negationem ejusdem de eodem secundum idem explicari nequit, unde propositiones contradictorias dicimus, quarum una est affirmativa, altera negativa ejusdem de eodem respectu ejusdem, estque conforme *Philosopho* cap. de *oppositis* & aliàs sæpè; distinctè autem per tres istos terminos *idem*, *de eodem*, *respectu ejusdem* explicatur, per *idem* quidem, ut servetur identitas suppositionis prædicati, quia si contradictio non sumatur in eadem suppositione prædicati, posset utrumque advenire, vel neutrum, adeoque non inferretur, quod sit falsum, aliquid esse & simul non esse *de eodem* verò ut servetur identitas subjecti; *ratione ejusdem* denique ad salvandam identitatem formalitatis.

15 Ex his perspicuè cernitur non omnem oppositionem negativam convertibilem esse ut aliqui volunt cum oppositione contradictoria, cùm hæc requirat, ut totum id quod affirmatur termino positivo negetur termino negativo de eodem respectu ejusdem, perperam proinde tales contendunt dari posse duo contradictoria opposita, seu terminos contradictoriè oppositos, ut si dicas v. g. *Deus non Deus* applicando per apprehensionem terminorum affirmativam Christo, & negativam idolo, ratio hujus ex dictis patet, quia non ideò sunt cõtradictoria quia inter se opponuntur, & pugnant, cum opposita contrariè, privativè & ad aliquid inter se suo modo pugnent, & tamen non sunt contradictoria, alioquin falsificaretur principium ex omnium primo natum: *Impossibile idem verificari & non verificari de eodem respectu ejusdem*, nam v. g. de Angelo contrariè diceretur hæc propositio: *est albus*: non est albus; id est, niger, ibi falsa est prima propositio, neque tamen vera est hæc oppositio, non est albus seu niger, quare potiùs e cõtrario, ideò actu in suo genere pugnant, quod actu sibi contradicant. Cujus actualis contradicentiæ ratio non est alia, præter jam dictam n. 12. & seq. quod contradictoria actu idem secundum idem affirment & negent, sive quod idem secundum idem sit & non sit, & in hoc, ut supra, quasi ratio definitionis, & veluti Essentia contradictionis consistit latissimam & maximam in suo ambitu continens terminorum distantiam, ut sit impossibile deprehendi idem esse & non esse secundum idem, & qui contrarium diceret, debeat actualem contradictionem in eodem respectu ejusdem agnoscere, & quod reipsa est impossibile fateri possibile, & cùm possit quis efficaciter appetere, quod à parte rei cognoscitur esse, posset etiam appetere efficaciter contradictoria, quod est contra naturam.

ARTI-

ARTICULUS III.

In quo

Resolvitur Quæstio principalis.

ASSERTIO IV.

Etsi primum principium de omni ente valeat, prout ens est, cui ut tali nimirum repugnat esse & non esse, si tamen per impossibile posset stare cum sibi contradictoriè opposito, ut valeat idem esse non esse in Ente creato & finito, id tamen ex speciali ratione ita repugnat Enti Divino & increato, ut nec Divinæ Eminentiæ celsitudo, neque ulla virtus, neque ipsa infinitas est sufficiens sine vera aliqua distinctione ad verificandas sine contradictionis repugnantia propositiones de Deo contradictorias.

16 PRima pars probatur ex dictis per primum illud omnium disciplinarum ac apud sapientes receptissimum principium & alia illi proxima ex eoque supra n. 12. deducta, hinc enim evidenter elucet enunciationem quæ dicitur falsa vel vera, ab eo quod res est vel non est, dummodo secundum contradictoriorum leges enuncietur, non posse simul esse veram affirmando rem & negando rem esse, ut sit injurius lumini naturæ, qui id pluribus sibi probari vellet.

17 Secunda pars probatur etiam primò ex illo Exodi 3. *Ego sum qui sum.* de quo Apostolus 2. Cor. 1. a v. 17. usque ad 21. non est in illo *est* & *non*, nam ibi non solum à Dei promissis, sed ab omni etiam sermone, quem ad Corinthios habuerat, atque ab ipsomet Dei Filio, quem prædicârat, procul removet *est* & *non*, id est, affirmationem & negationem de eodem, ut habetur in glossa interlineari, & sanctè testatur in omnibus illis reperiri solum *est*, sine omni repugnantia contradictoriè oppositi: atqui Apostolus inter alia Corinthiis prædicavit proculdubio Mysterium Trinitatis, cùm non potuerit plenè illis explicare fidem de Filio Dei, nisi explicando illius processionem à Patre, adeoque & ipsum Trinitatis Mysterium: ergo Apostolo teste in hoc Mysterio non invenitur *est* & *non*, seu affirmatio & negatio de eodem respectu ejusdem.

18 Probatur secundò ex SS. PP. Hilario lib. 5. de Trinit. p. 55. ubi disputante cum Arianis de Deo ex contradictoriis: *aut nega esse, ne sit: aut si est, quomodo, quod est, non erit, cum quod est, non possit esse, ut non sit.* & ex S. Basilio lib. 1. contra *Eunomium* super hæc verba *Eunomii: nunquam suscipit generationem*, puta Deus Pater, duplicem habet sensum, vel passivam generationem, & concedit *Eunomio* ex lege contradictoriorum ajens: *impossibile est ingenitam Naturam generari*: quia esset genita & non esset; esset, ut supponeretur; non esset, quia Pater non suscipit generationem passivam, discurrit ergo *Basilius* contra *Eunomium* ex lege contradictoriorum, quod irritè faceret, si non teneant in Deo, contra quod est insuper, quod ille modus disceptandi cum hæreticis Augustino in suis Tractatibus sit valdè familiaris ac sæpenumerò stringit & convincit illos ex lege contradictoriorum & regulis Dialectices. Sed

Probatur eadem pars secunda, ratione: Ens 19
Increatum & Divinum est primum Ens & à se, & necesse esse includens necessariò in suo esse omnem rationem entis, quæ sit perfectio simpliciter simplex, & excludens necessariò à se negationem etiam possibilem sui esse, vel talis esse, creatura econtra est Ens ab alio, Ens non necessarium, minimèque eo modo excludit à se negationem sui esse qua Deus, id est ab intrinseca & absoluta necessitate essendi à se & imparticipatè, & esto nullum majus in creatis inveniatur repugnans, quàm simul esse non esse, esse simul hominem & non esse hominem, esse Angelos & non esse Angelos, illa tamen contradictio qua diceretur Deum esse Deum, & non esse Deum, cui meritò occlamatur illud JConsult, *Summum jus, summa injuria.* Est caput omnis repugnantiæ, & hydra omnium malorum, hoc enim semel admisso, si impius dicat, *non est Deus*, quo principio talem convinces, quod sit Deus, cum possit esse & non esse?

Et ex hoc patet tertium, quod nulla eminen- 20
tia, nulla virtus, nulla infinitas sine vera aliqua distinctione idonea sit ad supportanda in Divinis contradictoria: ratio est, quia eminentia seu Divina infinitas ex mente Adversariorum est perfectio prorsus eadem & omninò indistincta ab Essentia Divina, & si esset ante intellectus operam perfectio distincta à Divinitate, jam non esset major ratio admittendi hanc distinctionem inter Essentiam & infinitatem, quàm inter Essentiam & Paternitatem, & alia extre-

extrema, de quibus in Divinis enunciantur contradictoria: ergo dum asseritur quod Deus ob infinitatem vel Divinæ Eminentiæ virtutem in infinitate fundatam sit capax contradictoriorum est asserere, Deum quia Deus est, adeoque idem, quia hoc idem est, Divinitatem scilicet, quia hæc Divinitas est, esse capacem, ut fine ulla distinctione idem de eodem respectu ejusdem exigat affirmari & negari, & ita patet manifestè, dum Deum, eo quod sit in omni linea infinitus, in hoc quoque infinitum velint, quod sit contradictionis capax absque aliqua vera distinctione salvativa contradictoriorum, vel exeo, quod quæ sunt in creaturis, in Deo inveniantur, partim formaliter, partim causaliter, partim eminenter & virtualiter, adeoque bonum, quod est in distinctione, quate nus per eam vitatur ictus contradictionis, virtualiter etiam in Deo contineatur non magnificant Divinitatem, sed ut num. præced. destruunt illam, atque ita in illa ipsa Essentia quæ est idea & parens luminis naturæ, quod in illo principio *Impossibile est idem esse & non esse* continetur, lumen naturæ destrueretur, utpote quæ contineret in se esse & non esse, affirmabilitatem & negabilitatem de eodem respectu ejusdem, & sic, quid obstabit, quin dictæ omnium malorum hydræ nova novarum succrescant capita falsitatum, quæ perimunt omnem veritatem, imò & hoc ipsum quod astruunt Auctores, quos impognamus, posset enim juxta hanc viam dici, Deum habere hanc capacitatem ad contradictoria sufferenda, & non habere, proinde eorum capacem esse & non esse capacem, ut bene *Riccislius* advertit.

21 Eadem pars tertia probatur ex ratione secundò. In omni sana sententia ex lumine naturali per se evidenter certum est, atque à posteriori per universalem inductionem noscitur requiri distinctionem realem inter producens & productum, unde de omnibus principiis propriè productivis tenetur tanquam indubitatum, idem non producere seipsum: & hoc potissimum propter immotabilem luminis naturæ indolem in primo illo & notissimo principio contentam, *impossibile est, idem simul esse & non esse*, dependere & non dependere, dependeret autem, ut supponitur, nam effectus dependet à causa, non dependeret, cum nihil dependet à seipso, item esset, ut supponitur, pro illo instanti, quo est principium productivum alicujus: & non esset pro illo priori, quo principiatum est principio suo per instans posterius saltem originis, ut verum sit, *hoc est ab illo*, & non vicissim, *illud ab hoc*; tum etiam quia esset oppositio relariva inter illa, & non esset, esset, ut supponitur, inter principium & principiatum, & non esset: quia nihil opponitur sibi ipsi. Neque tamen infinitas Dei, nec ulla virtus capacitasvè reperitur in Deo, quæ valeat efficere ut Pater æternus sine vera & actuali distinctione producat Filium, seu sine repugnantia possit producere realiter seipsum, neque est capax ad hanc repugnantiam vitandam efficere, ut dicatur producere Filium à se distinctum realiter per æquivalentiam, neque ut dicatur distingui à Filio distinctione reali virtuali, seu ut dicunt, virtute realiter &c. ergo multò minùs infinitas Dei est capax ut præstet sine vera & actuali distinctione posse absque repugnantia verificari de ipso propositiones contradictorias. Anteced. patet, nam illud Sancti PP. supposita revelatione Divina, quod Pater æternus genuerit Filium, tam in, quàm extra Concilia supponentes, ut indubitatum ex Nominibus Dei Patris & Filii & ex processionibus veram productionem significantibus realem deduxerunt distinctionem inter Divinas Personas, quàm, dato, quod idem posset producere saltem naturaliter seipsum, probare non potuissent, ideò in majori, *de omnibus principiis* &c. quæ realem exigunt distinctionem, nec de facto Theologi possent ex divinis processionibus probare Personarum distinctionem realem esse necessariam, quid enim si creatura posset supernaturaliter producere seipsam secundò, quid, inquam, obstat, quin possit hoc ipsum Deus? imò id naturaliter, & necessariò dici deberet divinæ convenire secunditati, proinde posset quis cum *Sabellio* negata reali inter Patrem & Filium distinctione tenere Patrem, ut est innascibiliter & originè prior Filio & à se, esse Patrem, in posteriori originis intelligendo seipsum esse velut partum mentis & sic nominari verbum & esse Filium, quæ doctrina repugnat lumini naturæ, evidenter distanti inter producens & productum, ac inter quælibet extrema relativè opposita requiri distinctionem realem, sed & videtur perniciosa & lædens Mysterium SS. Trinitatis, ut videre est apud Lugo Cardin. d. 7. *de Euch. Sect. 7. q. 21.* cum nullus dicto principio per infinitatem absque ulla distinctione suppletò, radius superstit luminis naturæ, quo Personarum Trinitas in unitate Essentiæ Sabellianis reddatur credibilis.

Probatur etiam conseq. quia plùs repugnat eandem rem, quæ est Deus Pater generare & non generare eandem rem quæ est Deus Filius, quàm Deum Patrem generare Filium sibi in Persona realiter identificatum: ergò evidentiùs est requiri ad evitandam repugnantiam oppositionis contradictoriæ, veram distinctionem, quam ad veram productionem: anteced. patet ex dictis supra art. 2. num. 12. quod oppositio contradictoria ex intrinseca sua ratione sit oppositorum maxima, adeoque oppositione relativa, quæ reperitur inter producens & productum; nam illa, aliæque oppositiones possunt dari à parte rei, salvâ naturâ & Essentiâ talium oppositionum, non obstante extremorum distinctione, imò in aliquibus requisita, secus est de contradictoria ut habetur Assertione II. num. 12. cujus, ut ibidem, prima ratio quasi definitiva in eo est, ut idem respectu ejusdem sit, & non sit, quod etsi impossibile sit à parte rei sine aliqua distinctione, illa tamen distinctio non requiritur, ut detur à parte rei oppositio contradictoria, sed ut non detur, & ne sequatur, quod est impossibile. Et in hoc diximus stare maximitatem hujus oppositio-

Primum principii in divinis admittendum.

ſitionis, per qualem autem diſtinctionem illa tolli poſſit, dicetur in ſequentibus.

22 Ex quibus patet, eſſe inane principium quorundam, qui volunt ad probandam in Deo virtutem ad contradictoria ſupportanda, inter Ens & non Ens eſſe diſtantiam infinitam, unde & communiter, ut videre eſt apud ipſummet *Scotum* 1. d. 2: q. 2. num. 29. contradictoria dicuntur diſtare in infinitum, quæ licet inquiunt, non poſſint ſuperari ab Ente creato ſine diſtinctione contradictionis excluſiva, poſſe tamen quaſi pertranſiri per infinitatem, quaſi verò per divinam infinitatem & æternam durationem non Ens, v. g. negatio communicatæ Paternitatis, evadet communicatio Paternitatis, Eſſentia Patris communicata per infinitatem, poſſit eſſe etiam non communicata ſic de aliis, deinde illud principium generatim ſumptum nullius eſt valoris, cum inter eſſe & non eſſe, non eſt alia diſtantia, quàm gradus termini poſitivi exigat, nulla eſt ita parva diſtantia, quæ non ſufficiat ad contradictoria, quantumcunque enim modicum recedit aliquid ab uno contradictoriorum, ſtatim eſt ſub altero. Eſt igitur, ait Doctor, loc. c. eorum diſtantia infinita, id eſt, indeterminata ad quamcunque magnam vel parvam, quare contradictoria oppoſitio, quatenus tranſcendit omnem diſtantiam & oppoſitionem, poteſt etiam dici maxima maximitate univerſalitatis ſeu potentialitatis, non actualitatis, ut dictum.

Scotus.

ASSERTIO V.

Doctrina de nunquam admittendis contradictoriis de eodem, niſi habeantur in Scriptura ſacra, vel ex determinatione Eccleſiæ, vel evidenter ex conſequentia formali ex talibus inferantur, nec vera eſt nec utilis, quin potiùs pernicioſa Catholicæ fidei unitati.

23 Est contra noſtrum Occam 1. d. 1. q. 5. L & ſuos ſequaces, qui in Trinitatis & Incarnationis Myſterio non agnoſcunt contradictoria, niſi ſint revelata, proinde ut Vekenus refert Tract. 1. de Simplicit. Dei. diſp. 4. c. 1. num. 2. in Specie docent, has ſimul verificari de Dei Filio, *eſſe genitum & non genitum, unum eſſe cum Patre & non unum cum Patre, Incarnatum non Incarnatum*, ita ut utrumque dicatur, tam ſecundum rem quàm rationem eandem. Contra quos Aſſertio noſtra amplè probatur Tom. 2. Controv. 9. per totam, & hoc loci per auctoritatem Apoſtoli ſupra num. 17. adductam, cui è diametro illa doctrina repugnat, in quo namque reperitur *eſt & non*, ſi in hac eorum doctrina non reperitur? meritò proinde utpotè Apoſtolicæ doctrinæ adverſans, rejicienda eſt. Probatur tamen ſecundò: Compertâ per fidem veritate unius, certò conſtat de falſitate alterius v. g. compertâ veritate Myſterii Incarnationis, Paſſionis, Euchariſtiæ &c. conſtat ſtatim has eſſe falſas & hæreticas: *Chriſtus non eſt Incarnatus, non eſt mortuus, non eſt in hoſtia conſecrata*. Atqui niſi hujus falſitatis rationem generaliter refundant in legem contradictoriorum, quod illa nequeant eſſe ſimul vera, neque de illis, quas ex Scriptura & determinatione Eccleſiæ mox recenſuimus, conſtabit eſſe falſas, ergo. maj. patet. min. prob. quia admiſſo vel ſemel tantum illud principium fallere aut etiam de fallacia ſuſpectum eſſe, tunc concidit ſive collabeſcit in reliquis: ergo præcisè, quod compertâ per fidem veritate unius, debeat eſſe falſitas alterius, eſt ex natura & ipsâ indole contradictoriorum. Jam ſubſumo, atqui de facto collabeſcit illud principium in contradictoriis, quæ per Scripturam vel determinationem Eccleſiæ dicuntur admittenda, quia ambo erunt, ut in allatis propoſitionibus patet, ſimul vera; ergo ut rectè *Veken* & ipſa determinatio Eccleſiæ & Scripturæ in dubium revocabitur, eſto enim ita determinaverit Eccleſia, & revelaverit Scriptura, & in comperto ſit veritas fidei circa unam propoſitionem, ſi ſimul vera ſit illius contradictoria, manebit dubium, num determinaverit, non ideò ſolùm quia contradictoria poſſunt ſimul eſſe vera, ac ita poſſet eſſe, quod non determinaverit, nam etiamſi verum ſit, quod determinaverit illius contradictorium, tamen non eſt infallibilis veritatis, eſſet enim ex lege contradictoriorum, quæ concidit in hac opinione Nominalizantium, & hinc diximus in Aſſertione, talem doctrinam unitati Catholicæ pernicioſam potiùs quàm proficuam, cum exinde quilibet fidelis in præcipois fidei Myſteriis, & ſecum ipſe, & cum aliis pugnare poſſet. Sic v. g. in Epiſt. 1. Joannis c. 5. v. 10. redarguuntur negantes Chriſtum eſſe Filium Dei, eo quod Deo perhibente de hoc teſtimonium, non credant, *qui non credit Filio Dei mendacem eum fecit, quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt de ipſo*. Poſſet quis dicere Deum quidem veriſſimè teſtatum eſſe Chriſtum eſſe ſuum Filium & ſimul illius contradictorium teneri ſine mendacio, quia contradictoria poſſent eſſe ſimul vera, ſicut de facto vera dicunt tam ſecundum rem quàm rationem eandem, *Chriſtum eſſe genitum, & non eſſe genitum, eſſe unum*

unum cum Patre, *& non esse unum cum Patre* &c. Si in istis contradictoriis non obstante revelatione unius contradictoriorum Deus, ut illi contendunt, affirmat & alteram, nec tamen seipsum mendacii arguat, quomodo Joannes si sit vera illa opinio arguit negantes Christum esse Filium Dei cum stare possit, ipsos tenere Christum simul esse Filium Dei? Hæc doctrina Nominalium nimium sanè probat, cum vix aliquis posset argui erroris aut hæreseos & summoperè authoritatem minuit veracitatis Divinæ, pro qua Theologos decertare oportet ostendendo, quod quamvis lumen fidei, in multis lumen naturæ excedat, nullatenus tamen illud destruat, aut in aliquo adversetur, de quibus fusè egimus Tom. 2. Cont. 5. q. 3. & 4.

24 Nunc restat ut videamus qualiter ea, quæ sibi in Mysteriis fidei, maximè in Mysterio SS. Trinitatis speciem contradicunt & sic mutuò sui destructionem & intrinsecam sui repugnantiam involvere videntur, à contradictione salventur: sunt qui requirunt distinctionem simpliciter realem, alii distinctionem realem in tertiò, quam immediatam & inadæquatam vocant. Alii distinctionem virtualem, sed non secundum eundem intellectum, quia alii astruunt distinctionem virtualem intrinsecam, quam subdividunt in distinctionem virtualem per æquivalentiam & perindeitalem &c. & distinctionem virtualem extrinsecam, quæ est per connotata. Denique alii contendunt distinctionem rationis ratiocinatæ esse sufficientem ad salvanda in Divinis contradictoria. Sit

CONTROVERSIA TERTIA,

DE

Modo salvandi contradictoria in Deo, & primò an ad hoc requiratur Distinctio realis?

SUMMARIUM.

1. *An contradictoriis salvandis opus sit distinctione reali, & quo jure id prætendatur. q. 1.*
2. *An ad idem sufficiat distinctio realis in tertio, & quid illa. q. 2.*

Plerique melioris notæ Theologi agnoscunt opus esse distinctione aliquâ, quâ contradictoria de Deo à contradictione purgentur, ne peccetur contra primum principium: *quodlibet est, vel non est*, &: *impossibile est, idem esse & non esse.* Quæritur itaque in præsenti Controv. num ad hoc afferenda sit distinctio stricta realis, prout distinguitur non solum contra distinctionem rationis sed & contra distinctionem formalem ex natura rei & quamcunque aliam, quæ non est ab intellectu, & tamen non est ipsa. Sit

QVAESTIO PRIMA.

An contradictoriis salvandis necessaria sit distinctio realis & qualis?

SUMMARIUM.

1. *Contradictio congenea distinctioni tali, qualis ipsa est. n. 25.*
2. *Quid distinctio realis in tertio, seu inadæquata & mediata. n. 27.*
3. *Num contradictio polleat vi concludendi distinctionem realem, quæ sint hujus opinionis fundamenta. n. 29. 30. 31.*
4. *Qualiter nonnulli commendent distinctionem realem inadæqualem seu mediatam in tertio, & quæ illius potissimum fundamenta. n. 32. usque ad 35. inclus.*

5. *Ad idem de eodem sine repugnantia verè affirmari & negari sufficit distinctio seu non identitas inter possibiles minima n. 36. & seq.*

6. *Diluuntur Argumenta pro distinctione reali sub nu. 28. proposita. à n. 28. usque ad 30. inclusivè.*

25 CUm itaque implicet de eodem secundum idem verificari contradictoria, necesse est omnem contradictionem inferre distinctionem, & quidem talem, qualis ipsa est, ut si est contradictio rationis infert contradictionem secundum esse rationis, si est contradictio realis, inferret distinctionem quoque realem, saltem virtualem intrinsecam Thomistarum quorundam, vel formalem Scoti, quas ut eliminent à Divinis, volunt contradictionem realem inferre necessariò & semper distinctionem realem, quæ cum non detur inter absoluta Dei, neque inter absoluta & Divinas Personas concludunt alii pro sola distinctione rationis in Deo admittenda ad salvanda contradictoria, alii excogitarunt distinctionem realem mediatam & in tertio, de quo Q. seq.

26 Ubi Adverte non esse nostri propositi, ut diu hæreamus in explicandâ distinctione simpliciter reali seu adæquata, quam omnibus ut notissimam suppono, neque curandum nobis, an dicatur versari inter rem & rem desumendo illam ab Essentia rei cum ordine ad existentiam actualem solum, vel etiam possibilem, sive perfectam & solitariam, id est, sive possit per se & in se existere, sive imperfectam & ab alio dependentem, id est, cum alio, cum quo necessariam connexionem, nam ad propositum perinde est distinctionem realem versari nedum inter duas res actu existentes, sed etiam existere possibiles, sive possint per se & immediatè produci, sive exigant produci cum, vel saltem in alio, An item consistat in positivo vel in negativo, de quo fortè alibi, hic similiter non est quod immoremur.

27 Præmittendum tamen, quid sit distinctio realis in tertio utpote nova, quia est Neotericorum quorundam, quam acceptandam dicunt ad contradictoria de Divina Essentia comparata cum Personis Divinis, & explicatur dupliciter: semel per adæquatæ identitatis negationem, ita quia una Persona Divina non identificatur adæquatè & convertibiliter cum Essentia, siquidem non identificatur cum omnibus, cum quibus identificatur Essentia, nam plus includit Essentia Patris, Filii & Spiritus sancti, quàm Essentia solius Patris, itaque vera sit, non solum affirmatio, qua asseritur Naturam Divinam à Patre communicari Filio, sed etiam negatio, qua dicitur Paternitatem non communicari Filio, est, quia Paternitas non est eadem identitate adæquata & convertibili cum Natura Divina, quæ subsistit in tribus Personis. *Quid sit distinctio realis in tertio.*

Aliter explicatur per distinctionem mediatam, in qua explicatione sub alio verborum cortice, idem dicitur quod in prima, nam mediante inquiunt hac distinctione, quâ dicitur: *Filiatio non est Paternitas*, seu quia Filiatio realiter distinguitur à Paternitate, fit quod natura Patris distinguitur à Paternitate realiter mediatè, seu realiter in tertio, quò natura Divina quasi exidentificat, id est, non omninò sed relatè ad Filium, prædicatum Paternitatis, quod habet actu in Patre, & vicissim Natura Divina quasi identificat relatè ad Patrem, prædicatum Filiationis, quod habet actu in Filio, verè tamen & actu identificata præexistens cum Filiatione in Filio, atque de illa sic realiter distincta verificantur contradictoria: *Natura communicatur, Paternitas non communicatur; Paternitas generat, natura non generat.* His præintellectis, sit

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus fundamentis nonnulli Auctores distinctionem realem simpliciter, sive realem adæquatam requirant ad vitandam contradictoriorum repugnantiam.

28 PRimâ fronte, videntur solida pro sua opinione argumenta proferre, præcipua adducemus. *Primò* ita argumentantur: quibus conveniunt prædicata contradictoria, iis necessariò convenit distinctio realis: ergo impossibile est ut eidem rei realiter conveniant prædicata contradictoria. anteced. prob. cui convenit aliquod prædicatum, convenit etiam id, quod est essentialiter inclusum in illo prædicato, ut v. g. cui substantia convenit, & in substantia includitur ens, eo ipso ipsi convenit esse ens, sed in prædicatis contradictoriis essentialiter includitur distinctio realis. min. prob. quia in istis prædicatis invenitur *est* & *non est*, sed in hoc complexo *est* & *non est*, continetur distinctio realis, esse siquidem realiter distinguitur à suo nō esse.

Confirmant & probant secundò ratione à nobis Controv. præced. num. 21. allata. plus repugnat eandem rem, quæ est Deus Pater, generare & non generare eandem, quæ est Deus Filius, quàm Deum Patrem generare Filium sibi realiter identificatum in Persona seu generare seipsum realiter, atqui ad vitandam repugnantiam, 29

tiam, ob quam idem non potest seipsum producere requiritur distinctio realis: ergo multò magis ad vitandam repugnantiam primam, requiritur distinctio realis inter id, quod generat, quod est Deus Pater, & id quod non generat, cujusmodi est Divina Natura, & ob eandem generationem requiritur distinctio realis inter Personam Filii, quæ generatur, & Naturam Divinam Filii, quæ non generatur. maj. prob. quia oppositio contradictoria est oppositio omnium maxima, ideoque habet majorem vim includendi distinctionem realem, quàm alia quæcunque oppositio, adeoque quàm oppositio relativa inter id, quod generat & generatur, ideò enim inducit realem distinctionem extremorum, quia essentialiter includit prædicata contradictoria respectu ejusdem, quare si oppositio contradictoria non arguat distinctionem realem in Divinis, ergo nec oppositio relativa: atqui hoc est contra fidem: ergo vel oppositio contradictoria arguet vel distinctionem realem, vel non est contradictio præterquàm rationis.

30 Confirmatur eodem fundamento, quo dicitur, quod duo prædicata contradictoria non arguunt distinctionem realem, dicetur etiam, quod esse gignentem & esse genitum, non arguent eandem, sed solum virtualem intrinsecam vel ex natura rei formalem *Scoti*, ex quo subvertetur totum SS. Trinitatis Mysterium, sequeretur enim Patrem non distingui à Filio, nisi formaliter ex natura rei, vel solum virtualiter intrinsecè, & Pater & Filius simili distinctione distinguuntur à Spiritu sancto, si enim hæc distinctio sufficit, ut conceditur, ut Filius non realiter procedat per voluntatem, & procedat realiter per intellectum, quare similis distinctio inter Personas Divinas non sufficiet, ut Pater producat à parte rei Filium, & Patrem & Filium & Spiritum sanctum licet hæ Personæ solum distinguantur distinctione formali ex natura rei, vel intrinseca aliorum virtuali, si enim per illam tollatur oppositio contradictoria inter hæc duo contradictoria, Filius procedit per intellectum non per voluntatem, ergo per similem virtualem, vel ex natura rei formalem tolleretur oppositio relativa inter esse producentem & esse productum, & consequenter Pater non distinguitur realiter à Filio.

Confirmant & probant tertiò: Quæcunque realiter opponuntur, realiter ab invicem distinguuntur, sed quæ opponuntur contradictoriè, realiter opponuntur, ergo illa contradictoria & realiter distinguuntur. maj. prob. non minus evidens est, quod nihil sibiipsi, sed alteri à se distincto opponatur, quam nihil seipsum producere possit. Reliqua hujus ordinis argumenta ad hæc reducuntur. 31

ARTICULUS II.

Quæ sint fundamenta, quibus ad vitandam contradictionis repugnantiam exigunt distinctionem realem inadæquatam?

32 Pattoni hujus distinctionis illam magnoperè commendant propter tria: videlicet quia summam salvat in Deo simplicitatem, cum nulla intercedat distinctio inter Essentiam Divinam & relationes. Secundò salvat veritatem contradictoriorum, quia quod affirmatur, ut de natura immediatè negatur de illa ut realiter immediatè distincta: Tertiò salvat Altitudinem Mysterii, quod non esset mirabile, nec supra captum humanum, si Essentia ex natura rei immediatè distingueretur à Persona vera aliqua & actuali distinctione. Argumenta autem quæ pro illa distinctione afferunt, sunt potissimum ista.

33 *Primò* ubi reperitur essentialiter distinctio realis, & simul identitas realis, debent admitti & possunt salvari contradictoria, sed ubi reperitur distinctio inadæquata, reperitur distinctio realis & identitas realis: ergo debent admitti & salvari contradictoria: major, quod ratione illius distinctionis realis salvatur imprimis, quod una Persona non sit altera, pater, deinde salvatur per illam, quod Pater producat Filium & Filius producatur, & non producat Patrem; item quod Spiritus sanctus producatur à Patre & Filio, & ipse non producat econtra Patrem & Filium. Deinde in creatis distinctio realis sufficit ad contradictoria: ergo etiam sufficit in Divinis. Ratione verò identitatis salvatur, quod tres Personæ sint unus Deus, & alia similia prædicata.

Tertiò hæc prædicata *communicari* & *non communicari* involvunt distinctionem realem, quia eo ipso quo dicitur, Paternitas non communicatur, dicitur quod una Persona habeat aliquod prædicatum sui constitutivum, quod altera Persona realiter non habet, & quod alteram realiter non constituit, consequenter non possunt verificari dicta contradictoria, nisi eo ipso comparentur relativa sive Personæ Divinæ inter se, cum enim non possit verificari, *non communicari*, nisi eo ipso significetur distinctio realis Personarum inter se; hoc ipso etiam habebit necessariò comparati una Persona cum alia, cum non detur in Divinis distinctio realis, nisi inter Personas inter se collatas, sicut itaque quando relativa 34

comparantur cum correlativis salvari possunt contradictoria in Divinis, ita quando intervenit identitas inadæquata, cum tunc etiam confertur terminus relativus cum altero correlativo, salvabuntur contradictoria.

35 Totus harum rationum discursus, qui nihil nisi hujus opinionis explicationem continet, in eo est, quod non possit comparari prædicatum absolutum v. g. Natura Divina cum Paternitate, adeoque nec distingui, quin eo ipso comparetur unum relativum cum altero relativo, quomodo enim, inquiunt, comparabitur Natura Divina, ut habens inadæquatam identitatem cum Paternitate, nisi etiam comparetur cum Filiatione, quacum etiam identificatur, eo enim ipso, quo dicitur, quod habeat identitatem inadæquatam cum Paternitate, dicitur etiam, quod habeat identitatem inadæquatam cum Filiatione realiter distincta à Paternitate, & quando dicitur *non communicari*, includitur respectus unius Personæ ad alteram. Idem dicunt de aliis prædicatis v. g. gigni non gigni, generare non generare, procedere non procedere, quomodo enim dicetur gigni, nisi eo ipso involvatur respectus ad gignentem &c.

ASSERTIO I.

Vt sine implicantia seu contradictionis repugnantia idem de eodem verè affirmari & verè à parte rei negari possit, non requiritur distinctio summa seu realis inter rem & rem &c. sed sufficit commensurata quæ est ordinario inter possibiles minima non identitas, dummodo sit vera, & non per intellectum fabricata, & non sit contradictio secundum esse reale & entitativum simpliciter.

36 Est S. Bonaventuræ 1. d. 33. art. 1. q. 1. citati Tom. 2. Controv. 8. q. 6. num. 475. Scoti 1. d. 2. nu. 29. Ex quo probatum *Controv.* præced. sub num. 22. nullam dari tam parvam distantiam extremi ab extremo, quæ non sufficiat ad contradictoria, quantumcunque enim modicum recedat aliquid ab uno contradictoriorum, statim est sub altero. Habet autem Assertio tot probationes, quot hic Tractatus conclusiones, in quo nil tractatur nisi de distinctionibus & earum vel insufficientia vel sufficientia ad supportanda contradictoria, quæ de eodem affirmantur & negantur. Hic interim tenendum, quod si aliqua minima distinctio intercedat, vel in subjecto, de quo vel in prædicato, quod affirmatur vel negatur, vel in conditionibus ad veritatem prædicationis pertinentibus, jam pereat natura & species oppositionis contradictoriæ, adeoque tollitur repugnantia, ob quam alioquin impossibile est idem esse & simul non esse, quare hoc loco id solum notandum propono, quando loquimur de salvandis contradictoriis, mentem non esse, quod illa salvari debeant, cum, ut superiori Controv. ostensum, impossibile sit illa à parte rei salvari & dari posse, salva natura contradictionis, cum intrinsecam sui destructionem importat, sed quod illa salvari debeant à contradictione, qua sibi in specie contradicunt, id est, assignari debeat distinctio, ut quæ contradictoria apparent, sint non contradictoria, sive utraque propositio tam affirmans quàm negans per medium congruum, quod est distinctio, absolvatur à contradictione. Unde vides oppositionem contradictoriam inter oppositiones ab intellectu conceptibiles maximam quidem videri, sed inter oppositiones à parte rei possibiles, salva earum natura, non tam minimam esse, quàm nullam, quia nulla talis potest dari, cum per veram quantamcunque parvam distinctionem omnis contradictio collatur.

S. Bonaventura.

Distinctio minima valet pro contradictoriis.

Expenduntur & diluuntur Argumenta primi ordinis, quæ n. 28. certant pro iis, qui volunt distinctionem realem adæquatam contradictoriis esse necessariam.

37 Ad *primum* nego *antecedens*, ad cujus probationem concessâ *majori*, nego *min.* ad cujus probationem jam patet ex dictis falsum esse illud complexum *est* & *non est*, semper involvere distinctionem realem, eo quod inter esse & non esse, non sit major distinctio quàm gradus termini positivi exigat secundum majorem vel minorem recessum vel accessum ab illo, qui non est necessariò realis, sed sufficit, quod sit ex natura rei formalis, vel virtualis, ita ut non sint contradictoriæ respectu ejusdem, sed vel de pluribus formaliter solum distinctis, vel saltem virtualiter solum, etsi res in sententia eorum, qui dicunt virtute distincta non importare nisi eandem formaliter indivisibilem formalitatem duobus æqui-

æquivalentem, non careat difficultate, cum enim esse & non esse, & quælibet prædicata contradictoria sibi repugnent, seque alterum ab altero mutuò excludant, nihil autem sibi ipsi repugnat, seque ipsum excludit à seipso, non appatet, quomodo prædicata contradictoria sola dicantur virtute distingui, sed de hoc disputatio fiet Controv. 7. q. 3. per totum.

38 *Ad secundum* respondeo conced. *min.* disting: maj. plus repugnat eandem rem, quæ est Deus Pater generare & non generare eandem rem, quæ est Filius, suppositâ omnimodâ & summâ identitate inter Paternitatem generantem & Naturam Divinam non generantem, concedo *maj.* suppositâ aliquâ verâ distinctione, quantumvis etiam minima, ut dictum supra, plus repugnat illam generare, hanc non generare, nego *maj.* quia in prædicatis generandi & non generandi solum involvitur contradictio merè apparens, in casu tamen isto fictitio producentis realiter seipsum non solum contradictio, qua prædicatur idem generari à seipso, ut à Patre, & non generari à seipso, ut à Filio, sed prætetea involvitur oppositio relativa inter Patrem & Filium, quæ realem necessariò infert distinctionem, unde licet hoc Argumentum possit videri pondus habere, si proferretur à Nominalibus, eo quod non admittant contradictoria, nisi sit inter extrema distinctio realis, vel ab Ecclesia definiatur, quod sit admittenda, mirum tamen est, quod idem ab aliis qui non agnoscunt in Divinis aliam distinctionem, præterquam rationis, aut solum virtualis, *Scotistis* objiciatur, cum contra ipsos validissimè pari viâ retorqueri possit: plus repugnat eandem rem, quæ est Deus Pater generare & non generare eandem, quæ est Deus Filius, quàm Deum Patrem generare Filium sibi realiter identificatum in Persona, seu generare seipsum realiter: atqui ad evitandam repugnantiam, ob quam impossibile est idem producere seipsum, non sufficit distinctio *Scoti* formalis, ergo multò minus aliorum virtualis, nedum illa rationis per intellectûs operam fabricata: sane si illi habeant, quid respondeant, quod suâ distinctione omnis oppositio contradictoria tollatur, multò magis Scotistæ, qui ponunt distinctionem inter Divinas formalitates ex natura rei formalem. Porrò ad hoc quod dicebatur, si oppositio contradictoria non arguat distinctionem realem in Divinis, quæ est oppositorum maxima: ergo nec oppositio relativa, nego paritatem, quia ut *Controv.* superiori num. 21. vidimus, oppositio relativa aliunde realem requirit distinctionem, eo ipso enim, quo una Persona est producens & altera producta, ponitur à parte rei (salvâ naturâ talis oppositionis) oppositio relativa quæ exigit subjecta realiter distincta, cum certum sit, nihil posse producere seipsum, sive per veram productionem sibi esse dare & existentiam, hinc etenim & ex nullo alio fundamento PP. & Concilia realem distinctionem colligunt inter Personas Divinas ut supra.

39 Ex quo etiam patet in confirmatione falsum assumi, quod scilicet idem realiter possit esse producens & productum. Deinde ex eo quod negetur ad oppositionem contradictoriam requiri distinctionem realem, non sequitur statim posita distinctione formali *Scoti* aut aliorum virtuali, quod tollatur oppositio relativa inter producentem & productum, sed potius sequitur contrarium, quod ponatur hæc positio relativa: ratio est, quia eo ipso quo dicitur: *Filius procedit per intellectum, non per voluntatem,* & vicissim: *Spiritus sanctus procedit per voluntatem, non per intellectum*, ibi in verbo processionis realis, suppositâ fide quod Spiritus sanctus procedat à Patre Filioque insinuatur distinctio inter Filium & Spiritum sanctum, ne sit idem realiter producens & productum: ergo licet per distinctionem virtualem intrinsecam vel *Scoti* formalem ex natura rei tollatur oppositio contradictoria, non tollitur tamen, imò etiam admissâ distinctione reali inter ipsa principia notionalia intellectum & voluntatem divinam, oppositio relativa inter producentem & productum, ergo præter contradictoria, de quibus hic agitur, oppositio quoque relativa est admittenda.

40 *Ad tertium* denique responsum vide *Tom. 2.* Con. 5. q. 4. art. 4. § 2. *in Responso ad Tertium*, & supra Controv. 2. art. 2. Assert. 2. nu. 11. & hic Assert. 1. supra disting. maj. quæcunque realiter opponuntur oppositione reali duntaxat merè conceptibili per intellectum, & incompossibili cum verâ distinctione salvâ specie talis oppositionis, nego maj. oppositione possibili à parte rei, sive salvâ oppositionis specie cum vera distinctione, concedo maj. & hinc ad probationem majoris concedo non esse minus evidens, nihil posse opponi sibiipsi, quàm non posse aliquid producere seipsum, sed negatur evidentia illa, quod possit contradictoriè opponi, nisi realiter à se distincto, falsum enim est esse paritatem inter oppositionem relativam, vel quamcunque aliam, quæ potest dari à parte rei, salvâ oppositionis specie, & inter contradictoriam oppositionem, quæ non est compossibilis à parte rei cum vera distinctione, quæ illam non patitur secum, ut satis superque dictum est de distinctione in tertio. Sic.

QVAESTIO SECVNDA.

Quid valeat distinctio realis mediante tertio, id est, non absolutè inter extrema ipsa, sed in ordine ad tertium, à quo alterum illorum realiter distinguitur, juxta datam explicationem n. 3. & 8. & an rectè illam assumant Auctores sibi in præsidium ad sufferenda contradictoria inter Divinam Naturam & Relationes Divinas.

S V M M A R I V M.

1. *Plenitudo Naturæ Divinæ quæ est in singulis Personis, est & in qualibet earum, stabilitur ex SS. PP. n. 42.*
2. *Tetragrammaton Deus, non significat Trinitatem, nisi quà de singulis verificetur Personis. n. 43.*
3. *Personalitates non integrant Essentiam Divinam,* ibid.
4. *Simul sumpta distinguuntur immediatè à Natura.* ibid.
5. *Doctrina Adversariorum nec vera nec tuta videtur, periculosis saltem obnoxia interpretationibus. n. 44. & seq.*
6. *Distinctio realis mediata non suffocat distinctionem immediatam inter Personas & Essentiam. n 45.*
7. *Natura nō tota Trinitas communicabilis est. n. 46*
8. *Non datur distinctio mediata & gratis concessa, non est contradictoriis sufferendis idonea. n. 47.*
9. *Paternitas non potest esse verificativum improducibilitatis in Natura n. 48. & seq per extensum.*
10. *Natura Divina essentialiter improducta, quia est Ens à se. n. 49.*
11. *Opimo opposita deducitur ad absurdum. n. 50.*
12. *Quid Minotaurus. n. 51:*
13. *Casus in quo nequit distingui Natura Divina ratione tertii. n. 52. & seq. & n. 34. & 35.*
14. *Forum, quæ videbantur sent. oppos. recommendare, ostenditur nullitas. n 54*
15. *Argumenta in oppositum diluuntur. n. 56.*

41 UT demus specimen doctrinæ, quâ dicitur Essentiam, prout est inadæquatè Pater seu Patris, distingui inadæquatè à Filio, eundemque Patrem esse idem realiter cum Essentia inadæquatè sumpta, prout etiam simul Filio & Spiritui sancto identificatur, illam ita explicant: cum dicitur à Concilio Lateranensi Cap. *Damnamus, Essentia non generat, nec generatur, sed Pater generat, Filius generatur.* Sensus est: Essentia ut est inadæquatè Filii, non generat, sed generatur, & ut est inadæquatè Patris, generat & non generatur; ubi quia prædicata generantis & non generantis, geniti non geniti, non cadunt supra idem realiter prorsus subjectum, sed super realiter inadæquatè distincta, puta super Essentiam ut semel est inadæquatè Pater, & Essentiam, ut etiam est inadæquatè Filius, nulla est contradictio. Eodem modo in hisce: Natura Divina non producitur, filiatio producitur, contradictio cadit super naturam existentem in Filio inadæquatè, sive super illam ut habentem identitatem inadæquatam cum illo &c. Sit

ASSERTIO I.

Nihil Naturæ Divinæ in quantum Natura reperitur in omnibus Personis simul sumptis, quod non reperiatur in qualibet earum, sed tota Natura totaliter & adæquatè sumpta, tam est identificata cum Paternitate, quam cum omnibus tribus proprietatibus hypostaticis simul sumptis, proinde proprietates hypostaticæ, non dicunt Naturam, sub ratione naturæ, sive qua talis est.

PRobatur ex SS. PP. *Primò* ex S. Athanasio *Oratione* contra Gregales *Sabellii*, ubi ait: *Universa plenitudo Deitatis est Pater, ut Pater; universa item plenitudo Deitatis est Filius, ut Filius, quandoquidem amborum una forma,* id est, Natura, *intelligitur quæ integrè se in utroque exhibet.*

S. Athanasius. Gregorius Niss.

Secundò ex *Gregorio Niss.* reprobante, quod ideò Essentia Patris & Filii & Spiritus sancti plùs dicat, quia tres importet proprietas hypostaticas, quam Essentia Patris, quæ nonnisi unum importat, sic Tractatu adversus Græcos expressè habet: *Ex proprietate aliquâ, quæ ipsi inest, non conjungimus copulam (&) ut dicamus Deum & Deum & Deum, velut dicimus, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, quod si dicimus Patrem Deum & Filium Deum & Spiritum sanctum Deum, vel Deum Patrem & Deum Filium & Deum Spiritum notionem Personarum nominibus copulamus, nempè Patri, Filio & Spiritui sancto, ut sit Pater & Filius & Spiritus sanctus, hoc est, Persona & Persona & Persona,* & mox: *quatenus Pater diversam sonat proprietatem suam, ad Filium, juxta hoc Deus est Pater, etenim si, quia Pater est Pater, propterea & Deus Pater, quoniam non Pater Filius, non Deus Filius: si verò Deus Filius, non quia Filius, similiter & Pater,*

non

non quia Pater, ideò Deus, sed quia Essentia una Pater & Filius unus est Deus. quibus S. Gregorius expressè innuit proprietates hypostaticas non esse de intrinseco Deitatis conceptu, sed singulas Personas adæquatè Deum esse eâdem Deitate, quâ omnes tres, ubi si vellet proprietates Personales importare adæquatam Deitatis rationem, adeoque Naturam Divinam posse sumi inadæquatè, quasi non totaliter sit in quavis Persona, si ostra dixisset, *Ex proprietate aliquâ, quæ ipsi inest, non conjungimus* copulam, *& ut dicamus Deum & Deum & Deum.* Ecce semper siquidem etiam ex proprietate diceremus Deum & Deum non præcisè Personam & Personam & Personam, etsi quia Pater est Pater, propterea & Deus sit Pater, Filius, qui non est Pater non esset Deus, adeoque quia & Filius est Deus, non qua Filius, seu filiatione, sed Deitate, & Pater sit Deus non Paternitate, sed eadem Deitate, evidens est proprietates relativas non integrare Deitatem, consequenter falsum est illam in inadæquatam & adæquatam distingui, seu quod non dicatur adæquatè Deus tam una Persona, quam omnes simul, tamque adæquatè Pater sit Deus & Deitas, ac tota Trinitas, neque per hoc infertur Patrem solum esse Deum, aliud namq; dicis asserendo *Patrem esse adæquatè Deum, habere eandem Deitatem adæquatam,* quam habeat tota Trinitas; aliud *Patrem solum esse Deum.* Vide si placet de his Tom. 2. C. 7. q. 5. art. 2. &c.

Cyrillus Alex. *Tertiò ex S. Cyrillo Alexandr. 7.* Dial. de Trinit. disertis verbis docet Paternitatē formaliter non integrare Deitatem, neq; Paternitate Patrem esse Deum, *non enim,* ait, *in eo quod est Pater, neque rursus in eo, quod Filius, Deus est Filius* &c. & mox: *Non enim Deus est Pater, quia genuit, neq; rursus Deus est Filius, quia genitus est.* ubi adverte particulas causales, *quia non in eo,* acsi diceret, non integratur Deitas in Paternitate, qua quidem Deus Pater, Pater est, non tamen est etiam Deus, sed Deus Deitate, quæ causalis esset falsa, si Paternitas & Filiatio spectarent præcisè ad primum Deitatis conceptum, de quo fusiùs actum videre licet Tom. 2. C. 9. q. 3 art. 1. ubi & clarè distinguit idem Cyrillus Essentiam ab hypostasi, consequenter tenet illam non adæquate, nec præcisa hypostasi inadæquatam dici Deitatem.

Gregoriꝰ Naziãz. *Quartò ex Gregorio Nazianz. Orat.* 44. in sanctam Pentecosten: *Omnia quæ Pater habet, sunt Filii, præterquam quod ingenitus nō est, omnia quæcunq; Filii, Spiritûs sancti sunt; si generationem exceperis. hæc porrò substantiam non secernunt, verùm circa substantiam secernuntur,* ex quo loco dicta Contr. 11, q. 7. ante finem apertè deducitur non posse dividi substantia Dei in adæquatam & inadæquatam, cùm relationes substantiam ex mente S. Gregorii Nazianz. non secernant, sed, quæ circa illam. Vide ibidem dicta, quæ hic repetere non vacat.

Quintò ex Anastasio Patriarcha Antiocheno dicente statim post initium l. 1. de rectis dogmatibus verissimæ fidei: *Voces istæ generatio & processio diversæ licet, nentiquam Essentiæ differentiam demonstrant,* sed quando per illa Essentia divideretur in ad. & inadæquatam Essentiæ differentiam demonstrarent, quia per illa realiter differt à seipsa inadæquatè accepta, item inadæquata ad adæquata, & vicissim, ut patet. Similiter, ait, *gigni & procedere dissimilia sunt,* sed in Essentia Deitatis nulla est dissimilitudo, ergo generatio & processio non sunt illius adæquatum complementum, seu non spectant ad quidditativam illius adæquationem, consequenter tanta est in una, quanta in omnibus Personis. *Anastasius.*

Sextò ex *S. Augustino* inter alia multa loca, contra opinionem, quam hic impugnamus, allata Tom. 2. Contr. 8. q. 2. art. 1. per totum sufficiat unicus ille, ex *lib. 7. de Trinit.* cap. 1. & 4. Essentiam Dei dicit *esse taliter ad se, ut si quoq; esset ad aliud, Essentia jam non esset Essentia,* quæ Augustini doctrina directè repugnat huic, quæ vult Relationes Personales, seu esse ad aliud, ita ad Essentiæ rationem coassumendas, ut v. g. Paternitas in Patre, idem est de Filiatione in Filio, sit formalissimè ipsa Essentia, hinc siquidem, ne sit opus admittere inter Relationes & Essentiam inter prædicata relativa & absoluta distinctionem intransitivam & immediatam finxerunt, quamlibet proprietatum respectu sui correlativi spectare ad inadæquatum Essentiæ conceptū, ex quo resultet distinctio inadæquata Essentiæ à seipsa adæquatè sumpta, quæ est totum id, quod est in Deo ad se & simul ad aliud, id quod subvertunt pauca illa Augustini verba, quod Essentia non sit Essentia, si esset ad aliud. Ex his abundè liquet esse absolutè falsum & contra sensum PP. & modum loquendi, quamlibet Personam non esse Deum adæquatè, sed plus Naturæ Divinæ includi in tota Trinitate, quàm in una solum Persona. *Augustinus.*

Probatur ratione, ubi de variis incommodis hujus opinionis.

43 *Probatio prima ex ratione.* SEd probatur Assertio ratione: hæc vox *Deus* & *Deitas* in ratione talis est nomen singularissimum, & sibi semper univocum, & ideò quādo dicimus Deus Trinus & Unus, non significat directè Trinitatem, cum Deitatis Unitate, nisi quatenus de singulis Personis verificamus, quod ipsis competat nomen *τὸ Deus,* & ratio nominis substantiæ Personarum accommodata sit illis adæquatè eadem & quidem eadem numero: ergo non est Deus adæquatus vel inadæquatus, vel Deitas adæquata & inadæquata, quæ inadæquatio Naturæ extraneat illam à seipsa adæquatè sumpta, sicut membrum, seu extremum distinctionis realis ab alio extremo contra illud Athanasii, *neq; substantiam separantes, neq; Personas confundentes.*

Objectio. Dicent, quando dicitur Naturam adæquatè & totaliter sumptam, seu ut est in tota SS. Trinitate, includere aliquid amplius quàm Natura, ut est in una Persona. Sensum esse, in Natura Patris v. g. seu ut est Pater non esse filiationem Naturæ Divinæ identificatam, & vicissim in Natura Filii non reperiri Paternitatem, eidem Naturæ ut Filius est identificatam, unde inadæquationis prædicatum, non cadit super prædicatum absolutum, ut prætenditur in argumento,

 sed

sed relativa, quæ Essentiam Divinam, ut dicit totam Trinitatem, quasi integrare noscuntur.

Solutio. Sed contra, ergo reipsa concedis distinctionem inter absolutum & relativa, & falsum erit Relationes integrare Essentiam, inesse Essentiæ. Secundò esto, ex eo quod Pater non habeat Filiationem, nec Filius Paternitatem, ob Patris & Filii unitatem, in Natura concederetur posse in obliquo fieri conjugationem Naturæ & filiationis comparatè ad tertium, quod est Paternitas, ac inde contingat, quod Natura Divina Patris, non est adæquatè id, quod Natura Divinæ identificatur, cùm non sit filiatio, falsum tamen est, quod non sit adæquatè id, quod directè significat illa vox *Deus*, seu quod est Natura Dei in recto, quando proinde concedunt inadæquationem non cadere super absolutum, idem est, ac si dicant, esse adæquatam in singulis Personis Deitatis Essentiam, quia super illam non cadit inadæquatio, quod autem addunt relativa, quod omnia identificata Essentiæ quasi integrare totam Trinitatem, certè aliud est, quam dicere illa integrare Divinam Naturam seu Deum, nam in primo conceptu coalescuntur Relationes, cùm non possit concipi Trinitas sine constitutivis trium Personarum non in secundo, cùm alias Pater non esset integrè Deus, cùm non habeat alias relationes, quibus Deitas sua integraretur, quare loquendi modus ille, quo dicunt Personalitates integrare Naturam Divinam SS. Patribus noscitur esse omninò contrarius, imò & rationi quod ostendo, &

44 *Probatio ex ratione 2da.* *Probatur* Assertio per rationem secundò. Vel Natura adæquatè totaliterque sumpta consistit in tribus Personalitatibus realiter distinctis, tanquam rationibus formalibus eam formaliter adesse totalis Naturæ seu adæquatè sumptam constituentibus vel non: secundum non dicent: vel si dicunt, jam eo ipso de Natura totaliter & adæquatè sumpta, & de Personalitatibus simul sumptis verificabuntur contradictoria sine distinctione media, nimirum de Natura verificatur, quod sit una realitas numericè indivisa, de Personalitatibus verò, quod non sint una realitas numericè indivisa, & tamen non potest ostendi tertium, per quod distinguantur, consequenter per distinctionem immediatam, inter Personalitates simul sumptas & Naturam Divinam, ut intra fusiùs. *Si primum* teneant, id est, quod Natura Divina adæquatè & totaliter sumpta formalissimè consistat in proprietatibus personalibus realiter distinctis, jam Natura Divina in ratione Naturæ erit numericè divisa, sicut Personalitates ipsam inesse totalis Naturæ constituentes, aut certè malè sonat ista opinio, an tuta & an non obnoxia, interpretationibus valdè periculosis, quasi destruat unitatem Essentiæ in tribus Personis censurent alii, semel concesso, Essentiam, ut est in Patre, distingui realiter inadæquatè à Filio obscurè saltem dici videtur aut videri posset, Naturam Divinam in se pati multiplicationem per Personas, quibus identificatur, quomodo enim manet prorsus una & individua, ut fide creditur, si dicto modo reali distinctioni, & quidem sub ratione Naturæ, subjiciatur quomodo inconcussum stabit universaliter *Athanasii* de SS. Trinitate pronunciatum: *neque substantiam separantes*, quàm distinctio verè realis, quam Natura subit secundum illam *Sent.* per Relationes Personales inadæquatè realiter separabit? unde revera Doctores illi Catholici valdè abusivè Naturam Divinam, qua talis est, secant inadæquatè & totaliter sumptam, & in Naturam inadæquatè sumptam tanquam membra distinctionis realis, seu realiter inadæquatè à se invicem distincta, ni fallor, Auctores quos attuli in Præfatione Tomi 2di si superstites essent plenis conclamarent buccinis, contra illas Bannes, scilicet Sotus & Molina *non esse satis tutam*. Torres sive Canatiensis *malè sonare in fide*. Zumelius, *non satis consonare fidei*. Arrubal, *non esse tutam in fide*. Ruiz, *parum tutam & temerariam*. Oviedo *lædere SS. Trinitatem*. De Quiros, si vera esset illa distinctio tracta ex conjugatione Naturæ & filiationis comparatæ ad tertium, *nihil esse prorsus Mysterii in SS. Trinitate*. Marsilius & Adamus, *Sanctos docere & clamare contra illam* &c. & præsertim cùm transferat planas & claras SS. PP. & Conciliorum propositiones in distortas, & obscuras, sensum immutantes, ut v. g. Concilium Lateranense sub Innocentio III. definit: quod *Essentia nec est generans nec genita, sed Pater est, qui generat*, cui doctrinæ Catholicæ subfarciunt istam: *Essentia ut est inadæquatè Pater, vel in Patre non generatur, sed generat, ut verò est inadæquatè Filius, non generat, sed generatur*, quæ reipsa immutat sensum à Concilio intentum, Concilium distinctè & clarè Essentiam secundum se, contradistinguit Personis designans, quæ munia Personis tantum, non Essentiæ conveniant, hi Auctores econtra Essentiam contradistinguunt Essentiæ, Essentiam scilicet ut est in Patre, contra Essentiam, ut est in Filio: Concilium simpliciter negat Essentiam generare & generari, ut fusè Tom. 1. Controv. 9. q. 1. per totum; isti docent Essentiam, ut est inadæquatè Pater, generare, & ut inadæquatè est Filius, non generare, si Concilio credendum: quid ergo Essentiæ cum officio generandi & generari? nihil omninò amplius, quàm esse principium quo Divinæ Processionis, eamque communicari ut terminum productionis formalem, de quo vide dicta Tom. 1. Controv. 5. Quæst. 4. n. 241.

Censura quorundam.

Dogma periclitatur.

Secundò accedit quod Fides, PP. & Concilia docent Essentiam communicari, Personalitates non communicari, item Relationes secundum se præcisè multiplicare Personas & non aliter, quàm per Relationes unam Personam distingui ab alia, qua ratione manifestè Personalitates excludunt à vi sese communicandi, Essentiam verò à munere Personas multiplicandi, huic Catholicæ doctrinæ illi substituunt hasce: Essentia ut est inadæquatè in Patre non communicatur, Essentia Patris adæquatè sumpta, id est, ut identificatur simul cum Filio & Spiritu sancto communicatur. Item Essentia ut est sigillatim cujuslibet Personæ, Personas multiplicat, non verò Essentia adæquatè sumpta, sive ut est

in

in omnibus Personis simul sumptis, sed nonne Essentia, ut est inadæquatè Pater, verè involvit prædicatum Essentiæ, neque enim voles dicere Essentiam, ut inadæquatè Pater importare tantum prædicatum relativum? ergo secundum te non sola relatio multiplicat Personas, cujus oppositum tamen expressè habetur in *Concil. Florent. sess.* 18. dicente: *Sola Relatio multiplicat Personas, ita ut non aliâ ratione, quàm vi Relationis una Persona differat ab alia.* ubi particula non *alia ratione, quam vi Relationis*, totaliter excludit Essentiam ab officio multiplicandi Personas, itaque cùm dicendum Essentiam inadæquatè sumptam, non esse aliam Essentiam, quàm Essentia adæquatè sumpta, ne Arianizemus, quasi essent duæ Essentiæ in Divinis, Concilium autem Relationem Personarum distinctivam, assignet veluti terminum Essentiæ in qualibet Persona contradistinctum, utpote supra quem cadit munus multiplicandi Personas, & non super Essentiam; fit manifestum, nec verè nec tutò dici Essentiam inadæquatè sumptam, seu ut est sigillatim cujuslibet Personæ multiplicate Personas. idem est de communicari & non communicari, si res benè consideretur.

ASSERTIO II.

Esto gratis concederetur Distinctio realis mediata seu transitiva ad indistinctum in tertio realiter distincto, nullatenus tamen absorbet aut suffocat distinctionem mediatam & intransitivè consistentem inter proprietates hypostaticas & Essentiam Divinam.

45 Probatur ex dictis fusè Tom. 2. Contr. 3. q. 1. art. 5. à n. 506. usque ad n. 511. & iis quæ passim usque ad art. 6. ibidem afferentur, quæ sola sufficiunt ad hujus Conclusionis veritatem, quò remitto Lectorem. Breviter tamen & aliter

Probatur hoc loco, & primò quidem supposità opinione Adversariorum quæritur, dum dicunt, Essentia, prout est inadæquatè in Patre seu Pater, an illa reduplicativa *prout*, ex parte objecti aliquid appellet addatque ad Essentiam vel non: si primum, falsum est suppositum & opinio illa, quod nulla sit vera distinctio, quia Paternitas aliquo modo ex parte objecti ab Essentia distinguetur, velut ratio objectiva superaddita. Si secundum; jam istæ: Essentia ut est Pater, & Essentia ut est Filius, & Essentia ut est Spiritus sanctus, resolventur in has, & nihil aliud dicunt, quàm *Essentia ut est Essentia, & Essentia ut est Essentia, & Essentia ut est Essentia*, ut rectè notavit *Staudenhecht* c. 2. n. 225. Si secundum, jam Essentia realiter est divisa in ratione Essentiæ adinstar Personarum, rationes siquidem illæ, quæ significantur per particulam *ut*, videlicet, *Paternitas, filiatio, passiva spiratio*, secundum hos nihil prorsus superaddunt, sed sunt ipsa formalissima formalitas Essentiæ nullius capax distinctionis immediatæ. sed est contra fidem Essentiam dividi in ratione Essentiæ, sequeretur enim Politheismus, ergo tenendum Relationes Personales se habere ut rationes objectivas ab Essentia aliquo modo distinctas distinctione immediatâ quâ verificantur hujusmodi contradictoria, *esse divisum, & non esse divisum*, idem est de aliis v. g. *opponi filiationi, non opponi filiationi, identificari adæquatè cum tota Trinitate, seu cum omnibus Personis simul sumptis, non identificari cum tota Trinitate*, & similibus; ubi negativa cadit super alterum extremorum immediatè; ergo & dabitur immediata inter eadem distinctio.

Probatur secundò, de fide est, Naturam Divinam, quæ est in Patre communicari, item de fide est non communicari totam Trinitatem, seu non communicari Naturam adæquatè sumptam in sensu, quo illam convertibiliter accipiunt Auctores oppositi cum omnibus & singulis Personis, cùm aliàs communicaretur Filio & Spiritui sancto tota Trinitas, ergo aliquid communicatur in Trinitate, & est Natura Deitatis; & aliquid non communicatur, scilicet tres Personalitates; sed ad vitandam contradictionis repugnantiam distinguuntur necessariò distinctione aliquâ immediatâ, cùm non detur tertium, in quo salvetur mediata. ergo. 46

Tertiò Verbum de facto constat aliquâ formalitate quæ terminat unionem hypostaticam, insuper & constat formalitate, quæ non terminat illam, terminat nimirum Filiatione, non terminat Natura, ergo constat aliquo terminante Unionem, & iterum aliquo non terminante illam, ac proinde distinctio immediata inter Naturam de qua negatur, quod terminet Unionem & filiationem, de quâ id affirmatur. Frustrà autem recurri ad Naturam inadæquatè sumptam, seu quod negatio cadat supra Naturam existentem in Filio inadæquatè, id est, super illam habentem identitatem inadæquatam cum illo, frustra, inquam, patet inde, quia si esset in Deo una solum Persona, Personalitas posset terminare Unionem, non terminante illam Natura, & de facto, quid præstat Personalitati Verbi ad terminandam humanitatem, quod filiatio non fit in Patre, nec in Filio Paternitas? nihil omninò. proinde inadæquatio illa prorsus supervacanea est & impertinens ad propositum.

Probatur denique ex iis, quæ afferuntur pro Assertione sequenti.

ASSER-

ASSERTIO III.

Diſtinctio realis mediata nec dabilis inter extrema , de quibus fit affirmatio & negatio, nec ſufferendis contradictoriis idonea aut utilis eſt.

47 *Prob. 1.* UT ſit , ſufficiatque diſtinctio aliqua ad ſufferenda contradictoria, requiritur, ut reperiatur inter extrema, de quibus immediatè fit affirmatio & negatio *:* ſed diſtinctio ita inadæquata non reperitur inter extrema , de quibus immediatè fit affirmatio & negatio *: min.* prob. hujuſmodi extrema ſunt Natura Divina & Paternitas eodem modo in una Perſona Patris inter ſe identificata , eâ quippe ratione communicari & non communicari de illis verificatur ; *atqui* diſtinctio realis non reperitur inter Naturam & Perſonalitatem Patris in una Perſona inter ſe identificatis, ſed reperitur inter Perſonam & Perſonam ſeu inter Paternitatem & filiationem : ergo non inter Naturam & Perſonalitatem ejuſdem Perſonæ , de quibus tamen fit affirmatio & negatio. probatur ſimiliter *major*, eo modo quo fit de extremis affirmatio & negatio, eodem neceſſe eſt, ut ſit inter ea diſtinctio : atqui affirmatio & negatio, fit immediatè de Natura & de Paternitate : ergo & immediatè & non mediatè tantum inter ea concedenda diſtinctio, *min.* hujus patet, *maj.* prob. immediatio contradictionis, ſupponit immediationem diſtinctionis extremorum, in quæ cadit contradictio , cum alioquin ſi non eſſet ulla diſtinctio extremorum, quà cadit inter ea affirmatio & negatio idem de eodem reſpectu ejuſdem verè affirmaretur & verè negaretur , quod eſt impoſſibile. Hæc ratio aliter ſic proponitur.

48 *Inutilitas distinctionis in tertio.* *Secundò* veræ ſunt hæ propoſitiones contradictoriæ : Natura Divina eſt à ſe & improducta, Perſonalitas Verbi eſt producta : ergo requirit diſtinctionem aliquam ut verificativum illius : atqui nullum tertium diſtinctum realiter, ratione cujus competat Naturæ Divinæ improductio, oſtendi poteſt. *aſſumpt.* prob. illud eſſet Paternitas, quocum ut illi volunt, Eſſentia non dicitur convertibiliter , ac proinde Natura Filii verificabitur improducta, quatenus Paternitate mediante realiter diſtingueretur à filiatione, quæ non eſt improducta, ſicut à paritate, ut verificetur communicari à Natura non communicari Paternitatem , ſecundum adverſarios eſt, quia mediante filiatione, Natura Patris realiter diſtinguitur à Paternitate, quæ non communicatur : *atqui* Paternitas non eſt tale tertium , à quo ſumatur diſtinctio verificans improducibilitatem Naturæ , quæ negatur de Perſonalitate Verbi. *min.* prob. ſecundum te Paternitas in Patre eſt formaliter inadæquatè ipſa Eſſentia Patris , quæ eſt ipſa Natura improducta & ipſa adæquata Deitatis aſeitas ; ergo adhuc manet quæſtio, per quid verificetur ipſam Naturam eſſe improductam, & Perſonalitatem Verbi productam , ipſam ſeu Naturam etiam ſumptam, ut vis , inadæquatè , ipſiſſimam eſſe aſeitatem, Perſonalitatem Verbi non eſſe, ita viciſſim Natura Divina, ut eſt inadæquatè in Verbo, ſecundum te eſt ipſa formaliter filiatio , ſeu Perſonalitas Verbi , ergo manet ſimiliter quæſtio, per quid verificetur Perſonalitatem Verbi dici productam , & Eſſentiam ſeu Naturam Verbi improductam, illud tertium ſiquidem, vel illa duo tertia, Paternitas ſcilicet & filiatio à quo diſtinctio medians ſumi deberet , ſunt formaliter indiſtincta à Natura improducta, à qua unum deberet diſtinguere alterum , ſi enim propterea, quòd aliqua ſint eadem uni tertio , ſint eadem inter ſe , multò magis ſunt idem ſeu indiſtinctum illi tertio, propter quod enim unumquodque eſt tale, ipſum eſt magis tale, ergo non habetur verificatio contradictoriorum improducti & producti à tertio, nec ullo modo veriſimile apparet, quomodo improducta Natura Filii, qui eſt productus, diſtinguatur realiter mediatè à filiatione producta per Paternitatem , ſi filiatio producta cum Natura Filii improducta ſit una eademque formalitas objectiva , cùm ſit idem , ac dicere Naturam improductam diſtingui realiter mediatè à filiatione producta & ſimul eandem Naturam & eandem filiationem realiter & formaliter immediatè identificari, ſupponunt quippè & rectè Naturam Divinam non diſtingui realiter immediatè & in ſeipſa à Paternitate & filiatione, & nihilominus contendunt Paternitatem diſtingui realiter à Natura per filiationem, & viciſſim filiationem diſtingui realiter à Natura per Paternitatem abſque eo , quod Paternitas aut filiatio aliquid ſuperaddat Naturæ, ſeu ſalvo eo quod ſint formaliter immediatè ipſa Natura, qui loquendi modus principale eorum deſtruit ſuppoſitum, & ſic extendo argumentum : Eſſentia Dei diſtincta realiter à Paternitate in tertio , vel eſt eadem cum illa, quæ identificatur cum Paternitate, vel non eadem : ſi eadem, quod identificatum realiter & formaliter idem etiam diſtinguitur alicubi realiter ? ſi non eadem : ergo dantur plures Dei Eſſentiæ , una non identificata , altera identificata Paternitati.

Probatur tertiò : poteſt metaphyſicè demonſtrari, dari alicujus Naturæ intellectualis, quæ ſit primum Ens , ſubſtantiam individuam improductam, nullatenus tamen demonſtrari poteſt ſub conceptu Patris generantis Filium : ergo verificativum hujus propoſitionis, Natura non eſt producta, non habetur à Perſonalitate, ſeu ab hac cauſali , quà Paternitas non eſt producta, Natura Divina non eſt producta. Deinde ratio improducti verificativa in Natura debet eſſe communis omnibus tribus Perſonis : Paternitas non eſt communis tribus Perſonis : 49 *Prob. 2.*

ergo

ergo Paternitas non eſt ratio improducti in Natura: *maj.* patet, eſtque definita contra Arianos, qui improducibilitatem in Natura ſoli Patri attribuebant. *min.* ſimiliter eſt de fide, ergo cum reliquis Perſonis non competat Perſonalitas improducta ſeu Paternitas, propter illam tanquam Perſonale improductum illegitimè infertur improductum communi, ſeu improducibilitas Naturæ Divinæ.

Inter verificatum & verificativum aliqua opus eſt identitate

Confirmatur 1. Si Paternitas, quod eſt improductum Perſonale, eſſet verificativum hujus, *Natura Divina eſt improducta*, eſſet ideò, quia hæc identificatur Perſonalitati improductæ, ſeu quia eſt Pater: hoc non: *ſequela majoris* habetur in ipſa adverſariorum doctrina. *min.* prob. inter prædicatum & verificativum prædicati, qua tale, debet eſſe aliqua identitas, ut enim v. g. aliquid verificetur eſſe album, requiritur, ut afficiatur albedine, quæ eſt verificativum prædicati, *album* eſſe, ſed inter Paternitatem qua talem, & Filium, non eſt talis identitas, nequidem inadæquata, ut Filius, quà talis participet de verificativis præcisè à Paternitate ſumptis, & tamen participat prædicatum improducti, ergo prædicati hujus *improductum* non habetur à Paternitate. *maj.* eſt certa, *min.* prob. nullum prædicatum eſt verificabile de Paternitate, cujus verificabilitas mutuatur à filiatione; ergo neque de Filio, quà talis eſt, datur prædicatum verificabile, cujus verificabilitas habetur à Paternitate, quia ſicut de filiatione quà tali non participat Pater ut talis, ita nec Filius de Paternitate, conſequenter nec de verificabilitate orta à Paternitate: ergo manet non probari ex improducto perſonali improductum commune omnibus tribus Perſonis.

50. *Probatio 4ta.*

Probatur quartò: hæc eſt cauſalis vera: ideò Natura Divina eſt improducta, quia eſt Ens à ſe, eſtque formaliter tale, prout ratione, prior eſt Perſonalitate, item eſt formaliter Ens à ſe, imò ipſa aſeitas, ut eſt in Filio & Spiritu ſancto: ita ut antecedenter ad Paternitatem, & ut eſt in omnibus Perſonis, non intelligitur terminaſſe illam productionem ſui, ergo ipſa per ſe verificat prædicatum improducti. *anteced.* patet, conſeq. prob. nihil magis propriè eſt alicujus improducti verificativum, quàm ipſe eſſentialis conceptus Entis improducti ſcilicet eſſe Ens à ſe, ratio verificativi enim debet eadem eſſe cum prædicato, quod verificatur, veritas ſiquidem eſt conformitas cum objecto, à quo habetur menſura & regula veritatis: ſed iſte conceptus eſſentialis aſeitatis competit Naturæ Divinæ, ergo & eſſe verificativum improducti, ſi enim in Filio & Spiritu ſancto ipſum eſſe productum per ſe verificat prædicatum producti, cur non & ipſa Natura Divina verificabit de ſe prædicatum improducti, quæ æquè non terminat productionem, atque Paternitas, & æquè eſt Ens à ſe, neque etiam Natura Dei mutuat rationem ſui à Paternitate, cui illa potius præſupponitur? Ex his redit Argumentum primo loco poſitum ſupra: Naturæ Divinæ competit improducibilitas, Perſonalitati Verbi & Spiritus S. non convenit, ſed non poteſt oſtendi tertium, ratione cujus illi competeret, cùm illud Paternitatem non eſſe, ex allatis conſtat, ergo illa diſtinctio non eſt utilis ad ſupportanda contradictoria.

51. *Quinta.*

Probatur quintò, Natura Filii, ex mente Adverſariorum ob indiſtinctionem cum Patre eſt incapax effectus formalis, ut dicatur producta: ergo etiam ob indiſtinctionem cum Filio poteſt dici producta. Si diſparitatem obtendas, quod eſſe improductum non inferat oppoſitionem relativam, quam neceſſariò infert productum, ac proinde diſtinctionem realem producti à producente, à quibus Natura manet indiſtincta, ideòque capax denominari improducta, non autem à filiatione denominetur producta, ſicut nec producens.

Contra: Per hoc, ſi aliunde non oſtenditur, cur Natura non poſſit dici producta, non ſolvitur, ſed manet argumentum, per te enim Natura Divina eſt improducta, quia eſt realiter idem cum improducto; ergo etiam ideò eſt relata, quia identificatur realiter cum relato, tam facilè ſiquidem aſſumi poteſt eſſe relatam, cùm ſit producta, quia identificatur producto diſtincto realiter in tertio, quàm facile tu dicis eſſe improductam & non relatam ob identitatem improducti diſtincti realiter in tertio, nam utrobique juxta idem principium tuum proceditur, neq; enim in reſponſo ad Argumentum oſtenditur Naturam Divinam, ſuppoſito illo, quod dicatur improducta, eo quod ſit identificata realiter cum improducto, non eſſe productam, quàm ſi quis Minotaurum, de quo Ariſtoteles l. 1. poſteriorum. quem fingunt eſſe ſemihominem & ſemibovem habeat ille caput & pectus humanum, pedes verò loco brachiorum, reliquaſque partes bovis inſtar, dato quod daretur, ſi contra illum, qui teneret eſſe rationalem opponeres, non eſſe rationalem, quia non eſt riſibilis, per hoc certè non oſtenderetur, tale monſtrum non eſſe rationale, facilè ſiquidem reſponderetur, adhuc verè eſſe riſibile, quia eſt rationale, ſuppoſito quod illud animal ſit rationale, cui eſt caput & pectus hominis, quæ ſint prima ſedes animæ rationalis & principales partes ad hominem concurrentes. Non ergo ſi verum ſit principium Adverſariorum, tenet reſponſum, ſi non probes aliunde, cur non ſit ex paritate rationis producta, ad productum ſiquidem ſequitur eſſe relatum, & ad identificari cum relationis capaci, capacitas ad relationem & productionem, Natura autem identificatur producto, tam enim per te filiatio identificatur cum Natura in Filio, quàm in Patre cum Paternitate. *Sexta.*

Non poteſt oſtendi propter tertium Natura identificetur Filio.

Probatur ſextò. ideò non ſolum ex noſtro modo concipiendi, ſed verè & realiter ſecundum Adverſarios ad verificationem contradictoriorum Paternitas eſt ratio differendi, & non Natura, quia verè eſt identificata Filio Natura, & verè non eſt illi identificata Paternitas, ſeu quia Natura eſt verè filiatio, non tamen Paternitas eſt filiatio, non quidem, quia datur diverſitas ex parte objecti in Patre, ſed quia aſſumitur in identitatem cum Filio, aliquod prædicatum Patris, quaſi ex identificetur, in qoo reſplendeat

veritas

veritas Naturæ, & relinquitur fine hac identitate aliud, in quo ſtat veritas Paternitatis: *atqui* non poteſt oſtendi ratione cujus tertii Natura ſit identificata Filio, ſeu ſit filiatio, non autem Paternitas ſit illi identificata, ut verè negetur Paternitas eſt Filiatio, oſtendatur illud tertium diſtinctum realiter, quod, quale, & ubi hoc eſt? verè autem & realiter Naturam Filio identificari, & verè Paternitatem illi non identificari involvit contradictoria, quorum illud cadit immediatè ſupra Paternitatem, alterum immediatè ſuper Naturam Patris: ergo cùm non detur diſtinctio realis in tertio ſine tertio, quod hic aſſignari nequit, dicta contradictoria arguunt immediatam diſtinctionem objectivam inter Paternitatem & Naturam, imò talem re ipſa, eſto verbis negetur, exprimere videntur, ſi enim aliquod prædicatum, ut dictum ſupra n. 27. ex mente Adverſariorum aſſumitur in identitatem cum Filio, nempè Natura Patris, & aliud non aſſumitur, ſed relinquitur ſine illa identitate: dabuntur indubitatè à parte rei duo diverſa prædicata intrinſeca Patris, ſcilicet id quod aſſumitur, & id quod non aſſumitur, id quod implicat fieri ſine aliqua diſtinctione & diverſitate ex parte ſubjecti in Patre, affirmatio ſiquidem fundat verum aliquem conceptum, in quo illa perſiſtat, in quem nequit ſimul cadere negatio.

53 *Distinctio realis in tertio nihil prodest.* *Confirmatur*: Natura Divina diſtinguitur non minus ab omnibus Perſonis ſimul ſumptis, quàm ab una ſola vel duabus: atqui non poteſt oſtendi, quomodo ab omnibus ſimul diſtinguatur realiter in tertio realiter diſtincto, ſuppoſito enim quod Natura Patris, à qua diſtinguuntur realiter duæ non compareiur ad Filium & Spiritum ſanctum realiter diſtinguetur ab illis inadæquatè mediante filiatione & ſpiratione paſſiva, neque ſolum compareiur ad unam ſolam, quomodo v. g. Natura Patris comparatur ad Filium à quo diſtinguitur per filiationem, ſeu mediante diſtinctione reali, quæ eſt inter Patrem & Filium, ſed comparetur ad omnes tres Perſonas ſimul ſumptas, tunc nihil prodeſt diſtinctio realis in tertio, quia extra Relationes perſonales ſimul ſumptas non eſt reperibile in Deo aliquod tertium, in quo diſtinguatur Eſſentia ab omnibus ſimul ſumptis, & tamen nemo inficias ibit vera eſſe hæc contradictoria: Natura Divina eſt quid commune & participabile per identitatem, non enim identificatur ſoli Patri, ſed etiam Filio & Spiritui ſancto; Perſonæ ſimul ſumptæ non ſunt quid participabile per identitatem, cùm non identificentur Perſonæ, niſi unaquæque ſibi. Idem eſt de his Natura non eſt relata, Perſonæ ſunt relatæ. Eſſentia Divina non diſtinguitur, ne quidem formaliter aut virtualiter à Deitate ſeu Natura Divina. Eſſentia Divina diſtinguitur virtualiter aut formaliter à Perſonis, de quibus urget idem argumentum, probatque ſaltem non eſſe univerſaliter verum contradictoria in Divinis non verificari, niſi de diſtinctis realiter, ſaltem in tertio, ac proinde non ſubſiſtit opinio de diſtinctione reali in tertio.

Poſſet denique impugnari ſententia oppoſita, quod ſicut non eſt verum, quod Paternitas identificetur realiter cum filiatione, aut communicetur realiter filiationi mediante Naturæ identitate, ita neque Natura realiter diſtinguatur à Paternitate mediante vera aliqua diſtinctione reali, alioquin ſi valeat ratio ſententiæ oppoſitæ non minus identificabuntur in tertio, quàm diſtinguuntur, quod conſtat eſſe falſum, ſed ſufficiant hactenus dicta.

Illa quæ ſub prætextu fugæ difficultatum n. 32. hujus Controverſiæ afferuntur, nulliter dicta oſtenduntur.

54 *Cur sententia opposita nō evadat difficultates.* AD illud quo generatim dicebatur ſalvari melius ſimplicitatem Dei, eo quod nulla ſit diſtinctio immediata inter Eſſentiam ſeu prædicata abſoluta & relativa, aut nihil aut nimium probat, ob eandem enim cauſam oporteret nullam eſſe nequidem inter proprietates relativas diſtinctionem immediatam, quod conſtat eſſe falſum: *ſequela prob.* juxta Adverſarios Eſſentia Divina propter ſimplicitatem debet eſſe ex parte objecti idem prorſus realiter & formaliter cum tribus Relationibus Divinis ſimul ſumptis, ita ut à parte rei nihil aliud ſit, quàm quaſi unius Eſſentiæ cum tribus Relationibus perſonalibus complexum, ſed major indubiè ex principio Adverſariorum fore ſimplicitas ſi talis quaſi complexio argui non poſſet, cùm nihil ibi juvet diſtinctio realis in tertio, quale non eſt reperibile extra Relationes ſimul ſumptas, dicendum itaque ſimplicitatem Dei, ut alibi fusè oſtendetur & contradictoria ſalvari non minus & in noſtra & in aliorum ſententia, & præterea non ſubire tantas inconvenientias, quantis hæc involuta noſcitur ex dictis ſupra n. 33. & ſeq. Id quod addunt ſalvari melius per hanc doctrinam Altitudinem Myſterii, falſiſſimum eſſe patet, quid enim mirabile eſt, & quomodo ſupra captum humanum, quod contradictoria ſalventur per diſtinctionem realem inadæquatam, cùm nihil deſideretur ad evacuationem ſupernaturalitatis ſecundum Adverſarios, quàm diſtinctio, quâ unum contradictoriorum verè diſtinguatur ab alio? hæc ratio Scotiſtis obtruſa, ſi non æquè valeat contra novæ hujus diſtinctionis Patronos, jam vel nihil dicunt, dum afferunt diſtinctionem realem inadæquatam; vel ſi quam veram diſtinctionem aſtruant, magis pugnabit contra illos, & minus valebit contra Scotiſtas, in quorum opinione ſalvâ diſtinctione formali ſua, Eſſentia Divina ſibi ſemper & cum Relationibus realiter adæquatè eſt eadem. quod non eſt in hac oppoſita, & patet

Argumen-

Argumenta in oppositum annullantur.

55 **A**D *primum* dico disting. maj. ubi reperitur distinctio & simul identitas realis debent admitti & possunt salvari contradictoria, si distinctio sit inter extrema, supra quæ cadit immediatè affirmatio & negatio contradictoriorum, *transeat*: si secus, *nego maj.* sed ubi est distinctio inadæquata, reperitur distinctio realis, quæ cadat super natura existente in Persona & super Personalitate eodem modo identificatis inter se, & quatenus substant affirmationi & negationi nego *min.* quæ cadat solum super ipsis Personis, nulla siquidem distinctio realis reperitur in Deo præterquam inter Personas, quæ non substant affirmationi & negationi, concedo *min.* Impertinenter autem & frustra prorsus dicitur in objectione, quod per talem distinctionem una Persona non sit altera, sed opus est ut Natura Patris, de qua fit affirmatio, non sit eodem modo eadem cum Paternitate, quo de illa fit negatio, ne idem de eodem respectu ejusdem affirmetur & negetur: sit autem affirmatio immediatè de Natura Divina, & negatio fit immediatè de Paternitate: ergo requiritur & immediata distinctio, ne quidquam fuit ad rem distinctio mediata, seu à tertio realiter distincto, extrema siquidem, in quæ immediatè cadit sine contradictionis repugnantia affirmatio & negatio proportionatam necessariò ac sibi in eadem Persona realiter identificatis congeneam distinctionem important, ut supra n. 47.

56 *Ad secundum* dico falsum esse, quod hæc prædicata, communicari in Patre Naturam, & non communicari Paternitatem comparata ad se ut sunt in eadem Persona, & quatenus contradictoriè enunciantur, involvant distinctionem realem, in Divinis enim non est distinctio realis, præterquam inter Relationes personales, neque enim eo ipso quo dicitur Paternitas non communicatur, exprimitur solum quod una Persona habeat aliquod prædicatum sui constitutivum, quod altera Persona non habeat, sed præterea & quidem directè quod in unâ eâdemque Persona reperiatur aliquid, de quo verè & immediatè affirmetur *communicari*, & aliquid de quo negetur verè & immediatè *communicari*, primum est Natura Divina, ut intrinsecè spectat ad Personam Patris; alterum est Paternitas, similiter spectans intrinsecè ad Personam Patris, dixi, *directè*, nam esto non possint verificari prædicata illa communicari & non communicari, nisi eo ipso connotetur distinctio realis, nihil quippe potest Personæ communicari sibi omninò ipsi, sed alteri à se distincto, nequaquam tamen ideò vi & virtute contradictionis, si comparentur inter se, ut debent, id est, ut contradictoriè enunciantur, exprimitur illa, ut talia etiam distingui realiter, sicut Personæ inter se, id enim nunquam evincent *Adversarii*, siquidem distinctio realis immediata inter Patrem & Filium intransitivè consistit inter Personas, neque opponitur, nisi identitati Personarum, nullatenus, ne videamur substantiam, sicut Personas, separare, identitati, quæ est inter Naturam & Paternitatem, de quibus tamen contradictio, & non de Personis. Falsum igitur est in prædicatis contradictoriis verificari tàm affirmativam quàm negativam per realem distinctionem mediante tertio realiter distincto, ut pluribus in corpore quæstionis declaravimus.



CONTROVERSIA QUARTA,

An & quomodo Divina inter se identificata præscindamus per rationem,

ubi

DE PRAECISIONIBUS.

An præter præcisiones formales aliæ admittendæ sint, quas objectivas vocamus?

SUMMARIUM.

1. *Num præter præcisiones formales sint admittenda objectiva in objectis, ubi nulla præcedit ante mentis operam distinctio. q. 1.*
2. *An explodantur præcisiones objectivæ per sola connotata. q. 2.*
3. *Num in creatis admittendæ præcisiones objectivæ, quæ supra plures realitates ejusdem rei ab invicem, vel ex natura rei Scotisticè vel virtualiter Thomisticè distinctas fundantur. q. 3.*
4. *Dentúrne præcisiones objectivæ in Divinis. q. 4.*

QUAESTIO PRIMA.

Num dentur præcisiones objectivæ in ente creato in quo nulla est distinctio virtualis aut formalis intrinseca, sed ea quæ vel per solam æquivalentiam extrinsecam ad plura, id est, quæ ad statum purè intentionalem explicatur, vel ad statum realiter intentionalem in specie prout est in intellectu, & refunditur in objectum.

SUMMARIUM.

1. *Auctorum in opinando diversitas. n. 57.*
2. *Quid sit objectivè præscindere, ex quo actus dicantur inadæquati. ibid.*
3. *Objectiva præcisio quot modis contingit, Thomistica per quid differat à Scotistica, ubi & cur actus præcisivi.*
4. *Distinctio virtualis alia ad prædicata logica, alia ad physica, & unde interdignoscantur. ibid.*
5. *Præscindi objectivè objectum realiter & formaliter indivisibile implicat. n. 58.*
6. *Non datur idolum intentionale.*
7. *Præcisio non est inter realiter distincta. n. 59. & 60.*
8. *Primo- & secundo-intentionalium contradictoriorum eadem ratio quoad inferendam veritatem vel falsitatem contradictoriorum aut reducuntur ad impossibile. n. 61.*
9. *Effugium expugnato responso præcluditur. n. 62.*
10. *Æquivalentia ad plura nequit esse fundamentum in re præscindendi objectivè. ibid.*
11. *Veritas consistit in conformitate objecti secundum se sive in conjunctione vel negatione conjunctionis, prædicati cum subjecto. n. 63.*
12. *Animalitas Petri in statu intentionali difformis est animalitati in statu reali, & quomodo. n. 62. & 46.*
13. *Opponentes nullum habent fundamentum præscindendi objective æquivalentia ad plura nequit subire tale fundamentum. n. 62. & 63.*
14. *Effugium ad connotata præcluditur. n. 64.*
15. *In objecto de quo simpliciter quacunque negatur distinctio virtualis aut formalis multò minus datur ex parte objecti præcisio. n. 65.*
16. *Inter hominem & animal rationale cur nulla præcisio, adeoque cur nulla inter animal & rationale in opinione opponentium. n. 66.*

Quæstio

57 Quæstio hæc, cui inniti videtur universa doctrina *D. Thomæ* & *Scoti* de distinctionibus tam in Divinis quàm in creatis, per eos occasionatur Auctores, qui ut tam Thomisticam quàm Scotisticam proscribant à Deo distinctionem, negare caussarut omnes præcisiones objectivas, at cum *Nominalibus* solùm admittunt formales, quæ se teneant non ex parte objecti, sed ex parte actûs, idque tam in Divinis, quàm in creatis, nonnulli tamen, ut *Arriaga*, objectivas saltem in Divinis ultra formales concedunt. Quia tamen & inter ipsos Reales de præcisionibus objectivis, quo ad præscindendi modum controvertitur, quod totidem modis præcisiones objectivas fieri prætendant, quot sunt modi opinandi Auctorum illas admittentium, eâ ratione nimirum semel illas fieri contingit, quatenus intellectus diversis tendentiis, diversas formalitates in objecto unitivè & per identitatem realem secundùm proprias suas rationes formales in unâ re contentas præcisivè attingit, qualis præcisio objectiva distinctionem supponit inventam in rebus ante operationem intellectûs. utpote cui in objectum tendenti propriæ correspondent formalitates, quæ tam formali, quàm objectivæ præcisioni quasi in actu signato antecedenter præparatæ insunt objecto ad præscindendum illud in actu exercito, non quidem ut formalis præcisio tendat & simul sistat in ipsis formalitatibus jam ante distinctis, sed quatenus illas ampliùs intelligibiliter separat & ita à se mutuò præscindit, ut istæ formalitates in eadem natura se gerant, quasi duabus naturis inter se separatis æquipollerent. ut dicemus Controv. 7. q. 4 in simili. proinde falsum est, hujus generis præcisiones, quas astruunt Scotistæ, coincidere cum distinctione Scoti formali, ut perperam nonnulli autumant, sed ut dixi, hæc illam præsupponit, & ad illam sequitur tanquam passio.

Diversitas loquendi de præcisionibus objectivis *Secundò* fit præcisio objectiva quatenus intellectus tendit diversis tendentiis in formalitates non secundùm proprias earum rationes formales, sed solum in una re virtualiter aut eminenter contentas, ita ut talis præcisio objectiva non præhabeat in objecto & ex natura rei distinctarum formalitatum non identitatem, cùm illam ab ipso mutuent intellectu, sive intellectus eandem rem virtualiter multiplicem, diversis actibus concipiendo diversimodè in varias partitur formalitates, licet cum fundamento in re. quamobrem illi actus prorsus dicuntur inadæquati, nedum quia rem totam singuli seorsim sumpti inadæquatè explicant, sed etiam quia neuter sumitur vel fundatur in correspondentia propriæ formalitatis in objecto, sed omnes & singuli sumuntur ab eadem prorsus re & realitate inadæquatè conceptâ, hujus secundi generis præcisio objectiva defenditur à Thomistis, aliisque nonnullis. *Tertiò* & aliter concipitur præcisio objectiva in ordine ad prædicata intentionalia ab iis Auctoribus, qui volunt nomine distinctionis virtualis non venire intelligendam, quæ sit fundamentalis, atque exeat in actum per aliquam operationem intellectus saltem in Deo, sed quæ sit desumenda per æquivalentiam ad plura, ita ut una eademque indivisibilis entitas accepta aliis æquivaleat seorsim reperibilibus, quomodo v. g. aureus est virtualiter duo imperiales, æquivalet enim duobus seorsim extra aureum repetibilibus. Et quia hæc virtualis cogitari potest semel in ordine ad statum intentionalem, vel ut alii ad secundas intentiones & prædicata logica, qualia sunt *cognosci* & *non cognosci*, *repræsentari* & *non repræsentari*, semel autem in ordine ad statum realem, vel ut alii ad primas intentiones & prædicata physica, qualia sunt *produci* & *non produci*, *communicari* & *non communicari*. hinc dictis conformiter assignant duplicem virtualem distinctionem, ergo si hæc secunda antonomasticè vocetur distinctio realis, quam nullo modo volunt reperiri in creatis, quia magnum, inquiunt, absurdum sequeretur, nempe posse dari in creatis Mysterium Trinitatis, quod absurdum non sequitur, si ponatur distinctio virtualis in ordine ad statum realiter intentionalem, vel ut cæteris loqui placet, si ponatur distinctio virtualis extrinseca in ordine ad prædicata secundo-intentionalia, Mysterium enim Trinitatis est de lineâ realium & primo-intentionalium, ad dignoscendum autem, quod aliquid habeat distinctionem virtualem in ordine ad prædicata physica vel logica dicunt, si una eademque indivisibilis entitas ita æquivaleat pluribus seorsim separabilibus, ita quod uni formaliter convenit, ne in sensu quidem reali competat alteri, signum erit, haberi illic distinctionem virtualem ad prædicata primo-intentionalia, hac ratione ne quidem realiter & identicè communicatur Paternitas Filio, quia alioqui Filius in sensu reali esset Pater, licet non esset formaliter Pater, sicut est realiter & formaliter Deus, eo quod illi communicetur realiter & formaliter Natura Divina sive Deitas, si autem quod uni competit formaliter, alteri in sensu reali competat, erit distinctio virtualis extrinseca in ordine ad prædicata secundo-intentionalia, sic quia animalitas in sensu reali ratiocinatur, licet non ratiocinetur formaliter, ideò non distinguitur virtualitate illa prima, sed secunda, unde nil vetat inferre præcisiones objectivas, de quibus in proposito, cùm non minus per illam distinctionem possit aliquid v. g. animal inadæquatè concipi, sive conformis esse notitia præscindens illud objectivè, quàm si admissâ distinctione formali Scotisticâ; aut virtuali Thomistica, facultate præcisiva unus gradus præscinditur ab alio.

Notandum, etsi statu purè intentionalis & logicus, & status realiter intentionalis, si rigidè accipiatur, toto genere differant sicut ens logicum & physicum, reale & rationis, in proposito tamen ex mente *Auctorum*, qui solùm præcisiones objectivas intendunt removere ab objectis in statu purè reali, & ut extra intellectum sunt, consideraris, unum & idem per illa explicant, illi siquidem, qui præcisiones suas explicant in ordine ad statum purè intentionalem & logicum, in hoc sensu dicunt admittendas esse præcisiones objectivas, quasi dum attingo animal illud comparatè ad statum realem, non sit formalissimè ipsa realitas rationabilis, sed quia animal in statu intentionali, & prout repræsentatur est objectum tale, ut in illo prout repræsentato non respondeat rationale, adeoque non tantùm illa cognitio animalis nequeat repræsentare nobis rationale, sed & neque ipsum objectum prout repræsentatum; quod est animal, illud repræsentare valeat, id quod probant ab experientia, nam anima in se experitur, sibi tunc non magis repræsentari rationale sub objecto, quod est animal, quàm sibi non repræsentari lapidem, cùm non magis certificetur de rationali, quàm de lapide, etsi rationale in statu reali extra intellectum sit identificatum alteri. quæ explicatio coincidit cum illa quæ fit in ordine ad statum realiter intentionalem dicendo admittendas esse præcisiones objectivas non quidem in statu reali extra intellectum, sed in statu intentionali intra illum, ita ut vi speciei intentionalis formatæ ab intellectu agente repræsentetur una objectiva perfectio, absque eo quod ab & in eadem specie repræsentetur alia formalitas eidem alioquin in statu reali identificata, sicque habeatur præcisio objectiva in objecto, prout est in specie, quod est, in statu intentionali esse, nimirum quatenus speciem intentionalem intellectus refundit in objectum non positivè, sed negativè se habendo in expressione circa alias formalitates, cùm enim non habeat speciem, quæ sit omnium repræsentativa formalitatum objecti, sed plurimæ manent illi adhuc occultæ, cõsequenter intellectus producit speciem, quæ hanc, non aliam repræsentat formalitatem, quod totum idem est, quod dicunt alii, unde & distinctis, & iisdem argumentis singulorum doctrina refutari potest. *His prænotatis*, sit

ASSERTIO I.

Dicendum est nullas omninò dari præcisiones intentionaliter objectivas, id est, in statu reali intentionali medio inter purè formalem & purè realem objectivum, quod à potiori attendendo ad terminos quibus utuntur nonnulli, dicendum est de præcisionibus objectivis, quæ in ordine ad prædicata secundo-intentionalia per solam æquivalentiam logicam ad plura explicantur.

58 Non disputamus in præsenti an intellectiva potentia de uno prædicato possit certificari, absque eo, quod illo modo verificetur de altero, quod cum illo extra intellectum in statu reali realiter est identificatum, hoc enim certum est præsertim in schola nostra, cùm enim intellectus non sit formativus perfectioris speciei, quàm sit illa, quæ repræsentat id, quod vel apprehendit, vel quousque per discursum venit, non autem apprehendendo & discurrendo eousque perveniat, ut penetret omnes objecti rationes, fit, ut dum v. g. format speciem intellectualem impressam animalis, non statim formet etiam speciem rationalis, alioqui posset imò deberet illa species vicaria animalis necessariò tam repræsentare & virtualiter cognoscere rationale ac animal, de eoque certificari ac de animali, quod patet esse falsum, non inquam de hoc disputamus, sed an præcisio objectiva nihil aliud sit quàm intentionalis repræsentatio unius prædicati, quo non repræsentatur aliud ad statum intentionalem, quomodocunque spectans, idque hic impugnandum suscipimus.

Contra quod est.

59 *Præcisio non est reflexiva* Primò animal in statu intentionali, & prout repræsentatur, objectum esse, nihil aliud est, quàm vel ipsa cognitio, in qua illud dicitur habere esse intentionale, tanquam repræsentatum in repræsentante, vel est animal ut actu cognitum, & sic tantum dicit denominationem, quæ resultat in objecto ex actuali cognitione, nam esse cognitum vel esse repræsentatum sive objectum cognoscatur, ut est in seipso, vel aliter ac sit in seipso, importat denominationem cogniti ex terminatione cognitionis ad illud, neque datur aliud idolum intentionale ab actu cognitionis & ab objecto prout consideratur in statu reali distinctum; atqui præcisio animalis, non terminatur neque attingit cognitionem, neque est reflexiva super seipsam, proinde nec etiam terminatur ad animal ut cognitum, seu secundum esse intentionale & objectivum, quod habet ex vi cognitionis, ut repræsenta-

sentatum in repræsentante, quia sic necessariò esset reflexiva super seipsam, imò nec esset præcisio objectiva quæ se teneat ex parte objecti, sed ex parte intellectus, in quo uti subjectivè ita & terminativè esset cognitio, in qua haberet animal suum esse intentionale, ergo licet cognitio denominet objectum, minimè tamen illa terminatur ad illud ut cognitum, sed ut est à parte rei.

Confirmatur: Manifestum est, quod aliud sit cognoscere animal, aliud cognoscere animal esse cognitum, primum namque fit per actum directum, aliud autem per actum reflexum; ergo similiter aliud est præscindere animal à rationali, & aliud cognoscere illud esse à rationali præcisum, quod secundum, sine actu reflexivo fieri non potest.

60 *Secundò*: Intentionale animalis non est idem cum esse intentionali rationalis, cum juxta hujus opinionis principia, distinctio virtualis inter animal & rationale est in ordine ad prædicata intentionalia, quæ inter se sunt realiter distincta, saltem eo modo, quo realis distinctio positivè applicari potest servatâ proportione, entibus rationis, vel saltem eo modo, quo esse intentionale seu esse repræsentatum, quod refundit intellectus in objectum, realiter negativè distinguitur à non esse repræsentato, vitaliter cognitum à non vitaliter cognito: nimirum licet intellectus non separet positivè in objecto unam formalitatem ab alia, tamen se habet negativè in expressione circa alteram, ita ut dum hoc præstat non habeat speciem, quæ sit repræsentativa earum formalitatum, quas non attingit, ut supra statim; *atqui* inter realiter positivè aut realiter negativè distincta non est propriè præcisio unius formalitatis aut virtualitatis ab altera virtualitate aut formalitate, loquendo de præcisione animalis à rationali, prout propriè de illa agitur in proposito, ut præscindantur ea, quæ prius vel mediatè in tertio, vel immediatè inter se realiter sibi identificentur secundum esse materiale & subjectivum, manifestum est autem, quod sicut cognitio non identificatur realiter cum objecto secundum esse materiale, ita nec esse intentionale & repræsentatum esse per illam, quare nihil præstatur ad propriè dictas præcisiones ex parte objecti, neque sufficiet dari in ordine ad illa intentionalia distinctionem virtualem inter animalitatem & rationalitatem æquivalentem reali, nam hoc est æquivalere duabus rebus realiter distinctis & terminandum unam cognitionem, & non ad alteram, non est autem propriè objectivè præscindere defectu identitatis realis.

61 *Tertiò* ex contradictoriis: Posito, quod affirmentur omnes formalitates in objecto identificari realiter & formaliter ex natura rei seu in statu reali & tamen convenire ei contradictoriè *cognosci*, non *cognosci*, *terminare* hanc cognitionem, *non terminare*, hanc cognitionem, *respondere* & *non respondere* ex parte objecti, hoc ipso, dum dicitur, non de eodem verificari contradictoria, dicitur de eodem verificari contradictoria, quia affirmantur de subjecto & formalitate realiter & formaliter ex natura rei indivisibili, quod involvat duo contradictoria intentionalia cognosci & non cognosci, quæ non minus quantum ad inferendam veritatem, ut bene ostendit *Arriaga* disp. 5. Logicæ *sect.* & *subsectione secundâ*, sunt repugnantia ac sui destructiva, quàm currere non currere, existere non existere, utrumque siquidem includit esse & negationem ejusdem esse, quæ negatio, cùm sit malignantis naturæ, prorsus destruit esse sibi oppositum, estque tam magna contradictio secundo intentionalium quàm primò intentionalium & realiter intentionalium quàm purè realium non intentionalium, omnis siquidem contradictoria est maxima, nec quoad hoc, id est, quoad veritatem inferendam suscipit minus: si ergo currere & non currere nequeant verificari de eodem, nec de eodem cognosci & non cognosci, respondere ex parte objecti; & non respondere, cum enim tota vis contradictionis non consistat in ratione intrinseci & extrinseci, sicut nec consistit in ratione spiritualis & materialis, sed in conjunctione seu identitate & negatione identitatis ejusdem prædicati cum subjecto, est una eademque ratio tam secundo- & realiter- quàm primo- & purè- intentionalium. Quare non valet responsum, quod detur virtualitas in creatis ad *cognosci* & ad *non cognosci*, eò quod sint intentionalia, non tamen ad *currere*, *non currere*, quia in creatis non detur talis virtualitas in ordine ad prædicata purè primo- intentionalia, non, inquam, valet, tum quia talis virtualitas, si daretur, non confert, ut idem aliquo modo cognoscatur, & nullo modo cognoscatur: ergo nec confert eidem cognosci & non cognosci, sicut enim nullo modo cognosci, excludit cognosci; ita non cognosci idem, excludit cognosci idem: *conseq. prob.* tam non potest realiter & formaliter ex natura rei idem subjici per partes prædicatis extrinsecis & secundo- intentionalibus, quàm prædicatis intrinsecis, *atqui* secundum hos Auctores in ordine ad subjici prædicatis primo- intentionalibus & intrinsecis subjectum non habet virtualem distinctionem, ergo nec in ordine ad subjici per partes prædicatis extrinsecis & secundo- intentionalibus. *maj.* prob. quia impossibile est, objectum unum & prorsus indivisibile qualecunque demum fuerit, cùm sit instar puncti habere virtualem multiplicitatem ad hoc, ut secundum aliquid sui attingatur, & secundum aliquid sui non attingatur, cùm sic non esset objectum idem præcisionis, de quo quæritur, an possit præscindi ex natura rei formaliter & realiter indivisibile, sed divisibile quasi in diversas partes & realitates à se mutuò præscindibiles, ergo non stat cum reali & formali ex natura rei indivisibilitate objecti præcisio objectiva, seu quod in idem abit, non stant simul respectu ejusdem verifi-

Contradictio nō suscipit minus.

verificabilitas duorum contradictoriorum & indivisibilitas realis & formalis ex natura rei, quia esset respectu ejusdem identificari esse cognitum, & non esse cognitum, esse repræsentatum & non esse repræsentatum, atqui hoc ipsum sequi ex opinione opponentium, adeoque dum dicunt, non de eodem verificari duo contradictoria, eo ipso quod implicat, verificarentur.

Confirmatur primò: Cognito animali hominis non cognosceretur, inquiunt rationale, atqui hoc ipso non cognosceretur animal: quia cùm animal sic cognitum ex mente opponentium, refundatur in objectum, verus sit ille syllogismus expositorius, hæc entitas quæ est animal est rationalis, at rationale est non cognitum, ergo hæc entitas est non cognita, proinde cum à sensu infinitante arguere licet ad negativum, verum est quod hæc entitas quæ est animal non est cognita, sicut in simili, si homo est non lapis, verum est dicere, ergo non est lapis. *Secundò* ex mente & doctrina opponentium vera est hæc propositio: animalitas est rationalitas, quia secundum hos Auctores, rationalitas est affirmabilis de animalitate, & prædicatum est de per se intellectu subjecti. item juxta eorundem doctrinam vera hæc est propositio: animalitas est realiter repræsentata ex parte objecti cognitione A, cujus contradictorium tamen verificatur de rationalitate, quæ est formalissimè animalitas, quia verum est: rationalitas non est realiter repræsentata ex parte objecti cognitione A, ergo aliquod ens creatum includeret verificabilitatem duorum contradictoriorum & simul realem & ex natura rei formalem indivisibilitatem sive omnimodam identitatem, ergo à primo ad ultimum, verificantur duo contradictoria, quando dicunt illa non verificari.

Ad hæc indubiè respondebunt allata argumenta probare de objecto, prout consideratur in statu reali, secus ut consideratur pro statu intentionali, in quo inadæquatè concipi valet una formalitas, non conceptâ alterâ, unde facilis est responsio ad syllogismum expositorium distinguendo majorem: hæc entitas est rationalis, sumpta adæquatè conceditur, sumpta inadæquatè negatur minor, distinctoque conformiter consequenti, negatur consequentia: sumpta enim inadæquatè hæc entitas dicit animalitatem, quæ non est de per se intellectu rationalis, esto si adæquatè accipiatur esse rationale sit de formali conceptu, seu de per se intellectu illius, & de illa sic accepta falsum est, quod secundo loco dicitur, quod de rationalitate non possit dici: rationalitas est realiter repræsentata ex parte objecti cognitione A, qua repræsentatur animalitas, licet non sit realiter repræsentata, prout consideratur in statu intentionali, quia in statu reali repræsentari, non repræsentari, cognosci, non cognosci cognitione A, comparantur cum unica formalitate, proinde benè concludunt argumenta de objecto sic considerato, in statu autem intentionali comparantur non cum una, sed cum pluribus, quo pacto nihil probant, sed

Contra primò jam supra actum est, quod cognitio præscindens animal à rationali non debeat attingere animal secundum esse objectivum ac intentionale. Secundò supposità hâc doctrina, quod animal in statu reali sit de per se intellectu rationalis, hoc enim pacto vera est hæc apud ipsos: *animalitas est rationalitas*, jam dum concipis pro statu intentionali animal ut distinctum à rationali, non concipis illud ut objectum doctrinale, sed ut suo objecto, prout est, difforme: *quod probatur*: conceptus disjungens remerè, id est, absque ullo fundamento in re formalitatem, quam dicit vivens sensitivum Petri à formalitate, quam dicit rationale, aut esse discursivum Petri, seu qui indivisibile in partes, resolvit in partes, non est doctrinalis, sed fallax & difformis objecto, prout est à parte rei, atqui conceptus illi inadæquati quo conciperetur animal sine differentia rationalis in Petro & vicissim, sunt prorsus sine fundamento in re, soloque iisdem præscinduntur mutuò inter se vivens sensitivum & rationale in Petro, ergo &c. maj. patet, min prob. tale fundamentum in re esset æquivalentia quam statuunt ad plura realiter distincta, seu distinctio virtualis in ordine ad prædicata secundo-intentionalia (cum rejiciant non solum illam virtualem distinctionem Scotistarum, sed & virtualem Thomistarum, qua licet non præcedant in objecto formalitates ex natura rei distinctæ, ut philosophantur Scotistæ, præcedunt tamen ut distinctæ virtualiter & fundamentaliter, à qua virtuali pluralitate objectorum pendet pluralitas actuum, cum isti actus tendant in illa objecta, non quidem ut unum realiter & formaliter à parte rei, quia sunt actus confusi & inadæquati, sed ut virtualiter plura & distincta, & ratione istius distinctionis virtualis in objecto præcedentis salvantur præcisiones objectivæ per intellectum factæ, de quo pluribus infra) atqui talis eorum æquivalentia seu distinctio virtualis ad secundas intentiones nequit subire fundamentum in re, tum quia purâ & puta fictione introducta est, ut ostendetur *Controv. seq.* 3. tum etiam quando dicunt rationem animalitatis præcisam à rationalitate propter virtualem suam distinctionem, quâ dividunt ens realiter, fundamentaliter & formaliter à parte rei indistinguibile, in secundo-intentionaliter distinguibile in adæquatum & inadæquatum, conformari objecto inadæquatè sumpto, est dicere illam rationem conformari homini secundo-intentionaliter spectato: proinde tunc præcisio objectiva non conformatur objecto prout est, ergo erit fictitia & falsa, quia veritas dicit conformitatem cum objecto prout est, si autem conformetur homini primo-intentionaliter spectato, jam vel redit argumentum de contra- 62

contradictoriis, de non posse simul idem cognosci, & non cognosci, quod strenuè urget *Arriaga* l. c. & ab *Oviedo* in eorum Schola, qui negant omnem in objecto creato distinctionem intrinsecam à parte rei, ejus solutio desperata & insuperabilis censetur, vel certè concedendum Scotistis nemine cogitante in objecto interanimalitatem & rationalitatem repetiri distinctionem aliquam, aut saltem Thomistis suam fundamentalem seu virtualem in objecto praecedentem ad posse cognosci, & non cognosci respectu virtualiter plurium negare non possunt, cum sicut certum est ex se non inesse in Petro v. g. illam partialitatem seu rationem animalitatis actu praecisam, ita nec inerit ex se fundamentum praescindendi illam, sed per intellectum fingentem & affirmantem distinctionem aut saltem apprehendentem tanquam non eadem ea, quae sunt verè idem realiter & formaliter à parte rei.

Arriaga. Oviedo.

63 *Confirmatur* & probatur aliter ex ipsis principiis opponentium. Illic nullum datur praescindendi fundamentum, ubi nulla est distinctio virtualis, illic autem nulla est distinctio virtualis, ubi nulla aequivalentia ad plura, ubi nulla reperibilitas unius formalitatis sine alia, atqui in conceptu animalitatis Petri & conceptu rationalitatis Petri ex parte objecti nulla est reperibilitas unius formalitatis sine alia magis, quàm inter conceptum animalitatis & animalitatis, & conceptum rationalitatis & rationalitatis: ergo illic nullum datur praescindendi fundamentum: sorites in majori continet ipsissimam eorum doctrinam. min. prob. quando concipitur animalitas Petri, cum nulla detur per hos Auctores distinctio ex natura rei neque cogitante necessariò concipitur Petrus prout principium actuum sentiendi, & quando concipimr rationale, iterum necessariò concipitur ipse Petrus pro ut est principium actuum ratiocinandi: sed ibi non concipitur aliud ex parte objecti in animalitate, aliud in rationalitate, cum utrobique secundum hos ex parte objecti etiam quà cogniti & repraesentati respondeat Petrus & nihil aliud sit animalitas, quàm ipse Petrus, qui etiam est rationalitas.

Frustra hic repetunt responsum coincidens cum mox allato dupliciter posse spectari animalitatem Petri, quae est à parte rei, non pro ut est à parte rei: sed prout substat nostris conceptibus. Animalitas itaque, quae est à parte rei, pro ut est à parte rei, non potest praescindere à rationalitate, nam cognitio animalitatis est in sensu reali & formali ex natura rei seu intrinsecè rationalitatis, in sensu enim reali per identitatem omnimodam animalitas illa est rationalitas, ideoque utrobique, ut objectio probat, respondet illi idem Petrus ex parte objecti. Verum animalitati Petri, quae est à parte rei, spectatae tamen, non pro ut est à parte rei, sed pro ut substat nostris secundis intentionibus, non respondet idem Petrus, sed ab ipso praescinditur, cum objectivè sic sumpta praescinditur à rationalitate. Ratio est, quia animali in statu intentionali, & pro ut repraesentatum est, non respondet rationale, proinde animalitas & esse repraesentatum inter se objectivè praescindunt, neque enim in repraesentato animalis relucet rationale, & hoc est esse praescindibile beneficio virtualis distinctionis in ordine ad praedicata intentionalia.

Contra hoc primò redit argumentum supra n. 59. & 60. nam ratio repraesentationis quae consistit in hoc denominato, quod animal est repraesentatum in cognitione repraesentante, indubiè distinguitur à rationalitate, ut mox amplius infra, sed ibi non est propriè praecisio objectiva, quod se teneat ex parte objecti, cui competit praecisio, quin potius se tenet ex parte actus, in actu siquidem relucet esse praesentatum, ex quo resultat denominatio in objecto; quod & habet esse praecisum, vel pro ut concipitur ab opponentibus animalitas Petri in sensu intentionali, vel est eadem, quae est animalitas Petri in sensu reali, vel non est: *si primum*, quod sit eadem utrobique animalitas, sequeretur duo contradictoria intrinseca in ipsa cognitione. *Sequela* prob. eadem cognitio, quia est expressiva animalitatis est in sensu reali secundum re quoque expressiva rationalitatis, cognitio animalitatis autem in sensu intentionali, esto sit eadem animalitas repraesentata, non est expressiva rationalitatis, ergo huic cognitioni convenirent duo contradictoria intrinseca respectu ejusdem termini. *Si secundum*, quod non sit eadem animalitas Petri in statu intentionali, quae est in statu reali, jam fit manifestum, fictitium non verum esse objectum, de quo quaeritur, an subeat praecisiones objectivas, cum objectum respondens praecisioni & relucens in illa, non est tale, prout est à parte rei, & haec propositio, objectum ad se comparatum, pro ut est à parte rei, est rationalitas, est vera; ista verò, objectum si sumatur pro ut est in statu intentionali, & pro ut relucet & respondet cognitioni, propositioni &c. est rationalitas, falsa est; quare prima vera, & altera non vera, nisi quia in hac non reperitur idem objectum, sive quia objectum ut est objectivè in intellectu difforme à seipso, ut est in statu reali, in quo intrinsecè ne quidem fundamentaliter aut virtualiter à parte rei à seipso divisibile esse volunt?

Quartò probari potest Assertio & est confirmatio dictorum n. 59. & 60. praecisiones objectivas, inquiunt, dari inter formalitates pro statu intentionali & objectivo; quaero itaque, vel est, vel non est animalitas Petri pro statu intentionali concretum ex entitate Petri, quae est à parte rei & cognitione praecisivâ respondente huic voci *animal*, similiter rationalitas pro statu intentionali vel est, vel non est alterum concretum ex eadem omninò entitate Petri, quae est à parte rei & cognitione praecisivâ respondente huic voci *rationale*. Si est tale concretum, & animalitas & rationalitas in statu intentionali, ergo cum duo illa concreta sint à se realiter distincta inadaequatè ratione cognitionum praecisivarum, dum dicunt, dari praecisiones objectivas inter animalitatem & rationa- 64

tionalitatem pro ſtatu intentionali, non verò purè reali, ſenſus emerget, quod inter concreta diſtincta realiter dentur præciſiones objectivæ, quia negant dari inter formalitates realiter adæquatè identificatas, ſic enim in ſtatu reali non magis præſcinditur animalitas à rationalitate, quam animalitas ab animalitate, atqui talis ſenſus ut ſupra vidimus eſt prorſus ineptas ad præciſiones, nemo enim negabit de hujuſmodi poſſe verificari contradictoriè cognoſci & non cognoſci:

Si non eſt tale concretum, ſeu non intelligatur per ſtatum intentionalem animalitas & cognitio, id eſt, ut non intelligatur per animal in ſtatu intentionali ſpectatum concretum in vivente ſenſitivo & cognitione ſupereſt, quando aſſerunt pro ſtatu intentionali dari præciſiones objectivas, intelligatur ſolum objectum, quod eſt à parte rei, jam cum illud, ut aiunt, non ſit reſpondens adæquatè, ut eſt à parte rei, ſed inadæquatè, ut poſſit competere uni formalitati eſſe cognitum & alteri non eſſe cognitum, ergo ſequetur, quemadmodum nequeunt identificari contradictoria intentionalia, ita nec formalitates, pro ut ſunt à parte rei, quibus competunt illa. *Sequela* prob. cognitum, non cognitum ratione ejuſdem formalitatis intra eandem entitatem realem v.g. virtualitas animalitatis cognita, & virtualitas animalitatis non cognita, inter ſe in Petro identificari non poſſunt, atqui in propoſito animalitas & rationalitas in doctrina eorum à parte rei ſe habent, ut ſola animalitas & animalitas, cum ſicut animalitas ſola, ita illæ realiter & formaliter à parte rei ſunt eadem realitas, & tamen ſunt cognita & non cognita, ergo pro ut illis in ſtatu reali competit cognitum eſſe, & non cognitum eſſe identificari non poſſunt. *Dato ergo*, quando dicunt dari præciſiones pro ſtatu intentionali, quod intelligatur objectum, quod eſt à parte rei, immeritò dicunt illud inadæquatè reſpondere cognitioni, cum illa inadæquata attingentia objecti ſecundum ſe quæ *eſſe* & *non eſſe* involvit, non ſtet cum identitate, quam prætendunt, reali & formali ex natura rei reſpectu ejuſdē objecti. Et quia denique ad Connotata confugere poſſunt.

Reſpondebunt, repugnate quidem animalitatem cognoſci, quo ad hæc connotata, & non cognoſci quo ad hæc connotata, nec hæc duo identificari poſſunt, & tamen poteſt cognoſci animalitas quo ad hæc connotata, non cognoſci rationalitas quo ad hæc connotata, poſſuntque hæc duo inter ſe identificari, præciſiones itaque objectivas attendendas eſſe ad diverſa connotata. *Effugiū.*

Contra, præterquam quod agamus hic de objecto per ſolam æquivalentiam ad plura explicato, non per connotata, de quibus infra ſuo loco, tamen de hoc ipſo manet eadem difficultas, nam quæro, cur una poſſit cognoſci quo ad hæc connotata, & non cognoſci quo ad hæc connotata, neque ſic identificari, & tamen ejus contradictorium concedatur, ut poſſit cognoſci animalitas, quo ad connotata, & non cognoſci rationalitas quo ad hæc connotata, & ita inter ſe identificari, cum eandem in recto dicant hæc duo realitatem realiter & formaliter à parte rei indiviſibilem, ut ſit idem prorſus animalitas, quod eſt rationalitas ex parte objecti. Deinde connotare hunc actum ſentiendi & ſic cognoſci, & non connotare ſicque non cognoſci, ſunt contradictoria, quæ à parte rei verificantur in Petro de animalitate & rationalitate, quæro, quare unum de uno verificatur & non de alio, & quidem ad connotata alia recurrere non potes, quia ſic abiretur in infinitum in connotatis, dum ergo nihilominus dicis illas formalitates, quatenus illis competunt illa contradictoria, eſſe à parte rei formaliter indiſtinctas, ſive cognitioni de animali reſpondere ex parte objecti in recto animal rationale, & cum hoc, quod ex parte objecti fiat præciſio unius ab alio, reapſe concedis uni & eidem indiſtinctæ realitati competere eſſe cognitum & non eſſe cognitum, quod eſt impoſſibile, vel quæ ſunt realiter & formaliter à parte rei idem, inter ſe diſidentificari debent, ut probatur in argumento, quod aliunde conſtat ſimiliter fieri non poſſe. *Rejicitur.*

ASSERTIO II.

Dicendum multo minus dari poſſe præciſiones objectivas ſeu ex parte objecti, de quo omnis à parte rei diſtinctio, id eſt, tam Scotiſtica, quam Thomiſtica, & quæcunque alia virtualis intrinſeca in ordine ad prædicata phyſica & primo intentionalia, quæ ſit fundamentum in re præcedens intellectum præſcindentem unam ab alio, ſimpliciter negatur.

65 HÆc Aſſertio, eo ſuppoſito, quod ne quidem virtualis admittatur diſtinctio in objecto, validè prob. ab *Arriaga Sect.2. cit.* ſub n. 2. ſcilicet non minus contradictoriè, ſubaudi tamen, quo ad veritatem, non quo ad diſtinctionem inferendam, aliqua enim inferunt diſtinctionem ex natura rei formalem, aliqua econtra tantum diſtinctionem rationis juxta contradictionis conditionem, cui commenſuratur diſtinctio, non minus ſcilicet in hoc ſenſu contradictoriè opponuntur *cognoſci* & *non cognoſci*, *reſpondere* & *non reſpondere* ex *Arriaga.*

parte

parte objecti, quàm *existere & non existere, produci & non produci*: sed repugnat animalitatem hominis existere & non existere ejus rationalitatem, item produci animalitatem & non produci rationalitatem, ergo etiam implicat cognosci animalitatem & non cognosci rationalitatem, & respondere ex parte objecti animalitatem, quin respondeat rationalitas. *Consequentia* est evidens, *minor* similiter, quia inter res, quæ non distinguuntur realiter, non potest una produci, & alia non produci, saltem in creatis: probat *majorem*, in quâ vertitur tota vis argumenti, existere & non existere opponuntur contradictoriè, quia illa particula *non* cadens supra verbum, negat idem, quod per illud fuerat affirmatum, negatio autem formæ & ipsa forma opponuntur contradictoriè, & repugnant inter se, sed non cadens supra verbum cognosci, eodem modo prorsus negat cognosci, ac cadens supra verbum existere cum non existere; ergo sicut animalitati non potest convenire existentia, ita neque poterit animalitati convenire cognosci & rationalitati non cognitio seu negatio cognitionis. Hactenus *Arriaga*, & prosequitur fusè, & nos ad illum modum supra n 6. argumentati sumus contra Æquivalentianistas.

66 Probatur Assertio secundò: Si nulla detur distinctio intrinseca inter animal & rationale, jam ita se habebit cognitio animalis ad rationale, sicut se habet cognitio hominis comparati ad animal rationale, atqui animal rationale & homo, ex eo quod non detur inter illa etiam talis distinctio, non præscindunt objectivè, ut si rusticus judicaret quidē, Petrū esse hominē, sed non esse animal rationale, talis non præscinderet objectivè defectu prætactæ distinctionis: ergo nec animal à rationali. *min.* patet, *seq. majoris* prob. sicut cognitio, quâ cognoscis animal rationale, non est præcisiva hominis, ita nec cognitio animalis ejusdem præcisiva à rationali, tam enim secundum te per rationale ex natura rei formaliter & realiter importatur homo, quàm per animal rationale, ergo æquè parum potest præscindi animal à rationali, quod importat homo, esset enim præcisio realiter hominis ab homine huc faciunt argumentum allatum supra n. 61. ante §. *Respondebunt*, cui adde cum *Oviedo* absolutè implicantiam esse, ut prædicatum animalis terminet hanc numero cognitionem, & non illam terminet prædicatum rationalis, puta quia nulla inter illa prædicata admittitur distinctio virtualis ex natura rei: ergo & implicat animal objectivè præscindi adeoque cognosci per hanc numero cognitionem, & non cognosci rationale, cum ex parte objecti attingatur indivisibiliter tota humanitas, sitque idem objectum non solum materialiter, sed & formaliter, id est, excludens diversa objecta formalia juxta varietatem formalitatum ejusdem rei, consequenter dum cognitio ad unam terminatur formalitatem quæ à parte rei sit eadem cum illa, terminatio autem fiat à parte rei utique ad aliam quoque terminare debebit, alioquin eadem realiter simul cognosceretur & non cognosceretur, terminaret & non terminaret eandem cognitionem, terminaret ex suppositione, non terminaret, quia cognitio non terminaret ad aliam realitatem omninò ex natura rei identificatam cum illa. Plura de his, & an idem sit de terminatione physicæ unionis & productionis, ac de terminatione cognitionis, ut vult *Arriaga* & *Oviedo* quæstione 3. seq. quatenus militat contra nostram doctrinam, declarabitur.

QUÆSTIO II.

An, & in quo sensu præcisis connotatis objectivas præcisiones explodi contingat?

SUMMARIUM.

1. *Quo intellectu doceant Nominales, quod non possint præcisis connotatis dari præcisiones objectivæ in homine. n. 67.*
2. *Præcisis connotatis non dantur præcisiones ex parte objecti in connotante indivisibiliter eodem. n. 68.*
3. *Intellectus practicus quî distinguatur à speculativo, judicativus ab apprehensivo &c. n. 69.*
4. *Præcisis connotatis, quæ in connotante intrinsecam supponunt distinctionem non exploduntur præcisiones objectivæ. n. 70. & 71.*
5. *Enervatur responsum* Arriagæ, *&* Nominalium *opinio refutatur. n. 72.*
6. *Inverisimile esse, aliquid denominari à cognitione, & non esse actum cognitionis circa illud.* ibid.
7. *Convincuntur præcisiones sine connotatis. numer. 73.*

67 *Status quæst explicatur.* Affirmatè philosophantur *Nominales* strenuè contendentes non posse connotatis præcisis in homine cognosci [nec consequenter præscindi objectivè] animal v. g. sine rationali, ac ita neque, in quo consentiunt Nominalibus *Connotatistæ*, animal ab illo ex parte objecti seu ex natura rei distingui, sed necessariò cognitioni animalis ex parte hominis respondere in recto animal rationale, & omnia alia, quæ sunt idem realiter cum illis, ut ille actus proinde nulli formalitati det denominationem cogniti immediatè & formaliter, quin forma-

formaliter & immediatè eandem non det etiam toti entitati hominis, quâ ratione itaque animal terminat cognitionem illam, eadem non minus terminet eandem rationale, risibile & omnia alia prædicata usque ad ultimam rationem individui, Petreitas tam immediatè omnesque aliæ intermediæ formalitates sint cognitionis illius terminus, sc ipsum animal, esto cognitiooi animalis correspondeant ex parte obliqui connotati sensationes & operationes communes homini & bruto, quæ sunt causa objectiva, ob quam cognitio illa totum hominem denominat solum animal, non rationale, eo salvo, quod cognitio de animali à parte rei habeat idem objectum, nempe totum Petrum, ac cognitio de rationali quæ in obliquo attingit discursum &c. sic fermè Hurtado ex Nominalibus & alii, qui nostrum *Occam*, non *Scotum* sapiunt.

ASSERTIO I.

Omninò dicendum, non dari præcisis connotatis præscissiones tales, quas q. sup. si tales propter connotata admittendæ forent, diximus esse præcisiones latè & impropriè dictas, & fundantur in distinctione actuali extrinseca penes jam dicta connotata realiter diversa, id est, ut illud, quod dicit connotatum in recto tanquam subjectum se habens per modum materialis non distinguitur intrinsecus nec realiter, nec actualiter nec virtualiter seu ex natura rei, sed solum actualiter extrinsecus in connotatis, à quibus præscinditur.

68 NOo est nobis investigandum an terminus connotativus significet rem relativam, ut relativa est, sed vide de hoc, si placet *Poncium* in sua Logica parva c. 2. n. 14. & *Mastrium* p.p. Instit. Tract. 1. c. 3. n. 10. cum dicto *Poncio* de hoc disputantem, vide item quæ dicemus Cont. 6. q. 1. Obiter tamen ante probationem hujus Assertionis ex mente opponentium præmitto, omnis quatuor hæc: *Connotans, Connotatum, Connotatio & Connotativum* satis explicari, si observes, *primò* quod connotans est subjectum, cui tribuitur connotatio, quando enim advenit id, quod connotatur in obliquo, sive illud sit quid positivum reale, sive modale, sive aliud, tuoc nova oritur denominatio, ut v. g. quando est refectio & advenit tempus vespertinum, in refectione illa surgit nova denominatio & novum connotatum, ut refectio illa vocetur cœna, si verò sit alia diei hora, vocatur vel prandium vel merenda vel jentaculum &c. Unde connotatio duo dicit, unum in recto, estque ipsum denominationis variæ subjectum habens se per modum materialis, & aliud in obliquo habens se per modum formalis, eo quod posito illo obliquo subjectum ad novam determioatur denominationem, illud formale autem dicunt esse quid extrinsecum, illud verò quod dicitur in recto, esse quid intrinsecum, sic v.g. intrinsecum est cœnæ, refectio seu sumptio cibi, extrinsecum quid tempus vespertinum, quamvis intrinsecè & necessariò requisitum. *Connotans* itaque est id quod connotat, seu cui tribuitur connotatio. *Connotatum* est connotationis objectum seu quod connotatur. Connotatio est ipsa ratio *quo* connotatur, seu formalitas connotandi. *Connotativum* denique, quod hæc omnia complectitur. Per connotata realiter inter se distincta, id quod connotatio dicit in recto, actualiter extrinsecùs distinguitur, minimè intrinsecus, cum sit distinctio in ipsismet connotatis, an autem rectè id generatim teneant connotatistæ, v. g. dum docent de homine in Petro v. g. noo præscindi, prout principium actuum ratiocinandi, à principio actuum sensandi per modum formalitatum metaphysicarum, sed ex modo concipiendi in ordine ad actus sensandi, & actus ratiocinandi patebit *Assertione secundâ*, & quæst. 3. bisce prænotatis, quoad præcisiones objectivas purè se tenentes penes connotata extrinseca.

Probatur Assertio ex allato exemplo, sic enim sumptio cibi quà prandium, distingui potest & præscindi à seipsa, quatenus cœna est, & hoc cubile, ut musæum præscinditur à seipso, si idem concipias ut oratorium. Idem ovum, quod est simile ut connotat alterum ovum, non est simile ut connotat pullum, ovum, ut connotat alterum ovum, vocetur A, quà conootat pullum, vocetur B, ubi licet A & B significent eandem entitatem in recto, propter illam tamen distinctionem connotatorum in obliquo A erit simile, B non erit, & sic vides idem esse simile & dissimile.

Probatur secundò & propriè de realitatibus indivisibilibus v. g. de intellectu creato, qui secundum eandem formalitatem à parte rei & per eandem prorsus virtutem & formalitatem est principium simplicis apprehensionis, judicii & discursus, & quatenus consideratur in ordine ad discursum, non habere eandem definitionem, quam habet ut consideratur in ordine ad judicium vel simplicem apprehensionem, consequenter sic potest sub diverso ordine ad hæc vel illa connotata distingui & præscindi à seipso. Intellectus similiter speculativus, non est alius quoad suam realitatem quàm practicus, & tamen in quantum practicus distinguitur à 69
seipso

seipso & præscinditur in quantum est speculativus. Eadem simplex albedo, prout assimilatur alii albedini, distinguitur & præscinditur à seipsa, ut dissimilatur, seu non assimilatur nigredini. Eadem simplicissima differentia, pro ut est divisiva generis, distinguitur & præscinditur à seipsa, ut est constitutiva speciei, Petrus ut prædicatum distinguitur à se ipso ut subjectum. Eadem simplex scientia v. g. Logices, si illa, ut multis placet, in una consistat indivisibili qualitate, ut respicit objectum tertiæ operationis mentis, distinguitur à seipsa ut concipitur ad primam vel secundam mentis operationem. Si denique rectè discurritur cum *S. Augustino* l. 6. de *Genesi ad literam* c. 16. & 17. de ipsâ scientiâ Dei, quæ ut respicit ea, quæ manent in classe necessariò possibilium, distinguitur à semetipsa pro ut respicit futura aut existentia, hinc sit duplicem in Scholis Theologorum celebrari scientiam Dei, scilicet, quæ appellatur *simplicis intelligentiæ*, & necessaria possibilium, & libera futurorum ac existentium, quæ *visionis* dicitur, non quod illæ aut entitativè, aut formaliter ex natura rei distinguantur, cum sint una tantum & simplicissima realitas, sed omnis diversitas hujus & aliorum, quæ recensuimus, est in connotatis, quæ in objecto fundant vel contradictoria rationis, vel contradictoria realia, per distinctionem realem à connotatis indirectè mutuatam, ita ut quando dicimus intellectum discursivum distingui & præscindi à seipso, ut est apprehensivus & judicativus, & practicum ut sic, non esse speculativum, neque econtra, tunc contradictio & præcisio non verificatur de facultate intellectiva nudè sumpta, sed considerata sub illa reduplicatione practici vel speculativi, & sub reduplicatione operationis discursivæ & apprehensivæ vel judicativæ, similiter simplex albedo & simplex differentia & alia similia, quæ possent adduci, propter diversas realiter actiones in eodem principio fundatas, vel propter diversas relationes, quas connotant, possunt non minus distingui & præscindi à seipsis qui m *Carolus V.* Imperator *Germaniæ* à seipso Rege *Hispaniæ*, & sicut distinctio & præcisio non in *Carolo* qui unus & idem homo est, sed in connotatis, *Hispania* enim à *Germania*, Imperium à Regno differt, ita est de aliis supradictis, sublatis autem hujusmodi connotatis, vel conditione reduplicationis cum distinctione reali eorundem soluta, manifestum est, non esse fundamentum amplius de illis admittendi præcisiones objectivas, quamvis & hæ, ut jam sæpè monuimus, quæ occasione connotatorum fiunt, impropriè sint præcisiones objectivæ, quod & patet consideranti.

ASSERTIO II.

Connotata, quæ referunt pluralitatem effectuum & quidem magis & minus nobilium ab eadem re producibilium, quales sunt v. g. sensationes homini & brutis communes, & discursus soli homini & Angelis proprii, & regulariter loquendo in connotante distinctionem supponunt aliquam priorem & intrinsecam, esto præscindantur, propterea nullatenus explodi possunt præcisiones objectivæ, quin si aliàs præcisiones objectivæ sint admittendæ, connotans ex intrinseca sua natura habet, ut unum principium ex parte objecti præscindi possit ab alio, citra ordinem ad diversa illa connotata.

70 *Ansa & occasio præscindendi unde?*

PRobatur, sicut res quæ habet multiplicem virtutem, non ideò habet illam, quia effectus diversi, sed ideò effectus diversi, quia sunt à principiis formaliter diversis; ita ex parte objecti non sit præcisio, quia illud connotat diversos effectus, sed quia effectus ab eadem causa provenientes, requirunt ex intrinseca rationum formalium conditione & diverso operandi modo in causa aliquam priorem distinctionem in principiis, quod ergo homo per animalitatem connotet sensationes, & per rationalitatem discursus, non tribuit ansam primò præscindendi illa, sed quia sunt formalitates alterius rationis. *Conseq.* patet, quia nulla posset afferri ratio, cur potius per animalitatem connotentur sensationes, quàm per rationalitatem, & cur per istam discursus potiùs quàm per illam. Dixi in *conclusione*, *regulariter loquendo*, nam *antecedens* ut probet, advertas, non intendi, quod semper per diversitatem effectuum multiplicari quoque debeant principia, cujus oppositum evidenter patet in exemplo de intellectu, qui secundum eandem simplicissimam realitatem est principium simplicis apprehensionis, judicii & discursûs, item in actibus voluntatis velle & nolle, actus siquidem distincti specie ex distinctione objectorum diversorum possunt esse ab eadem potentia, ut simpliciter opus non sit tantam distinctionem esse in principiis, quanta est in principiatis, sensus ergo est tunc tantum multiplicari debere, quando connotata & effectus ex rationibus suis formalibus priorem aliquam requirunt distinctionem intrinsecam in connotante, ita ut non solum in obliquo per connotationem sensationum & discursum in *Petro* v. g. unum negetur de altero, sed in sensu formali negatio cadat supra ipsas formalitates in rectò, verè dicendo, quod anima-

animalitas non sit rationalitas. Quo hic supposito, ex *Controversia* 8. de distinctione formali, ubi expressè de hoc

71 *Diversarum habitudinũ diversa fundamenta.*

Probatur Assertio secundò. Secundum te cognitio animalis attingit hominem in ordine ad operationes animales & genericas, non verò in ordine ad operationes rationales: ergo attingit rationem objectivam & intrinsecam, quæ fundat habitudinem ad illas operationes, & non fundat illam ad operationes differentiales sive rationales, & vicissim cognitio rationalis attingit hominem in ordine ad operationes rationales ad quas fundat habitudinem, & non ad genericas, atqui hoc fieri non posset, nisi extrema illa ex sua ratione intrinseca dicant formalitates ab invicem ex natura rei diversas adeoque admittant objectivas præcisiones, quid enim est attingere objectum in ordine ad aliquas operationes, & non in ordine ad alias, quàm per se attingere unam rationem formalem cum habitudine ad illas, & non attingere aliam rationem formalem cum habitudine ad alias.

Confirmatur: Animalitas secundum propriam rationem habet, quod connotet sensationes, rationalitas discursus, ergo animalitas secundum propriam rationem & ex parte objecti præscindit ab rationalitate: *Conseq.* prob. si enim idem sunt ex parte objecti, detur ratio, cur cognitio animalis sit potiùs cognitio illius objecti in ordine ad operationes animalis, & cur explicet illud per terminum *animal* potiùs, quàm per terminum *rationale*, & cur quidquid connotatur ab uno, non connotetur ab alio, cum secundum te utrumque eodem modo attingatur.

72 *Ariaga Effugium præcluditur.*

Rationem hujus tamen conatur dare *Ariaga* disp. 5. Log. n. 45. ubi assignat causam illius efficientem esse imperfectam speciem illius objecti desumptam ex operationibus communibus omnibus animantibus, causam verò intrinsecam & formalem esse ipsam differentiam specificam cognitionis, quæ ex se habet præsentare objectum cum hac potiùs claritate, quàm cum illa. Verùm insufficientiam utriusque causæ benè ostendit *Mastrius* in Metaphys. d. 6. q. 16. art. 1. n. 294. Primò quidem cum per *Nominales* eadem prorsùs entitas hominis eademque realitas sit causa efficiens operationum animalium & rationalium, non ostenditur quo titulo vel majori ratione potius species desumpta ex sensationibus pariet cognitionem animalis, quàm rationalis.

Secundò ex eodem fundamento identitatis objecti non subsistit assignata causa formalis intrinseca, differentia siquidem specifica cognitionum sumitur ex diversitate objectorum 2. *de Anima* 33. aut ex aliqua differentia se tenente ex parte objecti, quam illi juxta suam opinionem assignare nequeunt, cognitio animalis enim & cognitio rationalis juxta ipsas sunt ejusdem objecti à parte rei. Deinde quod addit, quod talis cognitio habeat repræsentare objectum, cum hac potiùs claritate, quàm cum illa potiùs confirmat præcisiones objectivas, cur enim, dicat *Ariaga*, una cognitio v. g. animalis dicitur minus clara, quâ cognoscimus hominem claritate minus distinctiva, nisi quia cognitio animalitatis respectu ejusdem objecti exprimit & manifestat unicum illud prædicatum animalitatis, & quæ in eo includuntur, prædicata autem inferiora differentias specificas individuales petreitatem & pauleitatem non exprimendo, an non hoc est objectivè præscindere? si pro placito tuo dicas, cognita animalitate cognosci quoque rationalitatem, adeoq; non præscindi ex parte objecti, sed ex parte actus, utpote quia propter minorem claritatem, non cognoscitur rationalitas ex parte actus, inverisimile dicis, quia non videtur esse verisimile, aliquid esse denominatum à cognitione, & non esse actum cognitionis circa illud, qui sit ratio formalis denominans illud, sicut nihil potest dici album sine albedine, nihil item potest esse album ut octo ex parte objecti, & non esse albedinem ut octo, esto esset ibi albedo ut duo, neque ut utar exemplo *Arriaga* d. c. n. 40. idem indivisibile punctum aëris rectè dicitur illuminatum ut sex, si careat luce ut sex, esto habeat lucem ut duo, nec unquam mihi persuadebis quidpiam oculo visum ex parte objecti, & non esse visum ex parte actus. Igitur ut verè dicatur aliquid esse cognitum ex parte objecti, debet habere rationem formalem constitutivam sui inesse cogniti ex parte objecti, qualis ratio constitutiva, ut patet, non est nisi ipsa cognitio, quæ secundum te non datur, quia ex parte actus confusi non cognoscitur rationalitas.

Concipi confusè & non concipi confusè contradictionem involvit.

Respondebis, quando *Nominales* dicunt propter minorem claritatem non cognosci rationalitatem, sensus non est, nullam esse cognitionem circa rationalitatem, cum illa sit ipsissima & formalissima formalitas animalis, quæ clarè cognoscitur, sed quod non sit cognitio clarè sed confusè solum expressiva rationalitatis. Contra non minus opponuntur inter se concipi confusè & non confusè, quàm concipi & non concipi, esse & non esse: sed si ex parte objecti rationalitas cognoscitur confusè & animal clarè & expressè, eadem simplex realitas conciperetur confusè, id est, clarè & expressivè, & non clarè & expressivè, quod implicantiam dicit. itaque concedere coguntur quando dicunt ex parte objecti aliquid confusè cognitum, & aliquid expresè cognitum, dari duas formalitates, adeoq; per actus confusos & expressos seu claros inciditur in præcisiones objectivas, quæ frustra negebantur: *conseq. patet*, quia si unam eandemque realitatem non possum concipere expressè & confusè, & tamen dico, *homo est animal*, clarè & expresè in prædicato percipitur animal, & confusè *rationale*, ergo consequens est, si non ante, saltem post mentis operationem duas ibi reperiri formalitates, consequenter præcisionem objectivam unius cum alio.

Nec juvat finaliter id quod in initio quæst. 73
sub n. 67. dicebatur, cognitionem animalis ideò claram esse, non confusam, quod illi correspondeant ex parte obliqui connotari operationes & sensationes homini & bruto communes, quæ sint causa objectiva ob quam cognitio illa

clarè

clarè denominet animal, rationale autem confusè quia nec sic evadunt præcisiones objectivas, operationes siquidem homini & bruto communes realiter identificantur cum operationibus propriis & specificis puta hinnitu & rugitu, latratu, boatu, ergo cognitio animalis in communi illas connotando attingens, non has; istas ab his objectivè præscindit, sed ibi non potes recurrere ad alia connotata quia præterquam ut *quæst. præced. n. 64*, quod iretur in infinitum in connotatis, & nunquam perveniretur ad cognitionem ullius rei distinctam, nisi occurrerent alia & alia connotata in infinitum, quod est contra experientiam, qua scitur aliquando non esse invenibilia vel explicabilia connotata in ordine ad quæ explicari conceptus rei confusus vel distinctus possit, & patet manifestè, quando cognoscitur ens in communi præscindendo ab homine & equo, id non oritur ex eo, quod connotata sive effectus hominis & equi ex parte objecti non attinguntur, cum cognitio entis per opponentes ex parte objecti cognoscat quidquid est ens, ac proinde etiam ipsa connotata hominis & equi, quæ ens sunt, ergo vel non est conceptus confusus omnium entium, sed distinctus, quod est contra Adversarios & experientiam, vel eatenus tantum confusus, quatenus attingit rationem entis secundum se, ipsas verò rationes distinctivas eorum inter se, quæ tales sunt, non attingit, adeoque præscindit ab illis objectivè.

QUAESTIO III.

Num in creatis præter formales præcisiones etiam objectivæ, quæ supra plures realitates ejusdem rei ab invicem, vel ex natura rei Scoticè vel virtualiter Thomisticè distinctas fundantur, admittendæ sint.

SUMMARIUM.

1. *Præcisiones objectiva in Schola* D. Thomæ *&* Doctoris Subtilis *receptissima. n. 75. & seq.*
2. *Exploditur Arriaga doctrina* ibid.
3. *Intellectus positus in circumstantia objecti conditionibus individuantibus in phantasmate involuti, non præscindit. n. 77.*
4. *Receptis semel speciebus ab intellectu à sensibus præscindit gradum à gradu. n. 77.*
5. *Admittere præcisiones ex parte objecti in Divinis & negare in creatis, cur non subsistet. n. 77.*
6. *Infinitas nil confert ad præcisiones, nec confert intellectu creato perfectionem intrinsecam ad præscindendum. n. 78.*
7. *Cuicunque conceptui formali correspondet conceptus objectivus. n. 79.*

Status quæstionis. Quæstione primâ controversia fuit inter Philosophos illos, qui simpliciter reales dicuntur, & illos qui reales Connotatistæ & ab opinionis suæ placito de distinctione per æquivalentiam Æquivalentistæ nuncupantur. Secunda quæst. quæ est præliminaris, seu velut pars ad hanc tertiam, in qua fit illius prosecutio, quoad secundam Assertionem versatur inter eosdem Connotatistas & Nominales cum Realibus simpliciter. Tertia hac quæst. restat ingens Controversia Nominales inter & Reales Philosophos eaque diu viguit, & usque modo in Scholis viget; num dentur inter gradus metaphysicos præcisiones objectivæ, quarum nomine, ut supra, reales intelligunt, quod intellectus ita eandem rem realiter indivisibilem una cognitione attingat secundum unam formalitatem, & non attingat illam rem secundum aliam formalitatem in eadem re formalitati priori realiter identificatam, sed objectivè præscindat ab illa. Nominales quidem concedunt præcisiones respectu solius actus cognoscentis, id est, formales, at absolutè negant, quidquam esse ex parte cogniti, quod correspondeat uni actui & idem non correspondeat alteri, simpliciter enim negant esse in objectis rationes quasdam aptas terminare actum unum absque eo, quod ab eodem altera objectiva ratio ullatenus attingatur, cujus oppositum invictè defendunt reales, quæ res cum potissimum dependeat à dicendis infra suis locis de distinctione virtuali & formali ex natura rei, illis distinctionibus hoc loco suppositis, sit

ASSERTIO

Omninò in hujusmodi creatis præcisiones objectivæ sunt admittendæ, nec unquam formales seu ex parte actus haberi possunt sine objectivis.

75 HÆc est receptissima tam in Schola D. *Thomæ*, quàm Subtilis *Scoti* contra *Nominales*, & supposita Thomistarum distinctione virtuali inter gradus metaphysicos v. g. genericum & specificum, animalitatem & rationalitatem, nullam omninò habet difficultatem, intellectus enim ratione illius distinctionis utens facultate sua præcisiva unum gradum præscindit & partitur ab alio, multò minus difficultatem habet in doctrina de distinctione Scotistarum, quam vide deductam q. seq. n. 80. quod in ea tales præcisiones objectivæ fundentur supra plures formalitates ejusdem rei ab invicem ex natura rei distinctas, nam nemo est qui neget admissa tali distinctione, posse concipi gradum genericum sine differentiali, tum quia unus gradus sit extra realitatem alterius, tum etiam, quia gradus animalis in homine est ex natura sua plurificabilis, non verò rationalitas, ergo non est utriusque ratio una & eadem, proinde nemo negaverit præcisiones se tenere ex parte objecti.

Objectio. Dices primò: Hæc doctrina potius tollit sententiam de præcisionibus tam formalibus quàm objectivis, quod probatur: nam oportet ut formalibus correspondeant præcisiones objectivæ, sed supposità *Scoti* opinione non esset illa correspondentia, *ergo min.* prob. quia objectivæ non respondent nisi nostris cogitationibus, atqui jam si daretur talis distinctio, jam haberentur sine nostris cogitationibus.

Confirmatur. Cujus effectus est impossibilis, & ipsum, si se habeat per modum causæ, est impossibile: at præcisio formalis cum jure præscindendi objectivè habet se per modum causæ, effectus autem illius esset impossibilis, quia illa præcisio non præscinderet seipsam, nec præscinderet objectum, cum jam inveniat præcisum, ergo &c. *ma.* patet, *min.* prob. quoad illam partem, quod effectus illius esset impossibilis, consequenter & ipsa probatur à simili, sicut se habet scissio physica in esse physico, ita præcisio formalis in intentionalibus, sed si omnia essent scissa physicè, & esset impossibile scissibile de novo, impossibilis esset scissio physica de novo, *ergo* impossibili scissione objectiva de novo, cum omnia præcisa inveniantur, impossibilis erit in intentionalibus præcisio formalis.

Responsio. Resp. negando *antecedens*. Ad probationem illius concedo *maj.* neg. *min.* falsum enim est, quod supposità distinctione *Scoti* objectivæ præcisiones habeantur sine formalibus, seu absque actibus nostræ mentis, nam ut supra n. 57. innuimus, præcisio formalis diversas formalitates in objecto unitivè per identitatem realem contentas intelligibiliter separat, ut se gerant quasi duabus naturis realiter discretis æquipollerent, quod per solum intellectum cogitantem fieri necesse est. Unde ad Confirmationem negatur suppositum, quod talis præcisio inveniat ibi & præsupponat in actu exercito præcisiones objectivas, quod priùs fuisset probandum, idque non repugnare, cujus oppositum ostendo & retorqueo Argumentum in *Adversarios*, ex ipso quod adducant contra nos exemplo de scissione physica: sicut se habet scissio physica in esse physico, ita præcisio formalis in intentionalibus, sed impossibile est dari scissa physica de novo sine scissione de nova: ergo impossibile est scissio objectiva intentionalis, sine scissione formali. Vide dicta n. 57. & Controv. 7. q. 4. ubi quod nulla sit talis objectio pluribus patebit in simili, Assertione n. 201. & seqq. Opposita via Assertionem imperit *Arriaga*, ex cujus mente

Instantia nova. *Dices secundò* cum Atriaga falsum esse, differentiæ gradum esse extra realitatem generis, is enim d. 5 c. n. 47. nostram rationem pro præcisionibus objectivis natura potest concipi sine eo, quod est extra Essentiam ejus, differentia autem est extra Essentiam rationis communis, ergo ratio communis potest concipi sine differentiis; sibi ipsi objiciens, ita solvere putavit, differentias esse de Essentia rationis communis, non tamen ita, ut quælibet differentiæ sint de essentia cujuslibet, sed hæc differentia est de hac ratione communi, seu de hac animalitate, & illa de illa ratione communi. Quare hæc ratio communis v. g. animalitas hominis benè potest concipi sine differentia equi, quæ non est de ejus esse: tia, non tamen sine rationalitate, à quo nullo modo distinguitur. Ita *Arriaga*.

Repellitur. Verùm hæc doctrina parum habet fundamenti & solidè refutatur à Scotistis, *Mastrio* in Metaph. d. 6. q. 16. n. 293. & disp. 8. n. 204. si namque per eandem prorsus formalem rationem animalis ac in homine constituitur, qua rationalitas, tunc ratio animalis concipi non posset, ut communis equo & homini magis, quàm rationalitas, ut propterea *Caramuel* in sua Metalog. l. 6. d. 9. n. CCCCLV. hoc *Arriaga* responsum recognoscens dicat: *& hic ego video omninò, si enim de equo aliud animal prædicatur, quàm de homine, neutrum ex istis animalibus erit genus, nam neutrum prædicabitur de multis differentiis specie. Statuendum est igitur [& hoc in omni Schola & sententia] unum & idem prædicatum* animal *dici de Petro & Paulo, de homine & equo* &c. *Caramuel.* unum

unum & idem, inquam, non quidem numero aut specie, sed genere. Quod ipsum mihi tam clarum est, ut non putem tantâ ingenij acie muniri hominem posse, ut Arriagæ *perpetuum præjudicium ad probabilitatem reducat*, & rectè, si namque differentiæ contractivæ essent de conceptu animalis, quà homini & equo communis est, esset in equo rationalitas, & hinnibilitas in homine, totum siquidem quod est de Essentia superioris, est etiam de Essentia cujuscunque individui, si dicas, quod non, & ego dico, ergo nec erunt distributivè in hac vel illa specie, dum enim ad inferiora contrahuntur, suum formale constitutivum non mutatur, consequenter gradus genericus à differentiali differt.

76 *Arriaga.* Frustra ad hoc respondet idem *Arriaga* l. c. n. 47. & disp. 6. Log. non esse de ratione cujuscunque individui totam rationem superioris, secundum quod dicit ex parte objecti, sed secundum id quod dicit ex parte actus confusi, vel enim ut rectè *Staudenhecht* cap. 1. de præcis. art. 3. n. 4. & *Mastrius* l. c. actus dicens animal, in quo confunduntur omnes species in ratione animalis, exprimit & repræsentat intellectui ipsas differentias specificas seu rationes formales etiam ultimò distinctivas, quà tales, sunt ex parte objecti; vel non: sed solum repræsentat id, in quo conveniunt illæ species. *Si primum*, quod exprimat ille actus etiam eas rationes, in quibus differunt, jam manifestum est, quod ille actus erit clarus claritate sufficiente ad distinguenda illa inter se, non minus quàm à non animalibus, ideo namque est clarus claritate sufficiente ad distinguenda illa à non animalibus, quia exprimit rationem distinctivam animalium à non animalibus, ergo hic actus dicens animal, & repræsentans rationes distinctivas animalium inter se, non erit omninò confusivus specierum, sed distinctivus, species siquidem nequeunt confundi in illis rationibus, per quas distinguuntur ab invicem, ut patet, adeoque actus ille non minus distinguit animalia inter se, quàm à non animalibus. *Si secundum*, id est, si non repræsentet illas rationes formales distinctivas, jam habetur intentum nempe illum actum præscindere ex parte objecti, nec aliter repræsentare omnia animalia confusè, seu claritate tantum sufficiente ad distinguenda illa à non animalibus, non autem inter se, quàm exprimendo rationem animalis, in qua omnia conveniunt, non repræsentatis rationibus in qua differunt, adeoque nec ex parte objecti, nec ex parte actus differentiæ sunt de essentia rationis communis.

Concluditur pro assertione.

77 *Instantia 2.* Iterùm occurrit *Arriaga* l. c. n. 38. opponens exemplum visionis externæ in contrarium, quia quando eminus video colorem, possum illum adeo confusè cognoscere, ut nequeã affirmare an albedo, an nigredo, sed solum Esse colorem, & tamen iste actus visionis non est præcisivus ex parte objecti. Explicent igitur qua ratione id contingat sine præcisionibus in visione, & eadem ratione dicam ego, ait, contingere in actibus abstractivis etiã sine ulla præcisione.

Verùm hæc objectio in suum *Auctorem* retorqueri potest, qui nondum probavit, non dari præcisiones visivas, pro quo vide *Caramuelem* l. 3. in sua *Metal. de distinctionibus* disp. 7. art. 3. n. CCLIX. & l. 4. ejusdem Metalogicæ de *Universalibus* disp. n. art. 2. n. 499. *Staudenhecht* l. c. n. 5. 6. &c. eo tamen concesso & ulterius concesso, falsum etiam esse, quod intellectus tum præscindat rationem genericam à specifica, ut cognoscam universale sine particulari, quando eminus video colorem, nec distinctè cognosco, an sit albedo aut nigredo, vel video eminus aliquid se movens, nescio autem an sit homo vel bos, cum enim intellectus in cognoscendo manuducitur à sensu, & ideo sicut species, quæ imprimitur in sensu, semper est alicujus singularis, non universalis, quia sensus est singularium nullatenus attingens naturam communem conditionibus individualibus exutam, sic quoque species intelligibilis immediatè post sensationem impressa intellectui, cum procedat similis objecto repræsentato per phantasma, id est, secundum exigentiam phantasmatis & objecti per ipsum cum conditionibus individuantibus repræsentati, est species singularis sensati, hoc, inquam, concesso, ut quo pacto oculus non videt universale sine particulari, cum sensus sit singularium, sive cominus sive eminus moveatur ab objecto, ita nec intellectus cognoscendo totum id, quod cognoscit sensus, adhuc tamen non urget instantia de sensationibus facta, nec bene inde infertur intellectum specie recepta imbutum præscindere non posse rationem genericam à specifica, nec specificam à conditionibus seorsim discernere individuantibus seu singularitate relicta, quamvis enim hoc facere nequeat sensus ob suam materialem virtutem, & virtuti intellectivæ longè inferior, de qua meritò inferre licet, quod non videat colorem ut sic, seu absolutè loquendo, quando oculus eminus attingit colorem, cum in tali casu, quem ut *Arriaga* satisfiat pleniùs explicare lubet, videat quendam colorem, etsi nesciam cujus determinatæ speciei, cum sit sensatum singulare magis universalis scilicet hic color, velut apud Mastrium d. 6. Met. q. 16. n. 301. *Pasqualigus* Tom. 2. Met. d. 58. sect. 3. n. 2. est color determinatæ speciei, etsi innominatæ, quod ait ex eo constare, quia potest dari aliquis color, qui etiam cominus talis appareat, qualis albedo vel viridis color apparet eminus objectus, quando species illius coloris simul unitur cum specie medii absorbente efficaciam speciei coloris, ut ideò tam confuso modo illum colorem repræsentet, ut determinatè non appareat albus nec viridis, sed appareat quasi color alius cujusdam speciei quasi mixtæ, quàm sine præcisione aliqua distinctè assignari nequit, quo modo si pharmacopæo offerretur herba Indica, hactenus nunquam visa, cujus nesciret assignare determinatam speciem, non tamen ideò dicetur præscindere aut formaliter aut objectivè rationem genericam herbæ à specifica, eò quod nesciat assignare, cujus sit deter-

Repudiatur.

Præcisiones si admittendæ sint in divinis, erunt quoque in creatis.

determinatæ speciei, videatque ex accidentium collectione non esse aliquam earum, quas ipse specietenus cognoscit. Similiter autem velle restringere intellectum; postquam semel à sensibus recipit speciem naturam repræsentantem cum conditionibus individuantibus, præsertim suppositâ Thomistarum opinione de distinctione virtuali & Scotistarum formali ex natura rei in creatis, & miram illius vim in rebus penetrandis, dividendis, discernendis, & in earum formalitatibus præscindendis facultatem cribrare, est revera perdere oleum & operam, ut jacturam temporis arbitrer diutius in probandis hisce præcisionibus objectivis me & lectorem occupare, etsi in gratiam *Arriaga* fusiùs reposui, quàm intendi, ad objectionem quin & nolentem ad longius trahit iter, clamat namque & mordicus à paritate rationis negat præcisiones in creatis, quales tamen admittit in divinis, disp. siquidem log. 3. sect. 4. subsect. 2. fatetur se easdem olim negasse in Divinis, sibique persuasum fuisse quod argumentum infra q. seq. referendum n. 81. sufficienter solverit, sed solutione sua ibidem n. 63, rejecta, *re melius consideratâ Arbitror*, inquit, *necessariò debere admitti præcisiones*, puta in Divinis ad salvandum SS. Trinitatis Mysterium, easque præcisè deducit ex contradictoriis à parte rei verificatis de Essentia & relationibus, sed nonne per omnimodam contradictoriorum paritatem, ut etiam rectè advertit *Mastrius* l. c. objectivæ præcisiones optimè deducuntur in creatis inter gradus prædicamentales, ut genus & differentiam, inter potentias animæ, intellectum & voluntatem? omninò: ideò enim ex mente hujus Auctoris inter Essentiam & relationes divinas objectiva præcisio admittenda venit, quia ex parte objecti in conceptu formali unius, non invenitur aliud involutum, ne de eodem verificarentur contradictoria à parte rei. Ecce fundamentum *Arriaga* quo nisi doctior factus, quia est peripatetico-Scoticum, sane non retractasset primam opinionem: atqui talia quoque contradictoria à parte rei verificantur de ratione generica & differentiali, de potentiis animæ, item & de subjecto & passione: ex eodem ergo fundamento arguuntur tales præcisiones, sicut in Divinis, ita & in creatis, assumptum probabitur exactè Controv. 8. de distinctione formali Scotica, hic id pluribus probare non est de tempore & loco, sed & paritatem,

78 *Replica Arriaga.* *Oppetis* Arriaga non esse paritatem de Deo & creaturis, quia in Deo distinguendi virtus necessariò est admittenda propter infinitatem, & neganda in creatis, ne invehatur in illa Mysterium Trinitatis, adeoque licitum non est ab eo, quod Deo competant præcisiones objectivæ argumentari, quod etiam competant creatis.

Contra si ideo circa objectum infinitum, quia pro suâ parte virtualiter multiplex est intellectus habet vim in unâ eâdemque entitate concipiendi diversas formalitates, ut in unius conceptu non sit involutum aliud, adeoque sequatur dari objectiones præcisivas: ergo & circa objectum finitum, si sit virtualiter vel à potiori, si sit formaliter ex natura rei multiplex, ut Scotistæ tenent, poterit intellectus cognoscere unam formalitatem non cognitâ aliâ ex parte objecti, adeoque in creatis admittendæ præcisiones objectivæ, *Refellitur.* sine ullo fundamento autem dicitur propter infinitatem illas dari in Deo, nam pone per impossibile nullam in Deo dari distinctionem, neque tuam virtualem, neque meam ex natura rei formalem, esto Deus tunc adhuc esset infinitus, nulla tamen dabitur in Deo præcisio objectiva, ergo apparet id ex infinitate non magis oriri, quàm ex omnipotentia, sicut ergo nemo rectè responderet ex eo non dari præcisiones objectivas in creatis, licet dentur in Divinis, quia creatura non est omnipotens, ita neque licet illas arguere in Deo propter infinitatem, sed est omninò impertinens ad præcisiones.

Confirmatur: hic Auctor non loquitur de præcisionibus objectivis in Deo admittendis, quibus in objecto actu correspondeant distinctæ realitates, sed de præcisionibus per intellectum factis cum sola correspondentia virtuali, quæ omnimodam ex natura rei & formalissimam dicit identitatem, ut patebit Controv. 7. quæro igitur vel infinitas intellectui tribuit vires præscindendi unum ab alio, vel non: *si primum*, ergo ex perfectione objecti crescit perfectio & robur intellectus intrinsecum, quod est manifestè falsum, cum aliàs perfectissimum objectum, quale est Deus, redderetur quidditativè cognoscibile idque naturaliter à vi intellectûs creati, siquidem infinitudo & perfectio auget vim cognoscitivam. *Si secundum*, quod infinitas non tribueret vires intellectui, ergo quod cognitioni Naturæ Divinæ non sit involuta Paternitas Divina, ut concedit *Arriaga* aliique ex opponentibus, seu cognita Natura non cognoscantur Personalitates & relationes Divinæ noti proficiscitur ex infinitate Dei, sed ex activitate intellectus positi in circumstantia objecti virtualiter aut ex natura rei formaliter multiplicis, quod formaliter ex natura rei multiplex, vel virtualiter saltem, non reperiri in creatis, opponentes non ostendent in æternum. Ideòque finio, plura si de his desideras, tere calles Mastrii d. 6. Met. q. 16. de his longè & latè scribentis. Accede etiam si lubet Caram, l. 4. Metal. d. 10, art. 1. & 2.

Secunda pars Assertionis est citra Controversiam. si verum sit cuicunque conceptui 79
formali correspondere in mente nostrâ conceptum

ceptum objectivum, & unitati conceptus formalis unitatem conceptus objectivi & quod actus suam unitatem & distinctionem accipit ab objecto, ut implicet actum formalem ut sic, non esse alicujus rei intellectæ, cum enim ex sui natura habet transire super aliquod objectum, ut in terminum, sequitur necessariò quod cuivis conceptui formali debeat correspondere ratio aliqua objectiva, de quibus ut progrediamur ad alia, satis, si placet, consule Metaphysicos, ubi tractant de natura entis & unitate conceptus illius.

QUAESTIO IV.

Sintne admittendæ præcisiones objectivæ ex parte objecti in Divinis?

SUMMARIUM.

1. *Præcisiones dari in Divinis probatur à priori. n. 80. à posteriori. n. 81.*
2. *Arriaga vel invitus incidit in opinionem Scoti.* ibid.
3. *SS. Trinitatis Mysterium nullatenus pendet aliquo pacto ab intellectu creato.* ibid.
4. *Arriaga discursus evincit distinctionem Scoti ex natura rei formalem.* ibid. *& n. 82. & 83. & seq.*
5. *Deus habet cognitiones præcisivas. n. 82.*
6. *Negatis præcisionibus in Deo, sicut dici non potest tota Trinitas non est Trinitas, Pater non est Pater, ita dici non potest, Pater non est Filius, non est Spiritus sanctus.* ibid.
7. *Distinctio inter Essentiam & Relationes Divinas se tenet ex parte objecti, cujus ratio datur à priori. n. 83. illa non est alia quàm Scoti formalis ex natura rei.* ibid.
8. *Petrus à Tarantasio postea Innocentius V. quod docuerit præcisiones objectivas, accusatur à PP. Dominicanis. n. 85.*
9. *Auctoritas SS. Basilii & Anselmi in contrarium adducta explicatur. n. 85.*
10. *Proponuntur & diluuntur rationes in oppositum. 86.*

ASSERTIO

Dari in Divinis præcisiones objectivas tam solidæ veritatis est, ut sine implicantia negari non possint.

80 SUppositis iis, quæ dicentur Controv. 8. de distinctione formali *Scoti* necessariò admittenda, probatur Assertio ratione à priori. Eo ipso quo datur distinctio formalis ex natura rei unius formalitatis in objecto à formalitate altera ejusdem objecti, datur etiam distinctio ut possit una præscindi ab altera. Sed talis distinctio datur in Divinis, ut suo loco, ergo dabuntur etiam præcisiones objectivæ. *maj.* prob. quia duo distingui distinctione formali ex natura rei, est convenire uni prædicatum, quod alteri non convenit: v. g. Essentiæ non produci, Relationi autem produci, sed eo ipso quod uni conveniat unum prædicatum, quod non convenit alteri, potest illud affirmari de illa formalitate, cui convenit, & non potest affirmari de alia, cui non convenit: ergo & una præscindi ab alia per affirmationem, præscindere siquidem per affirmationem est aliquid affirmari de una, quod non affirmetur de altera, & simili argumento *Arriaga* disp. 3. Logices sect. 4. subsect. 2. probat in Divinis præcisiones objectivas, supponens salvâ fide negari non posse distinctionem suam virtualem, sed hanc distinctionem impossibilem esse, adeoque fundamentum hujus Auctoris fulciendum doctrina *Scoti* patebit *Contrav.* seq. 7. q. 3.

Probatur secundò à posteriori argumento, de quo facta est mentio supra q. 3. n. 77. si quando dico, Paternitas non communicatur, corresponderet in conceptu Paternitatis Essentia, affirmarem de illa, *non communicari*, quia de toto illo, quod correspondet ex parte subjecti, affirmatur illud prædicatum: affirmare autem de Essentia Divina, *non communicari*, est hæreticum, ergo illa non correspondet in conceptu Paternitatis, idem est de his propositionibus; *Essentia est triplex*, *Essentia est unica*, & aliis similibus, in quibus si Relatio & Essentia corresponderet ex parte objecti, est idem absurdum, quod in præcedentibus: ergo negari nequit præcisio objectiva inter Essentiam & Relationes. Ita *Arriaga* l. c. n. 58. & statim n. 59. quibusdam suppositis, totus incumbit ad solvendum hoc argumentum, videlicet quando quis afferit hanc propositionem: *Essentia Divina communicatur*, affirmat etiam ex parte objecti, 81

non communicatur, non quidem adæquatè, quia hoc est omninò, ait, impossibile, sed solum inadæquatè, quod non repugnat, vide ipsum n. 60. 61. 62. quibus solutionem ad tollendas in Divinis præcisiones fusè prosequitur, verum ut supra q. 3. diximus, re meliùs consideratâ & solutione recognitâ videns illam ut debilem & elumbem, præcisiones objectivas in Divinis concedit negari non posse, si, inquit, ea propositio, *Essentia communicatur*, significat communicationem inadæquatam, & idem significat ex parte objecti Essentia, quod Relatio: ergo tam vera erit à parte rei, hæc propositio: *Relatio communicatur*, quàm hæc: *Essentia communicatur*, quod est contra omnes Theologos, ne dicam esse hæreticum. Rursus idem erit, *Relatio est triplex*, ac dicere, *Essentia est triplex*, *Relatio est una*, ac: Essentia est una, quia idem significant ex parte objecti Relatio ac Essentia & è contrario, per te autem, hoc est erroneum, ergo non potest dici ex parte objecti, idem eodem modo significari in conceptu Essentiæ, ac in conceptu Relationis, ergo præscinditur. Optimè discurrit Arriaga, sed consideremus, si lubet, hunc illius discursum, & videbis hunc Auctorem incidere in opinionem *Scoti*, siquidem per ipsum non probantur dari in Divinis præcisiones objectivæ per intellectum

Arriaga Scotum sapit.

factæ sine correspondentia formalitatum distinctarum, sed tales præcisiones objectivæ, quibus correspondent formalitates ex natura rei formaliter distinctæ, *per te*, inquit, *hoc est erroneum: ergo non potest dici ex parte objecti idem eodem modo significari in conceptu Essentiæ, ac in conceptu Relationis*, si ex parte objecti Essentia communicatur, Relatio non communicatur, Essentia est unica, Relatio triplex, consequenter ex parte objecti ita se habeat affirmatio & negatio, ut nequaquam earum veritas pendeat ab intellectu nostro, & rectè, ne videamur dicere Mysterium Trinitatis aliquo pacto à nostro intellectu pendere, scilicet dicendo illarum veritatem sumendam esse in ordine ad intellectum, vel in ordine ad objectum, ut existens tantum intentionaliter in cognitione, rectè, inquam, ex parte objecti, id est, veritate hujus propositionis, *Essentia communicatur*, desumpta à Natura Divina, non à Relatione & veritate alterius propositionis, *Paternitas non communicatur*, desumpta à Relatione; non à Natura, ne alioquin ex parte objecti quod communicatur, diceretur non communicari, quod est contra fidem, possetque dici, Filium non esse verè Deum, cum sit Deus ratione Naturæ Divinæ communicatæ, de quo tamen posset dici, quod non communicetur, item ne alioqui posset dici, de Paternitate, quæ non communicatur, quod communicetur, cum sic verum esset, Filium esse Patrem, idque idem, quia sicut dicitur Deus ob communicatam sibi Naturam Divinam, ita verè diceretur Pater, ob communicatam sibi Paternitatem, *jam ergo* nedum cum Thomistis præcisiones objectivæ factæ per conceptus inadæquatos sine correspondentia distinctarum ex natura rei formalitatum, quæ ex distinctione rationis ratiocinatæ oriuntur, admittendæ sunt in Divinis, sed cum *Scotistis* adstruendæ sunt cum tali correspondentia orta ex distinctione nostra formali inter Essentiam & Paternitatem. *conseq.* prob. præcisiones objectivæ Thomisticæ habentur beneficio distinctionis rationis ratiocinatæ, quæ in esse distinctionis & secundùm totam suam actualitatem ab intellectu dependet, seu quoad suum complementum in nostra cognitione consistit, adeoque si sic objectivè præscindas, parùm juvabit ad salvandum Mysterium SS. Trinitatis, quod esse independens omninò à nostrâ cognitione est manifestum, ergo & istæ propositiones: *Essentia communicatur*, *Relatio non communicatur*, proinde ex *Arriaga* discursu, & ex contradictoriis prædicatis de Essentia & Relatione verificatis à parte rei, deducuntur nedum præcisiones objectivæ seu formalitates per intellectum præcisè sed & formaliter, ut optimè *Mastrius* d. 6. Metaph. q. 16. art. 1. n. 299. ex Scoto 1. d. 2. q. 7. §. *Sed hic restat.* Imò ipse *Arriaga* l. c. subsect. 4. n. 74. Dico, inquit, eo ipso, quod tale detur Mysterium, & detur ea distinctio virtualis in ordine ad illa prædicata contradictoria, dari etiam eandem distinctionem in ordine ad cognosci & non cognosci, affirmari & non affirmari, sicut distinctio realis Petri à Paulo, non pendet ab intellectu meo, eo tamen ipso quod distinguuntur potest mens mea distinguere unum ab alio, proinde propter intrinsecam Mysterii veritatem asserit expressè dari in eo distinctionem (quod illam dicat esse suam virtualem, non curamus in proposito, quam esse impossibilem dicetur *Cont.* 7.) distinctionem, inquam, eo ipso, quod talé Mysterium detur, id est, ab intellectu independentem, sicut datur distinctio realis Petri à Paulo, ab ipso, quod sunt, non quod cogitantur, ergo ex mente hujus Auctoris præcisiones in Mysterio SS. Trinitatis arguunt distinctionem talem, quæ sit ibi absque operâ intellectus creati, quod est ipsissima doctrina Scoti de distinctionibus in Divinis.

82

Fortiùs eandem sententiam, quod dentur præcisiones objectivæ in Divinis *Arriaga* probat l. c. subsect. 3 n. 65. & seq. & vis argumenti consistit in hoc, quod si sub termino *Pater* respondeat Natura Divina & Filius, quod tunc quando dico *Pater non est Filius*, etiam dicerem, *Natura Divina non est Filius*, sub termino enim Pater, respondet Natura Divina. Et ulteriùs dicerem, *Filius non est Filius*, quia Filius per te respondet sub ly *Pater*, cum scilicet dico, *Pater non est Filius*, consequenter sicut falsa esset hæc propositio: tota Trinitas non est tota Trinitas; ita falsa erit hæc: Pater non est Filius & Spiritus sanctus, non enim plus in conceptu Trinitatis per te respondet in parte objecti, quàm in conceptu Patris, ergo

Evincitur distinctio in divinis.

ut

ut hæc absurda evitentur, necessariò præcisiones objectivæ admittendæ sunt, sed audiamus *Arriagam* ipsum: Ea, inquit, ergo propositio est: *Pater non est Filius, Spiritus sanctus non est Filius*: si enim in conceptu Patris correspondetent simul cum Essentia Divina Relationes Filii & Spiritus sancti, idem prorsus ex parte objecti cognosceretur per conceptum Patris (idem est de Filio & de Spiritu sancto) quod per conceptum totius Trinitatis. Unde sicue dici non potest, *tota Trinitas, non est tota Trinitas*, neque *Pater non est Pater*, ita non posset dici, *Pater non est Filius, neque Spiritus sanctus*. quia idem in conceptu Patris ac in conceptu Filii & totius Trinitatis, eodem modo conciperetur ex parte objecti. Et hoc, inquit, argumentum etiam probat Deum ipsum præscindere, quia Deus ipse similes omninò habet cognitiones, neque potest respondere, Deum simul quando affirmat, Pater non est Filius, affirmare etiam, esse Filium, quia sicut Deus non potest dicere, tota Trinitas, non est tota Trinitas, quantumvis dicat simul, tota Trinitas est tota Trinitas: ita non poterit dicere, Pater est Filius, eo quod in conceptu Patris concipiatur tota Trinitas, eadem autem concipitur in conceptu Filii. idem autem omninò de seipso neque inadæquatè potest verè negari: ergo si Pater & Filius ex parte objecti sint idem omninò realiter, non potest neque adæquatè neque inadæquatè unum de alio negari, quia ad hoc requiritur, ut aliquid saltem inadæquatè correspondeat ex parte subjecti, quod non correspondeat simul ex parte prædicati, quia si totum quod correspondet ex parte prædicati formalissimè correspondet ex parte subjecti & è contrario, repugnat non esse idem adæquatè, sicut licet ex parte subjecti concipiam omnes homines, qui inter se sunt distincti, si tamen etiam illos concipiam ex parte prædicati, non poterit non esse verum, omnes homines non esse omnes homines, sicut etiam in Divinis est verum, totam Trinitatem esse totam Trinitatem. Fatendum ergò necessariò est, eam propositionem: *Pater non est Filius*, non posse esse veram, nisi in conceptu Patris præscindatur à conceptu Filii, & consequenter nisi admittantur præcisiones in Divinis, ita optimè *Arriaga*.

83 Qui non errat circa intellectum distinctionis Scoticæ, ut frequenter apud Auctores extra Scholam nostram contingit, rumpnet discursum allatum: in conceptu Patris, ait, non correspondent Essentia cum Relationibus, quare? ne ait ex parte objecti idem cognoscatur per conceptum Patris, quod per conceptum totius Trinitatis, & hanc doctrinam vult tenere etiam respectu intellectus divini, ergo respectu intellectus divini ex parte objecti datur distinctio inter Essentiam & Relationes, nam illas inter & Essentiam fit præcisio objectiva, non inter ipsas Relationes realiter distinctas, quas nullus Catholicus dubitat distingui, atqui illa distinctio ex parte objecti inter Essentiam & Relationes non est strictè realis, quia id negat fides, non rationis, quia est ex parte objecti & respectu intellectus divini, nec illa rationis ex mente Auctoris sufficit, ideoque ponit realem virtualem, quam vocat *majorem*, & p. p. d. 42. sect. 5. à nullo Catholico posse negari & p. p. disp. 9. n. 18. verè esse de fide quod idem dicit d. 3. Log. sect. 4. subsect. 2. in principio, ne differmiter objecto noscerentur res, maximè respectu divini Intellectus, si nulla præcedente ex parte objecti distinctione, ab ipso Deo fierent præcisiones ex parte objecti, sed nec est distinctio virtualis, prout illam iste Auctor accipit pro æquivalentia distinctorum in ordine ad aliqua prædicata contradictoria in eadem indivisibili entitate, quia talis non est vera distinctio, ut ostendam *Controv.* sept. ergo erit aliqua alia distinctio vera & media inter illa realem & rationis, quam & non aliam ratio convincit, & ea, quæ n. 20. ad secundam responsionem, quâ dicitur præcisionem non dari Essentiam inter & Relationes ab hoc Auctore, reponuntur, nimirum eo ipso, quod una Persona, quia realiter distincta, præscindatur ab alia, Essentia quoque præscindatur à Relationibus, *eo ipso*, inquit, *quod* &c. ergo ut in Personis distinctio realis præsupponitur ad præcisionem, ita Essentiæ & Relationibus præscindendis distinctio talis, quæ sit in ipso Deo ex parte objecti, quod & probat, nam in conceptu illius Personæ, vel correspondet, inquit, Essentia, vel non: Si non correspondet, ergo jam præscinditur illa Persona ab Essentia (seu ut melius dicam) relatio illius Personæ ab Essentia, cùm tamen sint idem realiter inter se. Si verò in cōceptu unius Personæ correspōdet etiam Essentia, cùm tunc non correspondeant aliæ duæ Personæ seu aliæ duæ Relationes, jam potest correspōdere Essentia sine aliis duabus Relationibus, à quibus tamen nō distinguitur realiter: ergo præscinditur Essentia ab illis ubi ne quis putet illum non loqui de objectivo seu ex parte ipsiusmet objecti, sed de conceptu formali, contra hoc n. 72. expressè habet, quod tota hæc distinctio inter Essentiam & Relationes, ut verum sit, *Filius non est Pater*, se tenent ex parte objecti, datque hujus rationem à priori, quia in istis propositionibus identitas realis objectiva est, quæ affirmatur vel negatur, non identitas actuum, eo quod hæc parum conducat ad explicandum id, quod est in Deo ipso: ergo non per solam diversitatem actuum seu diversum modum concipiendi non salvantur propositiones catholicæ de hoc Mysterio, neque Pater, ut reduplicat meum conceptum non generatur, nec procedit à Filio, sed ipse in se verè & realiter non procedit à Filio: ergo in se quando dico *Patrr*, solum respondet ex parte objecti ea Persona, quæ verè non generatur, non aliæ, id est, ex parte objecti, non respondent Relationes Filii & Spiritus sancti, quæ tam evidenter evincunt distinctionem Scoti adeoque formalitates formaliter ex natura rei distinctas præsuppon & fundamentum præbere præcisionibus objectivis in Divinis, ut quisquis illas *Arriaga* rationes ex *Scoti* fontibus ductas amplectitur, & insuper nobiscum & eum communiori rejicit distinctionem

Scoti doctrina stabilitur.

Distinctione virtuali non subsistente Scoti distinctio evincitur.

ctionem

ctionem illam realem virtualem, quæ pst nullam intellectus operam actuatur, ut hic Auctor supponit, quam & Scoti distinctioni reapse supposuit, se hoc in passu effectum Subtilis scholæ proselytum diffiteri non possit.

84 Sed redeamus ad Assertionem, quæ *probatur quartò* ex propositionibus ductis ab uno principio processionis in Divinis ad aliud principium, sic v. g. præscindi potest intellectus, qui generat, à voluntate, quæ non generat, item Attributum justitiæ ab Attributo sapientiæ &c. Et à propositionibus Incarnationis; Verbum Divinum solum immediatè est incarnatum, Pater & Spiritus sanctus non est immediatè incarnatus, item à propositionibus productionum Divinarum generationis æternæ & spirationis passivæ, ut Verbum generatur, Pater non generatur, Spiritus sanctus procedit, nec Pater, nec Filius, quæ arguunt indubiè præcisionem inter Verbi Essentiam & alias Personas, cùm alioqui æquivalerent omni, tota Trinitas est immediatè incarnata, tota Trinitas generatur & tota Trinitas non generatur & singulis contradictoria concernens totam Trinitatem, juxta dicta superius.

Quintò validè probabitur Assertio Controv. 9. Tomi 2. q. 1. per totum, ubi ostendemus Essentiam non generare in sensu reali, adeoque convenire aliquod prædicatum Paternitati, quod negetur in sensu reali de natura, & sic præscindi unum ab alio.

Sextò denique probatur solvendo objectiones in contrarium.

Expenduntur Auctoritates in oppositum.

85 Tantam *Hurtado* disp. 6. Metaph. sect. 4. subs. 3. & seq. præcisionibus objectivis indixit inimicitiam, ut omnes, qui illas ponunt in divinis velut sanæ doctrinæ hostes & malæ defensores ad judicem deferri exoptet, eo modo quo *Petrus de Tarantasia*, qui postea fuit *Innocentius V.* summus Pontifex à PP. Dominicanis accusatus fuit, eo quod docuerit eam opinionem de præcisionibus in Divinis. Producit autem idem Auctor in oppositum SS. Patrum auctoritatem ut *S. Basilii* hom. 6. Examer. apertè docentis, ea omnia realiter distingui, ac posse à Deo separari, quæ nos possumus cogitatione separare, nam ex conceptu lucis non concepto sole infert realem distinctionem & separationem possibilem lucis à sole, omnia enim potest Deus separare, quæ nostra cogitatio separat, nec enim, inquit *Basilius* apud Hurtado, *lucis à solis corpore separationem mihi ac tibi possibilem esse dico, sed asserendum esse censeo, quæ mente sola agitatione cogitationeque dispar ari à se possunt, ea re ipsa sejungi facultate Creatoris utriusque natura posse*. Secundò adducit *S. Anselmum* c. 4. *de Incarnatione Verbi*, qui ex hoc quod Deus nequit concipi sine sua omnipotentia, ostendit illam non esse accidens respectu Dei, neque Deum subjectum respectu omnipotentiæ, *quia*, inquit, *cùm omne subjectum sine accidente aut esse, aut intelligi possit, Deus sine potestate nec esse, nec intelligi potest*. Signum proinde distinctionis realis constituitur ab *Anselmo*, posse concipi unum extremum sine altero, sic enim quia nequit concipi Deus sine sua omnipotentia, intulit Deum non esse subjectum illius. Deinde idem Anselmus *Prosol.* c. 18. expressè negat Deum posse dividi per intellectum, *tu es*, inquit, *ipsa veritas nullo intellectu divisibilis*. negat ergo Attributa, de quibus ibi agit, esse per intellectum ceu formalitas à formalitate præscindibilia.

Patres pro Scoto faciunt. *Respondetur primò* non impugnari, sed novum potius nostræ doctrinæ de distinctione *Scoti* ex hisce testimoniis SS. Basilii & Anselmi robur accrescere, cùm manifestè probent SS. Patres, dum dicunt aliqua distingui ratione, aut solum cogitari distincta, non intendere quod talia distinguantur per solam intellectûs operam, malè siquidem *Basilius* dixisset, eo quod possit à nobis lux sine sole solâ mente cogitari, lucem à sole esse realiter distinctam, imò à Deo posse separari, quæ nos solâ mente separamus, malè item S. Anselmus asseruit, quod posse concipi aut cogitari unum extremum sine altero, sit signum distinctionis realis, ideoque quia Deus non possit concipi sine potestate, concludat Deum non esse subjectum illius, malè, inquam, si talis cogitatio & conceptus importet duntaxat distinctionem ab intellectu fabricatam, plus ergo quandoque innuunt Sancti per distinctionem rationis & per separationem cogitationis, quàm illam, quam ex PPbus, dum de ratione distinctis agunt contra nos eliciunt Impugnatores distinctionis ex natura rei formalis, ut fusiùs demonstrabimus Tomo 2do *Controv.* 5. in respons. ad object. ex CC. vide ibi. *Basilius Anselmus.*

Respondetur secundò ad hominem, si illa verba Patrum in rigore accipienda sint, cùm simpliciter negent distinctionem rationis in Deo, convinceretur illos à Deo non minus distinctionem rationis ex parte actus, quàm ex parte objecti proscribere, nam ostendatur quare potius de distinctione rationis ex parte objecti, quàm ex parte actus intelligendi veniant, nullam profectò solidam hujus dabis rationem spectando nuda verba, ut objiciuntur.

Respondetur tertiò directè explicando Patres ac prænotando, aliud esse aliquid cogitatione disparari seu mente sejungi per abstractionem divisivam, quâ concipitur unum realiter excludendo aliud, seu negando de subjecto prædicatum realiter identificatum, vel affirmando oppositum, ita ut vi talis abstractionis divisivæ inter illa extrema tollatur identitas realis extremorum, & necessariò arguatur distinctio realis & separabilitas inter extre-

ma

ma saltem per absolutam Dei potentiam, & aliud esse aliquid cogitatione separari per abstractionem præcisivam, quâ concipitur unum non sine alio, id est, non excludendo aliud, sed unum duntaxat consideratur, non considerato alio, & sicut abstractio divisiva reperitur inter realiter distincta, ita hæc abstractio præcisiva contingit inter realiter identificata, ex eo igitur quod posset lux à nobis cogitari sine sole, subaudi per abstractionem divisivam velut à posteriori rectè intulit *Basilius* lucem à sole realiter distinctam & per Deum ab illo separabilem esse. ita pariter *S. Anselmus* quando constituit signum distinctionis realis, posse concipi unum sine alio, loquitur de abstractione divisiva, seu realiter exclusiva unius ab altero, respectu cujus verissimum est Deum sine potestate concipi non posse, ac unitatem Dei nullo intellectu esse divisibilem, imò in hoc sensu nec homo potest concipi sine risibilitate, quasi considerari posset, hominem realiter non esse risibilem, multò minus unum attributum divinum sine alio, ut cogitetur Deus sine misericordia, justitia, sapientia &c. ut realiter posset esse non justus, non misericors, non sapiens. Porrò aliud SS. PP. non intendisse, nec unquam negasse hujusmodi præcisiones, neque distinctionem Scoti ex natura rei formalem videre licet Tomo 2. Controv. 7. q. 6ta fusè, ubi à proposito quid *S. Basilius*. & Controv. 8. q. tertia, quid *S. Anselmus* circa hanc materiam docuerint, examinatur. vide & *Mastrium* l. c. n. 307.

Expediuntur Argumenta ex ratione in oppositum adducta.

86 EX ratione primò objiciunt, istas præscisiones non salvare difficultates de hoc Mysterio, ideoque illas inutiles esse in Divinis. probant *antecedens*, quando dico Natura Divina communicatur, ubi licet in conceptu Naturæ Divinæ, non respondeat formaliter Paternitas, negari tamen non potest, quin realiter & identicè respondeat, adeoque manet Paternitatem communicari realiter, sicque Filium realiter esse Patrem, quamvis non sit formaliter Pater.

Respondetur, hanc difficultatem, quomodo formaliter, & realiter communicatur Essentia non communicatâ relatione nec realiter nec formaliter, adeoque quomodo non respondeat formaliter objectivè in conceptu Essentiæ Paternitas, quæ esto sit realiter Essentia, & tamen nec realiter nec formaliter communicetur à proposito, tractavimus Tom. 2. C. 9. q. 1. ubi vide quæ ibi fusè adduximus, & habes abundè solutum argumentum.

Objiciunt secundò sub hoc conceptu *Natura Divina communicatur*, respondere Paternitatem & totam Trinitatem ex parte objecti, hæc nihilominus *Paternitas communicatur* verificari non potest, quod probatus, quia per diversa media cognoscitur Paternitas & Natura, ergo sicut admissâ præcisione objectivâ inter Naturam & Paternitatem ita de illis loquimur ac si essent à parte rei distincta; ita etiam cum diverso modo concipimus Paternitatem & Naturam, poterimus de illis loqui, ac de distinctis realiter, quod alio medio cognoscatur Paternitas & alia Natura: prob: Paternitas concipitur per medium & modum Paternitatis creatæ, Natura Divina & Trinitas autem non concipitur per modum Paternitatis creatæ: ergo in conceptu Patris ex parte objecti correspondere potest Natura Divina & tota Trinitas, non tantum ex parte actus, imò quod amplius est, & quo confirmatur opinio solum formaliter præscindentium sub dicto conceptu *Natura communicatur* non solum verificatur de Paternitate, quod non communicetur, sed nequidem formaliter ex parte actus est cognita, quamvis ex parte objecti ipsa quoque Paternitas correspondeat, & hinc cùm dicimus, Natura communicatur, verum quidem est, Paternitatem etiam esse subjectum prædicationis sicut est ipsa Natura Divina, falsum tamen quod Paternitas sit subjectum verificationis, quod est sola Natura.

Respondeo negando *anteced.* quoad primam partem, quâ etiam gratis, pro modo loquendi opponentium, concessâ, negatur ex diverso modo concipiendi de Natura verificari, quod possit communicari, non de Paternitate, quia diversus ille modus cognoscendi, se tenet ex parte cognitionis nihil conferentis objecto, ut secundum unam formalitatem communicetur, secundum aliam non communicetur, non enim præstat secundum re, ut sub conceptu Naturæ objectivè non correspondeat Paternitas, cùm sic objectivè præscinderet, ergo sicut diverso modo, licet concipiatur animal in homine & diverso rationale, tamen quia esse principium sensitivum realiter affirmatur de animali, secundum te realiter quoque affirmatur de rationali, ita quia de Natura verificatur comm unicari, ita & de Paternitate, quod est contra fidem.

Dicendum itaque ideo non posse verificari de Paternitate, esto verificetur de Natura, quia positis præscisionibus objectivis in verâ aliquâ distinctione fundatis ex parte objecti in conceptu Naturæ non respondeat Paternitas, adeoque prædicatum *communicari*, non conveniat Paternitati, ut subjecto propositionis.

Quare ad illud, quo probatur Paternitatem cognosci per modum Paternitatis creatæ, secus Naturam &c. jam patet ex dictis supra in conceptu Patris, inquis, ex parte objecti, non ex parte actus correspondet Natura Divina & tota Trinitas, quia ita vis, sit ita, sed responde dictis supra n. 82. quod tunc ex parte objecti nullatenus catholicè dici posset: *Pater non est Filius*: sed hæ propositiones: *Pater est Filius*, *Pater est Trinitas*, veræ essent ex parte objecti, & falsæ solum ex parte actus, quod sapit Arianismum. & vicissim:

vicissim: *Pater non est Filius*, vera esset ex parte actus, falsa ex parte objecti, quia nec adæquatè nec inadæquatè dici posset, *Pater non est Filius*. Ad hæc ostende, qui contradictionis ictum effugies, nam Natura Divina vel communicatur, vel non: hoc secundum negas, quia est contra fidem: itaque tenetur primum, Natura communicatur ex parte objecti, quomodo ergo ex parte objecti respondet in eo, quod non communicatur, si non dentur præcisiones objectivæ adeoque distinctio aliqua vera illis præcisionibus fundamentum præbens; ergo per te contradictorium propositionis, quæ de fide est responderet in eodem objecto, & quidem contra fidem.

Ex quibus etiam patet ad confirmationem, nam esto ex parte actus non sit cognita nec respondeat in Natura Divina Paternitas, falsum quidem erit ex parte actus communicari Paternitatem, quia verò ex parte objecti respondet Paternitas, verum erit communicari Paternitatem ex parte objecti, cognitio siquidem ob independentiam hujus Mysterii à nostro intellectu, vel non cognitio ex parte actus sui objecto Divino non tribuit rationem communicabilis vel incommunicabilis, itaque quod objectum non sit cognitum formaliter non solvit difficultatem, nec salvat prætactam contradictionem. Sicut licet cum concipio hunc terminum *homo* non respondeat in conceptu hominis, nec cognitum sit ex parte actus *animal rationale*, & sic per actum, quo dico homo, non cognoscam statim nec concipiam animal rationale, quia tamen objectum utriusque est formalissimè idem, falsum quidem erit, quod actus quo concipitur homo, sit realiter actus, quo concipitur animal rationale, verum tamen erit, homo realiter est animal rationale, rationem hujus vide supra, quod non sit attendenda identitas vel non identitas actuum, sed objectiva, quæ affirmatur vel negatur.

Ad illud, quando nimirum dicimus *Natura communicatur* inferri quidem Paternitatem esse subjectum prædicationis, non tamen subjectum verificationis, quale est sola Natura Divina negatur, implicat enim illa, quæ eandem indivisibilem & formalissimam constituunt entitatem ex parte objecti esse subjectum verificationis, & non esse: proinde cùm Paternitas, quæ secundum te est subjectum prædicationis, sit eadem indivisibilis entitas cum Natura, implicat Paternitatem non esse etiam subjectum verificationis, vel certè non amplius negas ex parte objecti præcisiones, quia attingis ex parte objecti subjectum verificationis, non attingendo subjectum non verificationis, sic & illi qui dicunt totam Naturam Divinam quidem communicari sed non adæquatè, id est, non secundum omnia quæ ipsi identificantur, adeoque non secundum Paternitatem vel dicunt eandem indivisibilem entitatem non esse formaliter ex natura rei indivisibilem, ac proinde & in hoc conceptu naturæ communicabilem ex parte objecti respondere Paternitatem, illi, inquam, non negant amplius præcisiones objectivas, vel quod repugnat, dicunt idem de seipso posse negari, quod esse impossibile etiam quoad inadæquatam sui negationem, supposito quod sit formalissimè eadem identitas, visum est supra; plura de his in Controv. de distinctione Scoti.



CONTROVERSIA QUINTA,

Quid tenendum de modo salvandi contradictoria in Deo per distinctionem rationis?

SUMMARIUM.

1. *Contradictoria, quæ realiter identificatis verificantur, quo sensu vindicentur à contradictionis repugnantia per solam distinctionem rationis. q. 1 per totum.*
2. *Doctrina suadens apparenter sufficere ad omnia contradictoria in Divinis multiplicitatem objectivam & intentionalem, seu distinctionem rationis.*
3. *Negativa opinio præponitur & stabilitur, in oppositum adducta annihilantur. q. 2. & art. seqq.*
4. *Vekeni doctrina refellitur.*
5. *Quæstio principalis pro Scoto resolvitur, & per amplius roboratur. q. 3.*

QUAESTIO PRIMA.

An & quo sensu vero contradictoria, quæ dicuntur de realiter identificatis in Deo à contradictione vindicari possint per distinctionem rationis?

SUMMARIUM.

1. *Duplex conceptus objectivus rationis & realis explanatur. n. 89. & 90.*
2. *Diversitas alia rationis alia realis aliam & aliam constituunt contradictionem. n. 90.*
3. *Notabilis distinctio inter conceptum objectivum & conceptum objectivum. ibidem.*
4. *Contradictoria ut afficiunt rem secundum esse objectivum rationis seu ut extrinsecè denominatum, vi cujus unum prædicatum constituitur extra conceptum alterius salvantur per distinctionem rationis. n. 91.*
5. *Quomodo distinctio rationis aliquando fundetur super terminos extrinsecos à rebus realiter distinctis acceptos aliquando super inadæquatos conceptus. &c. n. eodem.*
6. *Qualiter gradus genericus constituatur ex nostro modo concipiendi extra specificum & differentia individualis Petri extra Essentiam Petri. n. 91.*
7. *Per distinctionem rationis ratiocinatæ salvantur contradictoria de objecto, quatenus in illo prædicatorum diversitas resultat à sola operatione intellectus constituentis unum prædicatum extra conceptum alterius. n. eod. & 92.*
8. *Non implicat contradictoria salvari per distinctionem rationis ratiocinantis. n. 92.*

ARTICULUS I.

Resolvitur status & Controversiæ apex tollendo æquivocationem *conceptus objectivi* aperitur.

87 *Modus loquendi quorundã de supportandis cõtradict.* Diversos loquendi modos in diversis legimus de capacitate hujus distinctionis in ordine ad propositiones contradictorias à contradictionis repugnantia salvandas; multi eam distinctionem elevant ad habitudinem sustinendis contradictoriis indivisibile objectum ex hoc, quia contradictio, si formaliter sumatur, non est, inquiunt, in rebus ante opus intellectus, quandoquidem in affirmatione & negatione consistit, quatenus sunt enunciativæ, ut docet *Aristoteles* c. de oppositis, sic autem sunt operationes nostri intellectus, certum autem est, quod intellectus de eodem contradictorias componendo enunciationes, illud non uno, sed diversis modis concipiat, adeoque

adeoque volunt hi Authores sufficere, ut contradictoria non sint respectu ejusdem eodem modo concepti, sed respectu diversi modi, quia tunc non se habet ut unum objectum, sed ut duo propter diversos conceptus objectivos inadæquatè exprimentes rem illam.

Alii, qui videntur alio modo explicare hujus distinctionis capacitatem, recidunt tamen in idem, omnesque conveniunt in hoc, ut verificentur contradictoria v. g. de unâ formalitate realiter identificatâ cum alterâ, necessarium esse, negari unum prædicatum de unâ, quod affirmetur de alterâ, ut talis formalitas prima saltem in tertio v. g. in conceptu inadæquato diversa sit à secundâ, in hac enim diversitate fundatus intellectus planissima via procedit ad negandum de prima, quod affirmatur de secunda, quia si prima formalitas & secunda omnibus modis idem sunt, ex nullo capite datur fundamentum, ut de una negetur prædicatum, quod eodem modo convenit utrique.

88 *Cum autem* Auctores multi signanter Scotistæ duplicem in rebus agnoscant contradictionem, notandum, dupliciter posse considerari diversitatem necessariam ad contradictionem; semel ut illa resultat in objecto à sulâ operatione intellectus constituentis unum extra conceptum alterius, quomodo v. g. gradus genericus in communi Thomistarum per solam rationem à gradu differentiali distinctus constituitur extra quidditativum conceptum differentiæ, & econtra differentia extra conceptum gradus generici: semel verò quod hæc diversitas non præstatur ab intellectus operâ, sed quæ revera inest conditioni & quidditatum naturis, unde & distinctio *ex natura rei* vocatur, hinc contigit Auctores quosdam aliquando loqui de conceptu objectivo, ut in illo consideratur diversitas rei, aliquando verò ut concipitur in eo diversitas rationis, itaque ad evitandas hallucinationes & meliorem hujus Controversiæ expeditionem diligenter prænotandum, nostræ conceptionis objectum dupliciter accipi vel pro illa denominativo, quod ad cognitionem nostram ut quid posterius consequitur, eam quomodo ad corpoream visionem sequitur in objecto visum esse, ita ad cognitionem seu visionem intellectualem, cognitum esse; vel pro ipsâ re seu ratione illâ, quæ nostrum conceptum antevertit, utrumque significatur per istas voculas *conceptus objectivus* quamvis nonnulli rem illam, quæ cognitionem nostram antevertit, velint vocari objicibilem rationem potiùs quàm objectivam, ita ut quod prius & reale est,

Diversitas contradictionem arguit diversitatè in objecto.

Objectum nostræ conceptionis dupliciter accipitur.

à posteriori & denominativo melius secerni valeat, licet enim utrumque objectum iisdem terminis exprimatur, unum tamen ab altero est diversissimum, cum illud objectivum esse, quod resultat ad cognitionem nostram ex diversis modis logicalibus aut grammaticalibus, referatur ad conceptum, ut terminus ad viam seu fieri, & sicut terminus nihil refert in facto esse quod non præhabeat actio, per modum fieri illius, ita ratio objecti, in quantum sumitur pro denominatione à nostro conceptu relicta, nihil explicitum præ se ferre valet, quod illi non congruat vi conceptûs & præambulæ cognitionis, eâ ratione illud esse denominativum visionis, quod visum esse dicitur, nihil exprimit, quod non sit mutuatum à visione.

Ex quo patet contrarium accidere in illâ ratione objicibili seu conceptu objectivo, qui ex natura rei operationem intellectus antecedit, consequenter sicut à cognitionis operatione non venatur suum esse, siquidem ex intrinsecâ sui conditione supponit illam, ita aliam quoque conceptibilitatem hæc sortitur, & iterum aliam ista, quæ extat formata ab intellectu.

Ex his porrò nascitur & noscitur dupliciter posse fieri contradictoria, semel ut propositiones ex se sibi contradicentes non involvant contradictionem ex natura rei, sed à nostris conceptibus, secundum diversos modos logicales aut secundò intentionales provenientes, seu ut statim dixi propter diversos conceptus objectivos rationis, qui ut quid posteriùs consequantur ad nostram cognitionem, importantes nudam denominationem extrinsecam in objecto & quasi habitudinem, ad intellectum imperfectè concipientem, unde perspicuum est pro his contradictoriis in objecto, non esse constituendam distinctionem ex natura rei. Secundò ut diversitas fundans contradictorias propositiones in ipsâ rei naturâ deprehendatur, adeoque non propter aliquam habitudinem extrinsecam ad intellectum seu conceptus objectivos rationis, sed propter conceptum objectivum, quæ cognitionem omnem antevertit referens in unâ & eadem re alias & alias ex natura ipsiusmet rei formalitates. vide quæ diximus *Controv.* 2. q. 1. n. 12. &c. quæ seriò observanda sunt, ut omnis ambiguitas in hac *Controversia* evitetur inter disputandum, unde & sit 90

* * *
* * *

ARTI-

ARTICULUS II.

In quo

Resolvitur Quæstio, quòd per distinctionem rationis ratiocinatæ possint salvari contradictoria de objecto, secundò intentionaliter & reduplicativè sumpto, id est, spectato non nudè secundum se in ratione tantum actus primi, sed quatenus in illo prædicatorum diversitas resultans à solâ operatione intellectus constituentis unum prædicatum extra conceptum alterius ut *quod* affirmatur vel negatur; ita ut propositio cadat super rationem ut cognitam & quà significatam &c.

ASSERTIO

Enunciationes contradictoriæ, ut afficiunt rem in statu non purè reali, sed secundum esse extrinsecè denominatum, quatenus in objecto resultat diversitas prædicatorum, in quæ cadit contradictio, à solâ operatione intellectus constituentis unum prædicatum extra conceptum alterius à contradictione per solam distinctionem rationis ratiocinatæ, salvari possunt, sive fundamentum istius distinctionis spectetur secundum diversa connotata variarum perfectionum realiter ab illo distinctarum, sive spectetur secundum inadæquatos conceptus, quatenus, quod à parte rei in seipso unum est, non uno actu inadæquato exprimi possit.

91 *Contradictoria secundum esse extrinsecè denominatum, per connotata aut per intellectus operam quomodo salventur.*

HÆc Assertio, si bènè intelligatur, non habet difficultatem, etiam in schola *Scoti*, quæ contrarium asserendo loquitur de contradictoriis in statu reali, sive ex natura rei in ratione actus primi, secus in proposito, nam si fundamentum distinctionis, vi cujus contradictoria verificari posse dicimus, connotat diversos terminos extrinsecos à rebus realiter distinctis acceptos, perspicuum est, illa non cadere super idem secundum idem, sed supra diversa connotata extrinseca; si verò spectetur fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ, ut connotat nostros inadæquatos conceptus objecti non uno actu comprehensibilis, patet etiam contradictoria non cadere super idem secundum idem, v. g. quæ verificantur de gradibus metaphysicis animalitatis & rationalitatis in natura specifica hominis: ideo enim rationale, esto quod ante inadæquatam nostri intellectus considerationem nullo modo distingueretur ab animali, non est de Essentia illius, quia secundum modum nostrum concipiendi animal præsupponitur adæquatè constitutũ ad rationalitatem, cui ut potentia seu materia quædam metaphysica substernitur, potestq; sic deduci: illud dicitur distinctum ab altero seu esse extra essentiam alterius, quod licet idem realiter cum illo altero, illud tamen præsupponit secundum conceptus nostros plenè & adæquatè constitutum, idq; alteri quasi præmittat, ut non cointegret constitutionem illius, ex hoc capite multi volunt distingui & concipi Essentiam Divinam ab Attributis, quæ licet ante intellectus operationem secundum illos non distinguantur, non sunt adhuc de conceptu Deitatis, seu Essentiæ, quam præsupponunt, sed rationale, licet omni modo foret idem, cum animali præsupponit illud in modo nostro concipiendi jam plenè constitutum. Idem est de differentia individuali Petri, quæ ex hoc capite asseritur extra Essentiam Petri, esto ab illo ante intellectum non differet, quia præsupponit specificam constitutionem in esse perfecto, utpote non præsupponit solùm rationem animalis constitutam, quæ est conceptus convenientiæ cum aliis animalibus, sed & rationalitatis, quæ est ratio distinguens ab omnibus aliis; ergo illi gradus sunt extra conceptum aliorum, quos sibi præsupponunt, nec ut dixi, in hoc erit difficultas, modo generatim, dum dicimus salvari posse contradictoria, attendatur, quod illa in contradictione, seu in objecto affirmato & negato non attingant ipsam rem, in quantum extra connotata extrinseca vel conceptionem nostram existit, sed cum esse objectivo secundo intentionaliter sumpto, ita ut habitudo distinctionis inter duas rationes objectivas intercedat secundum illud esse, quod utrumque, id est, objectum negatum & objectum affirmatum ab intellectu vel connotatis accipit, ad quæ ut monui jam tum supra art. 1. seria facienda reflexio, ne dum rem per objectivum conceptum, aliquando rem ipsam, ut cognitionem præcedit, intelligimus, aliquando verò illud esse extrinsecum, seu esse denominatum, quod ab intellectu cogitante resultat, fiat hallucinatio.

92 His præjactis probatur Assertio ex dicendis *Controv.* 10. q. 1. in responsione quinta ad argumenta *Scotistarum 2dò*: sicut distinctio, quæ est à parte rei, ponit unum extremum extra aliud à parte rei, ita distinctio rationis ponit unum extremum extra aliud in esse objectivo, cujus jam tum dedimus hypotyposin: ergo cum ad contradictoria à formali contradictione salvanda sufficit, si non dicuntur secundum idem omninò, jam quæ erunt contradictoria per distinctionem rationis, & secundum esse objectivum unum dicitur extra Essentiam alterius, desinunt esse talia, licet enim relinquat rem sicut erat, penitus eandem à parte rei, facit tamen eam differre modo dicto penes conceptus, nec opus est rem adeo certam pluribus argumentum stabilire, imò nedum hoc verum est de distinctione rationis cum fundamento in re, ut exprimitur in Assertione, verum etiam de ipsâ distinctione rationis ratiocinantis, unde de eodem Petro posito in prædicatione identicâ semel à parte subjecti, & semel à parte prædicati contradictoria enunciari possunt, prout est objectivè in intellectu, & substat illis secundis intentionibus prædicati & subjecti, verumque erit Petrus ut substat in propositione identica est subjectum non prædicatum, sed in aliqua propositione identica, substat subjectum, ergo in tali propositione idem Petrus non est prædicatum.

Difficultas sola restat, an omnia contradictoria quæ dicuntur de realiter identificatis in Deo absolutè & simpliciter in ratione actus primi non coassumendo intentionem secundam à formali contradictione salvanda sufficiat & subsistat sola distinctio rationis, de quo fit *Status quæst. sequentis.*

QUAESTIO II.

Quale sit & an sufficiat fundamentum Adversariorum, quo suffulti censere causantur capacitatem salvandi contradictoria per distinctionem rationis, seu multiplicitatem objectivam extendendam esse ad omnia prædicata contradictoria, quæ absolutè & simpliciter dictante fide, de Deo enunciantur?

SUMMARIUM.

1. *Affertur fundamentum opinio affirmantu, & in quo subsistat. n.* 93.
2. *Nomina consignificare differentiam, eamq; in propositiones inducere posse, quomodo deducant. n.* 94.
3. *Propositiones secundum statum purè realem retentâ terminorum significatione dicuntur ab aliquibus impossibiles. n.* eod.
4. *Modus loquendi de Deo secundum statum realem ad mentem Adversariorum aperitur. n.* eod.
5. *Supradictum fundamentum exactè discussum rei per terminos & nomina significatas ad ens imaginarium deducit. n.* 95. *& seqq.*
6. *Doctrina* Neotericorum *in varias absurditates incidit, & quare. n.* 99. *& seqq.*
7. *Esse rem, qua est Paternitas, filiatio &c. intellectus, voluntas &c. & tamen Paternitatem, filiationem, intellectum, voluntatem non esse à parte rei, nisi per nostros conceptus & distinctionem rationis implicantiam dicit, & quare. n.* 103.
8. *Occasio evadendi contradicteria in Deo occluditur. n.* 104.
9. *Propositiones, qua verè aliquid de Deo enunciant secundum esse quod referunt, involvunt necessariò suppositionem & hypothesin* ex natura rei. *n.* 105. *&* 108.
10. *Veritatem consistere in dependentia & conformitate actus judicativi cum objecto causam veritatis referente, velut mensura & regula illius* n. eod. *&* 108.
11. *Nomina ex sua institutione significant directè res, ubi qua sint repetenda inter nomina prima intentionis. n.* 106. *&* 108.
12. *Aliud esse quid affirmatur aut negatur de objecto, & aliud sub* quo modo, *& quare id in proposito observandum cautius. n.* eod. *&* 109.
13. *In quo sensu distinctio in Deo secernit* est *&* non. *n.* 107.
14. *De Divinis non minus rectè per terminos simplices loqui, quàm per plurium conjunctionem etiam contradictorias formare, nil impedit. n.* 108.
15. *Distinctionem explicari per negationem identitatis, ac proinde propositiones, qua inferunt necessariò aut contradictionem aut distinctionem, necessum est inferre negationem identitatis ex natura rei formaliter, non solum fundamentaliter. n.* 108.
16. *Veritates de Deo reales esse. vide n.* 109.

ARTI-

ARTICULUS I.

In quo

Referuntur quædam observationes, & primò explicantur fundamenta pro opinione affirmativa, & discutiuntur accuratè.

§. I.

Quod sit fundamentum Ad-versariorum?

93 Affirmativam sententiam tenent inter Recentiores cum multis Thomistis *Vekenus* Tract. 1. disp. 4. & 5. de simplicitate Dei. & disp. 6. de Deo Uno c. 2 citatque pro eo *Alexandrum Alensem*, *S. Bonaventuram*, *Albertum* M. D. *Thomam*, & è Societate *Vasquez*, *Granadum*, imò & ipsum Concilium *Florent.* sess. 18. ubi *Ioannes Theologus* Divinam substantiam & Personas *intelligentia & ratione distinguit.* Fundamentum suæ doctrinæ, quod res necessariò differant per distinctionem rationis, potissimum cum Nominalizantibus figit in hoc, quia necesse est, quod nomina consignificent differentiam, hinc in propositiones, quæ ex iis constant, discrimen sufficiens invehunt, cur de te, prout uni nomini ac conceptui substat, affirmari quid possit, quod de eadem negatur, prout hæc substat alteri nomini ac conceptui. Exempli gratia, intellectus, voluntas, misericordia, justitia, potentia divina significant quidem eandem penitus entitatem ac formalitatem à parte rei, sed intellectus hanc significat sub conceptu inadæquato illam præcisè exprimente, prout tendit in verum, nihil de eadem dicendo, quatenus circa bonum versatur. Econtra voluntas alium conceptum secum affert, qui dissimulata tendentia in verum menti solum objiciat inclinationem in bonum. hinc, inquit, non est mirum, si in propositionibus, quæ ad sui veritatem, non rem solum, sed hoc vel illo modo expressam exigunt, aliquid affirmetur de eadem entitate divina sub nomine & conceptu intellectus vel misericordiæ, quod de eadem negetur sub nomine & conceptu voluntatis vel justitiæ. Tota hæc doctrina, reipsa quoad distinctionem prætensam cum multiplicitate objectivâ & intentionali coincidit cum illa, de qua egimus q. præced. art. 1. & aliis verbis solum palliatur ab aliis, quod propositiones contradictoriæ, sui veritatem quidem non petant per dependentiam ab ipso actu, sed ab ipsomet objecto secundum se quidem, non tamen nudè spectato, sed ut est terminativum cognitionis, id est, inquiunt, ut est imperfectis actibus conceptum ac præcisivè cognitum, quod reipsa idem est, quod affert *Vekenus* impossibile esse conceptum objectivum, id est, ipsum objicibile nostri intellectus, non involvere respectu actuum imperfectorum distinctionem rationis in illo, seu multiplicitatem intentionalem.

Nomina consignificare differentiā, quo sensu accipiatur à nonnullis, qui nominalizant.

Pro hac doctrina stabilienda notant primò. 94
Nomina rebus imposita significare directè & primariò conceptum & mentem loquentis, secundariò autem & in obliquo significare res, adeoque prout subjacent illis conceptibus, hac ratione *Veken* l. c. ad argumentum hoc, quod si via remotionis tolleretur distinctio rationis, quod tunc secundum statum realem verum esset Deum intelligere per intellectum, non per voluntatem, respondet negando suppositum esse possibile, & propositiones in casu objectionis retentâ significatione terminorum non dari, sed esse chymericas, & impossibile esse, nos posse vocibus illis *intellectus*, *voluntas*, *misericordia*, *justitia* & similibus simpliciter uti relinquendo omnem distinctionem rationis, cum hæ voces non rem solam, sed ut ratione distinctam significent. quapropter si quis velit de Attributis loqui secundum statum purè realem, debet omittere illos terminos simpliciter acceptos, & vel alios adhibere, vel prioribus aliquid addere, alioquin involveretur contradictio in adjecto, & propositiones inde formatæ seipsas falsificabunt: ab una enim parte supra seipsas reflexæ omnem distinctionem rationis in suis terminis negabunt, ab altera parte termini ex quibus constabunt, distinctionem illam negatam involvent.

Objectum secundum se non tamen nudè spectatū, quid.

In eundem sensum loquitur *Vasquez* 1. p. disp. 120. n. 26. Res, inquit, ipsæ à nobis viatoribus significari nequeunt, nisi nominibus à nobis etiam impositis, & nomina de Deo diversa sunt, quia diversos de Deo habemus conceptus, nec ipsum alio modo intelligere valemus, & hinc fit ut quantumvis addamus illud *ex natura rei*, cum affirmamus communicari aut non communicari & similia, semper in nostris prædicationibus includetur aliqua distinctio & ordo rationis, ob quem de eadem re ex natura rei omninò individua, distincta tamen à nobis per intellectum, & per omnia diversa alterum affirmare, alterum negare, non modo possimus, sed etiam debeamus.

Doctrina superioris applicatio.

Novus loquendi modus in supplementum prioris. Porrò interrogati, per quos terminos igitur de Divinis possimus loqui, ut distinctione rationis seclusâ explicamus ea non tantum secundum rem, sed etiam secundum modum, quam habent à parte rei respondent vix posse assignari terminos simplices prorsus, qui significent prædicata divina independenter in nostris conceptibus & distinctione rationis, omnes enim hactenus impositi vel aliquam vel etiam plures distinctiones, aut præcisiones involvunt; possumus tamen horum defectum supplere vel corrigere, per plurium simplicium conjunctionem, quam *Granadus*, *Didacus Ruiz* faciunt hoc modo: *Hæc entitas Essentia, realitas, vel res, quæ est Essentia, vel relatio, res quæ est intellectus, entitas aut realitas, quæ est voluntas, res quæ est misericordia, res justitia, ens illud, quod omnipotentia est* &c.

Ejusdem usus & applicatio. Ex his se se armant contra quascunque rationes in contrarium & firmant sententiam suam inferendo non dari in Deo contradictoria nemine cogitante, vel independenter à distinctione rationis & conceptibus nostris, sicq; falsum pronunciant, quod res, quæ est Essentia, communicetur; & res, quæ est Paternitas, non communicetur; primum enim erit verum, secundum autem falsum: idem pronunciant de his duabus: Res, quæ est Natura, subsistit in Filio, Res, quæ est Paternitas, non subsistit in Filio, hanc enim secundam dicunt esse falsam nemine cogitante & independenter à distinctione rationis. Cur autem in Deo vera sit affirmativa & falsa negativa rationem dant, quia ad affirmationis veritatē sufficit, ut sit vera secundum aliquam rationem, ad veritatem autem negationis, cum negatur, & particula non malignantis naturæ, quæ absolutè totum destruit, quod affirmativa astruit, requiritur ut in nullo sensu nullaque ratione vera sit affirmatio, jam verò ut istæ sint veræ, Res, quæ est Paternitas, non communicatur; item, Res quæ est Paternitas non subsistit in Filio, oporteret, ut non verificaretur Res, quæ est Paternitas nullo modo, id est, in nullo prædicato convenite communicationem, quod falsum est, quia ob realem identitatem Paternitatis cum natura, quæ communicatur, verum est dicere, illa res, quæ est à parte rei Paternitas communicatur.

§. II.

Doctrinæ superioris Recentiorum accurata discussio, in qua tandem meta quiescat?

95 *Modus evadendi Scotistarum argumenta.* Faciamus clarum hujus doctrinæ experimentum, dum v. g. *Scotistæ* dicunt Naturam Divinam comunicari, Paternitatem Divinam non communicari, respondent nihil in Deo distingui in esse communicatum & non esse communicatum, quoad rem significatum, in qua nemine cogitante vel independenter à distinctione rationis nulla dantur contradictoria, & sicut detorqueant quæstionem ad sua principia; ita de Deo contradictoria ajunt formanda: *Res, quæ est Natura communicatur*, & *Res, quæ est Paternitas, non communicatur*, tum primum erit verum, secundum autem falsum. hæc item: *Res, quæ est Paternitas, distinguitur realiter à Filio*, verum est: ista econtra, *Res, quæ est Paternitas, non distinguitur realiter à Filio*, falsa est ante omnem conceptum, eodem modo de aliis prædicatis contradictoriis loquendum. quare verum dicimus, *Res, quæ est Natura subsistit in Filio*, falsò autem dicetur, *Res, quæ est Paternitas, non subsistit in Filio.*

Instantiam qui solvant. Quod si illis opponatur procedendo in propriis eorum principiis: Res seu entitas, quæ est Natura, est res quæ est Paternitas; & Res quæ est Paternitas est res, quæ est Natura, sed res, quæ est Natura Filio communicatur; hinc enim est quod *Christus* ait: *Ego & Pater unum sumus.* Et res, quæ est Paternitas non communicatur, quia fides docet, quòd alius sit Pater, alius Filius: ergo ante omnem distinctionem rationis conveniunt duo contradictoria, quandoquidem juxta principium Adversariorum, hi termini: Res, quæ est Natura, Res quæ est Paternitas significant prædicata independenter à nostris conceptibus & distinctione rationis. minor, quod res quæ est Paternitas, non communicetur, quod falsum esse dicunt, probatur primò: Res, quæ distinguitur realiter à Filio, non communicatur: sed res, quæ est Paternitas, distinguitur realiter, ut supra concessum, ergo res, quæ est Paternitas, non communicatur. *Secundò* Res, quæ est Paternitas, est Paternitas; & Res, quæ est Natura, est Natura. item, Res, quæ est Paternitas, est simul res, quæ est Paternitas, & simul res, quæ est Natura; sed Natura subsistit in Filio, adeoque communicatur Filio, quia res, quæ est Natura, subsistit in Filio, & simul non communicatur, quia Paternitas, quæ est Natura, non subsistit in Filio: ergo dantur duo cōtradictoria nemine cogitante, scilicet Res quæ est Natura communicatur; & Res quæ est Paternitas & simul Natura non cōmunicatur.

Respondent in utroque syllogismo involvi contradictionem in adjecto, quando enim dicitur in majori primi, *Res quæ* &c. & in minori secundi, *Natura subsistit in Filio*, necessariò involvitur distinctio rationis, quandu verò dicitur in aliis propositionibus: *Res quæ est Paternitas distinguitur realiter à Filio.* item, Res quæ est Natura subsistit in Filio, adeoque communicatur & non involvitur distinctio rationis, ideoque involvitur contradictio in adjecto.

Quod si, ut rem tandem omninò dilucidemus, instantiùs premamus, ut dicant distinctè & sine involucris verborum, qualis sit denique res significata per nomen Paternitatis & per nomen Naturæ, an significatum Naturæ non sit ipsa Res, quæ est Natura, & significatum Paternitatis non sit realiter Res, quæ est Natura, adeoque an non concedant significatum hujus termini *Natura* subsistere realiter in Filio, & num 96

Ubi mentiantur adversarii. non admittant significatum hujus vocis *Paternitas*, quæ etiam est realiter Natura, non subsistat in Filio? Respondent illa significata esse nostros conceptus & distinctionem rationis; vides ergo non eundum plus ultra, quia quod generatim nulla in Deo datur contradictio inter prædicata Dei absoluta comparata vel inter se vel cum relativis ante intellectum cogitantem, unicum est eorum asylum ex dicto ædificatum principio.

ARTICULUS II.

Invicta Scotistarum Doctrina occludit speciosum hoc effugium, quo evadere moliuntur enunciationum contradictionem ob inadæquationem conceptuum statuendo non dari contradictoria in Deo nemine cogitante vel independenter à distinctione rationis.

§. I.

Opinionem Articulo superiori adductam non esse admittendam, probatur ab inconvenientibus. pro quo sit

ASSERTIO

Si propter prætensam vocum & conceptuum inadæquationem (v.g. quod hæc nomina *intellectus: voluntas* & cætera Dei Attributa absoluta, vel quia voces relatæ, Paternitas, Filiatio, Spiratio passiva inadæquatè solum relativas Dei proprietates exprimere putant) non innuant in propositionibus illa Attributa & proprietates enunciari secundum esse, quod referunt à parte rei neq; illorum dentur conceptus adæquati, possitq; negari illa suppositio *ex natura rei*, id est, non innuunt proprietates Dei intrinsecas ex natura rei, sed à nostris tantum conceptibus analogicè & extrinsecè petitas, non solum incassum Theologi defatigarentur istarum proprietatum, ut his nominibus exprimuntur, quidditates investigare, sed & SS. PPtrum & CCrum definitiones redderentur ridiculæ hæreticis, inefficaces & suspectæ fidelibus, ac absonis obnoxiæ consequentiis.

99 *Censura Brinzenno & Philip. Faber.* NOn abs te *Brinzenno* Controv. 1. de Essentia & simplicitate Naturæ Divinæ art. 5. n. 61. & apud ipsum *Philippus Faber* 1: d. 2. q. 7. d. 20. c. 6. n. 66. considerantes Thomistas, dum asserunt Scoti discipulos distinctionem formalem ex natura rei astruentes, simplicitatem Divinam evertere, censuerunt reconveniendos esse, eo quod Dei proprietates, de quibus disputant Theologi ad fictitias & imaginarias proprietates in suis principiis reducere videntur, estque hoc unum ex absurdis, à quibus adversæ opinionis exigua probabilitas mox elucescet, dum ostendetur contradictorium illius potiùs verum esse, scilicet illa nomina de subjecto negato aut affirmato, ut veritatem sortiantur, debere convenire rei independenter à nostris conceptibus & distinctione rationis. Primum itaq; quoad tres ultimas sequelas in Assertione expressas, à quibus dependet prima, quod Theologi incassum tantopere insudarent *&c.* & quidem de expanso hæreticis ostio ad eludendum definitionibus Ecclesiæ & ipsum SS. Trinitatis Mysterium v.g. reddi ridiculas definitiones Conciliorum probatur vel ex ipso Ecclesiæ decreto contra Arianos versante circa principale fidei nostræ objectum, quod Deus sit Trinus & Unus, id est, Unus in tribus Personis realiter distinctis, nam si *Natura Divina* hoc nomine expressa significetur solum una, prout est in intellectu, & non à parte rei, sensus illius Decreti erit, quod sit Unus in nostro conceptu, sive secundum nostrum modum concipiendi, id quod in expressis terminis habet *Veken* d. 6. de Deo c. 3. n. XIII. §. *Notandum enim primò* dicens adjectiva illa *una, tres, communis, improducta, quantum est ex se, præscindunt à Persona vel Essentia una vel trina, producta vel improducta, relinquunt namq; solitariè prolata dubium seu suspensum, utrum Essentiam vel Personam designent, quæ suspensio est signum præcisionis ac indifferentiæ, quam in sua significatione & per consequens conceptu ei correspondente habent, hæc autem indifferentia ijs non convenit à parte rei, ibi enim ad sua subjecta sufficienter determinantur, sed per rationem tantum.* ita ille. juxta quæ consequenter non definitur, Divinam Essentiam magis *Absurda sequela fidem destruens.*

gis *unam* esse in tribus Personis, quàm sit una Natura in omnibus hominibus, quin hæc saltem in iis est etiam una per nostram rationem, seu secundum nostrum modum concipiendi, vel si quando Concilia definiunt Naturam Divinam esse in tribus Personis definiunt rem independenter à nostris conceptibus, ergo etiam ne inducamur in errorem, quando definiunt Naturam Divinam communicari, & Personalitatem non communicari, definiunt rem independentes ab iisdem conceptibus, adeoque contradictoria ante nostram rationem esse in Deo.

100 *Secundò* si hæc nomina *Paternitas, filiatis, spiratio* passiva, *Personalitas, Deitas, Essentia* & alia hujusmodi Dei prædicata nobis non significarent Deum, prout in se est, sed tantum prout in nostro intellectu, adeoquè rationes formales, prout illis nominibus significantur, & nobis ab Ecclesia sub iisdem nominibus definitivè proponuntur, non sint verè & propriè in Deo, sed in nostro intellectu, cum *hac nomina* ait idem *Vekenus* d.6. de Deo.c.2.n.6 *significent rem, non prout in se est, sed prout est in conceptu, seu præcisa per intellectum.* nulla ratio congrua hæreticis & dubitantiis dari posset, quando asserimus Personas esse unum, & esse distinctas, in quo sint unum, & in quo distinguantur, sive quomodo contradictoria illa, *esse unum* & non unum, sed *tria* à parte rei vera sunt v. g. *Arianus* etsi tandem edoctus sit à SS. PPbus, quod *ingenitum esse*, seu *innascibilitas* in Patre sit quid negativum, & non tam dicere, quod sit substantia, quàm quod non sit, proinde cum non pertineat ad substantiam Patris, cognoscit ex illa parte non lædi consubstantialitatem Patris & Filii, quia tamen Concil. *Florent.* in literis Unionis ad Græcas expressè habet: *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater Unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem,* id est, cum particula *præter* sit exclusiva, *præter Paternitatem*, sive quod non pertinet ad rationem Filii, Paternitas autem secundum te, sit ipsissima substantia Patris, neq; sint aliqua duo in conceptu Personæ, nisi per solam nostram rationem, eâ opinione firmatus nondum videt ex eâ parte, quia Paternitas est formalissimè substantia Divina, quomodo Pater & Filius sibi sint consubstantiales, & tamen Paternitas non sit in Filio, quæ est ipsa substantia Patris, id illo sic amplius urgente, & articulum fidei ex Florent. C. conferente cum alio articulo etiam de fide, nimirū tres esse Personas, easque inter se distingui, esse præter Essentiam omnibus unam in unaquaque Persona proprium sibi aliquid ac peculiare, per quod & in se constituuntur & distinguuntur, illud tamen cum Essentia non est in Patre aliquid & aliquid, nec est in Filio aliquid & aliquid, cumq; illud quod non est aliquid & aliquid formalissimè una sit eademq; Essentia, in quo supposita tua sententia concipiam, inquiet, catholicum illud tuum *homousion* in Divinis? sed & ex quo sumam fundamentum distinctionis? cum nullum discrimen intrinsecum inter Essentiam unam & tres Personalitates assignare possis, sane pro responso aliud non repones, præter variationem vocum & conceptuum nostrorum, consequenter cum distinctio rationis purè extrinseca *relinquat rem, sicuti erat penitus eandem à parte rei*, ut rectè Auct. cit. supra, *Ariano* non aliquid ponitur à parte rei in quo Personæ sint unum & non unum, nec aliquid in quo distinguantur, & aliquid in quo non distinguantur, proinde seclusis conceptibus nostris per nomina, quibus CC. utuntur & definitivè procedunt, non differunt plus quàm idem à seipso, quàm ensis & gladius, an per hoc syncerè satisfaciant hæreticis & dubitantiis de nostrâ fide, an non potius illam cavillandi causam dent Trinitatis hostibus, quasi conceptitiam solùm statuamus Trinitatem, cum contradictoria hæc *esse unum & non unum* &c. non verificentur à parte rei, & secundum statum realem, sed virtute nostrorum conceptuum? Igitur ut Definitiones Ecclesiæ & Conciliorum Decreta ab hæreticorum calumniis & risu eximamus, dicendum quando definiunt Naturam unam esse in tribus Personis, quod definiant rem independenter à nostris conceptibus, & quando definiunt Naturam Divinam communicari, & Personalitatem non communicari, Patrem generare, non generare Essentiam, Filium gigni, ut Verbum per intellectum, Spiritum sanctum procedere per voluntatem &c. interpretanda veniunt, quod loquantur independenter à nostris conceptibus & distinctione rationis, ut amplius patebit in dicendis infra.

Doctrina adversantium Mysterii Trinitatis incredibile reddit.

Concilia sanè ne risui demus hæreticorū, interpretanda veniunt.

101 *Secunda sequela* quod juxta principia *Adversariorum* definitiones Ecclesiæ fidelibus redderentur suspectæ & inefficaces, atque adeo ut quis salvâ fide omnia ferè Mysteria de Deo ab Ecclesia & CC. definita sub iisdem terminis, sub quibus nobis proponuntur, negare posset, *probatur.* quia posset quis validè & ex solido fundamento dicere, dum proponitur nobis à Concilio *Lateranensi, Essentiam non esse generantem, nec genitam, sed est Pater qui generat.* à Concilio Nicano & aliis diversis, *Deum esse Unum in Natura, Trinum in Personis, SSmam Trinitatem secundum communem Essentiam esse individuam & secundum Personales proprietates discretam*, & similia Ecclesiam vel Concilia non loqui de Deo & Divinis rationibus prout sunt in se & à parte rei, sed tantum prout substant nostris actibus Deum imperfectè & præcisivè concipientibus, adeoque cum propositiones juxta commune Philosophorum pronunciatum censeantur veræ vel falsæ, *ex eo quod res vel non est*, absolutè posset & validè dictas propositiones negare quod nimirum à parte rei, & secundum statum realem non enunciant, quæ vera sunt, nisi per dependentiam à distinctione nostrorum conceptuum, à quibus producuntur ut distincta, & tres Personæ ponuntur in statum distinctionis & præcisionis ab una Essentia, & vicissim una Essentia ad statum distinctionis à tribus, imò quod amplius est, dicent nobis quid obstet, quin solidè negari posset hæc propositio, quæ est de fide: *Paternitas non est Filiatio: Paternitas non est Spiratio passiva à parte rei*, quia hæc nomina relativa: *Paternitas, filiatio, spiratio passiva* juxta doctrinam illam non magis adæquatè exprimunt hypostases Patris & Filii & Spiritus

Doctrina adversans definitiones Ecclesiæ suspectas reddit Fidelibus.

Spiritus sancti, quàm illà nomina, *intellectus, voluntas*, indicant attributales Dei proprietates: atqui ex hoc, quod illa nomina, intellectus, voluntas, significent inadæquatè propria objecta, potest, imò debet juxta illos Aoctores dici, quod significet rem, non prout in se est, id est, secundum suppositionem propositionis innuentia quidditatem objecti ex natura rei, sed prout est in conceptu: ergo & distinctio realis inter relativas hypostases, prout se tenent ex parte rei eludi posset prætextu inadæquatæ repræsentationis nostrorum conceptuum, cum dici possit eodem jure, voces illaa Paternitas, filiatio & spiratio passiva non exprimere res, sicut in Deo sunt, sed inadæquatè & analogicè solum, hoc cum Adversarii admittere non possunt, est enim hæreticum, Paternitatem esse filiationem vel spirationem passivam, rationem reddere tenentur, cur hæc nomina *intellectus, voluntas* & cæteræ voces absolutæ inter se, vel cum relativis comparatæ exprimunt rem significatam, non prout in se est, sed ut sunt præcisa per intellectum.

Concil. Toletan.

Confirmatur: Concilium *Toletanum* VI. & XI. in confessione fidei decernit aliquid esse in Persona Filii, quod à parte rei terminat formaliter unionem hypostaticam, estque Personalitas Filii, & aliquid commune ei cum aliis Personis, scilicet Essentia, quod non terminet illam, verba Concilii sunt: *Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ, non in unitate Naturæ, & cætera.* Quid inde fidelis concludet, nisi esse verè in Filio *aliquid* terminans unionem, & *aliquid* non terminans illam, ac proinde esse vera contradictoria, illi dicunt ita esse, sed non à parte rei, sed per rationem nostram ibi esse aliquid & non aliquid, ut non de uno, sed de distinctis negari & affirmari videatur munus terminandi, etsi à parte rei non sint ullo modo ante nostros conceptus distincta, quibus omnibus benè consideratis, nonnemo facile diceret tales propositiones deservire ad illudendum fidelibus eo modo, quo illuduntur temulenti ex humorum fluxu perturbatam habentes phantasiam, dum simpla illis videntur dupla, imò & septupla, vel quomodo vulgus imperitum illuditur in æstimandis distinctis ac numero pluribus illis objectia, quæ revera unum sunt, ut cum in præstigiis nubium apparent partheliæ seu diversæ imagines ejusdem solis, aut in polyangulis specillis ideò nummus aureus repræsentatur, toties ut plures nummi aurei, quot sunt facies triangulorum, in quibus simplices decipiuntur, quia cum *Protagara* multiplex esse volunt, quod multiplex esse opinantur, esto à parte rei non sit ita, cum ibi nec nisi sit sol & nummus unicus, ut nemo prudenter dicere valeat, illa esse distincta propterea, quod distincta appareant: ergo si prædicata contradictoria, quæ de Deo definiuntur in Conciliis ideò distincta esse dicuntur, ut sine repugnantia contradictionis verificari possint, quia distincta elucent in nostris conceptibus, quæ tamen à parte rei juxta opponentes omni modo unum sint, quid obstat, quin cuipiam dicere liceat,

Illusio ceptuum nostrorũ, in doctrina opposita,

talem doctrinam non deservire, si non ad fidei desertionem, certè nonnisi ad deceptionem, quemadmodum exempla adducta non deserviunt nisi ad ludibrium oculorum & phantasiæ, cum eodem plane modo, id quod in Deo à parte rei unum & prorsus indistinctum est, propter diversitatem à nostria conceptibus partam, non ut unum, sed ut distincta, & à seipso indistincto contradictoriè plurificatum enunciemus, absit ut adhæreamus tali doctrinæ, in qua præterquàm semper recurrat difficultas, quàm fugiunt, ut patet rem consideranti, incurrit insuper in difficultates & inconvenientias clarissimè remonstratas.

102 Tertia denique *sequela*, quod ex doctrina repugnantium adhuc aliæ possint deduci consequentiæ ineptæ & absurdæ similiter probatur secundum sæpecitatum *Vekenum* l. c. *Nomina significant rem, non prout in se est, sed prout est in conceptu seu præcisa per intellectum, hinc non est mirum, quod propositiones, quæ ad sui veritatem, non rem solam, sed hoc vel illo modo expressam exigunt*, &c. quare quod Pater generet, non Essentia, quod Filius gignatur, non Essentia &c. à *Lateranensi* definitur verum esse, non secundum rem solum, sed & hoc vel illo modo expressum, aliter namque nequit salvari veritaa definitionis de Essentia ingenita respectu Filii geniti & Patris generantis, adeoque juxta principia Adversariorum illud definitum est, prout est à nobis conceptum, eatenus enim definita sunt prædicata contradictoria quatenus vera sunt, sed non sunt vera in illa opinione secundum rem significatam, sed per conceptus hoc vel illo modo expressam, ergo si propter conceptus nostros ita se habeat res in Deo, posset dici Deum esse finitum, esse materialem, esse accidentalem, patet, quia ut est expressus in nostro conceptu extrinsecè obtinet omnia hæc prædicata, scilicet Deum conceptum esse materialiter, finitè & accidantaliter, sicut conceptus est Deus inadæquatè & præcisivè generans & non generans &c. modus enim noster intelligendi est accidentalis, est finitua ob imaginem mentis finitam & dependentiam à phantasmatibus sensibua & materia &c. vel si non liceat dicere Deum eo quod sub imagine finita & accidentali ac cum dependentia ad phantasmata materialia concipiamus Deum quasi transfinitari, transaccidentari, materializari &c. cur ergo dicunt in Deo prædicata contradictoria plurificari ac distingui propter modum concipiendi. Ne igitur videamur venari globulos vitreos pro margaritis, concedendum est, aliqua nomina significare rem, prout est in se, non ut per actus nostros secundo intentionaliter transsubstantiatur vel quasi transeffigiata concipitur in aliam à seipsa dissimilem. Pro quo amplius sit

Non esse contradictoria secundum rem significatam ineptas arguit consequentias.

* * * * *

§. II.

Eandem doctrinam Recentiorum non esse solidam rationibus probatur.

ASSERTIO II.

Rem significatam per hæc nomina; Personalitas, filiatio, Natura & intellectus, voluntas *& cætera*, simpliciter & sine additione aliorum in propositionibus contradictoriis posita in Divinis esse nostrum conceptum & distinctionem rationis, & tamen ibi esse à parte rei, Rem, quæ est Personalitas, quæ est Paternitas, Rem, quæ est Filiatio, Rem, quæ est Natura, Rem quæ est intellectus, Rem denique quæ est voluntas, & sic de aliis, tam est repugnans in terminis, quam dari rem, quæ sit idem cum eo, quod non est in rerum natura, consequenter sublato solo & merè gratuito opinandi arbitrio quantum ad *quid rei*, quoties verè aliquid de Deo enunciamus, sive dicatur Res, quæ est v. g. intellectus, & sic de aliis, sive è contrario intellectus, quæ est Res, scilicet enunciando aliquid de Deo per propositiones ex simplicibus terminis formatas, item sive addantur istæ particulæ *à parte rei, ex natura rei, secundum statum realem, independenter ab intellectu*, & similes, sive omittantur, semper intelligendæ aut reflectendæ sunt ad rem, quam significant, non ad modum, sub quo rem supradicta nomina in propositiones redacta significare concipiuntur, adeoque, dum de Attributis inter se, vel de Attributis & Essentia, de Essentia & relativis agitur, nunquam negari possit suppositio illa, *ex natura rei*, in propositionibus de Deo.

103 HÆc Assertio tria dicit: Primum quod sit unum de impossibilibus esse à parte rei Rem, quæ est Paternitas & *cætera*, intellectus, voluntas *& cætera*, si à parte rei non est Paternitas, intellectus & voluntas, patetquè ut in ipsa *Assertione* dixi, ex ipsissimis terminis, quia esse Rem à parte rei, quæ sit realiter Paternitas, esse Rem, quæ sit realiter filiatio, item, esse Rem, quæ sit realiter intellectus, ita de cæteris involvit essentialiter identitatem realem cum illo, quod esse dicitur, sed repugnat identitas realis alicujus cum ente fictitio, ergo implicat, quod solum sit res, quæ est Paternitas, quæ est intellectus, quæ est voluntas &c & non sit eo ipso à parte rei Paternitas, intellectus, voluntas & cætera, estque contra primum principium, de quo supra Controv. 2. q. 1. a. 2. n. 13. *quid est, quando est, necesse est esse*, & in illo fundatur illud irrefragabile dictum *Anselmi* de Incarnatione c. 3. *quidquid aliquo modo est aliquid, res est*, saltem pressè, prout opponitur non enti, & enti per rationem fictitio, quod non est à parte rei in rerum natura, ergo & tam impossibile est, dari rem, quæ sit intellectus *& cætera*, & non sit tamen verè eo ipso intellectus, seu non sit res significata per nomen *intellectus*, sit res, quæ est voluntas, quæ sit Natura *& cætera*, & tamen non sit significatum horum nominum *intellectus, voluntas, Natura*, nisi noster conceptus & distinctio rationis, ut supra n. 95. comminiscebantur, quàm dari rem, quæ sit idem cum eo, quod non est in rerum natura, quæ ratio, supposito per fidem & rationem, quod Deus sit Deus, seu quod sit in Deo res, quæ sit Essentia, sive Natura, quæ sit intellectus, quæ sit voluntas; item quæ sit realiter Paternitas, filiatio & *cætera*, mihi tam evidens est, totumque illud perfugium Adversariorum sub n. c. allatum, ita occludere videtur, ut nulla via supersit realem & ab intellectu independentem, quantum est ex se contradictionem evadendi in Deo.

Opposita doctrina involvit implicantiam.

104 *Nec juvat* dicere, quod fiat repetitio subjecti in prædicato, eo quod in his propositionibus, quæ sunt identicæ, Res quæ est Paternitas, Res quæ est intellectus, voluntas & *cætera*, contingat rem eandem componi cum seipsa, atque in hoc sensu sunt ibi illa prædicata à parte rei, & salvantur primum principium & dictum *Anselmi*, cum enim fide constet, quod res, quæ est Natura, sit res, quæ est Paternitas, & vicissim res, quæ est Paternitas, est res, quæ est Natura, quæro an hæc propositio: Res quæ est Paternitas est Paternitas in

Effugium præcluditur.

sensu identico ex natura rei formalis quoad rem significatam, idem & nihil ultra importet, quàm hæc: Res quæ est Natura, est Natura, ita ut prædicatum *Paternitas* in prima propositione tantum importet prædicatum secundæ propositionis, quod est *Natura*, & nihil amplius, vel non: si *primum* dicas, jam omnes istæ propositiones tuæ identicæ de Deo idem importabunt, quod solum unica, & unica quod omnes, quod ell arietate contra fidem, quia sic nulla erit realis distinctio inter Personas, cum omnes personalitates sumptæ cum Essentia non latius pateant, quàm sola Essentia, quia formaliter ex natura rei tantum important Essentiam, & nihil amplius, proinde erunt ex natura rei communicabiles, supposito enim, quod illa entitas seu res, quæ est Paternitas, Filiatio, spiratio passiva, non latiùs pateat quàm Essentia, id est, tantum importet Essentiam, & nihil ultra, de fide autem sit illam Essentiam esse communicabilem, jam inevitabiliter illæ personalitates erunt communicabiles, ut pluribus alibi. Similiter hæc: Res quæ est Natura sive Essentia erit producta, triplex; quia filiatio, quæ est producta, est Relatio, quæ est triplex, idem dicit & nihil amplius, quàm dicat Essentia, quæ cum non dixeris, manet secundum, quod prædicatum *Paternitas* in prima propositione idem importet, quod prædicatum secundæ, & insuper aliquid amplius, vel aliquid ultra realiter idem cum illo, & sic vicissim de aliis discurrendum: ergo cum perinde sit, ut ratio pro assertione allata convincit, sive dicamus, Res quæ est Natura, vel Natura quæ est Res, & Res, quæ est Paternitas, vel Paternitas quæ est res, & sic de aliis, cum implicet esse aliquid, ut dixi, & non sit id, itaque si est res, quæ est Paternitas, eo ipso est Paternitas, de qua prædicatur secundum SSrum doctrinam, quod sit incommunicabilis, de Natura quod sit communicabilis: ergo cum Natura sit Res, quæ est Paternitas, & Paternitas est Res, quæ est Natura, jam sine tergiversatione independenter ab omni intellectûs negotio propositiones in Deo ex se contradictoriæ non possunt negari, consequenter cum hæ propositiones, ut benè *Coninck* apud *Staudenbecht* c. 2. de Distinct. in Divinis n. 204. *Pater communicat Filio rem, quæ est Essentia & Paternitas, & Pater communicat Filio Essentiam, & non Paternitatem*, distinctæ sunt, una enim potest esse de fide, altera hæretica, nam hæc est hæretica, eo quod communicet Filio rem, quæ est Paternitas, *Pater est Filius*, èconta hæc est de fide, *Pater est res, quæ est Filius*, quia est eadem res cum Essentia, quæ est Filius. Hinc fit, ut *Staudenbecht* l. c. quod dictis addere placet, sicut *Sabellianus* nolens videri talis, interrogetur: *an Pater sit* Filius, responderet: Pater est eadem res, quæ est Filius, hoc ipso suspectus meritò esset de Sabellianismo, cum palam ostendat, se nolle, quod sentiat, prodere. Ita si interrogentur Adversarii, *an Pater communicet Filio Paternitatem*, illi respondeant: *Pater communicat Filio Essentiam suam seu rem, quæ est Paternitas*, jam clarè ostendunt, se vim argumenti declinare, & nolle categoricè respondere, an illa propositio Pater communicat Filium Essentiam non communicata Paternitate, sit vera, nec ne. Nam etsi hoc verificandi modo affirmetur pars affirmativa, falsa tamen erit illius contradictoria alterius absolutè veræ, quæ est: Pater non communicat Filio Paternitatem, contra communem Theologorum & ipsam fidem, ut amplius in decursu hujus *Controversiæ*.

Latius patet Essentia sumpta cum personalitatibus, quã Essentia sine illis.

Coninck. Staudenbecht.

105 *Ex his*, præterquam jam tum perspicuum sit, quod secundo loco dicitur in *Assertione*, scilicet quomodocunque formentur de Deo propositiones, quæ aliquid verè de ipso enunciant, secundum esse, quod referunt, sive additis sive omissis illis particulis, *à parte rei, independenter à distinctione rationis* &c. quod nunquam negari possit supposito vel hypostasis illa *ex natura rei*, id est, propositiones reflecti debeant ad rem, quam significant termini & nomina in illas propositiones reducta, insuper probatur à priori, quia à re secundum se spectata obtinetur veritas propositionum, adeo ut in sola conformitate & dependentia actus judicativi cum objecto essentialiter consistat tam veritas complexa, quàm incomplexa, & licet quid sit veritas varia falsitas, non est hujus loci explanare, doctè tamen illius effigies hic est præcognoscenda, quod veritas sit cum re significatâ quædam conformitas; & falsitas quædam difformitas, ut si paries sit albus, & dicam paries est albus, vera erit enunciatio, quia est conformitas propositionis cum pariete albo, at si paries non sit albus, dicam tamen paries est albus, esto sexcenties in mente concipiam illum esse album, est falsa propositio, quia non est conform itas cum pariete, qui est niger, non albus, & hujus ratio à priori est, quia objectum secundum se spectatum, est mensura & regula quædam veritatis propositionum, cum ut sic solum contineat & referat rationem & causam veritatis in actu judicativo repertæ, hinc nata est illa Maxima: *Ex eo quod res est, vel non est, judicium verum vel falsum est.* Si ex eo quod oppositio contradictoria objectiva est vel non est, oppositio contradictoria mentalis etiam vera vel falsa est, unde tantum abest, ut propositio, super quam reflectuntur actu prædicta particulæ *à parte rei*, *secundum statum* realem &c. interimatur, ut *Vekenus* vult l. c. quin potius, sicut res non pendent à conceptibus, sed econtra: ita veritas vel falsitas propositionis non à conceptibus & distinctione rationis, sed à rebus per terminos in propositione primo significatis, ut sunt mensura referens & continens esse vel non esse enunciatum, quod ipsum cum per dictas particulas si addantur in propositionibus exprimantur, vel subintelligendæ sunt, certè non interimunt propositionem, sed concreditant, effigiant, firmantque.

Veritas propositionum sive complexa sive incomplexa essentialiter consistit in dependentia actus judicativi cum objecto, quod est mensura veritatis.

106 *Tertiam* denique, quod consequenter non sint reducendæ ad solum modum significandi ubertim patet ex allatis, & insuper quàm sit impertinens ille modus significandi ad tuendam

realem veritatem contradictoriorum, seu ad vitandam contradictionis repugnantiam probatur primò: nam aliud est, sub quo modo affirmatur objectum, quod in eo affirmetur, item aliud quid objecto significetur intrinsecè conveniens, aliud quid per denominationem extrinsecam, secundò: gratis dato, non concesso, quod modus significandi affirmetur & distinguat Paternitatem à Natura, sic insto cum *Caramuele* l. 3. Metalog. de distinct. d. 5. art. 4. n. CCXLVII. certum est, illum, quo Paternitas Patrem modo significat, non significari à Natura: & vicissim, quo illum significat à Natura, ita eum non significari à Paternitate. Quæritur ergo, sitne hæc significationum varietas ad placitum, vel necessaria: si ad placitum; ad placitum est SS. Trinitatis Mysterium, & à nostra libera voluntate dependens. Sin necessariam dixeris; ergo in Patre datur duplex necessitas, altera significandi voce aut conceptu Divinitatis, altera significandi voce aut conceptu Paternitatis; sed altera necessitas non est altera, & hoc ante omnem mentis operationem. Ita optimè *Caramuel*, rediitque argumentum, quod præter distinctionem vocalem aut rationis ratiocinantis, quæ in diverso modo significandi consistit, datur aliqua vera distinctio ex natura rei seu ante mentis operam, & quod modus significandi non impediat, quin propositiones reflectendæ sint ad rem, quam significant non ad modum tanquam ultimum significatum. Vide de hoc plura *Controv.* 10. q. 1. in refutatione responsi Quinti, hic pro eo ulterius.

Caramuel.

Notandum, quod aliqua nomina ex sua institutione significent rem, prout est in se, v. g. *Angelus, homo, Deus Pater æternus, Paternitas, Filius, filiatio, generatio activa, Verbum Divinum, Spiritus sanctus, spiratio passiva, Natura seu Essentia passiva, Deitas, Unitas, distinctio, Relatio, Personalitas, communicabilitas, incommunicabilitas, productibilitas, improductibilitas, productio, negatio productionis, intellectus, voluntas, intellectio, volitio,* & alia quibus Mysterium SS. Trinitatis explicamus, nomina sunt primæ intentionis, quæ licet possint subinde consignificare conceptum loquentis, tamen ex universali usu habente vim institutionis immediatè ipsam significant rem, ut est à parte rei, unde si quis enunciat hanc vocem homo, audiens devenit in cognitionem hominis secundum se, & ut est à parte rei, utpote quem per illam vocem loquens alteri indicare intendebat, non conceptum internum, de quâ sæpè non cogitat, esto subindè per accidens & argutivè etiam deveniatur in cognitionem conceptus alieni, quatenus is dignoscitur ordinariè comitari prolationem vocis, unde illam consignificare dicitor. Dantur etiam aliqua nomina, quæ sunt significativa objecti, prout est in intellectu, v. g. hujusmodi sunt nomina logica prædicabilia, *genus, species* &c. quæ dicuntur ideò secundæ intentionis, ad quæ reduci possunt omnia illa nomina, quæ essentialiter involvunt conceptus præcisivos & distinctionem rationis, de quibus actum supra q. 1. in

Voces primariò rem secundariò mediatè conceptus significāt.

hac *Controv.* itaque aliud est objectum secundo intentionaliter sumptum, seu ut denominatum extrinsecè ab actu intellectionis, & aliud primo intentionaliter & secundum intrinseca acceptum, quæ quod non sint confundenda, jam satis actum est supra ll. citatis, quare licet non loquamur, nec disputemus aut discuttamus de rebus, nisi ut substant nostris conceptibus, adeoque nostros necesse sit conceptus involvi, falsum tamen omninò est; illos extra casum & modum loquendi quæstionis primæ à n. 87. usque ad n. 93. necessariò in aliis realium objectorum & primo intentionalium discursibus involvi, ut partiale objectum, & ut *quod*, seu ut objectum ultimatè eounciatum, quasi propositio cadat super rationem ut *cognitam*, aut qua *significatam*, quia non enunciamus modum significandi & modum nostrum concipiendi objecto intrinsecè convenire, sed directè ipsum objectum secundum se vel nudè spectatum, vel secundum quod illis nominibus significantis & conceptibus à parte rei præcisè respondet in objecto extra animam, vel si ita vis, secundum quod aliter, id est, sub alio modo Patrem significet Paternitas, quam Natura, quo ita eum non significat, sicut Paternitas, quæ ad idem tendunt, quo ad nostrum propositum.

Omnibus itaque à primo ad ultimum considerariis, non potest negari suppositio illa: *ex natura rei* in enunciationibus de Deo quàm dicta continent nomina primæ intentionis in propositiones redacta: & licet nihil adeò tritum apud Adversarios, dum illis ostenditur non posse componi propositiones contradictorias circa Mysterium SS. Trinitatis per solam distinctionem rationis, utpote quarum veritas, adeoque contradictio realis fit, quantum est ex se, quàm recursus ad hoc effugium, has & similes veritates esse reales, *quoad rem significatam, non quoad modum significandi*, ita ut hæc distinctio velut oraculum primæ sententiæ sectatoribus & in ore & in scriptis, in cathedra & libris sit familiarissima, jam cum remonstratum sit, quod modus significandi non veniat in rationem objecti, sed res secundum se spectata, quatenus est mensura veritatis realis, & Adversarii concedant veritates illarum propositionum reales esse quoad rem significatam, talis recursus ad nihil serviet, nemo enim unquam somniavit, cum dicimus in Deo esse Naturam Divinam seu Essentiam improductam & communicabilem, Paternitatem incommunicabilem, filiationem, spirationem passivam productam & cæt. illa esse in Deo, prout his nominibus significantur, non enim sunt in Deo actu vel realiter præcisa, divisa & separata à se invicem, sicut sunt in nostro intellectu extrinsecè illa seorsim v. g. speculante alio actu Essentiam Divinam sine Paternitate, & iterum alio actu Paternitatem sine Essentia perinde ac si Essentia Patris existeret sine Paternitate, seu quasi existant à parte rei cum illo modo aut statu præcisionis & divisionis, quo existunt in mente, illa realiter distinctis entibus concipiente, hoc, inquam, nemo unquam somniavit, præter-

107

Vulgare effugium oraculum adversariorum.

præsertim in illa sententia magis vera & communiori, quod nomina rebus imposita significent directè res & mentem loquentis indirectè & in obliquo, item quod noster modus concipiendi, ut supra, & modus conceptum illum mihi vel illas res sub conceptibus significandi, non affirmetur positivè ad objectum spectare, nam cum Theologi sermocinantur & disputant de Deo & distinctione in Divinis ad vitandam contradictionem propositionum, non agunt de distinctione nominum & conceptuum vel modorum, quibus concipimus & significamus veritates, quas investigamus, sed de tali distinctione, quæ juxta doctrinam Apostolicam verè removet à Deo *est* & *non*, id est, ut interpretatur Glossa Interlinearis affirmationem & negationem de eodem, non ut substat modo nostro & statui intentionali, quia in tali statu per se necessarium est nullum prorsus prædicatum esse idem cum alio, sed quodlibet esse præcisum & divisum à quolibet, adeoque cum non detur sic aliquod idem indivisibile, jam eo ipso otiosè negari diceretur de eodem *est* & *non*, igitur removet *est* & *non*, de re aliqua indivisibili, in statu reali.

§. III.

Quid ex hactenus assertis pro doctrina Scotistarum observandum?

108 EX dictis perspicuè patet non minus nos posse loqui de Divinis per terminos simplices, ut distinctione rationis seclusâ explicemus ea & secundum rem, & secundum modum, quem habent à parte rei, ut non sit necesse ut pluribus q. seq. à n. 12. id præstare per plurium simplicium conjunctionem, ut dicamus potiùs, *res, quæ est intellectus, entitas aut realitas, quæ est Natura, Paternitas, voluntas* & cæt. quàm è contrario intellectus quæ est res, Natura quæ est entitas & cæt. vel etiam solum, *Natura* vel *Essentia* non generat, *Paternitas* vel *Persona* Patris generat, *Essentia* communicatur, *Paternitas* non communicatur & cæt. sintque illæ propositiones veræ in terminis, non quasi per solam rationem res significata per terminos in aliquid communicatum, & aliquid non communicatum, in aliquod genitum & aliquod non genitum distinguatur, sed à parte rei, salvâ identitate reali in Deo aliquid communicetur, & aliquid quod non communicetur, aliquid quod generat, & aliquid quod non genetet in Filio, aliquid quod gignitur, & aliquid quod non gignitur.

Consectarium.

109 *Secundò* patet, nomina & terminos quibus utimur circa Mysterium SS. Trinitatis, & è quibus contradictorias efformari fides edocet, esse primæ intentionis, ideò ut veritatem sortiantur, debere convenire rei independenter ab omni actu intellectus & distinctione rationis, omnia siquidem nomina primæ intentionis in prædicationibus de subjecto primæ intentionis negata aut affirmata ideò verè enunciantur, quia citra omnem intellectus operam est conformitas propositionis ex illis conflatæ, & actus judicativi cum objecto primo intentionaliter spectato, quod est mensura & regula veritatis, id quod vel maximè tenet, de propositionibus, quæ ex se inevitabiliter aut inferunt contradictionem aut distinctionem, consequenter cum certum sit distinctionem à nobis declarari per negationẽ identitatis, ita quando eidem indivisibili rei convenit distingui, est per negationem identitatis, quando convenit illi eidem rei cum altero quopiam idem esse, fit per identitatem realem unius cum alio, quare cum veritas complexa propositionis negativæ non minus, quàm affirmativæ proveniunt à dependentia & conformitate actus judicativi cum objecto, vel re absolutè spectata, dabuntur indubiè negationes, etiam quæ solum præcisivam inferunt non identitatem ex natura rei, suo modo à parte rei formaliter & non fundamentaliter solum citra omnem intellectus operam, ac non minus negativa propositio, v. g. homo non est brutum, vera est actu & formaliter à parte rei, quàm affirmativa, homo est animal, corpus &c. & sic in Divinis tam verum est à parte rei, Essentia Divina non est producta, quàm hæc: Filiatio est producta, Essentia Divina non generat, Pater æternus generat, Essentia est unica, Persona non, sed tres, & hinc verum est: Res quæ est Essentia, est improducta, Natura enim Divina non est producta. Item verum est: Res quæ est realiter Essentia, est producta, nam Filiatio est producta, Res quæ est Essentia, est in tribus Personis, una numero item & hæc: Res quæ est Essentia, est tres, nam Relationes vel Personæ sunt tres, omnes istæ propositiones, quia sicut negatio in negativis, ita negatio in præcisivis ex natura rei, id est, non identitas ex natura rei formalis citra omnem intellectum tam verè datur, quàm in affirmativis affirmatio, ideo sunt contradictoriæ ex se, non quod in actu exercito sint ambo simul veræ, quia ut supra *Controv. 2. q. 1. art. 2. n. 12.* dixi, id est impossibile, sed quod propter realem illarum propositionum contradictionem à parte rei subsistentem, quantum est *ex se*, contradictoriæ essent, nisi distinctio inter illa medians repugnantiam evacuaret contradictionis, eoitaque vergit iterum præsens observatio, quod contradictoria incomplexa in propositiones reducibilia actu dentur à parte rei, ac independenter ab intellectu, unde etiamsi contradictoria complexa de rebus enuncientur, media secunda operatione intellectus componentis vel dividentis, non inde sequitur eorum veritatem formalem & actualem dependere ab intellectu, cujus jam tum rationem dedimus

Corollarium secundum.

Contradictoria incomplexa actu dantur à parte rei.

dimus supra n. 105. quod veritas & falsitas (extra quæstionem propositionum, ubi res non in esse reali, sed secundum esse objectivum & intentionalem multiplicitatem considetatur, de quo q. 1. actum supra) non consistat in convenientia ipsarum cum re, ut habet esse objectivum in intellectu, sed ut habet esse reale, & secundum illud terminant cognitionem. Jam dicant opponentes, quid velint, quando dicunt has: *Res quæ est Natura, subsistit in Filio.* Item, *res quæ est Natura, est improducta*, veras esse. Econtra istas: *Paternitas non subsistit in Filio.* Item, *filiatio non est improducta*, falsas esse: vel enim contendunt prædicato illi, quod dicitur Paternitas non convenire à parte rei negationem identitatis respectu Filii, neque prædicato illi, quod est Filiatio, convenire producibilitatem, quod si dixerint primum de primo, quod Paternitati non conveniat negatio identitatis cum Filio, Pater erit realiter Filius, quia non competit Paternitati à parte rei negatio essendi aliquid, quod non sit etiam filiatio: si secundum de secundo, quod filiationi Divinæ non conveniat esse productum, ergo tenentur dicere, filiationem quæ à parte rei datur, tam esse improductam, quam sit Essentia, vel Essentiam tam esse productam quàm filiationem.

110 Confect. 3. *Amplius* & tertiò patet, dum ostenditur opponentibus veritates propositionum contradictoriarum de Deo utrinque reales esse, v. g. quod *Deus intelligat per intellectum & non per voluntatem*, quod *Verbum procedat per intellectum non per voluntatem*, *Spiritus sanctus procedat per voluntatem, non per intellectum* &c. impossibile autem sit, veritates reales dependere ab ente vel præcisione rationis, quod frustra certè & impertinenter respondent, tales veritates sunt reales, quoad rem significatam, non quoad modum significandi, quia Scotistæ nil aliud contendunt, quàm verificari contradictoria de Deo, quoad rem significatam, res enim significata non solum consistit in eo, quod Deus intelligat, & Verbum procedat per intellectum, id est, per eam perfectionem, quæ nomine intellectus significatur, sed quod Deus non intelligat, nec Verbum procedat per illam perfectionem, quæ nomine voluntatis significatur, utrumque enim Deo verissimè ac propriissimè convenit à parte rei independenter à nostris conceptibus, quod autem dicat *Veken* cit. disp. 6. c. 2. n. 9., nos non posse vocibus illis *intellectus*, *voluntas* & similibus simpliciter uti relinquendo omnem distinctionem rationis, cum hæ voces, non rem solam, sed ut ratione distinctam significent, præterquam quod hoc falsum sit, ut satis supra ostensum, insuper transitum facit ab eo, quod affirmatur vel negatur objectum, ad modum, *sub quo* affirmatur & negatur, quod non possimus quidquam affirmare, nisi etiam suo modo res concipiatur, verum est, quod autem ille modus concipiendi & mihi rem significandi spectet ultimatè in propositione ad objectum *quod* negativè vel affirmativè enunciatum, falsum est. Igitur *Veken* fallitur omninò, quod si de Deo loquamur secundum statum purè realem adhibitis duobus contradictoriis prædicatis in propositionibus, quod involvatur contradictio in adjecto, & propositiones ex ipsis formatas falsificare ac interimere seipsas, eo quod ab unâ parte supra seipsas reflexæ omnem distinctionem rationis in suis terminis negabunt; ab alterâ parte termini, ex quibus constabunt, distinctionem illam negatam involvent, & quia haud dubiè sæpenumero legit, scripsit, dixitque has propositiones: *Verbum non procedit per voluntatem, sed per intellectum, Spiritus sanctus non procedit per intellectum, sed per voluntatem*, vel tunc judicavit actum judicativum suum esse conformem objecto causam veritatis continente, vel non: non dicet hoc *secundum*, ut hic suppono; ergo *primum*, quod actus judicativus, sive propositio mentalis fuerit conformis objecto: jam peto, vel illud objectum causam veritatis continens, vel ita fuit *à parte rei* & independenter ab intellectu, vel *non*: si *primum*, habeo intentum; si *secundum*, ergo istæ propositiones revocantur ad idolum seu distinctionem rationis, non solum quoad modum significandi, sed quoad rem significatam, qualis in proposito non sunt unum principium intellectus & voluntas, sed ut duo distincta sunt principia, cum alioqui Verbum esset Spiritus sanctus, & vicissim Spiritus sanctus esset Verbum, ut infra patebit pluribus, ubi hæ rationes generales magis stabiliendæ redeunt examinando & transeundo ad singula responsa facta ad Argumenta Scotistarum. Sit

Transitus ab eo, quod affirmatur vel negatur ad modum sub quo affirmatur vel negatur Vekeno *familiaris.*

***
**

QUAESTIO TERTIA.

In qua speciatim

Resolvitur Quæstio principalis, ubi Doctrina Scotistarum amplius firmatur argumentis ex SS. Trinitatis Mysterio petitis, & quàm valenter iisdem respondeatur, ad trutinam revocatur.

SUMMARIUM.

1. *Doctrina Scoti Concilio Lateranensi consentanea. n.* 112.
2. *Effugium occluditur & argumento ad hominem Adverſ. constringuntur.* ibid. *& n.* 113.
3. *In Patre non esse aliquid & aliquid, in quo sensu verum, in quo sensu falsum. u.* 114.
4. *Respondens non consonat Conciliis.* ibid.
5. *Productum esse & non esse, item Unitas & Trinitas qui fundent in Divinis contradictoria. u.* 115.
6. *Vekens responsum n.* 116. *annullatur. n* 117. *& seqq.*
7. *Hi termini in Deo* una, tres *& cætera, cur nequeant accipi negativè solum.* ibid.
8. *Essentia Divina ex suo conceptu est essentialiter singularis.* ibid.
9. *Essentiam esse Essentiam, & tres Personas, & tres Personas esse tres Personas & simul unam Essentiam non abolet sed inducit vim contradictoriorum in Divinis. u.* 118.
10. *Hieronymus Fasolus cur ad partes Scoti sua doctrina in hoc puncto relicta transierit.* ibid.
11. *Cur sola secunda Persona in Trinitate Verbum dicatur, tertia autem cur Spiritus sanctus & non Verbum. u* 119. *& seqq.*
12. *Novum Vekeni responsum iteratò infringitur. n.* 120.
13. *Ratio Verbi Divini in quo consistat.* ibid. *& u.* 124.
14. *Eo tali modo esse principium & non eo tali modo esse principium, tam contradictorium est, quàm absolutè esse principium & non esse principium. u.* 122.
15. *Ultimum tandem effugium etiam pessundatur. u.* 124.
16. *Non potest discrimen processionum accipi à terminis distinctis, nisi actualitas processionum etiam referatur ad processionem ipsam in principiis, & cur?* ibid.
17. *Processiones divinæ perperam ad nostros detorquentur conceptus, & qui id contingat in sententia Adversar.* ibid.
18. *Verbum terminat unionem hypostaticam immediatè in Personalitate, in Natura mediatè & quasi secundariò identicè & denominativè. n.* 125. 127. *& seqq.*
19. *Unde nata sit illa maxima:* quæ sunt eadem inter se, sunt eadem uni tertio, *& qui inducatur ad hoc quod entitati uni & eidem repugnent duo contradictoria. n.* 127.
20. *Concilium* Lateranense *particulam exceptivam* præter *scilicet præter Paternitatem à Patre productam, esse in Filio aliquid insuper improductum, arguit aliquam non identitatem. n.* 128.
21. *Divinitas non terminat immediatè unionem Naturæ humanæ, & quare? u.* 130.
22. *Si omnes tres Personæ assumerent eandem humanitatem, dicerentur unus homo, & cur?* ibid.
23. *Cur de facto non dicantur Pater & Spiritus sanctus Incarnati?* ibid.

111 Scoti Argumenta præ cæteris operosiùs evacuare conatus est P. *Veken* d. 6. à n. 8. cap. 2. per 3. capita usque ad n. 19. quid ad singula respondeat, exactè producemus. Ubi præmitto generatim quod vulgare illud responsum omnibus argumentis accommodatum, nimirum non esse concedendas propositiones contradictorias in Deo realiter, sed in ordine ad nostros conceptus, seu ratione nostrâ, nam termini, ut inquit, *intellectus* & *voluntas*, quibus dictæ propositiones constant, per distinctionem rationis, quam involvunt, contradictionem impediunt, nec obstet, si ad prædictas propositiones addantur particulæ *à parte rei*, dummodo ex parte rei significatæ addantur. Quidquid enim à parte rei & independenter à nostro intellectu processionibus illis convenit, est capax distinctionis per rationem & per consequens contradictoriorum, quæ illum consequitur. Quod si prædictæ particulæ reflectantur supra ipsam propositionem, ejusque sensum merè entitativum ac realem designent, excluso sensu formali in distinctione per rationem fundato, tunc propositionem interiment, negatis terminis, ex quibus intrinsecè constat. Hoc inquam, fundamentum & responsum vulgare quod supra innuimus n. 93. etsi satis refutatum sit quæst. 2. per extensum, hic gratia materiæ occurrentis funditùs annihilatur. Sit

ASSERTIO

Falsum est, quod in Divinis à parte rei secundum principia Adversariorum una tantum pats contradictoriorum subsistat & evanescat altera, cui æque ac alteri veritas in objecto extra animam contenta fundamentum dedit, proinde ad componenda in Deo contradictoria absolutè requiritur distinctio alia, quam sit distinctio rationis, & hoc sive loquamur de Deo, & contradictorias formemus per terminos simplices & præcisivè acceptos, sive per plurium simplicium syllabum & constructionem talem propositionum, quibus subjectum adæquatè significatum exprimatur secundum nexum omnium in eo indivisibiliter existentium, suntque tales propositiones æquè contradictoriæ, ac aliæ per simplices terminos constructæ.

Conclusio Scotistarum stabilitur argumentis ex ipso SS. Trinitatis Mysterio & Incarnationis Dominicæ petitis, & quàm valenter iisdem respondeatur, ad trutinam revocatur.

§. I.

Primum Argumentum, assumitur ex Definitione Concili Lateranensis, *ut mox in corpore & Articulo fidei, Patrem communicare Filio Essentiam, non Personam.*

112 *Innocentius III.*

INnocentius III. in Concilio *Lateranensi* contra *Ioachimum Abbatem* approbavit, omnibusque credendum proposuit propositionem *Petri Lombardi*: *Essentia seu Natura Divina non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater qui generat, & Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit,* ita videre est in Cap. *Damnamus,* de summa Trinit. ergo Essentia seu Natura Divina aliquo modo à Personis differt à parte rei. Deinde de fide sunt hæ propositiones: *Pater à parte rei communicat Filio Essentiam, non communicat Personam.* Ergo in Patre est aliquid à parte rei, quod Pater communicat, & aliquid quod non communicat, ergo aliqua distinctio.

Evasio argumenti inferius manet præclusa,

Ad hæc respondendum, inquit, quod istæ propositiones sint veræ in terminis quibus constant, atque à contradictione servari per distinctionem rationis, quàm termini *Essentia* & *Persona* involvunt, atq; in hoc sensu verũ est, quod Essentia Divina *non est generans, nec genita* sed *generans vel genita Persona* accedit, quod verba personalia adjectivis æquivalent, unde in hujusmodi propositionibus applicando supplementum substantivi [de quo mox infra n.116.] tollitur contradictio. In eodem quoque sensu ad secundum vult Patrem per solam rationem, *in aliquid communicatum, & aliquid non communicatum* distingui, in sensu verò purè reali, seu entitativo non est in Patre *aliquid & aliquid*, sed unum & idem, quod simul est *communicata Essentia & non communicata Persona.*

Quantum ad primum, quia multas & perplexas responsiones excogitatunt ad hanc Concilil Lateranensis auctoritatem, instituimus *Tomi 2. parte 2.* propriam Controversiam, suâ amplitudine dignam, estque Controversia in ordino *Controv.rum 9na*: hic, quod nihil prorsus ad argumentum responsum sit, quantum opus est ad Assertionis probationem, ostendemus, & quia illud cursim solùm à Respondente affertur, illud solidius reddo & propono in ipsis *Concilii* verbis, quod ita habet Cap. *Damnamus* de SS. Trinitate, *quod una quædam summa res est - - - - - qua veraciter & Pater, & Filius & Spiritus sanctus* - - - - - & ideò in Deo solummodo est Trinitas, non quaternitas, *quia qualibet earum Personarum est illa res scilicet substantia seu Natura Divina - - - - & illa res non est generans, neque genita, neque procedens, sed est Pater, qui generat, & Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit* &c. En juxta *Conciliũ* Res quæ est substantia seu Natura Divina non est generans, neq; genita, & iterum juxta idẽ *Concilium,* Pater est, qui generat, sed res, quæ est substantia & Pater est una indivisibilis entitas, nam, inquit, quælibet earum Personarum est illa res: ergo juxta mentem *Concilii* dicuntur de illa duo contradictoria, nempè generare & non generare, generari & non generari &c. hæc autem à *Concilio* admitti independenter ab omni intellectu cogitante & distinctione rationis, ac proinde frivolum persugium esse ad rationẽ nostram & fundamentũ supra explicatũ, quo & *secunda pars Assertionis,* quod cõtradictoriæ do Deo, sive per simplices terminos formẽtur sive per plurium syllabũ, quibus subjectũ adæquatè exprimatur, sintq; æquè contradictoriæ probatur manifestè cum *Rosmer* d. 1. de Deo art. 3: ad hominem & ex propriis respondẽtis principiis.

Concilium Lateranense.

Perfugium frivolum.

Is c. 3.

Is c: 3. n. X. & sparsim ibi ex *Granado*, *Didaco Ruiz* aliisque tenet nos independenter à conceptibus nostris, omnique distinctione rationis seclusâ posse loqui de Deo per hos & similes terminos: *res seu entitas, quæ est Essentia, realitas, quæ est Essentia, relatio, res, quæ est intellectus. Natura, substantia, Ens illud, quod est omnipotentia* &c. atqui *Concilium* expressè dicit primò qualibet earum Personarum est illa res, scilicet substantia seu Natura. Secundò expressè dicit: & illa res, quæ est substantia, non est generans, neque genita, neque procedens; ergo hic ex mente opponentium & respondentis *Concilium* loquitur de re independenter ab omni cogitatione & distinctione rationis, quod res, quæ est substantia, non generet, quia utitur illis ipsis Verbis, quibus secundum illos significatur res independenter eb omni distinctione rationis, consequenter ex mente Concilii juxta *Vekenum* independenter ab omni distinctione rationis, quod *res, quæ est substantia, non generet*, propositio vera est, ergo altera huic contradictoria, juxta *Adversarios*, cum non admittant contradictoria ante distinctionem rationis, falsa erit, alterutra siquidem ex inevitabili lege contradictoriorum falsa sit, necesse est, proinde coguntur conformiter ad suam doctrinam Adversantes admittere hac priori, quæ vere est, contradictoriè opposita, nempè *res, quæ est substantia generat*, falsam esse, ex quo deducitur consequenter, nolint velint, ut quod absit, vel contradicant *Concilio*, vel cognoscant perfugium suum frivolum esse & nullum, alterutram sequelam ostendo: juxta Concilium supra in verbis clarissimis *veraciter qualibet earum Personarum est illa res*, & iterum *res illa summa, quæ est substantia, est veraciter Pater, qui generat*, statim autem verum vidimus, quod *res, quæ est substantia, non generat*: ergo habemus ad mentem Concilii duas contradictorias de eadem re realiter indivisibili independenter juxta respondentium principia ab omni operatione intellectus, *de eadem re*, inquam, nemo siquidem inficias ibit, ubi est vera & propria generatio, illam provenire ab aliqua re, quæ verè & propriè generat, & eadem res est, quæ non generat: ergo contradictoria de eadem re seu entitate indivisibili in Deo, ergo cum *Concilio* contradicere nolint, altera sequela stabit, quod distinctio rationis hic exulet à contradictoriis, & ita cadit responsum *Vekeni*.

Argumentum ad hominem efficaciter destruit doctrinam oppositã.

113 *Ex his*, licet dati responsi nullitas abundè sit explorata, idipsum tamen magis perspicuum fiet, si alie, quæ ibi sacra *Synodus* ulteriùs affert, adjungas supradictis, nempè, *licet igitur*, inquit, *alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud, sed id quod est Pater, est Filius, est Spiritus sanctus idem omninò, ut secundum orthodoxam & Catholicam fidem consubstantiales esse credantur*, & infra: *Patet ergo, quod sine diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit, & sic eadem res est Pater & Filius, nec non & Spiritus sanctus ab utroque procedens.* Hæc namque, certissimum est, è Concilo tam quam vera proponi independenter eb nostris conceptibus & distinctione rationis, ac in sensu reali intelligenda esse: ergo in eodem sensu intelligendum erit, quando ibidem dicit, *& illa res non est generans, neque genita, nec procedens*, uti & hujus contradictorium: *res illa est veraciter Pater, qui generat*. Si adhuc dixerit *Vekenus*, quod nomen *Pater* accipiatur dependenter à distinctione rationis, revera ligatis pedibus manibusque incidet in absurditates, quas supra q. 2. art. 2. à n. 99. usque ad n. 102. inde resultare deduximus, nec unquam poterit dare rationem, quare in eodem sensu, seu dependenter à ratione non dicatur loqui, quando dicit, *& ideo in Deo solummodo est Trinitas, non quaternitas*, vel si hie in hoc sensu non loquatur, ergo nec ibi, & certæ hæ rationes mihi solæ videntur sufficientissimæ ad confringendam doctrinam *Adversariorum*, & ad comminuenda singula responsa *Vekeni* frustra ab aliis arbitrario studio excogitata, cum enim quoad rem ipsam, contradictoriorum ictum evadere non possint, ab ipsâ re deviant, & in modis significandi & concipiendi & loquendi de rebus doctrinæ suæ portum constituunt. Pergamus tamen ad alia, quæ l. c. & *Tract.* 1. de Dei simplicit. *disp.* 6. ad nostra respondet Argumenta.

Confirmatio dictorum.

Quantum ad secundum, quod in sensu purè reali seu entitativo, non est in Patre aliquid & aliquid realiter diversum, sed realiter unum & idem, nemo est, qui inficiatur, omnes fatemur in Patre non esse distincta realiter, adeoque in hoc sensu non esse aliquid & aliquid, concedere autem in sensu reali & entitativo, consequenter à parte rei independenter à nostro intellectu cogitante, quod ibi sit unum & idem, quod simul, id est per realem identitatem sit, *communicata Essentia, & non communicata Persona*, absque omni non identitate ex natura rei præcisiva non est explicabile, quia talis non identitas præcisiva ex natura rei, seu distinctio formalis, quæ idem fuit, in hoc formalissimè consistit, quod uni reali indivisibili à parte rei & independenter à nostris cogitationibus conveniant prædicata, quæ alioquin videntur contradictoriæ, & de facto in creaturis essent contradictoria, quia unum & idem esse communicatam Essentiam & non communicatam Personam æquivalenter continet hæc contradictoria, *esse communicatum & non esse communicatum*, ut in re dubitari non possit, quin illa non identitas ex natura rei præcisive detur in qualibet Persona inter Essentiam communicatam, & Relationem seu Personam non communicatam, ac proinde in hoc sensu, ubi in statu reali obtinetur affirmatio & negatio, dubitari nec debeat, ibi esse aliquid *communicatum*, quod sit Essentia, & aliquid *non communicatum*, quod est Personalitas, consequenter in hoc sano & Catholico sensu esse aliquid & aliquid. Quod autem *Veken* in hujusmodi difficultatibus toties quoties recurrat ad 114

In Deo est aliquid & aliquid Catholicè tenetur quo sensu verum sit.

ad distinctiones rationis, jam liquet non esse perfugium sat firmum, ubi disputatur de contradictoriis ejusdem de aliquo non solum secundum diversas rationes de re conceptas, sed secundum rem ipsam realiter & entitativè spectatam. Unde quando respondens ajebat supra in sensu purè reali non esse in Patre aliquid & aliquid, sed unum & idem quod simul est Essentia communicata & non communicata Persona &c. apertè contradicit PP. & CC. nam Concil. *Florent.* vel saltem *Ioannes Theologus* in Concil. Florent. *sess.* 18. ait: *Substantia communicatur Personis, Personalitates nullo modo communicantur*: quæ indubiè sunt contradictoria, ille dicit econtra non dari in Deo contradictoria. *Ioannes Theologus* dicit ibidem, & *Pater suam Personam nequaquam Filio communicat, cum tamen ejus substantia & Natura communicabilis est*, & ipsum Concilium in literis Unionis ait: *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater Vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Et Concil. Lateran. Cap. *Damnamus*: *Filius sine ulla diminutione substantiam Patris accipit*, non tamen Paternitatem, ex quibus perspicuè eliciuntur hæ propositiones: substantia & Natura Patris est communicabilis, Persona Patris seu Paternitas non est communicabilis. Ille istas expresiè negat esse veras in sensu se tenente à parte rei, Concilia significant expresiè, quod non communicetur Filio *Patrem esse*, id est, non communicari personalitatem Patris, ille in sensu indicante, quid à parte rei fiat, judicat illud non fieri modo contradictorio, sed ita distingui Patrem in aliquid communicatum & aliquid non communicatum per solam rationem, ac si diceret, Patrem à parte rei in eo differre à Filio, in quo cum Filio intrinsecè non differt, quia differt in non communicata Paternitate, quæ est formalissimè idem, & æque latè patet, quàm Essentia communicata, in qua non differt: sane non video quomodo hæc subsistunt, & in modo loquendi Conciliis concordent, imò cum propria sua doctrina, quam afferemus mox infra n. 128.

Anthithesis Cõciliorum cum doctrina adversariorum.

§. II.

Alia Scotistarum Argumenta petita ab Vnitate *Essentiæ &* Trinitate *Personarum, à* productum *esse, & non esse productum in Divinis, & quid ad illa respondeatur.*

115 Secundò arguunt Scotistæ: Essentia Divina à parte rei est tantum una; Persona autem non tantum una, sed tres. Item Divina Essentia est à parte rei communis seu communicabilis omnibus Personis, Relatio verò non. Præterea independenter à nostro intellectu intellectio Filii est improducta; Relatio autem Filii est producta, hæ omnes sunt propositiones contradictoriæ & utrinque veræ, ideoque distinctionem aliquam eas verificantem requirunt, sed non sunt veræ in sensu tantum formali per rationem, verum etiam in sensu entitativo & reali: ergo etiam in hoc sensu aliquam terminorum differentiam postulat; quæ cum nequeat esse rationis, quippe quæ in solo sensu formali per rationem habet locum, relinquitur ut sit formalis à parte rei, vel ut alii volunt, virtualis à parte rei. Totum hoc Argumentum ex Scotistis depromptum admittit, illasque propositiones esse contradictorias & esse veras, ac earum veritatem denique per aliquam distinctionem salvandas, sed, inquit, non nisi per distinctionem rationis, quam involvunt non solum hi termini *Essentia, intellectus, Relatio*, qui ponuntur ex parte subjecti; sed etiam alii; *una, tres, communis, improducta*, quos dictæ propositiones adferunt ex parte prædicati, nam hi postremi termini id rationis involvunt, quod abstrahant & præscindant ab hoc illove subjecto, de quo verificantur, quod est signum, quod præcisivam mediante ratione importent significationem.

Ratio Scotistarum.

Data Responsio diluitur, & Scotistarum Argumenta suffulciuntur.

116 Et quidem ex ipso fundamento *Vekeni*, is loco cit n. XIII. ait: dictos terminos *una, tres, communis, improducta*, eo quod præscindant à Persona vel Essentia, una vel trina, producta vel improducta, in sua significatione esse indifferentia, & hinc solitariè prolata animum relinquere suspensum, an designet Essentiam vel Personam, & mox subdit, illam indifferentiam tamen terminis illis non convenire à parte rei, sed per rationem, unde n. XIV. ait: ut de Deo loquamur in sensu reali omni rationis distinctione exclusâ, oportet prius talem indifferentiam illorum terminorum tollere, idque fieri addendo illis substantiva, in quibus verificantur dicendo v.g. hoc modo: *Essentia Divina est una Essentia*, & *Personæ sunt tres Personæ*: quod si feceris, inquit, nihil commune quod de Essentia affirmatur, negabitur de Personis, nihil etiam Personis conveniet, quod non Essentiæ, sicut enim Essentia est *una Essentia*, ita Personæ sunt una Essentia:

Vekenus.

& sicu-

& sicuti Personæ sunt tres Personæ, ita & Essentia est tres Personæ. Item Divina Essentia est communicabilis Essentia & incommunicabilis Persona & è converso: Divina Persona licet sit incommunicabilis Persona, est tamen communicabilis Essentia. Similiter intellectio Divina est improducta, simul tamen producta Persona, sic discurrendum ait de Deo in sensu reali supplendo adjectiva per substantiva, dummodo non obviet relationis oppositio.

117 Hoc discurrendi modo omnibus consideratis ad rem, quo ad punctum *Controversiæ*, nihil respondetur, estque similis huic: homo v. g. Petrus est unus homo, & partes Petri unitæ v. g. corpus & anima sunt duæ partes unitæ, ubi nihil quod affirmatur de Petro negabitur de partibus corpore & anima unitis, nihil etiam partibus unitis conveniet quod non huic homini, sicut enim Petrus est unus homo, ita corpus & anima in Petro unita sunt unus homo, & sicut partes unitæ sunt duæ partes unitæ, ita homo est duæ partes unitæ, solum exprimitur, sed quid inde? quod sit vera identitas realis, quam allata responsio, & nihil amplius infert inter Essentiam & Personas, nemo negat, sed sicut, si similes discursus, inter partes unitas & totum compositum, & quod convenit uni, ideò si aliud nil obster, convenire debeat & alteri, formaretur, per hoc non solvuntur argumenta, quibus pro diversitate opinionis nonnulli contendunt, salvâ tali identitate reali inter partes unitas & totum compositum substantiale, tales partes non ideò solum formaliter per rationem, sed formaliter ex natura rei distingui à toto, vel salvâ unione partium, totum realiter distingui à partibus, vel non distingui ut alii contra illos, qui dicunt totum nihil esse, nisi ipsas partes unitas; ita licet eo loquendi modo, quo illis terminis adduntur substantiva, in quibus verificatur identitas realis Essentiæ Divinæ cum Personis, & vicissim Personarum cum Essentia, ut ibi verè deprehendatur trium unitas, ideoque verum sit dicere, sicut Essentia est una, ita tres Personæ sunt una Essentia, & sicut tres Personæ sunt tres Personæ, ita & Essentiæ sint tres Personæ. Similiter Divina Essentia est communis seu communicabilis Essentia, & simul per identitatem realem incommunicabilis Persona & è converso. Divina Persona est incommunicabilis Persona & simul realiter & identicè communicabilis Essentia, item intellectio Divina, quæ est improducta intellectio, simul quoque sit producta Persona, quæ omnia omnes concedimus, per hoc non evacuantur allata argumenta à contradictoriis petita, dehinc, inquam, quod Divina Essentia sit una Essentia & simul tres Personæ, item tres Personæ, sint tres Personæ, & simul una Essentia, & illa, quæ est incommunicabilis Essentia, sit simul incommunicabilis Persona, illa quæ est intellectio improducta, sit simul producta Persona, quæ sunt supra lumen naturæ, nascitur quæstio, quomodo illa in statu reali non sint contra naturam, cum enim his terminis *una*, *tres* &c. dicimus Essentiam Divinam seu Deum esse unum, sensus non sit negativè accipiendus, quod nihil ponatur in Deo, quasi solum removeatur pluralitas Deorum, neque cum dicimus, esse in Divinis tres Personas, intelligi debeat, quasi non poneretur revera ternarius, & solum unius Personæ solitudinem excludi, nam hæc sententia jam olim recte *S. Bonav.* 1. d. 24. a. 2. q. 1. explosa est; sed termini isti numerales, etsi non dicant in Divinis numerum simpliciter dictum, revera tamen dicunt & ponunt aliquid positivum, nempè plures unitates positivas personales, quæ constituant numerum secundum quid, & cum addito *Personarum*, *Relationum*, & probatur ex *sexta Synodo generali*, quæ est tertia *Constantinopolitana* act. 11. ubi ait: *Sanctam Trinitatem esse factam numerabilem personalibus subsistentiis, & numerari personalibus alteritatibus*, & Concil. Tolet. 11. in confessione fidei: *Hæc sancta Trinitas, quæ unus & verus est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero, in relatione enim Personarum numerus cernitur, in Divinitatis verò substantia quid enumeratum sit, non comprehenditur: ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, & hoc numero carent, quod in se sunt*: & D. Bernardus l. 5. de Consid. circa medium: *Trinitas est Deus: quid ergo destruimus quod dictum est de unitate, quia inducimus Trinitatem? non, sed statuimus Unitatem*, & post s *quid sibi vult ipse, absque numero, numerus? si unum, ubi numerus? si tria, quomodo non numerus? sed habeo, quid numerem, & quid non numerem: substantia una est, Personæ tres sunt.* Ex quibus Patrum testimoniis, quæ pro rei explicatione hic obiter refero, clarè patet, quod admittant numerum aliquem in Divinis in Personalibus subsistentiis & relationibus vel in Personis constitutum, qui importet omninò quid positivum, ut ipse *Veken* docet disp. 34. quod idem, cum de Unitate Essentiæ hic supponendum sit, utpote, quæ ex suo præciso conceptu est talis, ut sit essentialiter singularis, unitas autem sit de conceptu singularitatis, adeoque unitas Essentiæ saltem fundamentaliter sumpta, etiam necessariò sit positivum prædicatum, quod sicut & Personarum ternarius, etsi non significentur in Deo tanquam formæ adjacentes subjecto, tamen à parte rei ante omnem cogitationem nostram significantur, ut quid positivum: ergo termini isti, *una*, *tres*, idem est de aliis sine identica illa repetitione subjecti in prædicato, ab ipsa re extra rationem intra Deum posita determinantur ad sua subjecta, ergo & non minus dici potest Essentia est una; non tres: Personæ sunt tres; non una, quam Pater est alius à Filio Pater, neque requiritur ad veritatem alteritatis seu alietatis,

Quid valeat allatum perfugium.

S. Bonavent.

Ponitur in Deo ternarius sine numero.

Conc. Constantinopol. 3. & Concil. Tolet. 11.

S. Bernardus.

Termini numerales categoricè sumuntur in Deo.

repetitio ſubjecti in prædicato, ut videte eſt in Concil. *Lateran.* Cap. *Damnamus*, & Symbolo *Athanaſii*, quia ſicut hi termini categorematicè & per ſe ponuntur in prædicato, ita & iſti *una*, *tres* &c. qui in contradictoriis illis, non ut ſyncategoremata. ſed per ſe & categorematicè ponuntur ſupponentes in ſtatu reali pro aliquo, quod verè eſt in Deo, & ſicut quando *Ioannis* 1. c. 5. v. 7. & 8. dicitur: *Tres ſunt, qui dant teſtimonium in cœlo, & hi tres unum ſunt.* Vox iſta *tres* per ſe citra omnem differentiam relictam accipitur & determinatè ſupponit pro Perſonis Divinis, vox *unum* pro Deitate ſingulis communi, ita intra Deum tres ſunt & unum, iſtæ propoſitiones cumulativæ & identicæ tres Perſonæ ſunt una Eſſentia, & una Eſſentia ſunt tres Perſonæ, amplius & latius patent, ſeu plus important, quàm ſi dicatur ſolum Eſſentia eſt Eſſentia, vel Perſonæ ſunt tres Perſonæ, nam primæ reſolvuntur in has contradictorias virtualiter in iiſdem & æquivalenter contentas: Eſſentia in Deo eſt una, non tres, Perſonæ Divinæ ſunt tres, non una, ſic de aliis, Eſſentia Divina eſt communicabilis, eſt improducta, Perſonæ non ſunt communicabiles, non ſunt improductæ &c. ſecus eſt de ſecundis.

118 Ex his confirmatur noſtra doctrina: nam licèt verum ſit & concedatur quod Eſſentia ſit tres Perſonæ, & tres Perſonæ ſint una Eſſentia, ex hoc non eſt concedendum, illi rei, quæ eſt ſimul Eſſentia, ſimul & Perſonalitas, non convenire contradictoria, etiamſi daretur propoſitiones negativas non poſſe abſolutè proferri, ſi vera ſit affirmativa contradictoriè oppoſita. v. g. eſto demus, eo quod hæc ſit vera, homo eſt diſciplinæ capax, ideò iſta, homo non eſt diſciplinæ capax, ſit falſa, quia nimirum ſecundum ſenſum Recentiorum negatio, tam ſit malignantis naturæ, ut totum deſtruat, quod poſitio affirmat, conſequenter accipiendo totum hominem per modum unius aut per terminos, quibus utuntur Adverſarii, *Res quæ eſt homo*, non poſſent abſolutè proferri duo contradictoria, quia negatio non ſumitur ſolum formaliter ex natura rei, id eſt, limitatè & modaliter ſeu ſecundum quid, ſed illimitatè & abſolutè quatenus illa totum deſtruit in ſecunda quod affirmatio affirmat in prima, non propterea, ut rectè advertit *Arriaga* 1. p.

Arriaga diſcurſus laudatur.

d. 42. ſect. 5. ſubſect. 2. n. 62. benè infertur, non eſſe in homine partes ſibi verè unitas, quibus ſecundum ſe conſideratis, ut ſunt de intrinſeco conceptu compoſiti non conveniant prædicata contradictoria, ſic abſque dubio poſſumus dicere, homo ſecundum animam eſt capax diſciplinæ, amandi Deum, diſcurrendi, cujus contradictorium affirmatur de homine, ut eſt corpus animæ in compoſito intrinſecè unitum, ſcilicet homo, quà eſt corpus, non eſt capax amandi Deum, diſcurrendi, diſciplinam recipiendi &c. Item certum eſt, hominem, quoad animam, eſſe incorruptibilem, ſpiritualem, quoad corpus animæ unitum non eſt incorruptibilis, non eſt ſpiritualis, quæ contradictoria ſunt & realiter ſecundum partes diverſas eidem homini convenire noſcuntur: ergo pari ratione, eſto verum ſit, quod una Eſſentia ſit tres Perſonæ, & tres Perſonæ ſint una Eſſentia, inde tamen non ſequitur illi rei, quæ eſt ſimul una Eſſentia & tres Perſonæ non convenire prædicata contradictoriè oppoſita ratione Eſſentiæ & Perſonalitatis, & quatenus ſingula, id quod ſunt, & ut quodlibet poſitivum quid, præcisè conſiderantur & proprio termino declarantur, quia ut ſupra n. 108. ad hoc non magis neceſſum eſt, ut dicamus, Res quæ eſt Paternitas, quæ eſt Eſſentia, quàm ſi utamur terminis ſimplicibus, hac ratione indubiè veræ ſunt hæ propoſitiones: Eſſentia communicatur Filio, Paternitas verò non, Eſſentia eſt realiter communis, Perſonalitas verò non, intellectio Divina eſt improducta, Filiatio non eſt improducta &c. Et ut propiùs ad fundamentum Adverſariorum accedamus, eſto gratis concederetur ob identitatem realem Paternitatis cum Natura, [idem eſt de aliis exemplis de *productum eſſe* & *non eſſe productum* in una Perſona] eſto, inquam, quod iſta: *illa res, quæ eſt Paternitas communicatur*, vera ſit, falſam autem eſſe propter particulam *non* abſolutè ſumptam, contradictoriè oppoſitam: *illa res, quæ eſt Paternitas non communicatur*, quia ſenſus eſſet, *Eſſentia* quæ ſimul eſt Paternitas *communicatur*, *Eſſentia* quæ ſimul eſt Paternitas, *non communicatur*, ac ſi diceres, anima quæ eſt ſimul corpori unita, eſt capax amandi Deum, & non eſt capax, quia tamen Eſſentia eſt aliquid poſitivum, & relatio eſt aliquid poſitivum, cum alioqui non poſſent realiter identificari inter ſe, hinc dum per terminum, *Paternitas*, alicujus poſitivi declarativum, dicimus *Paternitas non communicatur Filio*, *Eſſentia*, quæ per terminum etiam alicujus poſitivi declarativum exprimitur, *communicatur Filio*, eſto realiter idem ſint, nullâ viâ reſiſti poteſt reali contradictoriorum illorum veritati, quam *Veken* & alii agnoſcant, quemadmodum *Hieronymus Faſolus* qui relictâ opinione de diſtinctione rationis, rationibus Scotiſtarum maturiùs conſideratis, tandem conceſſit ſine reſpectu ad fundamentum illius diſtinctionis, ſcilicet ſine reſpectu ad connotata veram eſſe in prædictis propoſitionibus tam negativam, quàm affirmativam, ante omne opus intellectus, *eadem enim*, inquit, *res ſimpliciſſima, non minus reipſa eſt formaliter Pater, quàm ſit formaliter Deus: ergo non minus eſt non communis, quàm communis: quia reipſa abſque ullo intellectu cogitante, Divinitas eſt communis.* Ita revera, ut redeamus ad reſponſum ſupra datum, una Eſſentia eſt ita tres Perſonæ, & tres Perſonæ ſunt una Eſſentia, ut revera Perſona ſit multiplex, quemadmodum & relatio

Sicut in Deo verè relatio

triplex

triplex seu persona multiplex; ita revera est Essentia una & nō multiplex. triplex & duplex Persona procedens, nullatenus sit una: Essentia econtra ita revera est una, ut nullatenus sit multiplex. Unde Concil. *Toletanum* II. in Confessione fidei docet non esse in Deo seu Divinitate triplicitatem, *non rectè*, inquit, *dicitur, quod in uno Deo sit Trinitas*, sensus est Naturam Dei etsi sit realiter, non esse tamen formaliter ex natura rei Trinitatem, tametsi liceat dicere, Deus est Trinitas realiter, Deus est Trinus, quia solum ibi significatur identitas realis Essentiæ cum tribus Personis, non tamen est dicere formaliter ex natura rei, Deus est triplex, est triplicitas, quia triplicitas importat et oumerum secundum rationem Deitatis. Unde perspicuè patet, falsum esse *Respondentis* dictum, quod nihil conveoiat Personis, quod non Essentiæ, & nihil commune quod de Essentia affirmatur, affirmari posse de Personis, nam de Essentia affirmatur, quod sit una, id nequit affirmari de Personis, & vicissim de relatione affirmatur quod sit duplex Persona procedens, quod sit triplex, multiplex, trina, trinitas, multiplicitas, multitudo opposita Unitati, secus est de Essentia; neqoe hic identica juvat illa compositio & repetita substantivi additio dicendo *Essentia una*, *non multiplex* &c. est formaliter ex natura rei relatio triplex, Persona triplex, duplex &c. Item Essentiæ Unitas est formaliter ex natura rei relationis Trinitas, Triplicitas, multitudo Unitati opposita, quia si nihil intersit inter Essentiam & Relationem, ut sint in statu reali, necesse est, quod prædicatum destruat subjectum, cui est contradictoriè oppositum, ut patet, & Symbolum *Athanasii*, quo dicitur: *Fides Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur.* tantum aut hunc dabit sensum: ut Unum Deum in Unitate, & Unitatem in Unitate veneremur, aut tantum Trinitatem in Trinitate, id est Deitatem Trinitariam veneremur, quæ certè sunt absurda. *Athanasii Symbolū castigat doctrinam oppositam.*

§. III.

Tertium Argumentum accipitur ex processione Verbi *&* Spiritus sancti.

119 Nimirum *Verbum procedit per intellectum, non procedit per voluntatem.* è contrario *Spiritus sanctus procedit per voluntatem, non autem per intellectum*: ergo intellectui & voluntati conveniunt prædicata contradictoria, consequenter & distinctio: consequentia est bona, est legitima: antecedens apud omoes est in confesso, & implicitè passim censetur definitum in hoc, quod definirum est, secundum Personam in Trinitate esse Verbum, tertiam non esse Verbum, inde enim Theologi rejiciunt *Durandum* volentem has processiones secundæ & tertiæ non esse per intellectum & voluntatem, dom omnes tenent Verbum esse per intellectum, & Spiritum sanctum per voluntatem, unanimiter inferentes, quod si utraque Persona esset per intellectum, quod posset non explicari, unde nam processionum differentia petenda sit, cur tantum unus terminus intellectus sit Verbum, alter verò non, nempè Spiritus sanctus, nec quomodo intellectus possit esse principium, & non voluntas, si nihil hanc inter & illam intersit. qualiter illius, quæ est Verbi, ex vi sua, quatenus existit per intellectum, sit suum terminum assimilare rei cognitæ per modum Naturæ, altera verò, quæ est Spiritus sanctus, & refertur in voluntatem, alium habeat tendendi modum per solam inclinationem & volitivum impulsum, quæ communis doctrina, nisi admittatur distinctio aliqua intrinseca sive virtualis, sive ex natura rei formalis inter intellectum & voluntatem, defendi non potest, quomodo enim, si non actu, sed dependenter à nostris figmentis distinguatur *Ratio Scotistarum gtia.* intellectus Dei à voluntate, actu & seclusâ negotiatione nostri intellectûs & distinctione rei causam veritatis continenti extrinseca, non magis procedit Verbum per voluntatem, quàm per intellectum? aliud sane sa- ctos PP. non definiisse dicendum, quàm nos solum concipere, Verbum per intellectum procedere, & non per voluntatem, licet actu ante nostrum conceptum, non sit tale discrimen, consequenter assimilationem illam per modum Naturæ, tam voluntati propriam esse, esto habeat rationem generationis, quàm intellectui & modum tendendi, per modum impulsus volitivi, esto habeat rationem spirationis, tam proprium esse intellectui, quàm voluntati, vel illam intellectui soli propriam esse, dicendum & alterum voluotati, quia sic fingitur per nostrum intellectum.]

Ad hoc Argumentum more suo iterum confugit ad distinctionem per rationem indu- 120 ctam, dicens hic & disp. 32. c. 4. n. 15. nos non posse in sensu purè reali uti illis propositionibus. Unde secondò respondet, si velimus loqui in sensu purè reali, alia oporteat uti v. g. Verbum procedere per rem, quæ est intellectus, & sic sensum earum propositioonum non esse: *Deum generare per intellectum, vel Verbum procedere per intellectum, qui non est formaliter voluntas, & Spiritum sanctum procedere per voluntatem, qui non est formaliter intellectus. Sed per illum, qui generando non exercet alium actum vel munus, quam quod postulet intellectum, licet simul sit voluntas ad alium actum apta*, ideoque una illa eademque potentia per alium spirando non exercet *Responsum Vepkeni evacuatur infra mox.*

 ercet

erceat alium actum vel munus quàm ad illud se gerat, ut ad volitum & amatum, neque enim invicem impediunt hi actus, ac multo minus potentiæ. quod est, inquit, fundamentum, cur ratio nostra formalitatem illam simplicissimam, quæ simul est intellectus & voluntas, tunc tantum exprimat per speciem intellectus: quia eadem formalitas in ordine ad illum actum, tantum ut intellectum se gerit, in ordine ad alium verò tantum ut amatum.

Vtraq; Responsio præterquam q. 2. per extensum refutatæ sint, amplius infringuntur, ostendendo primò quod per primum quoad rem significatam evertatur actualitas processionum Divinarum, & ad nostros concipiendi modos detorqueatur.

121 ET quidem manifestè refellitur prima, eo ipso quo dicit propositiones illas non esse concedendas realiter, sed in ordine ad nostros conceptus, quodque illis exclusis istæ: *Verbum procedit per intellectum, non per voluntatem, Spiritus sanctus per voluntatem non per intellectum*, mox interimantur, sequitur tam Spiritum sanctum quàm Filium esse Verbum in reipsa, & vicissim Filium tam esse Spiritum sanctum quàm sit ipsemet Spiritus sanctus, & solum beneficio nostri intellectus unum dici Verbum, alterum Spiritum, reipsa tamen non ita esse: idem erit de filiatione & spiratione passivâ, & sic quantum ad rem ipsam & independenter seu nostris conceptibus seclusis erunt vel tantum duo Filii, vel tantum duo Spiritus sancti, quod est hæreticum: seq. ex dato responso probatur supponendo tanquam receptum apud omnes, quod si virtus productiva v. g. quæ tendit in terminum sub ratione formali impulsus aut inclinationis volitivæ etiam attingat intellectum, ut rationem formalem terminandi, adeoque Spiritus sanctus vi suæ processionis, seu prout terminus formalis est actionis spirativæ, intellectum præ se ferret, per intellectum procederet, eo ipso sit Filius, eatenus enim Verbum est Filius, quatenus intellectum refert vi actionis dictivæ seu generativæ, jam cum ante nostros conceptus æque refert seu tam procedit *Spiritus sanctus* per intellectum ut terminum, quàm *ipsum Verbum*, & *Filius* tam procedit per voluntatem, quàm *Spiritus sanctus*: ergo & ante nostros conceptus Spiritus S. tam erit Filius & Verbum, quàm ipsummet Verbum, licet ratione nostrâ concipiente res aliter, quàm in se sint, solum Verbum dicatur Filius. *anteced.* prob. quod Filius non est per voluntatem & è contrario, quod Spiritus sanctus non sit per intellectum, est solum ratione nostra, à parte rei enim & secundum rem in se significatam ab una eadem formalitate procedant: consequentia, quod ante nostros conceptus Spiritus sanctus tam esset Verbum quàm sit ipse Filius, & vicissim Filius tam esset Spiritus sanctus, quàm sit ipsemet Spiritus sanctus, probatur etiam: quia nullum data doctrina assignat fundamentum, ut ante nostram rationem unus dicatur Verbum, alter Spiritus. *ergo. anteced.* prob. ratio *Verbi* consistit in hoc, quod sit in se *terminus intellectus*, sed hoc in se æqualiter competit Spiritui sancto, quia æqualiter à parte rei est in se terminus intellectus, ac ipse Filius, ergo æqualiter Spiritus sanctus erit Verbum ac ipse Filius, & vicissim: *maj.* patet. quia aliam Verbi distinctionem, quàm quod sit terminus intellectus, non possumus dare. *min.* prob. quod enim Spiritui sancto negetur competere esse terminum intellectus, & dicatur terminus voluntatis, est à ratione nostra, in se enim tam est ab eadem intellectus formalitate, seu tam est terminus intellectus, ut si proferre velim dictas propositiones contradictorias, quibus dicimus, Verbum esse terminum intellectus, non voluntatis, Spiritum sanctum esse terminum voluntatis, non intellectus, easque reflectere ad sensum merè entitativum & realem, excluso sensu formali in distinctione per rationem fundato, eo ipso juxta illum *auct.* dictæ propositiones interimantur, ac proinde non amplius Filius sit alterius, nec Spiritus sanctus sit alterius principii & virtutis productivæ terminus, sed unius & ejusdem, quod cum sit intellectus, qui est ex natura sua formaliter simul voluntas, manet in reipsa juxta hanc doctrinam Spiritum sanctum esse Filium aut ipsum Verbum, & Verbum esse Spiritum sanctum, ut ipsemet Spiritus sanctus, quæ absurda & à fide nostra aliena sunt, adeoque doctrina ex qua id sequitur, erit rejicienda.

Verbum cur filius & non Spiritus sanctus & vicissim cur Spir. S. non dicatur filius.

Respondebis falsum esse, quod nullum assignent Conceptistæ fundamentum, ut ante nostram rationem unus dicatur Verbum, alter Spiritus sanctus, nam esto procedant ambo ab una simplicissima & formaliter indivisibili realitate, quæ simul est intellectus & voluntas, illa tamen ad unum se gerit ut intellectum, ad alterum non, ut supra statim.

Perfugium excluditur.

Contra cum dicis eandem formalitatem, quæ sit formaliter intellectus & simul voluntas, se gerere ante nostros conceptus, ad unum, ut intellectum, ad alterum non ita, jam cum *Verbum* sit, ad quod se gerit, *ut intellectum*, primò vel innuis ante nostros conceptus *Verbum* sic esse per illam formalitatem, quæ sit simul intellectus & voluntas, ut sit eodem modo per voluntatem, quo per intellectum, ita ut nulla sit in hoc à parte rei diversitas, vel diverso modo, quod Verbum non sit illo modo per voluntatem, quo per intellectum: si dicas hoc *secundum*, quod Verbum eo modo quo procedit per intel-

intellectum, non procedat per voluntatem, nobis consentis, quod intellectui & voluntati ante conceptus nostros competant contradictoria, nam realiter & independenter & à nostra ratione, convenit intellectui esse principium eo tali modo, ut se gerat in ordine ad Verbum, ut intellectum, voluntati verò non convenit esse principium eo tali modo, quo sunt tam contradictoria, ut rectè *Arriaga* saltem in præsenti quæsito, quàm esse absolutè principium & non esse absolutè principium. Si *primum* dixeris, manet argumentum, quod ante conceptus nostros nullum sit fundamentum, cur asseramus Verbum procedere per intellectum, non per voluntatem, Spiritum sanctum autem procedere per voluntatem, non per intellectum, consequenter cur una Persona dicitur & non Spiritus sanctus, & vicissim, cur altera dicatur Spiritus sanctus & non Verbum.

Arriaga.

123 *Respondebis* alium illum & alium modum non constituere discrimen actu in illâ principii formalitate, quæ simul est intellectus & voluntas, quasi actualitas processionum debeat referri ad ipsum discrimen seu distinctionem ipsam in illa simplicissima formalitate repertam, minimè sic est, sed quod debeat referri ad ipsos terminos distinctionis, seu principia, id est, quod Filius procedat actu per intellectum & non per voluntatem, non tamen ut per actu distincta, eadem quippè formalitas est intellectus, quæ voluntatis, inde tamen, quod sint ejusdem formalitatis termini diversi, fiat, quod mens nostra concipiens alium modum emanandi per intellectum, qui competit Verbo, & alium procedendi per voluntatem, qui Spiritui sancto convenit, non merè à parte rei supponat, nec merè confingat actualem distinctionem & alietatem processionum, sed habet fundamentum sui conceptus, ut exprimat eandem simplicissimam formalitatem, tunc tantum per speciem intellectus, tunc verò per speciem voluntatis, esto nulla sit ibi distinctio à parte rei.

Perfugium alterum.

124 *Contra* clarè: non potest discrimen processionum accipi à terminis distinctis, nisi actualitas processionum etiam referatur ad distinctionem ipsam in illo, quod simul est intellectus & voluntas, à parte rei repertam: ergo nihil respondetur. prob. *anteced.* accipiamus terminum intellectus, qui dicitur *Verbum*, illud in quantum est terminus intellectus actu, & non voluntatis, in tantum est actu terminus distinctionis, inter intellectum, ut *suum principium*, & voluntatem, ut *non principium suum*, ergo nequit actualitas processionum referri ad terminos distinctos, nisi etiam ad ipsam distinctionem in principiis repertam. prob. *anteced.* quia alioquin intellectus & voluntas, quatenus sub propria ratione distinguuntur, ut principia diversarum emanationum seu processionum, non essent actu in Deo, sed solum essent actu, quatenus identificantur cum Essentia, eo prorsus modo, quo alia attributa [quæ ideò tamen etiam actu non sunt principia] identificantur cum illa: *atqui hoc*, quo ad rem ipsam est subvertere actualitatem divinarum processionum, & ipsam Definitionem & rationem formalem Verbi, & rationem formalem Spiritus sancti. prob. Definitio & ratio formalis Verbi, quam nim pro hoc statu dari potest, est esse in se terminum intellectus actu sub ea ratione, sub qua distinguitur à Spiritu sancto, aliud enim pro ratione formali, cur Filius sit *Verbum*, & non *Spiritus sanctus*, nobis assignabile non est: sed *Verbum* non distinguitur à Spiritu sancto, nisi quod sit actu sub eâ ratione, quâ realiter, & non solùm ratione nostrâ, non est terminus voluntatis, & vicissim Spiritus sanctus non nisi, quod actu sit sub ea ratione, qua realiter, & non solum ratione nostra, non est terminus intellectus: ergo non solum ratione nostra, sed realiter verum est, *Verbum* non esse terminum voluntatis, item realiter & non solùm ratione nostrâ verum est, Spiritum sanctum non esse terminum intellectus: ut sicut hominem & lapidem esse actu distinctos, non aliud est, quàm hominem esse actu sub ratione hominis, ac similiter lapidem esse sub ratione lapidis, ita *Verbum* realiter non esse *Spiritum sanctum*, nihil aliud est, quàm illud à parte rei formaliter non esse terminum formalem voluntatis, sed terminum intellectus: ergo realiter & non solum à ratione nostra conveniunt in Deo prædicata contradictoria. Frivolum autem & inane est, quod recurratur ad illud fundamentum nostri conceptus ad exprimendam eandem simplicissimam formalitatem jam tantum per speciem Intellectus, jam per speciem voluntatis, quia ratio Verbi non consistit in eo fundamento, sed in hoc quod sit formaliter & actu terminus intellectûs, non voluntatis. Deinde omnis fictio & distinctio intellectus habet fundamentum in rerum natura, cum enim objectum adæquatum nostri intellectus sit ens reale, non potest intellectus procedere ad fabricanda entia & distinctiones rationis, nisi acceptâ occasione ex ente reali & distinctione reali, unde quando *Vekenl.* c. ait, quod quidquid à parte rei & independenter ab intellectu nostro processionibus illis convenit, sit capax distinctionis rationis, & per consequens contradictoriorum, quæ illam consequuntur, esto spectato fundamento, ita concipi per rationem & distingui possit, non ideò tamen non talis conceptus & distinctio rationis absolvitur à fictione, nam aliud est aliquid non esse fictum in se, & aliud ejus fundamentum non esse fictum, sicut aliud est negationem esse nihil, aliud fundamentum negationis esse nihil, illud enim est verum, alterum est falsum & fictum: ergo ut salvemus processiones divinas, vel est recurrendum ad realem veritatem & convenientiam prædicatorum contradictoriorum consequenter ad distinctionem actualem inter principia divinarum processionum, vel certè, ut prælusi, in titulo hujus responsi ad objectionem, totum Mysterium dicti discriminis à SS. PP. & CC. traditum ante nostram rationem ita erit confictum, in illa opinione, ut nec ipse Deus cognoscat illud discrimen actu positum, sed tanquam fingibile nostro

Retunditur.

Aliud est aliquid esse fictum aliud esse fundamentum fictionis.

nostro concipiendi modo, nec tale potuit fuisse ab æterno, antequam illud nostra ratio apud *Vekenum* fabricaret, nec esset possibile, si non posset esse intellectus creatus, in ordine ad quem intellectus divinus distinguitur à voluntate divina. Tale quid autem dicere, ut rectè *Smising* Tract. 2. *de Deo Uno*. d. 1. q. 2. n. 46. id est, differentiam inter processionem Filii & Spiritus sancti ex parte principiorum non cognosci à Deo, nisi ad nostra deflectat figmenta, & quod illa differentia non sit ab æterno, nihil est aliud quàm tollere reapse & ad nostros concipiendi modos deducere processionum divinarum actualitatem præsertim in sententia Auctorum illorum, qui volunt ideò rationem nostram distinguere divina, quia assuevit cognitioni rerum creatarum, ad quem modum & similitudinem concipit divinas perfectiones distingui, & voces non res ipsas, sed ut à nobis conceptæ sunt, illas significare, adeoque intellectus ex rebus veris ad alia, quæ pro figmentis habentur, procedat.

Ex quibus patet, quod non absque fundamento *Arriaga* p. p. d. 42. sect. 5. subsect. 2. n. 67. Sed jure merito reprehendat *Vasquez.* docentem, solùm ab intellectu nostro imperfectè cognoscente SS. hoc Trinitatis Mysterium, affirmari ea prædicata contradictoria, in reipsâ verò non dari, & Deum ipsum se cognoscentem, ut est, ea non affirmare, ubi, ut idem *Auctor* advertit, si vellet *Vasquez.* Deum illa duo contradictoria de se non cognoscere, ut contradictoria, verum quidem diceret, sed quia nec ille nec *Veken* admittit ea à parte rei affirmari, nec admittere cogatur distinctionem actualem, intellectum inter & voluntatem, ita neque absolutè à Deo cognosci, est rem dicere, inquit *Arriaga*, erroneam. *Arriaga meritò reprehendit Vasquez.*

§. IV.

Scotistæ opinionem suam roborant argumento deprompto ex Mysterio Incarnationis Dominicæ.

125 *Alia Scotistarum ratio.* Ut vis illius meliùs eluceat, quia *Auctor* ille ll. cc. breviter tantum adducit, paulò fusiùs deduco, estque illud: *Verbum* Divinum terminat Naturam humanam non ratione alicujus perfectionis absolutæ & communis, sed solius suæ personalitatis, sive subsistentiæ relativæ. Ita enim definitur in Concilio *Toletano* VI. & XI. In *Confessione fidei*, quod vocatur *Authenticum* ab Innocentio ad *Petrum Compostellanum*, & passim à Theologis recipitur, Verba *Concilij* sunt: *Solus Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ, non in Unitate Naturæ, id est, in eo, quod est proprium Filij, non quod commune est Trinitati.* Ergo in Essentiam Divinam, quæ omnibus Personis est communis, & non terminat Unionem Naturæ humanæ, & Personalitatem Verbi, quæ illam terminat, erit aliqua distinctio, cum alioqui de eodem secundum idem verificarentur contradictoria, hic à *Concilio* asserta in his verbis: *in eo quod proprium Filij, non quod commune in singularitate Personæ humanitatem suscepit, non suscepit in Unitate Naturæ.* & possunt sic formari: Filius est entitas realiter indivisibilis, & tamen Unio hypostatica terminatur immediatè ad relationem Filii, non terminatur immediatè ad Essentiam Filii, ergo eidem rei indivisibili duo contradictoria ex se prædicata à parte rei conveniunt: anteced. patet ex communi Theologorum consensu, quò in hoc Concilio *Tolet.* fundati unanimiter tenent, id ad quod immediatè terminatur Unio humanæ Naturæ in Verbo esse solam relationem seu solam Personalitatem Filii, in quâ ut formaliter terminante nihil agnoscunt de Natura & prædicatis Dei absolutis Naturæ, quam ideò dicunt humanitatem terminare solùm mediatè, & quasi secundariò identicè & denominativè, nequaquam immediatè, ergo in ipsomet Filio agnoscunt aliquid, ad quod immediatè terminetur, & aliquid ad quod non terminetur Unio immediatè. anteced. patet, consequ. similiter, nam huic doctrinæ innitentes disputant iidem Theologi an saltem divinitùs Natura immediatè possit terminare Unionem Naturæ creatæ, & resolvunt, etsi omnes tres Personæ Unionem immediatè terminarent, non tamen eo ipso immediatè Naturam Divinam sic illam terminare, ergo cum de facto in una sola Persona facta & terminata sit Unio non terminat illam immediatè Natura, ut illa dici possit immediatè Unita, de quibus plura in discussione Responsi secundi & solutione ejusdem.

Quid & quàm solidè ad hæc respondeat *Veken* ll. cc.

126 *Veken.* Ad hæc respondet dupliciter, primò quidem more consueto, quod ad salvanda contradictoria sufficiat distinctio rationis, quam involvunt termini objectionis, notatque n. XVIII. juxta hanc rationis distinctionem, & non aliter accipiendum, quod Theologi tradunt, Unionem humanæ Naturæ cum Verbo ad hujus Personalitatem terminari immediatè, ad ipsam verò Naturam mediatè. Neque id posse verificari in aliquo medio, quod à parte rei se teneat, ubi enim est summa identitas, non est tale medium, cum nihil inter seipsum medies,

mediet, & concludit, quod debeat verificari illa Theologorum communis sententia in medio rationis, cum enim Personalitas Verbi ratione differat à Divinitate, rectè dicitur per eundem conceptum mediare inter Divinitatem & Unionem.

Infringitur hoc primum Responsum, & *Scoti* Doctrina magis elucidatur.

127 *Responsum Vekeni expenditur.* CErtè quis non videat, & hic infeliciter hunc Auctorem congredi cum Scotistis, arbitror enim, imò certum est, quod nobiscum supponat Essentiam Divinam non esse in una solum Persona, sed in qualibet trium, non tamen secundum unam partem in una, & secundum alteram in alia, sed eandem numero totam debere esse in qualibet earum, id est, totum id, quod Essentia dicit est idem numero in Patre, & idem numero in Filio, unde convertibiliter dicimus Pater est Essentia, & Essentia est Pater, Filius est Essentia, & Essentia est Filius, non tamen possumus dicere convertibiliter Essentia, quæ est Pater, est quidquid est Essentia, quia Essentia, quæ est Pater, non est Filiatio, & vicissim Essentia, quæ est Filius, non est quidquid est Essentia, quia non est Paternitas, ex quo necessariò concluditur esse unum extremum in Patre, quod non est in Filio, estque Paternitas, & vicissim esse unum extremum in Filio, quod non est in Patre, estque filiatio, & dicitur à Concilio esse proprium Filio; atqui hac filiatione immediatè juxta idem *Concilium*, Filius terminat Unionem Naturæ humanæ, *solus Filius*, inquit, *suscepit humanitatem in singularitate Personæ, in eo quod proprium Filij* & in quo distinguitur à Patre, non in Essentia, in qua duo illa extrema sunt idem, & non distinguitur à Patre, *non in Unitate Naturæ, non in eo quod commune est* &c. ergo contra torrentem Theologorum, quando tradunt Unionem humanæ Naturæ cum Verbo ad hujus Personalitatem terminari immediatè, ad ipsam verò Naturam mediatè sistinere, id non posse verificari in aliquo medio, quod se teneat à parte rei, eo quod non sit tale medium, ubi est summa identitas, evidenter patet esse falsum. *anteced.* est *Concil. confeq.* *Paternitatem & Filiationem esse eadem uni tertio sed non inter se quid importet ad propositū.* prob. de fide est in Deo esse illa duo extrema, Paternitas & Filiatio, quæ sint idem uni tertio, quæ est indivisibilis Essentia, attamen non inter se, jam accipiamus illud totum indivisibile, quod resultat ex eo tertio & hoc extremo scilicet ex filiatione, nonne verum est dicere, nonne fides docet hoc totum, quod est Filius, distinguitur ab altero, qui est Pater, resultante ex eodem tertio, id est, Essentia & extremo altero, id est, Paternitate, attamen eadem fide docente non distinguitur in eo medio seu tertio quod est Essentia: ergo distinguitur Filius in ea extremitate, quæ est Filiatio: jam quid dicat expectemus, quæro estne ampliùs terminare immediatè unionem realem extrinsecam, quàm immediatè esse terminum vel terminare distinctionem realem intrinsecam? Si non: subsumo: atqui sola filiatio immediatè terminet illam distinctionem realem, non Essentia, ergo eadem filiatio immediatè etiam terminabit unionem realem, non Essentia; quidquid attuleris, cur non sit paritas, nunquam extraneabis ab illo toto, quod resultat ex Essentia & filiatione, vim contradictoriorum realium, nempe distingui immediatè à Patre in illa extremitate & non distingui immediatè in Essentia: ergo nec ab eodem toto extraneabis vim contradictoriorum, quæ *Concilium* reipsa profitetur, quod terminet immediatè Unionem humanitatis filiatio, non Essentia, nam hoc ipsum extremum distinctionis, quo distinguitur Filius à Patre, cum non sit Essentia, infert de necessitate, ibi esse aliquid, quod extra nostros conceptus sit proprium Filio, in quo dicit Concilium suscepiam à Verbo humanitatem, & aliquid, quod extra nostros conceptus sit commune, & in quo non est suscepta à Verbo immediatè, consequenter verificatur communis Theologorum sententia de mediato & immediato Unionis hypostaticæ terminis, qui se teneant à parte rei. *Nec valet quidquam*, ubi est summa identitas realis, non est tale medium, seu talis mediatio & immediatio, *cum nihil inter seipsum mediet*, ex hoc ipso enim, quod nihil inter seipsum mediet, contrarium illius nempè, quod nihil possit identificari sibi ipsi, verificatur, *Retorquetur argumentum in oppositum.* ut liquet exstatim allatis de extremis uni tertio identificatis, & probatur: identitas est plurium vel ad minus duorum existentialis Unitas in tertio, unde nata est illa Maxima: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* & reducitur ad hoc, quod eidem realiter entitati absque omni distinctione repugnent duo prædicata contradictoria distingui & non distingui, ut statim visum, qualia sequuntur eo ipso, quod duo extrema identificentur uni tertio, & non inter se, ut propterea non infimæ notæ Theologi supponentes vim syllogisticam consistere in illa Maxima, de qua egimus Tom. 2. Controv. 5. q. 2. a. 3. Solerti indagine laboraverint, qualiter illa in Divinis sustineri possit, aut planè ne hoc Mysterium videretur pugnare contra Naturæ lumen, cui hoc axioma innititur, negaverint illam in eâ vim syllogisticam fundari, cum autem Respondens disp. 33. de Deo Trino c. 3. formam syllogisticam in hoc axiomate & altero *dici de omni & dici de nullo* simul fundatam esse velit, eamque valere in materia SS. Trinitatis, non video quomodo cohæreat sibi, dum ait: ubi est summa identitas, non est tale medium, cum illud, qualitercunque demum distinguitur ab extremis, omninò requirat forma syllogistica, ubi ut suis utar verbis, *Medium dati inter Paternitatem*

& Filiationem est extra cō-trsversiam.

verbis, nihil inter seipsum mediat, & apertissimè duo extrema in Patre & Filio requirant unitri uni tertiæ indivisibili Essentiæ, *ut medio*, cum ergo dicatur unom extremum terminare unionem hypostaticam, & non illud tertium, in quo illud identificatur cum altero extremo, jam eo ipso sine tergiversatione datur medium, in quo fiat Unio immediatè estque filiatio, & aliud in quo fiat mediatè, & est Essentia, clarissimè sequitur, illud medium non esse rationis, cum Personalitas Verbi seu filiatio, quæ est illud medium sine dubio & ipsa Unitio cum humanitate se teneat à parte rei, quæ etsi revera sufficerent ad refutandum responsum suum allatum, volo tamen id amplius ex ipsiusmet respondentis doctrina remonstrare ad oculum.

Vekeni doctrina ostendit in Deo esse à parte rei mediū in quo fiat Unio hypostatica.

128 Is disp. de Deo Trino 31. c. 6. quid dicendum de principio communicativo Essentiæ & attributorum, ita præfatur: fundamenti loco nobis supponenda est doctrina Catholica, quam in Concil. *Lateran.* contra *Ioachimum Abbatem* definivit *Innocentius* III. ut refertur Cap. *Damnamus* de Summâ Trinit. hisce verbis: *Pater ab æterno Filium generando suam substantiam ipsi dedit, juxta quod ipse testatur* Joann. 10. v. 29. *Pater meus quod dedit mihi majus omnibus est. At dici non potest, quod Patrem substantive illi dederit, & partem ipse sibi retinuerit: cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omninò. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic illam dederit Filio, quod non retinuerit ipsam sibi, alioquin desiisset esse substantia. patet ergò quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit: & ita Pater & Filius habent eandem substantiam.* quo discursu, inquit, prorsus exacto atque scholastico insinuatur *præter proprietatem à Patre productam*, ideoque & ab illo distinctam, esse in Filio *aliquid improductum & indistinctum à Patre.* Ecce particulam exceptivam *præter* quâ Auctor ille Catholicè distingoit Filium in aliquid & aliquid, in aliquid productum, & in aliquid improductum excipiendo unum ab altero, & rectè, nam impossibile est, ut idem catholicè, id est, conceptu vero non ficto & falso excipiatur à seipso, & hæc contradictoria, esse improductum & non productum, esse distinctum & non esse distinctum, verificentur de prorsùs eodem aliquo secundum omni modo idem aliquid: ergo quod mordicus alioqui negavit, jam concedit esse quid in Filio, à quo contradictoriè excipit Filii proprietatem, ergo & identitas realis inter Essentiam, à quâ fit exceptio, & proprietatem Filii, quæ excipitur, etsi certum sit, quod non duas res realiter distinctas, de necessitate saltem duas infert realitates, id quod confirmatur ex iis, quæ dicit eodem cap. n. XXVII. *quia verò identitas rei non differt à seipsa, necesse est, ut principium productivum identitatis sit principium productivum alterius rei, non Essentia, hæc enim est improducta; ergo proprietatis seu relationis, quæ à parte rei est eadem cum Essentia, & simul apta ad terminandam productionem*: quomodò clariùs per catholicam hanc doctrinam Scoti sententia illustrari potuisset, non video, catholicum est, quod Essentia & proprietas Filii, sint inter se realiter sibi identificata; catholicum item est, quod principium productivum in Deo non sit principium Essentiæ; sed *alterius rei*, id est, filiationis; quæ si sit *alterius rei*, quàm *Essentia*, quomodo dicis illam esse formalissimè eandem realitatem, quæ est Essentia? si solo nostro conceptu, sit alterius rei, quomodo reipsa non etiam Essentia est apta ad terminandum productionem, sicut enim sola distinctio rationis impedire non potest identitatem inter Essentiam & Filiationem, ita supposito quod alterum horum producatur, si nulla prorsus sit ibi distinctio alia, quæ mediet inter illa ex natura rei, impedire non potest, quin si unum extremum terminet productionem, eo ipso terminet & alterum, quod est formaliter ex natura rei idem cum illo: ergo ut verificentur, quæ catholicè dicta sunt, & quod catholicè ibidem additur scilicet, *Essentia communicationem cum Filio debere terminari*, non ad Essentiam, *eo quod alioqui Essentia non magis communicaretur Filio, quàm alteri Personæ, & quidquid in Deo est proprium Filio non communicatione procedere, sed productione, adeoq; communicatio debeat terminari ad aliquid productum*, duo certè sunt necessario concludenda: *primum est*: nullatenus ad hoc quod filiatio terminet productionem, & non terminet Essentia, sufficere, quod tota hac q. probare intendimus solam distinctionem rationis, eo quod non tollat identitatem inter extremum terminans illam & non terminans, & esto nec Scoti distinctio tollat identitatem inter Essentiam & Filiationem, quæ dicitur realis, tollit tamen identitatem ex natura rei formalem, qualis in Deo, ut dicitur Tom. 2. Controvers. prima. q. 2. inter Attributa & Essentiam summam involvit imperfectionem. Deindè si quid valet hæc una ratio, ideo non debere terminari Essentiæ communicationem ad Essentiam, eo quod aliàs non magis communicaretur Filio, quàm alteri Personæ, & quia quidquid in Deo est proprium Filio non *communicatione* procedat, sed *productione*, ideò communicatio terminari debeat ad aliquid productum, non ad Essentiam improductam, quid restat, nisi quod ob eandem rationem iterùm & secundò concludamus contra hunc Auctorem, quod quemadmodum immediatè ad proprium Filio terminatur productio, non ad Essentiam, ita Unionem hypostaticam immediatè terminari ad proprium Filio, non ad Essentiam, eo quod alioqui tunc non magis diceretur Essentia incarnari in Filio, quàm in altera Persona. & hoc ipso non solùm destruitur responsum secundum, quo Auctor conatur tueri suam opinionem sese referens ad professionem fidei in Concilio *Rhemensi* contra Gilbertum, ut statim ampliùs patebit, sed & quod potissimùm in hoc discursu intendimus manet in suo vigore communis illa Theologorum sententia: *Verbum terminare* Unionem Naturæ humanæ, *immediatè per filiationem, & mediatè per Essentiam.*

Duo consectoria ex allata doctrina.

Respon-

Responsum *Vekeni* secundum.

Vekenus novam affert interpretationem Concilij.

129 IAm dixi, convelli ex dictis id, quod secundo loco respondet, dicens, quod si illud Mysterium fidei explicare malimus in sensu magis reali, imitandus sit *D. Bernardus*, cui & Gallicanis Episcopis idem Argumentum ante *Scotistas* objectum fuerat à *Gilberte Porretane* pro suo errore, cui ut videre est in Symbolo fidei in Concilio *Rhemensi* hanc responsionem dederunt: *Credimus & confitemur ipsam Divinitatem, sive substantiam Divinam, sive Naturam Divinam dicas, incarnatam esse, sed in Filio*, quo loquendi modo sensu reali, sive ex parte rei significatæ, nihil aliud intelligunt, quàm Divinitatem esse incarnatam, non ut Pater, vel Spiritus sanctus, sed ut secunda Persona sive Filius est. Particula enim *in*, à PPbus intelligitur intransitivè, ut non supponat distinctionem aliquam inter id cui inest, & illud cui inest, quam hic omnem præsertim ex mente *D. Bernardi* sensus realis excludit. Quare idem prorsus est, Essentiam in Filio incarnatam esse, atque Essentiam, ut eandem cum Filio, non verò ut latius patet, atque etiam cum Patre & Spiritu sancto identificatur, seu ut ait Tract. de Simpl. l. c. *Essentia incarnata est ratione Filij, non autem aliqua cæteris Personis communi est incarnata.*

Refellitur hoc responsum & optimis instantiis Doctrina nostra confirmatur.

130 ET quidem quantum ad hoc, quod idem argumentum ante *Scotistas* à *Porretano* ad tuendum suum errorem fuerit objectum *S. Bernardo* & Episcopis Gallicanis, quomodo quâ intentione & quàm dispari sensu, studio & fine processerit *Gilbertus* à Doctore Subtili, luculentè dicitur Tom. 2. *Controv. 4ta* per totum, ubi & quantum ad auctoritatem & definitionis scopum à Concilio intentum plenè ostenditur, quàm abusivè *Gilberti* ratio cum *Scotistarum* conferatur aut supponatur.

In Doctrina opposita Pater & Spiritus S. dicendi essent incarnati.

Id, quod deducit ex *Concilio* ipsam Divinitatem scilicet esse incarnatam, non ut Pater vel Spiritus sanctus, sed ut secunda Persona; impugnatur *primò*: Incarnatam esse Divinitatem in Filio, infert necessariò etiam incarnatum Patrem & Spiritum sanctum, consequenter in hac opinione suâ Pater & Spiritus sanctus tam dicendus esset homo; quàm secunda Persona seu Filius. sequela *antecedentis prob.* Divinitas illa incarnata, sive admittas in eâ essentialiter includi subsistentiam quandam absolutam omnibus tribus Personis communem, quâ illa subsistit absolutè & hoc nomen Deus rectè supponat pro hoc subsistente communiter in hac Deitate, in qua ideò connaturaliter subsistunt tres Personæ, sive non admittas, certè quod sit trium subsistentiarum una *usia* sive substantia negari non potest: atqui ut Pater & Spiritus sanctus dicantur unus homo cum Filio, nihil aliud exigitur, quàm ut illa *usia* Divinitatis reipsâ incarnetur seu immediatè terminet unionem Naturæ humanæ, ergo. *major* quoad secundum membrum, salvâ fide negari non potest. *min.* prob. Si omnes tres Personæ assumerent eandem humanitatem, dicerentur omnes tres ab unitate formæ unus homo, ergo similiter si Divinitas omnibus tribus communis sit incarnata immediatè, ut vult citatus Auctor, dicentur omnes tres Personæ unus homo. anteced patet, omnes Theologi, quorum sententia in articulum fidei transivit, à simili tenent Patrem & Filium esse unum spiratorem, ratione unius formæ spirativæ, quæ est voluntas fœcunda. *conseq.* prob. de facto docente fide ab unitate formæ seu Essentiæ Divinæ tres Personæ dicuntur unus Deus: ergo ab unitate humanitatis immediatè susceptæ omnes tres dicerentur unus homo.

Effugium præventum.

Nec juvat quod Divinitas dicatur incarnata, non ut Pater, vel ut Spiritus sanctus, sed ut secunda Persona seu Filius, quia etsi per hoc concederetur quod humana Natura, cum in Deo careat propria subsistentia, subsistat subsistentia solius Verbi, non Patris & Filii, nequaquam tamen impediri potest, quod non dicatur Pater, & Spiritus sanctus homo secundariò & denominativè, quod probatur, ideò de facto divinitas mediatè, denominativè & secundariò à Theologis dicitur incarnata, quia Filius, qui Unionem Naturæ terminat immediatè, est realiter idem cum Divinitate, ergo si Divinitas ipsamet immediatè terminet illam unionem in Filio, jam Pater & Spiritus sanctus ob eandem rationem, quod sint realiter idem cum Divinitate dicentur denominativè & mediatè incarnati, adeoque homo Christus, quæ est novitas absurdissima in Ecclesia Dei hactenus non tollerata, imò ut rectè *Arriaga* disp. 42. sect. 1. subsect. 3. n. 40. notat, omnes Theologi cum *D. Thoma* dubio, quod posset formari v. g. tale: etiamsi Divinitas non sit unita immediatè, quia tamen est idem realiter cum Relatione, dicetur absolutè incarnata, ergo cum Pater & Spiritus sanctus sunt idem realiter cum Divinitate, absolutè dicentur incarnati. Unanimiter respondent, negando consequentiam, quia Divinitas, quæ denominatur incarnata,

est idem realiter cum eo, quod immediatè est unitum, at Pater & Spiritus sanctus non sunt idem realiter cum eo, quod immediatè est unitum, sed solum cum eo, quod mediatè & denominativè, ideò Pater non denominatur incarnatus, benè tamen Essentia, in hac autem hypothesi, quod ipsa Divinitas immediatè sit unita, cui Pater & Spiritus sanctus realiter idem sunt dicto responsu facto inutili, seu sublatâ mediatione & immediatione terminandi Naturam humanam in Filio illæ Personæ absolutè dicentur incarnatæ, utpote quæ cum Divinitate Filii immediatè terminante unionem realiter identificantur, ob quam identitatem eadem quoque Divinitas incarnata denominatur.

131 *Itaque* ut tam enorme heterodogma in Scholis caveatur, dicendum cum communi Theologorum & Concil. *Tolet.* VI. & XI. Unionem non factam immediatè in Divinitate Filii, sed in Personalitate, eaque mediante unitam Divinitati, imò licet, inquiunt, divinitùs omnes tres Personæ unirentur Naturæ humanæ, quod non repugnare multis à multis ostenditur, non tamen eo ipso uniendam immediatè Naturam, nec aliter in proposito Concilium *Rhemense*, quando dicit *Naturam Divinam incarnatam esse*, *sed in Filio*, interpretandum venit, idque sufficienter Patres, innuunt per præpositionem *in*, quâ utuntur in sua confessione, quæ licet non denotet transitum ab extremo realiter distincto, in quo fiat unio immediatè ad aliud extremum realiter distinctum, in quo mediatè, indigitat tamen transitionem ab extremo reali immediato ad extremum reale mediatum alteri extremo immediato realiter identificato in Filio, id est, à filiatione, quæ est terminus immediationis ad unionem, sicque transeuntem ad Essentiam, quæ est terminus mediationis ad illam.

Concilium Rhemense qui interpretandum.

Igitur finaliter liquet Argumenta pro *Scoti* & *Realistarum* sententia hactenus manere non solum inexpugnata, sed & firmiùs comprobata. Supersunt apud *Vekenum* duo argumenta ex *Doctore Subtili* formata, unum ab Intellectione veri & amore boni, alterum ab intellectione mali, & odio seu non amore mali, sed an ad illa satisfac'at per suam distinctionem rationis, ad alium locum remitto & ultimatè concludo, primò quod instantia de mediato & immediato Unionis hypostaticæ termino premat, quo ad rem ipsam etiam illos Auctores, qui ad talem, quam concedunt, immediationem salvandam solam ponunt distinctionem rationis, hi enim teipsa, ut patet consideranti, idem dicunt, quod *Veken.* Secundò ad ostendendam ulteriùs insufficientiam illius distinctionis per rationem ad sufferenda contradictoria realia in Divinis, huc posse non solùm revocari, quæ diximus supra *Controv.* 4. q. 4. n. 87. & seqq. de præcisionibus objectivis in Divinis, sed & quæ afferentur *Controv.* 8. & 9. & sequentibus & toto *Tomo* II. præsertim parte secundâ per totum, ex quibus apertè, tum ex ratione, cum etiam auctoritate PP. & CC. hactenos dicta, quæ hoc loco sufficiunt, stabilientur.



CONTRO-

CONTROVERSIA SEXTA,

DE

Altero modo contradictoria in Deo salvandi apud Vekenum scilicet de distinctione reali indirecta, id est, per ordinem ad diversa connotata realiter distincta, seu de distinctione virtuali Nominalium extrinseca.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit importari aliquid de connotato. q. 1.*
2. *Quid nomine distinctionis virtualis extrinsecæ veniat intelligendum? ubi de Connotatione intrinseca in Deo ad mentem Vekeni. q. 2.*
3. *Contradictoria verificari nil impedit per ordinem ad Connotata, si rem afficiant secundum esse extrinsecè denominatum. q. 3.*
4. *Distinctionem per connotata insufficientem esse contradictoriis quæ enunciantur de re secundum se spectata in ratione actus primi, respectu actus secundi ad connotandum. q. 4.*

132 *Status Quæst.* QUemadmodum titulus Quæstionis præfert, agemus in præsenti Controversia de distinctione virtuali Nominalium extrinseca, hanc siquidem Schola Occami nostri strenuè defendit ad evitandam contradictionis repugnantiam in verificatione contradictoriorum, tam in Divinis, quàm in creatis, sanè si hæc doctrina Nominalium de distinctione virtuali tantam nancisceretur veritatem, quantam in explicando facilitatem præ aliis, de quibus egimus & agemus suadenda foret, imò cum sicut aliæ sententiæ non careant Patronis etiam extra Scholam Nominalium cum iisdem, si Scoti excipias, certare videntur, quænam in pluralitate Auctorum palmam ferat, sed quidquid sit de hoc ut rationum pondus, quo veritas discernitur à falsitate investigemus melius, ad rem procedamus, & sit *Doctrina Nominalium facilis.*

QUAESTIO I.

Quid sit importari aliquid de Connotato?

SUMMARIUM.

1. *Importari aliquid de Connotato, est aliquid præter significatum principale secundariò consignificare. n. 133.*
2. *Reycitur opinio quod connotativa æquè principaliter significent utrumque. n: eod.*
3. *Sententia communis stabilitur. n. eod. & 134.*
4. *Quod quædam connotativa non concernant subjectum, & quædam. n. 134.*

133 HIc relegenda sunt, quæ diximus supra *Controv. 4. Q. 2. n. 68.* de Conootatis, quamvis intellectus eorum quantum ad quæsitum præsens, ab ipsis logicæ incunabulis petendus esset, quod nimirum importari aliquid de connotato nihil aliud sit, quàm aliquid, quod non est de principali significato, sed velut aliquid ad illud veloti accessorium & secundarium consignificare, unde connotatio, ut notavimus l. c.

duo dicit, unum scilicet in recto, estque ipsum denominationis subjectum, habens se per modum materialis, & aliud in obliquo, habens se per modum formalis, eo quod posito illo obliquo & accessoriè consignificato subjectum ad novam determinatur denominationem, illud formale autem dicunt passim Auctores esse quid extrinsecum, illud verò quod dicitur in recto, esse quid intrinsecum, quomodo v. g. refectio seu sumptio cibi est cæna intrinseca, extrinsecum quid tempus serotinum, quamvis ad connotativum intrinsecè & necessariò requisitum non desunt tamen Recentiores, ut *Hurtado*, *Arriaga* & alii quidam, qui communi sensu Philosophorum connotatis se opponunt contendentes connotativa plurium significativa, significare illa æquè primò per se & in recto v. g. participabilitatem Dei dicere æquè primo ipsum Deum & creaturas participantes & Dei omnipotentiam significare æquè principaliter perfectionem intrinsecam Dei & simul entitatem possibilem creaturæ, item sapientia Dei & justitia & cætera Attributa sunt nomina imposita ad significandum æquè primò ipsas intrinsecas Dei perfectiones & actus cognitionis, punitionis Dei inde sequentes. ita dicunt similitudinem in creatis dicere æquè primò duo alba, consequenter, inquiunt, veritatem in actu intellectus æquè primò significare entitatem actus & entitatem objecti. Verùm doctrina horum Auctorum jure merito rejicienda; cum tam in Theologicis quàm Philosophicis frequentissimus usus connotativorum, id quod benè *Mastrius* disp. 8. q. 3. art. 1. n. 34. primò tum quia est contra commune Logicorum suppositum tenentium, quod nomina connotativa plurium significativa significent unum primò & principaliter, alterum secundariò, cum etiam contra communem hypothesin Theologorum, qui à tali loquendi modo hactenus non recedendum judicarunt, ut videre est passim in eorum Scriptis, & apud *Veken* d: 6. de Deo c. 5. ubi ostendit usum obtinere, quod connotare ex impositione vocis, idem sit, quod consignificare, ita ut non quilibet termini, qui una cum aliis significantur, dicantur connotati, sed ii tantum, qui non æquè primò, sed secundariò, neque in recto, sed in obliquo consignificantur. *Secundò* ex ratione, quod cum illæ res significatæ sint diversæ naturæ, non habent talem unionem & affinitatem ut possint sub una ratione communi significari æquè primò, sicut enim non sunt nata facere per se unum, ita non possint explicare ratione per se una, proinde dum tenent *Auctores cit.* res diversas per nomina æquè primò significari, destruunt unitatem conceptus, ob diversitatem siquidem suam nequeunt esse per se partes unius conceptus, qui econtra salvatur cum communi tenendo quod unum significetur primariò, aliud verò secundariò tantum, ut videre est in *Scoto* 4. d. 1. q. 2. *Tertiò:* quia dantur aliqui termini, qui nequeunt explicari sine significato secundario & connotatione, ut creatio; quæ præter actum creationis connotat non esse præcedens conservatio econtra præter entitatem actus connotat esse præcedens cœna quæ significat comestionem & connotat tempus vespertinum vel econtra ut vult *Poncius*, & similia.

Confirmatur: Connotare ut constat ex vi nominis est simul cum uno aliud notare non quidem ex prima nominis impositione, sed ex modo significandi principalis significati, ut v. g. *album* quod formaliter & ex nativa nominis institutione significet formam albedinis; quia tamen illam significat, quatenus concernit subjectum seu in concreto, hinc ratione modi significandi significat quoque subjectum secundariò; quod est connotare, sive præter principale & directum significatum aliud quoque notare, quod ideò vocant Logici connotatum, quia est aliquid non principaliter significatum. Et licet non omnia nomina connotativa concernunt subjectum seu concreta non sunt, ut statim patuit de nomine creationis, conservationis, quæ tamen sunt connotativa, ut Scot. Quodl. 12. art. 2. item operationis vitalis, quod etiam est connotativum, ut habet Scotus Quodl. 13. nec econtra omnia concreta sunt connotativa, ut quæ sunt substantialia, tamen concreta accidentalia, imò & substantialia adjectivè prolata, v. g. corporeum rationale, humanum & similia significant suum significatum, ut est concernens subjectum seu per modum adjacentis, ut patet, proinde ex modo significandi sunt connotativa. hucusque breviter & per accidens contra istos cc. Recentiores. 134

* * * *

QVAESTIO

QUAESTIO II.

Quid nomine distinctionis virtualis extrinsecæ veniat intelligendum?

Vbi

De Connotatione intrinseca in Deo ad mentem Vekeni.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit distinctio virtualis extrinseca, exemplis explanatur. n.* 135.
2. Nominales *non admittunt aliam distinctionem præter quam realem & rationis, sine ullo fundamento intrinseco, & cur. n.* eod.
3. *Quo pacto* Nominales *velint nomina non esse imposita ad significandam Essentiam secundùm se. n.* eod.
4. *Quo pacto consequenter Deus & creatura plurificentur, ut de illis valeant affirmari contradictoria. n.* eod.
5. *Datur ex mente Vekeni connotatio in Deo intrinseca, & qua illius ratio. n.* 136.

§. I.

Proponitur, quid nomine distinctionis per Connotationem extrinsecam intelligi debeat.

135 ETsi notio quæsiti sufficienter colligatur ex Q. 1. quia tamen hic disceptamus cum *Nominalibus* juxta quos contradictoria tam in Divinis, quàm creatis componuntur per distinctionem virtualem, si explicetur per connotata, atque ita docere causantur, quia præter realem distinctionem, quâ dicunt cum suo Antesignano *Occam* 1. d. 2. opus esse ad evitandam contradictionem, non admittunt aliam, quàm rationis, sine ullo fundamento in re intrinseco, utpote in sola nominum & connotatorum diversitate consistentem, proinde non inficiantur solùm distinctionem *Scoti* formalem, sed & intrinsecam *Thomistarum* virtualem, quæ subeat rationem fundamenti in re distinctionis rationis ratiocinatæ, diversitatem autem nominum dicunt desumi ex eo, quod divina perfectio, quæ unica & simplicissima est, variè connotet creaturam, ut misericordia miseriam, ut justitia præmiationem, ut immensitas locum, ut æternitas tempus, ut potentia quidquid factibile &c. hinc namq; fit ut non obstante summâ identitate justitia tamen non dicatur misericordia, nec Deus dicatur misericors per justitiam, neque justus per misericordiam, quia nomina de Deo non sunt imposita ad significandum Essentiam secundum se, sed quia Deus jam dicto modo à nobis diversimodè concipitur etiam juxta diversitatem actuum & similitudinem perfectionum, quas in creaturis cernimus distinctas, imposita sunt, ut connotat diversos actus & effectus, nam nomen *justitia* denominat Essentiam, ut habet actum puniendi, nomen *misericordia*, ut habet actum nostram miseriam relevandi seu miserendi, nomen *sapientia* ut habet actum cognoscendi, & sic de cæteris ut vidimus q. 1. n. 133. & conformiter ad hæc fit, sicut Deus à nobis variè concipitur juxta modum eorum, quæ in creaturis sunt distincta, quibus Deus æquivalet, ita & Deus plutificatur & contradictoria de illo verificantur. Similiter ratiocinantur de creatis, quantumvis v. g. homo sit una simplicissima entitas, quia tamen habet diversos actus, nempe actus sentiendi & actus intelligendi sortitur diversa nomina, quibus variè denominatur, & respectu actuum nutriendi & sentiendi denominatur & dicitur vivens animal, respectu actuum intelligendi, discurrendi, rationalis, quatenus ergo connotat homo v. g. Petrus actum primi generis, id est, in ordine ad sensationes, definitur quod sit substantia animata, sensibilis, quo pacto verificatur de homine, quod in principio sentiendi conveniat cum bucephalo, in ordine ad discursus induit nomen hominis, & definitur quod sit animal rationale, & hac ratione à bucephalo differt in principio intelligendi, igitur præcisis connotatis, id est, actibus sentiendi & intelligendi animal hominis non differt à rationali, nec animal bucephali ab hinnibili, & hæc est genuina explicatio distinctionis virtualis extrinsecæ. nec est ut de ea quoad quid nominis, agamus ultra.

§. II.

Quæ sit notio connotationis in Deo intrinsecæ?

136 Supradictam *Nominalium* doctrinam de connotatione extrinseca, cujus videlicet termini sunt extra Deum, ampliant alii ad connotationem Deo intrinsecam, cujus terminus ab opposito intellectu indubiè est intra Deum ipsum, hac connotatione v. g. Divina Essentia vel aliquod ejus attributum connotat hanc vel illam relationem seu Personam Divinam. quæ intrinseca connotatio, inquit *Veken* l. c. eo perfectior, & ad sufferenda contradictoria efficacior est, quod non per denominationem extrinsecam sed per intimam & maximè realem identitatem cum eadem Essentia absolvatur. longè enim plus est, & distinctioni propinquius, esse idem cum aliquibus inter se distinctis, quàm ea solùm circumstantia aut aliter sibi extrinseca respicere, quare etiam plus valet ad præstandum illius distinctionis effectum, qui est contradictoria salvare. ita ille de connotatione hac intrinseca discurrit. de quâ nos pluribus agemus infra q. 4.

QUAESTIO III.

Possintne in aliquo sensu per distinctionem realem indirectam seu virtualem extrinsecam per ordinem ad connotata realiter distincta explicatam, salvari contradictoria?

SUMMARIUM.

1. *Quis sit intellectus præsentis Quæstionis, decernitur.* n. 137.
2. *Resolvitur quæstio in commodo sensu affirmativè.* n. 138.
3. *Distinctio per connotata contradictoria inter se extraneat, & quomodo. ibid.*
4. *Distinctio realis etiam indirecta præstat non solum realiter & entitativè effectum distinctionis rationis, sed etiam causaliter & effectivè. ibid.*
5. *Cur* Veken *diffidentiùs insistendum putet distinctioni rationis, quàm connotatorum reali. ibid. & q seq.*
6. *Illum non evitare necessitatem declinandi ad formalem Scoti distinctionem, aut virtualem aliorum, ubi investigandum. ibid. & q. seq. n.* 148.

137 Non abs re quæritur num *in aliquo sensu* per eam distinctionem contradictoria sine contradictione subsistant, nam eodem pacto quo superius Controv. 5. q. 1. art. 2. propositum fuit & resolutum, quod per distinctionem rationis ratiocinatæ possint salvari contradictoria, non quomodocunque & simpliciter, sed quatenus verificantur de objecto secundum esse objectivum, quod de illo affirmatur vel negatur ut *quod*, ita in proposito emergit quæstio, num per distinctionem in connotatis repertam valeant dici sine repugnantia contradictionis propositiones oppositionis contradictoriæ de connotativo uttali, id est, quod contradictio in objectivo affirmato & negato non attingat ipsam rem in ratione actus primi, seu in quantum extra connotata & connotationem extrinsecam existit, sed cum habitudine ad distinctionem inter connotata realiter distincta. his dictis sit

ASSERTIO.

Contradictoria ut afficiunt rem non tantum in ratione actus primi & nudè secundum se spectatam, sed secundum esse extrinsecè denominatum quatenus ipsa connotatio in ipsis objectivè accepta constituit per distinctionem realem connotatorum indirectè unum extremum extra aliud omninò salvantur tam in Divinis, quàm in creatis.

138 *Distinctio per connotata effectum* Hæc Assertio primò probatur ex dictis Controv. 4. q. 2. n. 68. ubi in diversis exemplis ostendimus eandem indivisibilem formalitatem indirectè in connotatis distingui à seipsa, quæ hic rescribi non possunt pro probatione, sed sufficit relectio. probatur secundò in simili ex dictis Controv. 5. q. 1. art. 2. n. 91. & 92. quia si distinctio rationis eo quod ponat unum extremum extra aliud in esse objectivo, & extrinsecè denominatum esse, sufficiat *eundem habet, quam distinctio rationis,*

sufficiat à formali contradictione salvanda, & præstet ut non dicantur secundum idem omninò, ergo à potiori idem efficiet distinctio rigidè realis, quæ etsi non sit talis directè extremorum inter se, quàm extra Personas ad invicem realitas simplicitas divina non permittit, sed indirecta connotatorum propterea non minus vi suâ extraneat extrema quâ denominata inter se, quàm distinctio rationis. *Conseq.* prob. quia contradictoria pro diversis connorandi modis triplici viâ formari possunt, nempè vel per viam causalitatis, vel per viam æquivalentiæ, vel per modum actus in ordine ad objectum. Priori modo eadem Divina Essentia, prout connotat omne participabile, omnipotens bonitas est, ut omne à fine usque ad finem intellectualiter attingibile infinita sapientia est, ut miseriæ sublevationem misericordia est, ut supra q. 2. &c. secundo modo ut eadem Essentia idem eminentissimè præstat quod omnis creabilis virtus, omnipotentia est, ut omnis creabilis ubicatio & duratio, immensitas est, æternitas est. Tertio modo ut insuper connotat eadem Essentia ea, quæ terminant scientiam visionis, seu hæc vel illa ideata, hujus vel illius ideæ, imò omnium idearum pelagus est, & ideatorum exemplar; atqui quocunque modo contradictoria formentur de eadem Essentia per connotata independenter ab omni distinctione rationis, atque adeò realiter differet à seipsa, ergo sicut connotata patet non esse eadem, ita eandem entitatem divinam sufficienter, quamvis tantum extrinsecè distinguere valent, ut de illa quatenus iis substat, contradictoria independenter à distinctione rationis verificentur. Habet itaque hæc distinctio id commune cum distinctione rationis, quod utraque sit extremis distinctis extrinseca, illa connotatorum tamen est præterea realis, illa non, in quo *Veken* unicè d. c. c. 5. figit alterum modum salvandi contradictoria, velut asylum evadendi necessitatem aliàs sibi infallibiliter impositam ad admittendam distinctionem Scoti formalem, vel aliorum virtualem, eo quod distinctio rationis plerisque non videatur suppetere ad veritates reales, & ne propositiones à PP. & CC. simpliciter propositæ, ac apud Theologos receptæ veniant tam duriter distinguendæ, imò, ut ait, & reformandæ, an autem rejectâ omni distinctione mediâ, per hanc distinctionem connotatorum realem indirectam dictam necessitatem declinandi ad formalitates vel distinctorum virtutem evacuarit, vel ipse potius ad eam necessitatem, quam vult fugere, compellatur, explorabimus q. seq.

Contradictoria pro diversis connotandi modis tripliciter formari possunt.

In quo conveniat discconveniatur distinctio rationis cum connotatorii distinctione.

QUAESTIO QUARTA.

An sufficiat distinctio per connotata ad sufferenda contradictoria de re enunciabilia in sensu reali, id est, prout afficiunt rem nudè secundum se & in ratione actus primi respectu actus secundi ad connotandum?

SUMMARIUM.

1. *Contradictoria de Dei Essentialibus in quo sensu verificari nequeant, illa eadem anterit ate vera esse, qua Deus anterist omni alio à se.* nu. 140. & seq.
2. *D. Thomas Scoto adstipulatur.* Ibidem.
3. *Contradictis & distinctio quare necessariò parallela.* 141.
4. *Implicat verificari contradictoria intrinseca nullo habito respectu ad causam contradictionis.* n. eod.
5. *Adversarii in Scoti opinionem relabuntur, & quare.* n. eodem.
6. *Contradictis est in rebus, non in nominibus.* n. 145.
7. *Contradictoria notionalia in sensu Assertionis secunda per connotationem Deo intrinsecam nulla prorsùs verificari possunt.* n. 146.
8. *Veritas contradictoriorum in Divinu tenetur aque primò ac ipsa Actualis affirmatur productis & Divina communicatio Essentia in Deo verificatur.* n. 147.
9. *Incidit* Veken *in eandem, quam vitare volebat implicantiam.* n. 148.

139 Hæc est Quæstio in hac Controversia principaliter intenta, ad quam, quia *cit.* Auctor saltem id confitetur ingenuè, quod prior modus, salvandi contradictoriorum veritates reales per distinctionem rationis duriusculus æqualiter videri posset, præsertim cum exinde videantur reformari propositiones à CC. propositæ. Hinc denique pro talibus contradictoriis tuendis se contulit ad distinctionem illam realem indirectam supra q 1. & 2. explicatam, & quidem per duplicem connotationem scilicet intrinsecam & extrinsecam, in quem finem vult contradictoria in Deo distingui in Essentialia sic dicta, quod Essentiam vel ejus attributa omnibus Personis communem concernant, & in notionalia, quæ proprietatem aliquam relativam respiciunt.

Veken fatetur distinctionem rationis imbecillem ad salvanda contradictoria in divinis.

ASSERTIO I.

Contradictoria de Deo generatim, vel speciatim de Dei Essentialibus purè prout afficiunt Essentiam & Attributa nudè spectata in ratione actus primi non habita ratione ad actum secundum connotandi, de quo sæpè non cogitatur, in Deo ea anterioritate vera sunt, qua Deus anterior existit omni alio, quod non est Deus.

140 CAutè P. Veken duplicem in Deo connotationem distinctorum assignat extrinsecam scilicet & intrinsecam juxta contradictoriorum diversitatem & distinctionem in notionalia & Essentialia, nam qui simpliciter volunt omnia contradictoria de Deo salvare per sola extrinseca connotata, nec fide digni sunt, nec ullâ sunt muniti probabili ratione, certissimum enim est, quod non stet ab aliis extra Deum veritas harum propositionum contradictoriarum: *Essentia non est generans, Pater est generans*, similiumque quæ de notionalibus formantur, absurdum enim esset, Mysterium processionum divinarum esse verificabile dependenter à distinctione reali creaturarum sive in ordine ad effectus & non in ordine ad se ac intrinsecam sui conditionem in qua fundatur contradictio, seu posse sic & sic, id est, affirmativè & negativè aliquid communicari de eodem, etiamsi nulla creatura esset possibilis, unde his missis

D. Thomas. Probatur Assertio primò auctoritate D. Thomæ 1. sentent. d. 2. q. 1. art. 1. in solutione: *Quidam autem dicunt, quod ista attributa non differant, nisi penes connotata in creaturis, quod non potest esse*, quid clarius? vide de hoc loco Tom 2. Controv. 8. q. 5. deinde art. 3. ad *primum*, quale est, quod pluralitas rationum secundum quas attributa differunt, nullo modo sit in Deo, quia Dionys. c. 1. de Divin. Nomin. *omnium, ait, Theologorum hymnologiam sacram ισχὰν ὑμνολογίαν invenies ad bonas thearchia processus manifestativè & laudativè Dei nominationes dividentem*: sensus est, quæ in laudem divinam sancti assumunt, secundum diversos Divinitatis processus, quibus ipse Deus manifestatur, dividuntur: ergo ista pluralitas non est ex parte Dei, sed ex parte diversorum effectuum seu connotatorum in creaturis, in quibus intellectus noster diversimodè cognoscit & nominat, ad quod *dicendum*, inquit, *Dionysii intentionem esse, quod secundum diversas bonitates, quas creaturis influit Deus nominatur, manifestatur & laudatur, non autem ita, ut quod rationes illarum bonitatum ex hoc verificentur de eo, quia creaturis eas influit, sed magis è converso, quamvis enim conditis causa cognoscitur ex conditionibus effectus, non tamen conditis causa verificatur propter conditiones effectus, sed è converso. Secundò* probatur ex eodem S. *Doct.* 1. d. 22. q. 1. art. 3. *ad tertium. Dicendum*, inquit, *quemadmodum nomina dicantur propriè de Deo, quæ quantum ad significata, prius sunt in Deo, quàm in creaturis, ut bonitas, sapientia, & hujusmodi, & horum diversitas non sumitur per respectum ad creaturas, imò potius è converso: quia ex hoc, quod ratio sapientiæ & bonitatis differt in Deo, diversificatur in creaturis bonitas & sapientia, non tantum ratione, sed etiam re.* Et statim *ad quartum* probans quod attributa non differant secundum rationem, quæ fit in ratiocinante, *sed quæ salvatur in ipsa re secundum veritatem & proprietatem, nam cum in creatura ratio sapientiæ, non sit ratio bonitatis, oportet quod etiam hoc in Deo sit verum.* Quibus S. *Doctor* distinctè innuit, etsi à distinctione reali reperta in attributis creaturarum proportionaliter, id est, quod in creaturis re differant, in Deo aliter, liceat arguere, tanquam à posteriori ad Dei attributa, ut ad quid prius, adeoque non primò per connotata distinguantur, sed ideò potius ab ipsis Divinis attributis, quia in Deo differunt, arguendum est illa in creaturis quoque differre, cum hæc sola differentia, quod in Deo sint idem realiter, ut pluribus ad mentem hujus *Sancti* ostenditur Tom. 2. Controv. & q. citatis, in creaturis autem differunt planè realiter.

Probatur etiam ratione *primò*: Est impossibile, posse intellectum nostrum verè concipere contradictoria de aliquo verificari, quin præconcipiat aliquam in eo distinctionem, sed quando concipimus vel enunciamus contradictoria de Divinis per ordinem ad connotata extrinseca nullam de Deo præconcipimus distinctionem, ergo. Major est extra Controversiam; min. prob. talis distinctio vel eatenus ibi esset conceptibilis, quatenus connotata intellectui præbent motivum exercendi vim præcisivam, & patiendi objectum in se indivisibiliter unum in plures rationes objectivat, quæ se habent in ordine ad contradictionem ut extrema per rationem distincta, *vel quatenus* connotata indirectè afficiunt subjectum connotans inducendo in illud extrinsecus quoddam discrimen sufferendis contradictoriis idoneum v. g. ut de connotativo prout uni connotato substat affirmari quid possit & prout idem alteri connotato substat de eodem idem negari valeat, *vel denique* quatenus quodlibet connotatum supponit aliquid in connotante, in quo fundetur connotatio, & quando id, in quo connotatio fundatur, dicit perfectionem, unum conno-

Contradictoria distinctionem involvunt. 141

connotatum non correſpondeat adæquatè toti perfectionum ſummæ connotantis, ut v. g. divinæ miſericordiæ opus non indicat ſeriem perfectionum Dei adæquatam v. g. connotata creaturarum, quod participare poſſint de perfectione divina non participando eam totam reali aut intentionali participatione; ſupponunt in connotante, in quo fundatur connotatio, perfectionem inadæquatè duntaxat participabilem, ac ita manifeſtant Dei perfectionem; ut nulla creatura adæquatè correſpondeat omni perfectioni participabili, nam cum illa ſit infinita, excedit objectivè, terminativè & ſubjectivè omne ens creatum & creabile, ita ut omnes creaturæ ſimul ſumptæ per nullam participationem poſſint adæquari divinæ infinitati ſive in eſſendo, ſive in cognoſcendo, nihil horum dici poteſt. *Non primum*, tum quia talis coincidit cum conceptu diſtinctionis per rationem factæ, de qua in præſenti non eſt quæſtio, ſed reſolutum eſt de eâ *Contrmisov.* 5. q. 1. ſupra n. 91. tum quia dubium eſt, num ſola connotata extrinſeca ſufficiant abſque fundamento intrinſeco diſtinctionis in objecto, quâle Nominales inficiantur, ad conſtituendam diſtinctionem rationis ratiocinatæ, & non potiùs conſtituant diſtinctionem rationis ratiocinantis, cum tota ratio diſtinguendi ſumatur hic ex parte connotatorum extrinſecorum, ita ut ipſum fundamentum diſtinctionis ſit omninò extraneum objecto, de quo fiunt contradictoria, ea namque ratione idem quidem diſtinguimus à ſeipſo, in ordine ad res diverſas, ut cum concipitur aliquid ſemel ad modum ſubjecti, & ſemel prædicati, ſed per diſtinctionem rationis ratiocinantis, cui cum omni alio rationis enti commune eſt concipi ad res diverſas, ex ſupradictis autem q. 2. & 3. *Controverſia* 5. cit. eſt manifeſtum, quod ad ſupportanda contradictoria intrinſeca & realia, qualia de Myſterio SS. *Trinit.* verificantur, non ſuppetat diſtinctio rationis, qualiſcunque illa ſit, eſto de tali hic ageretur.

Non etiam *ſecundum*: quia ſimpliciter non ſubſiſtit poſſe ſalvari contradictoria ex eo, quod connotata afficiant ſubjectum contradictionis ſecundum eam diverſitatem quâ illa connotata cenſentur diſtincta, & probatur: non poſſunt verificari contradictoria de re, nullo habito reſpectu ad fundamentum & cauſam contradictionis in re illa repertam, atqui ſic eſt in propoſito. Major eſt evidens, quia ſicut ut verificentur propoſitiones, illud fieri neceſſe eſt per conformitatem ad fundamentum contradictionis, id eſt, ad id, quod res eſt, vel non eſt, ab eo ſiquidem ſecundum Philoſophum dicitur oratio vera vel falſa, ita diſtinctio, qua propoſitiones contradictoriæ ſalvantur, vel ea deficiente non ſalvantur, eſt ab eo, quod res, de qua enunciantur contradictoria, vel eſt idem alteri ſecundum idem, vel non idem alteri ſecundum idem, cum enim implicet & ſit contra primum principium, ut contradictoria dicantur de eodem ſecundum idem, neceſſe eſt diſtinctionem ſufferendis

Contradictoria nequeunt affirmari nullo habito reſpectu ad fundamentum contradictionis.

contradictoriis idoneam obtineri per dependentiam & conformitatem actus judicativi cum contradictionis ſubjecto ſecundum ſe, ab hoc enim affirmatio & negatio vera vel falſa eſt. min. prob. ex ipſâ *Aſſertione*, quæ agit de contradictoriis, prout affirmantur de Eſſentia & Attributis in ratione actus primi, præſcindendo connotationem ſeu ordinem ad res extrinſecas, unde & addidi contradictoria in Deo eâ anterioritate vera eſſe, quâ Deus anterior exiſtit omnibus aliis, quæ non ſunt Deus, ea itaque diſtinctio, quæ à connotatis mutuatur, nimis ſero venit ad contradictionem illam in Divinis tollendam, ergo ad hoc inutilis eſt & nulla. Eſto itaque hujuſmodi diſtinctio bona ſit in ſenſu *Aſſertionis* quæſtionis 3. hujus *Controverſiæ* 5. ſpectando tamen veritatem contradictoriorum in Deo, ut ab omni extrinſeco independenter ab ipſo *SS. Trinit.* Myſterio petenda ſunt, patet evidenter ad propoſitum nec unam nec alteram eſſe. *Tertium* denique, quo dicebatur ſingula connotata ſupponere aliquid in connotante, in quo connotatio fundetur, probat pro *Scotiſtis* oppoſitum potiùs, quàm adverſæ opinionis propoſitum, adeoque plus, quàm intendunt Adverſarii, quia probat diverſitatem connotatorum ſupponere in conootante vel *Recentiorum* diſtinctionem virtualem intrinſecam, vel *Scotiſtarum* ex natura rei formalem, nempè quælibet connotatio in connotante ſuam peculiarem formalitatem & perfectionem aut propriam capacitatem, in quâ fundetur connotatio. Ex quo

Probatur ratione Aſſertum noſtrum ſecundò. Quod diſtinguitur per connotata, connotatis non coaſſumptis, ſeu non à ſeipſo, ſed ab alio, id eſt, non in ſenſu, quo de iis egimus Controv. 4. q. 2. Aſſert. 1. n. 68. & 69. ſed in ſenſu Aſſertionis ſecundæ n. 70. [ut præveniamus objectiones in contrarium in æquivocatione fundatas] id v. g. in creatis, unde ad divina progrediemur, animal in homine ab intrinſeco habet præcisâ actuali connotatione, quod poſſit connotare actum illum, quo diſtinguitur extrinſecè à rationali. nempè actum ſentiendi, & non poſſit connotare actum intelligendi, quem econtra poſſit connotare rationale & diſtingui per illum viciſſim ab animali: ergo in homine ab intrinſeco datur una formalitas, quæ poſſit connotare hunc actum & non alium, & iterum alia, quæ valeat connotare illum alium, & non iſtum, ergo & abſque actuali connotatione dantur contradictoria à parte rei in homine de animali & rationali ſcilicet poſſe connotare hunc actum, & non poſſe connotare alium, item connotare actu ſentiendi actum & non connotare ſunt contradictoria: ſed animal connotat actum ſentiendi, non actum diſcurrendi, rationale actum intelligendi, non ſentiendi, ergo & ante connotata datur diſtinctio intrinſeca in connotante ab actibus connotatis ex natura ſua in illo prærequiſita, ſcilicet ſi ſint actus connotati tales, quales diſtinximus *Controv.* 5. l. c. n. 76. ubi quæ dicta ſunt, pro hac Aſſertionis confirmatione relegi poſſunt.

Objectiones prævente.

Contradictoria ſunt abſque actuali connotatione & ante connotata

Ante-

Antecedens principale probatur, quia nulla dari poſſet ratio, cur animal connoter ex natura ſua actum ſentiendi, & non rationale & viciſſim hoc connotet actum ex natura ſua intelligendi, non ſic animal connotet niſi hoc contingeret propter diſtinctionem aliquam inter illa in eodem homine principia repertam, nam ſi ad alia connotata recurras, arguitur ſicut priùs & ibitur in infinitum in connotatis: ergo talis diſtinctio, eſto connotata ſæpè juvent ad manifeſtandam illam in objecto connotante latentem, quæ ſit tamen prior connotatis, admittenda erit. Hoc argumentum multò magis in Divinis locum habet, ubi fide theologicâ cognoſcimus contradictoria admittenda independenter ab omni eo, quod eſt extra Deum, & quod Deus v. g. non connotando omne ſcibile, quod ea perfectio Dei connotat, quâ denominatur ſapiens, & à fine uſque ad finem omnia fortiter attingens ſuaviterque diſponens, quæ perfectio deſignatur per nomen *ſapientiæ*, ſed connotando ſolas miſerationes dicatur miſericors, quia per illas ſolas miſerationes illam ſolam perfectionem exerit, quam deſignat nomen miſericordiæ, minimè autem per illam denominetur ſapiens, eſt ideò, quia ex naturâ ſuâ non exigit connotare actum cuncta intelligendi, ſed ſolùm miſerendi, & viciſſim: ergo poſſe connotare hoc connotatum & non aliud habet ab intrinſeco.

Connotata ſatiſſtant ad cognoſcendam diſtinctionē in objecto latentem.

143 Confirmatur ex propriis *Vekeni* verbis diſp. 6.c.5.n.22. ubi dicit, quod ad actum miſerendi, perfectioni, quæ miſericordia eſt, proprium concurrant quidem juſtitia & reliquæ virtutes divinæ, *ſed ideò tantum quod miſericordia ſint non concurſura, niſi hæc eſſet, quantumvis cæteras ſuas perfectiones retinerent*, quæro quid eſt *cæteras ſuas perfectiones retinerent?* certum eſt in omnium ſententia, quod illæ verè ſint realiter miſericordiâ, cum hoc, vel ſtat, quod juſtitia, ſapientia & reliquæ virtutes Divinæ exiſtant in Deo ſolùm ſecundum quid, ut ibi reperiantur ſolùm virtualiter vel eminenter, & non ſecundum rationes proprias ſuas, vel econtra quod ſint in Deo ſecundum proprias rationes formales, ſecundum quem dicat quælibet earum perfectionum ſimpliciter, à qua Deus formaliter denominatur non ſolùm miſericors ſed & ſapiens, juſtus & cæt. & non talis virtualiter tantùm & eminenter. *Non primum*, ut patet, tum quia tunc non eſſent in Deo perfectiones ſimpliciter; tum quia non denominarent Deum formaliter talem, ſed ſecundum quid ſolùm, & virtualiter; ergò *ſecundum*: jam eſto per infinitatem ratio formalis unius, tranſeat realiter in aliam, falſum tamen eſt, imò impoſſibile, quod ſalvâ ratione in ſuo genere propriâ ex natura rei formaliter tranſeat in illam non perſeverando, ſed quaſi deponendo formalem ſuam rationem propriam in rationem formalem alterius, ut pluribus oſtenditur Tom. 2. Controv. 1. q. 2 per totam: ergo reliquæ virtutes ſecundum hunc Auctorem concurrendo realiter ad actum miſericordiæ produnt in ſeipſis propriam rationem formalem, quæ non ſit miſericordiæ ratio: Ex quo conſequenter patet diverſitatem connotatorum ſupponere in connotante præſertim in Divinis aliquam diverſitatem perfectionem.

Confirmatio dictorum,

145 Probatur tertiò ex doctrina ipſa *Opponentium.* Ideò ſecundum ipſos non dicitur miſericordia in Deo, neque Deus ſapiens per miſericordiam, neque miſericors per ſapientiam, quia hæc nomina non ſunt impoſita ad ſignificandam Eſſentiam ſecundum ſe, ſed ut connotat diverſos effectus, nam hoc nomen *miſericordia* denominat Eſſentiam, ut, ut habet actum miſerendi, & nomen *ſapientia*, ut habet actum omnia à fine uſque ad finem fortiter attingendi, & ſic de aliis, *haud enim omnes termini*, ait Auctor *cit.* ſupra, *omnem rei virtutem & officium & aptitudinem adæquant, ſed multi deficiunt*, atque ita tota connotatio ex eorum mente pertinet ad modum ſignificandi, ut ſit formaliter in vocibus & conceptibus proindè reperitur non in rebus, ſed in nominibus: atqui contradictio non eſt in nominibus, ſed propriè objectivè in rebus, ergo via diverſæ connotationis nominalis non evitatur contradictio, præſertim à Deo in quo contradictoria ab intellectu divino verificabilia ſe produnt, ipſis terminis & modo ſignificandi eorum præciſis, ut amplius ſtatim in *Aſſertione* ſeq.

ASSERTIO II.

Neque omnia, neque aliqua, conſequenter nulla contradictoria notionalia ſecundum ſe ſpectata præcisè ſalvari poſſunt per connotationem Deo intrinſecam Relationum vel Perſonalitatum realiter, diſtinctarum, quin potius ea connotatio aut deſtruit ſui Auctoris doctrinam, aut incidit in eandem, quam vult vitare implicantiam.

146 PRobatur prima pars: Nulla connotatio intrinſeca ſuppetit in Deo, ut fatetur *Veken*, quâ hæc contradictoria notionalia Divina, *Eſſentia è parte rei eſt una, Perſonæ non ſunt una, ſed tres*, ſalvari valeant, ergo anteced. prob. Eſſentia Divina nihil prorsùs Deo extrinſecùs dicit, vel connotat, quod non dicant vel connotent tres Perſonæ ſimol ſumptæ, & ideò tandem pro ſalvandis hiſce cootradictoriis, cum connotatio extrinſeca ad hoc impertinens

Intrinſeca connotatio impertinens

eſt ad c… tradicto-ria.

tinens ſit, confugiendum cenſet ad diſtinctionem rationis, ſed jam ſatis Controv. 5 q. 2. & 3. per extenſum refutata, *niſi malueris, inquit, tollere contradictoria ſupplendo* adjectiva per ſubſtantiva, hoc vel ſimili pacto, & cæt. à nobis Controv. 5. q. 3. §. 2. ex ipſo allato, ſed & ſimiliter à nobis ibi improbato, fusè, ut non ſupeſit ipſi ullum in hiſce contradictoriis perfugium.

147 Probatur ſecunda pars: Rationes & exempla, quæ hic Auctor adducit, ſi quid probatent, tendunt potiùs in oppoſitum: Nam primò quod verum ſit Filium procedere per intellectum, & non per voluntatem, eſſet, quin Intellectus, ut eſt principium Filii, connoret Paternitatem, voluntas verò ut eſt principium proceſſionis connotat prætereà filiationem, ut eſt idem ſpirator cum Patre.

Deinde quod verum ſit Paternitatem non communicari Filio, Eſſentiam verò communicari, eſſet, quia Eſſentia, ut communicatur Filio, connotat identicè filiationem, quam Paternitas eodem modo non connotat, tota enim hæc communicatio non ſit niſi per identitatem: ſola autem Eſſentia, non autem Paternitas eſt eadem cum Filio: atqui horum gratia connotatorum nequit Eſſentia primò ſuſcipere prædicatum communicationis, quod Paternitas non ſuſcepit, neque intellectus, quod connotet Paternitatem [idem eſt de voluntate, quo ad connotatum filiationis] dicitur eſſe principium Verbi, quod non competit voluntati: ergo. Major eſt ipſa Auctoris cit. doctrina. prob. min. Primò ſi per impoſſibile Spiritus S. non procederet de Filio voluntas non poſſet connotare filiationem: ſed tunc adhuc verum eſt, quod verbum procedat per intellectum non per voluntatem, & Spiritus S. per voluntatem non per intellectum: ergo fruſtranea eſt iſta connotatio intrinſeca Verbi voluntatis ad filiationem. Deinde cum hic ſuppono connotare non eſſe idem, quod realiter referre, ſeu non dicere relationes novas in Deo, quæ ſint reales, & cum de aliquo rationis non eſt hic Quæſtio, probatur: priùs eſt eſſe fœcunditatem principii in quo fundatur connotatio, quàm illud eſſe connotativum, ſicut priùs eſt eſſe hominem animal rationale, quàm illum quà rationalis, non quà animal connotare riſibilitatem homini intrinſecam, propterea tamen rationale in homine non diſtinguitur ab animali: ſic item priùs eſt Eſſentiam poſſe communicari Filio, & voluntatem eſſe fœcundam, quàm connotare actu filiationem: ergo, non primò ſuſcipiunt contradictoria propter diverſa iſta intrinſeca connotata. Anteced. prob. non connotaret intellectus divinus Paternitatem, niſi Pater primò per intellectum diceret Verbum, quod non diceret per voluntatem, neque Eſſentia connotaret filiationem, quam non connotat Paternitas, niſi primò Eſſentia eſſet communicabilis Filio, Paternitas autem eſſet incommunicabilis, ergo de ſe primò ſuſcipiunt contradictoria quàm per connotata, quæ ut quid poſterius fundantur in illis. Anteced. prob. ex ipſa connotatorum deſcriptione & doctrina Adverſarii d. c. c. 5. n. 20. eſto *connotari ex impoſitione vocum non ſit idem quod ſignificari, jam tamen uſus obtinuit*, ut connotata ſint, *quæ non æque primò, ſed ſecundariò, neque in recto, ſed in obliquo conſignificantur*, ſed veritas contradictoriorum, quod Verbum procedat per intellectum & non per voluntatem, Eſſentia communicatur, non Paternitas, non ſignificatur in obliquo & ſecundariò, ſed æquè primò ac ipſa actualis productio & communicatio ibi affirmatur: ergo non per connotata, & ex hoc

Probatur tertia pars & ſecundò pars ſecunda: Connotare ſecundum te & rectè eſt conſignificare, jam tamen uſus obtinuit, ut connotare ſit non æquè primò, ſed ſecundariò, non in recto, ſed in obliquo conſignificare: ergo, intellectus non connotat Paternitatem, neque voluntas & Eſſentia filiationem. Antecedens habetur in terminis apud Auct. iſtum l. c. conſeq. prob. nihil conſignificat ſeipſum, nihil ſeipſum primò & ſimul ſecundariò, ſimul in recto & in obliquo, nam hoc eſt præter ſe, ſimul ſecum aliud notare, atqui ſecundum te intellectus & Paternitas, voluntas & Filiatio, Eſſentia & Filiatio ſunt omni modo etiam formaliter ex natura rei una eademque indiviſibilis realitas, ergo cum nihil connotet ſeipſum, nec connotabit intellectus Paternitatem, neque voluntas & Eſſentia filiationem, vel certè ſi Eſſentia connotet Paternitatem, Eſſentia & voluntas filiationem, jam ex natura rei ante noſtræ rationis operam, de quo hic non ſermo, ſicut nec de connotatione vocum & nominum, ſed quæ eſt objectivè in reipſa, inter connotans & connotatum erit aliqua diſtinctio, quæ fundet connotationem, ſi non eſt talis diſtinctio, nec eſt talis connotatio, vel erit, & non erit, quod eſt incidere in eandem contradictionis implicantiam, quam voluit vitare, nam æquè impoſſibile eſt imò ipſiſſima eademque implicantia *non connotare* ſeipſum & *connotare* ſeipſum, *eſſe diſtinctum* quod requiritur inter connotans & connotatum, & *non eſſe diſtinctum*, quod aſſerit hic Auctor de Eſſentia, intellectu & voluntate connotantibus, & filiatione & Paternitate connotatis, quàm idem de eodem ſecundum idem affirmari & negari, ut patet conſideranti. Proinde data doctrina de connotatis non ſubſiſtit 148

Argumentum ad hominem.

***

CONTROVERSIA SEPTIMA,

DE

Distinctione virtuali intrinseca, & modo salvandi contradictoria per illam distinctionem an illa sit tanti pretii vel valoris ac utilitatis in ordine ad præstandum hunc effectum, quanti à suis venditatur Patronis.

SUMMARIUM.

1. *Qua notio distinctionis virtualis, ubi de varys illius descriptionibus. q. 1.*
2. *Distinctio virtualis intrinsecâ fundata in eminentia rei non obtinet vim præstandi sine verâ distinctione, quod distinctio præstat. q. 2.*
3. *Non datur distinctio virtualis intrinseca, quæ explicatur per meram æquivalentiam & infitam quandam perindeitatem, id est, quæ* perinde se gèrere ac si, *vel per* perinde se habere, *vel denique per* quasi ac si *obtineat vim præstandi ad verificanda contradictoria, sine vera distinctione, quod præstat distinctio vera. q. 3.*
4. *Proponuntur diversorum Auctorum placita de distinctione virtuali & improbantur, à n. 187. usque 200.*
5. *Doctor Subtilis nusquam suam formalem confundit cum distinctione virtuali. q. 4.*

149. TAndem agnoverunt multi ex modernis, pressi rationum pondere, imbecillitatem opinionis refutatæ à nobis Controv. superioribus & convicti si non evidentia naturali, saltem certitudine theologica deducta ex una naturaliter evidenti, *quotiescunque de aliquo subjecto idem prædicatum affirmandum & negandum est, oportet ut non sit vera affirmatio & negatio respectu verè ejusdem, sed opus est, ut sint respectu non ejusdem, secundum veram aliquam non identitatem*, & ex altera per fidem theologicam certa, qualis est hæc: *de eodem Deo Patre ante omnem intellectûs operam affirmandum est, quod communicet Filio suo Naturam Divinam, & negandum quod eidem communicet Paternitatem*, convicti, inquam, sunt, non esse sufficientem distinctionem rationis salvandis in Deo contradictoriis, ideoque aliud philosophandi iter ingressi sunt, videamus quale, ubi certum est imprimis, quod admittant necessariam fore talem distinctionem, quæ non officiat simplicitati Divinæ, unde cùm nequeat admitti distinctio propè realis inter Essentiam & Relationes, inter Essentiam & Attributa in Divinis, inter animalitatem & rationalitatem in creatis, vel universim inter quoscunque gradus metaphysicos, neque *Recentiorum* modalis, citra Divinæ dispendium simplicitatis, cui quidam dixerunt derogare *Scoti* distinctionem formalem, alii econtra non quidem derogare simplicitati, sed insufficientem dictarunt pro salvandis contradictoriis ut *Izquierdo* d. 13. q. 6. n. 130. ideò illa posthabita dicunt dari distinctionem quandam virtualiter talem, quæ bonum habet; quod est in distinctione reali ad evitandam contradictionis repugnantiam, & tamen illud sine malo & inconvenientia, quæ ex strictè reali nasci solet, sine detrimento simplicitatis Divinæ, & insuper sine superfluitate entitatum, quam habet distinctio, inquiunt, *Scotistarum*, qualis itaque an detur, sitque tantæ utilitatis, ut præfertur, in hac Controv. examinandum occurrit, Sit

Indicia Theologorum de Scoti distinctione.

* * *
* *

QVÆSTIO

QUAESTIO PRIMA.

Quid nomine Distinctionis virtualis intrinsecæ veniat intelligendum?

SUMMARIUM.

1. *Qualiter secundum diversos Auctores distinctio virtualis censeatur vel non censeatur completa. n. 150. & seqq.*
2. *Auctorum discrepantia in descriptione, quid sit distinctio virtualis. n. 151. & seqq.*
3. *Distinctio virtualis Recentiorum media inter rationis ratiocinatæ, & Scoti ex natura rei formalem.*
4. *Constituitur ab aliquibus in capacitate componendi contradictoria omnem conceptum an-tevertente, ab aliis in quadam æquivalentia ab aliis denique in quadam siccitate, non per æquivalentiam explicata, sed per insitam quandam perindeitatem, quasi citatem, ac siccitatem. n. 151. & 152.*
5. *Singularis acceptio virtualis distinctionis apud nominales. n. 153.*
6. *Corollarii { primum / secundum / tertium } de distinctione virtuali.*

§. I.

Quæ sit notio distinctionis virtualis apud Thomistas.

150 Distinctio virtualis intrinseca non explicatur eodem modo apud Auctores, sed aliter & aliter, in hoc tamen conveniunt, quod distinctio virtualis, imò & *Scotistarum* ex natura rei formalis versentur inter plures ejusdem rei perfectiones, secundum multos autem præsertim *Thomistas* illa non actualiter à parte rei & antecedenter ante omne opus intellectus in esse distinctionis censetur completa, quia non ex eo attendi debet, quasi reipsâ ante opus intellectus reperiatur in una re pluralitas formalitatum, quarum una non sit alia, sed fundamentaliter tantum, quatenus res eadem intellectui objecta ob substantialem quandam latitudinem ac intrinsecam eminentiam ejus præstat intellectui occasionem distinguendi in ipsa plures perfectiones per plures conceptus inadæquatos ad illas terminatos, quamobtem hæc distinctio in esse distinctionis nequit dici actualis & completa, sed virtualis seu eminentialis & inchoata, quæ compleri perit per intellectum inadæquatè concipientem, quo pacto aliter nuncupari solet distinctio rationis ratiocinatæ, seu cum fundamento in re, id est, quæ non compleatur nec exeat in actum per aliquam intellectus operationem, nisi super fundamentum præstabiliter multum ad diversos conceptus causandos in intellectu inadæquatè concipiente.

151 *Variæ acceptiones distinctionis virtualis Thomistica.* Aliter distinctio virtualis intrinseca ab aliis in ordine ad quosdam speciales terminos concipitur, attamen sine dependentia suæ actualitatis ad intellectum, ita ut in ordine ad contradictoria se perinde habeat ante opus intellectûs ac si realiter distinguerentur, unde & vocatur *distinctio realis virtualis* seu *realis virtualiter*, & distinctio *realis* æqivalenter, sed neque hæc eodem modo, sed à variis variè proponitur, ut vagentur extra ordinem hujus distinctionis ad distinctionem rationis ratiocinatæ, ut statim, aliqui cum *Cajetano* de Ente & Essentia Tract. 7. c. 6. q. 12. volunt esse *virtutem in objecto, ut possit intelligi pluribus conceptibus. Durandus* eam vocat distinctionem *fundamentalem.* Capreolus *aptitudinalem* ac *potentialem.* Henricus *radicalem.* Sylvester *originalem* & *causalem.* Alii, ut Paludanus 1. d. 8. q. 1. art. 4. esse *distinctionem rationis inchoatam seu vim motivam & terminativam intellectus*, sed hæc descriptio quam ideò plurimi distinctionem rationis ratiocinatæ appellant, planè coincidit cum descriptione prima seu distinctione rationis ratiocinatæ, sicut & si non ad connotata extrinseca sit referenda illa Theophili Raynaudi in Theologia naturalid. 6. q. 2. art. 2. n. 79. & 80. dicentis, distinctionem virtualem esse *tantam perfectionem antecedentem intellectui, ut ob eminentialem & virtualem multiplicitatem creaturarum perfectiones in se adunantem possit ab intellectu creato concipi ut multiplex, & quod fundamentum tantum erat virtualiter multiplex, actuali autem multiplicitate conceptuum evadere multiplex objectivè*, eòdem vergit descriptio Fasoli 1. p. q. 3. art. 7. dubit. 4. n. 15. dicentis: *non concipere totam entitatem plenitudinem, quæ est in objecto indivisibiliter à parte rei, redundat in perfectionem objecti & in imperfectionem cognoscentis, qui propter nimiam intelligibilitatem objecti non habet proportionatam vim concipiendi unico actu, quidquid in se indivisibiliter est, & ideò ut virtualis distinctio est in objecto, & in intellectu est distinctio rationis ratiocinata.*

Julius Cæsar Recupitus l. 3. *de Deo uno* q. 4. c. 16. ait, distinctionem virtualem es-

se illam, quæ *virtute continet actualem in creaturis repertam, aut possibilem, quatenus participare possunt de perfectione divinâ non participando eam totam, reali aut intentionali participatione.* Nam cum illa sit infinita, imparticipabilis est adæquatè à creatura, excedit enim omne ens creatum & creabile, ita ut nullum aggregatum creaturarum, ne per participationem quidem possit adæquari Divinæ infinitati sive in essendo sive in cognoscendo. Sed hac descriptione potiùs explicatur distinctio virtualis extrinseca, quæ est per connotata, virtus siquidem & capacitas continendi omnem distinctionem actualem vel possibilem in creaturis repertam, quatenùs participant de perfectione divina, non participando eam totam reali aut intentionali participatione, & consistit in eo quod dicat & connotet res creatas & participantes realiter distinctas, agitur autem in proposito de distinctione virtuali intrinseca, hinc quia essentialiter præexistit in Deo esse intra se quoddam participabile, quàm actu participari à creaturis, Deus enim non est participabilis, quia res creatæ sunt illius participativæ, sed econtra ideò creaturæ sunc Dei participativæ, quia Deus est participabilis, intrinseca illa distinctio virtualis non à connotatis, sed ab esse Dei intrinseco, petenda erit.

§. II.

Quæ sit notio distinctionis virtualis apud Recentiores.

151 *Neotericorum distinctio virtualis declaratur & variè describitur.* ALii itaque aliam hujus virtualis distinctionis notionem dant, voluntque illam esse mediam inter distinctionem rationis ratiocinatæ & formalem *Scoti*, & quidem nonnulli illam constituunt in capacitate supportandi contradictoria sic à *Bernal de Quieros* in selectis disp. de Deo disp. 15. describitur, quod sit *capacitas ad salvanda prædicata contradictoria ex natura rei independenter ab intellectu.* Honoratus Faber l. 1. Metaph. defin. 11. & 12. ita illam describit: *distinctio virtualis est qua non res ab re, sed virtualitas à virtualitate distinguitur.* Riccardus Lynceus postquam l. 1. Metaph. Tract. 3. c. 2. dixerat, non tam esse distinctionem veram & actualem, quàm talis distinctionis *virtutem & æquivalentiam.* l. 2. Metaph. Tract. 4. c. 1. ait: *virtualis intrinseca distinctio omnem conceptum antevertit, & ex parte rerum reperitur, ac tum locum habet, cum eadem res realiter & formaliter ex natura rei habet aptitudinem ad prædicata contradictoria, qualiacunque sint.* Eodem passu incedit Arriaga d. 5. Log. sect. 1. subsect. 1. n. 3. dicens: *virtualem distinctionem non esse propriè distinctionem, sed æquivalentiam distinctionis veram ac realem*, & propterea, inquit, *dicimus distinctionem virtualem, seu in virtute, fatemurque libenter eam à parte rei dari esseque distinctionem realem virtualiter.* Martinus Esparza in QQ. de Deo uno & Trino q. 4. art. 2. *distinctio virtualis intrinseca*, inquit, *est identitas realis conjuncta cum discrepantia intrinseca identificatorum, quoad aliquod prædicatum.* Sebastianus Izquierdo in *Pharo scientiarum* d. 13. q. 6. n. 131. asserit, distinctionem hanc ideò appellari virtualem, *quia in ordine ad sufferenda prædicata contradictoria sine repugnantia, eadem res indivisibilis dicitur æquivalere pluribus atque adeò virtualiter esse plures.* n. 137. autem ait: *distinctio virtualis reverà & absolutè loquendo non est distinctio, sed æquivalentia distinctionis, quo sit ut citra omnia prorsus incommoda secum afferat fetum commoda distinctionis.* Deinde n. 138. conferendo cum distinctione reali & formali Scotica, subjungit: *plus autem valet distinctio virtualis quia æquivalet reali salva simplicitate:* Scotistica autem sola distinctione formali nititur, quæ ex una parte insufficiens est, ex altera minuit simplicitatem.

152 *Nova illius descriptio per Siquitatem quandâ.* Alii nonnulli paulò aliter de illa loquuntur constituentes illam in quadam sicuitate, quam explicant non per æquivalentiam, plurium seorsim reperibilium, sed per insitam quandam perindeitatem & aptitudinem quandam ac quaseitatem, id est, per perinde *se gerere ac si*, vel per simpliciter *perinde se habere*, vel per *quasi, ac si* &c. esset distinctum, sic v.g. Palumbus in p. p. D. Thomas in Scholastico certamine c. 4. ait: *sicut ex parte rei Essentia Divina est Paternitas & filiatio, ita non prout est Essentia constituit Patrem, & illum à Filio distinguit, sed ut est Paternitas, & non filiatio*, hujusque dans rationem, subdit: *totum id nascitur ex una infinitate Divinitatis, qua præstat hæc omnia ac si in illa respectu sui essent diversæ rationes à parte rei*, & c. 4. *Deus intellectu intelligit & non voluntate, non quod à parte distinguantur intellectus & voluntas Dei, sed quia intellectu intelligit secundum rationem intellectus ac si intellectus esset ratio quadam determinata & à voluntate distincta* &c. hanc perindeitatem virtualem Honoratus Faber l. cit. exponens ait: *virtualitas* est ratio in objecto, quæ reverà est eadem realiter cum alia, in ordine tamen ad prædicata contradictoria perinde se habet ac si distinguerentur realiter ab illa.

Martinus Perez d. 6. de Deo Trino sect. 2. *distinctio virtualis, qua non reperitur in creatura creata aut creabili, sed solum in Deo, per quam ipse Deus in se habet prædicata contradictoria sub uno conceptu, ac sub alio, ita ut se re ac in ordine ad suum intrinsecum esse*, ita se Deus gerat, ac si esset compositus ex duobus entibus realiter distinctu, & paulò pòst: *Unitas Naturæ ita est absoluta & communis sibi Trinitati ac si non esset*

eſſet idem realiter cum relatione. Relatis autem ut relatis perſonalis ita caret communitate & eſt incommunicabilis ac ſi *non eſſet idem realiter cum Eſſentia. Vnde hæc diſtinctis fundat prædicata* Quaſi *contradictoria in ordine ad ſe.* Sic Thomas Comptonſis diſp. 22. diſtinctio virtualis in Divinis ob eminentiam Eſſentiæ & perfectionum Divinarum, ita efficax eſt, ut fundare poſſit, quaſi contradictoria.

§. III.

Notio diſtinctionis virtualis apud quoſdam Nominales.

153 PRæter has acceptiones diſtinctionis virtualis, alia quædam ſingularis reperitur apud Nominales 1. d. 2. & d. 8. & 16. ibi enim *Occam*, *Gabriel*, *Major*, *Ariminenſis*, *Marſilius* inter Eſſentiam & Perſonalitates Divinas admittunt diſtinctionem quandam ante opus intellectus, non *realem* ſed virtualem, ſive ut loquuntur aliqui eorum formalem à parte rei. Hanc autem in hoc aiunt conſiſtere: quod duo termini verè & realiter identificantur à parte rei, & tamen non quidquid eſt idem realiter cum uno, eſt etiam idem cum altero, ſed eorum unus latiùs patet & alicui identificatur, à quo alter diſtinguitur.

Conſectarium primum.

154 EX quibus habetur primò quoſdam Auctores, ut quinque primi allati n. 151. cum aliis conſtituere diſtinctionem virtualem aut in capacitate & aptitudine quadam ad ſalvanda contradictoria, vel in quadam ſicuitate & æquivalentia diſtinctionis jam explicata; alii autem conſtituunt illam, neſcio, in qua amphidexia quadam perindeitate ut *Palambus*, *Perez* & alii, qui licet illam perindeitatem confundunt cum diſtinctione virtuali in æquivalentia conſtitutam ac promiſcuè de una ac de altera loquuntur, eſſe tamen eaſdem utriuſque rationem an meritò dubitari poſſit, infra ſuo loco, hic ſufficiat cognoſcere, in quo generatim Patroni hujus diſtinctionis vim figant & nervum ad elidenda contradictoria.

Palambus.

Perez.

Conſectarium ſecundum.

155 SEcundò colligitur aliam eſſe diſtinctionem virtualem, de qua ſermocinantur Auctores citati, ab illa, quam alii confundunt cum quorundam Thomiſtarum fundamentali ſeu potentiali, capiendo eam pro ipſa virtute vel eminentia rei quæ continet plures perfectiones ſeu proprietates in inferioribus diſperſas, quomodo in ſole continetur virtus calefactiva & illuminativa, quæ virtutes in igne important qualitates inter ſe diverſas realiter, quare dicimus ſolem eſſe virtualiter & eminenter ignem, vel aliam cauſam particularem, quia producit eoſdem effectus, quos diverſæ particulares producere poſſunt, hoc eodem ſenſu dicimus ſenſum internum eſſe virtualiter ac eminentet omnes ſenſus externos, quia unus & idem ſenſus internus omnia attingit objecta, quæ ſinguli ſenſus externi; quia ergo eadem Solis Eſſentia ſive lux ſolaris, velut una eademque res indiviſibiliter æquivalet pluribus, quæ in ſole æquivalentes ſunt diſtincta, id eſt, ita ſe habent virtualiter ac ſi realiter diſtincta forent, & hæc æquivalentia, qua res in una virtute, continet plures virtutes, & plurium virtutum effectus, non ſolum datur in Divinis, v. g. inter Attributa Divina, quæ utut unica realitas, ſecundum hos Auctores eminenter continent plures virtutes, ſed & in ipſis reperitur creatis, ut patet in hoc ipſo exemplo de Solis Eſſentia continente radicalem virtutem illuminandi & calefaciendi, & quia varii diſtinctionem ſuam virtualem mediam inter Scoticam & rationis ratiocinatæ in Divinis ſolum admittunt, hinc aliqui ut *Perez* l. c. duplicem agnoſcit diſtinctionem virtualem, unam in creatis ſtatim explicatam, aliam ſupra explicatam in Divinis, hanc ultimam *Arriaga* 1. p. d. 42 ſect. 5. vocat *majorem*, & *à nullo Catholico poſſe negari*, quod idem affirmat d. 5. log. ſect. 2 ſubſect. 2. ad initium. *Perez* autem intitulat illam, quod ſit *altior & nobilior*, quæ non reperiatur in natura creata vel creabili. &c.

Qualis æquivalētia tam in creata, *qualis in divinis ſtatuitur.*

Consectarium tertium.

Abundè itaque habetur ex dictis, quod nomine distinctionis virtualis modernorum non debeat in Divinis censeri distinctio aliqua in potentia, quæ exeat in actum per operationem intellectûs, certum enim est, cum ista distinctio potentialis non est actu, sed actuanda sit accedente aliquo opere intellectûs, & tamen ante opus intellectus datur in Deo Patre, *communicatur & non communicatur*, quod illa de uno etiam virtualiter indistincto verificari non possint, quare nullatenus distinctio virtualis intrinseca erit desumenda per potentialitatem ad æquivalendum pluribus seorsim reperibilibus, sed revera talem æquivalentiam juxta illos ita habeat distinguendi, ac si essent actu tealiter distincta, & licet virtualis distinctio non sit propriè distinctio, quia, inquit *Perez* supra cit. *distinctio virtualis non est absolutè distinctio, sed est absolutè non distinctio, ut virtualiter homo non est simpliciter homo, sed simpliciter non homo*, & Riccardus Lynceus l. c. *distinctio virtualis non tam distinctio vera & actualis est, quàm talis distinctionis virtus & aquivalentia est*. Sebastianus Izquierdo: *distinctio virtualis revera & absolutè loquendo, non est distinctio*. Idem tenet *Arriaga* supra d. 5. Log. sect. 1. subs. 1. in fine & rectè, quia virtualiter distincta nequeunt dici distincta absolutè, hoc tamen non obstante, aiunt æquivalenter distingui esse ita se reapse habere virtualiter, ac si distincta forent formaliter, non in potentia solum.

Distinctio virtualis non est distinctio.

Unde finaliter, quia *Thomistarum* distinctio virtualis admittitur non minùs in creatis, quàm in Divinis, addo notanter advertendum ex *Mastrio* d. 6. Metaph. q. 12. *circa finem* quæst. in creatis non semper verum esse, quomodo verum est in Divinis v. g. de Essentia & Relationibus, de prædicatis Dei quidditativis & transcendentalibus &c. quod extrema hujus distinctionis semper habeant esse actu in re, in qua sic distinguuntur, licet non sint actu distincta, unde & existentia eorum est actualis, sola verò distinctio & pluralitas eorum est virtualis & eminentialis, sic cum distinguimus substantiam Dei à spiritu, seu vita intellectuali, Essentiam Dei ab existentia &c. à parte rei in Deo reperiuntur illa prædicata, quæ intellectus in diversas partitur quasi formalitates objectivas non quod det illis existentiam, sed distinctionem, in creatis econtra contingere potest, quod etiam ipsa extrema hujus distinctionis contineantur virtualiter tantum in re sic distincta, adeoque sic contineantur non solum quoad distinctionem & pluralitatem, sed & quoad existentiam & entitatem v. g. calor & siccitas cuntenta in sole virtualiter, tàm quoad existentiam, quia non existunt à parte rei actualiter in sole, quia sol non est formaliter calidus & siccus, quàm quo ad pluralitatem, quomodo quoad gradus transcendentales & prædicata Dei quidditativa pluralitatis continentia virtualis concedenda est in Divinis, secus est quoad continentiam virtualem distinctorum. Ex quibus patet, duplicem modum assignari posse distinctionis virtualis Thomistarum unus, quo sola distinctio est virtualis, non autem continentia distinctorum; alter est, in quo tam distinctio, quàm continentia distinctorum est virtualis, apud eos tamen Auctores loquendo de virtute distinguendi, quam in solis Divinis admittunt, & negant in creatis, eamque ante opus intellectûs in puta constituunt æquivalentia, aliter discurrendum erit, quia revera Thomistica distinctio virtualis, quâ plurificantur prædicata quidditativa Dei &c. complectur per negotium intellectus, à quo non dependet illa virtualis Recentiorum, ut visum est supra. Ideoque Dixi *apud eos tamen Auctores* &c. quia ut rectè notat *Ricciolius* c. 7. de Distinct. n. 78. art. 3. eorum qui de hac distinctione scribunt, tres dantur classes, una est quæ concedit illam in Deo & creaturis. Secunda eorum, qui illam admittunt in solo Deo. Tertia classis est eorum, qui illam inficiantur, tam in Deo, quàm in creaturis. Ricciolius cit. multos refert, quem vide l. c.

Notanda doctrina de distinctione virtuali.

QUAESTIO SECUNDA.

An detur Distinctio virtualis intrinseca Thomistica seu fundamentalis, id est, fundata in eminentia rei sive Divinæ sive creatæ, sine actualitatis suæ dependentia ad intellectum, eaque verè obtineat vim præstandi sine vera distinctione, quod præstaret distinctio vera, & satisfaciat contradictoriis fide credendis?

SUMMARIUM.

1. *Distinctionis fundamentalis seu virtualis apud Thomistas quanta sit amplitudo. n. 158.*
2. *Refutatur per totam quæst.*
3. *Contradictio & distinctio sibi commensurantur. n. 160.*
4. *Termini primi principii sunt affirmatio & negatio. ibid.*
5. *Fundamentalis Thomistica non est veri nominis distinctio. n. 161.*
6. *Causa virtualiter cōtinet plures effectus, ergo virtualiter com-*

componit contradictoria processus inutilis. n. 162.

7. Particula virtualis est additum destruens rationem significatam per vere nomina distinctionem, ibidem & n. seqq.

8. Per repugnantiam ad contradictoria prædicata, quid importet identitas realis entitativa, seu realis Thomistarum, & ex natura rei formalis Scotistarum, quacum suam confundunt realem explicatur. n. 164. & seq.

9. Virtus, quæ subeat sine distinctione actuali munus distinguendi nec in creatis rerum Essentiis nec in Deo reperibilis est, vel ibitur in infinitum in eadem virtualitate. ibid. & n. 167 & q. seq.

10. Nihil prædicatur de toto subjecto indivisibili & non totaliter, effugium præcluditur. n. 171.

11. Responsum Cajetani enervatur. n. 173. & seqq.

12. In distinctione virtuali committitur circulus vitiosus. n. 174.

13. Distinctio virtualis aquè difficilis ac ipsum Mysterium SS. Trinitatis. n. 176.

14. Nominalium distinctio est ipsissimet Mysterii SS. Trinitatis expressio. n. 179.

158 *Amplitudo distinctionis virtualis Thomisticæ.* Rimas & fibras hujus distinctionis sub prætacta notione intellectæ amplè extendunt Thomistæ, dum potant non solùm sufficientem esse ad diluendas difficultates circa graduum metaphysicorum distinctionem, sed & quæstiones difficillimas de SS. Trinitatis Mysterio hac distinctione obstetricante facillimè expediri, unde creatis tribuunt eam distinctionem ad tollenda contradictoria, hac ratione v. g. animal in homine virtualiter distinguitur à rationalitate, ut licet sint unica realitas in ea tamen unum possit terminare cognitionem, altero illam non terminante, ac si essent duæ res realiter distinctæ, in Divinis autem, non obstante quod Essentia Divina formalissimè sit idem cum Paternitate, Essentiæ tamen virtute hujus distinctionis fundamentalis convenit communicari tribus suppositis, non Paternitati, in ordine siquidem ad communicari & non communicari, per hanc distinctionem eandem capacitatem habent, ac si realiter distinctæ forent, consequenter componunt eadem contradictoria, quam componeret distinctio strictè realis aut saltem *Scoti formalis*, id quod probant exemplo Solis, in quo licet sit idem prorsùs principium illuminandi, calefaciendi, exsiccandive &c. quia tamen unica virtus Solis ob illius eminentiam virtualiter & fundamentaliter præstare & producere potest eosdem effectus, quos multæ causæ particulares & alterius ordinis producere solent, ita illa in ordine ad contradictoria præstat mediante distinctione virtuali, qua virtus & principium proximum illuminandi & calefaciendi distinguuntur virtualiter, quod præstaret distinctio realis, sit

ASSERTIO I.

Vis fundata in eminentia rei præstandi sine vera distinctione, quod præstaret distinctio, in ordine quidem ad alia munia præstanda, quæ non requirunt distinctionem in præstante, non est impossibilis, in ordine autem ad præstandum hoc, si adsint extrema distinctionis formaliter & contradictio realis, ac à parte rei verificata, ut sine repugnantia idem de eodem verè affirmari & negari possit, tam est impossibilis, quàm impossibile est, aliquid esse & simul non esse.

159 *Virtus distinguendi dupliciter intelligenda.* Prima pars dupliciter intelligi potest, semel in ordine ad nostrum intellectum, cui præbet occasionem distinguendi in ipsa plures perfectiones per conceptus inadæquatos, qua ratione dicta vis solùm designat fundamentum, radicem & causam objectivam distinctionis per rationem. Secundò in ordine ad officium producendi quosdam effectus, sub quocunque membro intelligatur hæc prima pars est extra omnem controversiam, nam quo ad primum, certum est, rationes illas, quas v. g. in Divinitatis plenitudine velut infinito perfectionum pelago distinguimus à nobis non temerè fingi, sed habere fundamentum in Deo, adeoque sicut & in Essentiis rerum creatis vis in eminentia & substantiali quadam latitudine fundata præstat, ut non gratis & pro nostro arbitrio, sed cum fundamento hujusmodi perfectiones ratione inadæquatè illam eminentiam concipiente distinguere valeamus, ac si essent distinctæ realiter, & si sic explicaretur distinctio virtualis indubiè tam in Deo, quàm in creatis admittenda foret.

Quoad secundum membrum nedum in Deo, sed & ex dictis clarè patet in exemplo Solis, qui per eandem virtutem & illuminat, calefacit & exsiccat, imò illuminando præstat se solo, quod non præstant omnia sidera & exsiccando calefaciendoque plus præstat, quàm omnes ignes sublunares, unus equus aut bos in trahendo plus præstat, quàm duo aselli,

aliaque multa tam in physicis, quàm moralibus afferri possunt, in quibus [illegible]ica eademque virtus æquivalet pluribus, unum idemque principium altioris ordinis pluribus aliis, quæ sunt ordinis inferioris.

160 Secunda pars, quæ est contra *Themistas*, non sufficere distinctionem virtualem seu fundamentalem, præcisè sistendo in illa distinctione, ut radix est & fundamentum, secundum quod una res propter suam illimitationem æquivalet multis perfectionibus limitatis, ut concipi possit, ad instar illarum, quæ distincta sunt à parte rei & de quibus verificari possunt illa extrema distinctionis: *Probatur* etiam: distinctio & contradictio sunt ad invicem commensurata, ut qualis sit contradictio, talis sit etiam distinctio, ergo ad salvandam contradictionem realem & à parte rei verificatam, non sufficit in hujusmodi contradictionis subjecto ad componendam contradictionem distinctio quæ solum sit virtus distinguendi fundamentalis, anteced. patet, quia alioquin quæcunque distinctio sine ulla proportione ad contradictionem, quæcunque posset componere contradictoria, quod falsum esse ipsimet docent Adversarii: ergo qualis est contradictio, talem ex ipsa inferimus distinctionem, ut si est contradictio rationis, solùm infert distinctionem rationis, si est contradictio realis & actu à parte rei verificata, parem infert ex natura rei distinctionem, actualem scilicet & non solum virtualem inter ea, de quibus fit affirmatio & negatio: atqui de Essentia & Relationibus Divinis verificatur à parte rei contradictio realis, communicari siquidem & non communicari, produci & non produci, sunt extrema contradictionis realis cum à parte rei sint termini primi principii, reperitur enim in Essentia & relatione Divina, & affirmatio & negatio, quæ sunt hujusmodi termini, unde sic arguitur ad hominem: fundamentum contradictionis, nempè Essentia, quæ communicatur, & Paternitas, quæ non communicatur formaliter & penitùs sunt idem secundum te: ergo in eodem penitùs formaliter indistincto sunt realiter termini primi principii esse & non esse, puta communicabile & non communicabile, sed hoc est impossibile: ergo vis fundata in eminentia præstandi sine vera distinctione, quod præstaret distinctio, ut sine repugnantia idem de eodem verè affirmari & negari possit, tam est impossibilis, quàm impossibile est, idem simul esse & non esse, æque enim implicat, verè affirmari & negari posse de eo, quod actu & verè idem est subjectum affirmationis & negationis respectu ejusdem omninò & secundum eandem formalissimam rationem entis, quàm esse & non esse, nec ulla est contradictio minor altera. Solutio hujus, quam affert *Cajetanus* infra n. 173. nulliter data ostendetur.

Distinctio & contradictio sunt ad invicem commensurata.

Implicat in eodem secundùm idem inveniri terminos primi principii.

Probatur Assertio secundò. Veri nominis distinctio, id est, quæ significat aliquam veram speciem inter eas, in quas dividitur ratio generica veræ distinctionis, eodem modo, quo est distinctio, eodem etiam modo dicit ad minus inter extrema distincta dualitatem cum nihil distinguatur à se ipso, imò secundum aliquos distinctio non differt ab extremorum pluralitate, sed est ipsa extrema distincta: atqui distinctio virtualis, non dicit distinctorum aliquam dualitatem, ne quidem virtualiter: ergo. *maj.* patet, min. prob. ubi est virtus opposita omni dualitati, idest, quæ extrema etiam virtualiter distincta ita in identitatem colligit, ut qua talia in omnimodam transeant identitatem, ibi implicantiam dicit, ut maneant virtualiter distincta: sed distinctio virtualis fundata in perfectione illimitata & eminentia rei, est virtus formaliter opposita omni dualitati: colligitque extrema quà virtualiter distincta in omnimodam identitatem tam in Deo, quàm in creaturis, *minor* prob. supponendo quod distinctio virtualis sit distinctio veri entis, implicat enim esse extrema virtualiter distincta & qua talia non esse ens, cum distinctio sit passio entis: atqui, ut expresse Virtualistæ concedunt, talis entis extrema qua virtualiter distincta involvunt summam entitativam & realem identitatem, consequenter involvunt virtutem oppositam dualitati etiam virtuali, quomodo enim summa identitas, vel ens quod illam necessariò secum habet, simul valebit ad præstandum id virtualiter quod illi contradictoriè oppositum præstaret formaliter? quod fieri non posse sic ostenditur, summam identitatem, vel quod necessariò talem habet, ut illi asserunt de sua distinctione virtuali, præstare virtualiter id, quod contradictoriè oppositum præstaret, vel est formalem identitatem, virtualiter esse non identitatem, seu negationem virtualem sui ipsius, nihil enim videtur posse facere effectum formalem sui oppositi, nisi virtualiter sit ipsum quod est sibi oppositum; vel est identitatem formalem non esse quidem virtualiter intrinsecè non identitatem & negationem sui, attamen præstare mediante virtualitate eundem effectum formalem, quem facit distinctio formalis, sed utrumque dicit implicantiam: quoad primum patet, quia identitatem evadendo virtualiter in sui privationem, ut valeat in oppositum, & præstet id, quod præstat distinctio est seipsum destruere, nam ens quod formaliter & necessariò secum habet identitatem, transiret virtualiter, quod est impossibile, in non ens, quia virtualiter secum habet intrinsecè non identitatem, & quemadmodum distinctio realis aut ex natura rei formalis, arguit extrema contradictoria realia, aut ex natura rei formaliter talia, sic distinctio virtualis arguet extrema tantum virtualiter talia, consequenter quod ens formaliter aut realiter tale transeat virtualiter intrin-

161

Distinctio dualitatis mater est.

intrinsecè in non tale, ens formaliter & summè idem, evadat virtualiter intrinsecè in non idem, quæ sunt absurda, ut est videre q. seq. in prob. secunda n. 184. *Quoad secundum*, patet, similiter: Simpliciter nihil in genere causæ formalis oppositos præstet effectus, sive contrariè, ut calor faciat formaliter frigidum; sive relativè, ut Relatio similitudinis respectu correlativi similis faciat dissimilitudinem, sive privativè, ut tenebræ faciant formaliter luminosum, & vicissim lumen præstet privationem; multò minus contradictoriè, ita ut ens præstet alicui formaliter, ut sit non ens, & non ens, ut sit ens, ergo impossibile est, vim fundatam in sola rei eminentia, idem præstare sine distinctione vera, quod præstaret distinctio, sive virtualiter æquivalere illi, quod sibi opponitur contradictoriè: ergo distinctio virtualis, de qua agitur in *Assertione*, non est sufficiens ad verificandas sine repugnantia contradictorias.

Nihil in genere causæ formalis oppositos præstat effectus.

162 Confirmatur hæc ratio, & Assertio probatur tertiò. Absolutè non valet iste processus *Thomistarum*, causâ solum eminenter & virtualiter diversorum effectuum continens principia, eosdem haud secus potest producere ac causæ, quibus tales producendi virtus inest formaliter: ergo quemadmodum considerari potest distinctio in ordine ad diversos effectus productos vel producendos, ita in ordine ad diversa prædicata contradictoria, quæ independenter ab hac virtuali distinctione sine contradictione verificari non possunt, eidem entitati conveniunt, non valet, inquam, quia quod possint producere tales effectus, sufficit positio veræ causæ sive univocæ sive æquivocæ, nam aliquorum effectuum producibilitas secundum se ad hanc vel illam causam indifferens est, siquidem v. g. videmus causam universaliorem, puta solem eundem speciei calorem producere, quem produceret ignis, vel Deus, secus est de contradictoriis, quæ ut ait *Aristoteles* de interp. c. 4. *debent esse ejusdem de eodem non autem æquivocè*, ut alia sit contradictio, & alia sit distinctio, sed ut supra n. 160. dictum, si est contradictio rationis, sit distinctio rationis, si realis, sit distinctio realis. neque enim contradictio rationis fundat distinctionem realem, neque vicissim realis fundat distinctionem rationis, ut patet manifestè. Ex quo sic arguitur: ad contradictoria salvanda vel potiùs evitanda requiritur necessariò vi alicujus medii convenientis Exclusio repugnantiæ & utriusque propositionis verificatio: sed talis non competit illi vi distinctionis virtualis: min. prob. illa particula VIRTUALIS ex propria doctrina opponentium est additum destruens & alienans rationem communiter significatam, per nomen DISTINCTIO, ut distinctio *virtualis* non habeatur *vera* distinctio, quæ actu excludat, sed quæ potiùs actu includat extremorum identitatem, quæ contradictoriè enunciantur, contradictionis repugnantiam autem sequi necesse est ad identitatem contradictoriorum, admissâ ergo hac hypothesi, quod ea distinctio non tollat, sed includat contradictionis subjectum, id est, identitatem, non magis illi competit exclusio repugnantiæ, quàm homini non vero ea prædicata, quæ competunt homini vero, sunt enim nemo dixerit homini picto competere veram animalitatem, risibilitatem, admirativitatem, quia additum, *picto*, alienat & destruit significatum per nomen *homo*, ita neque competet distinctioni virtuali ob eandem rationem, quod non sit vera distinctio, sed vera non distinctio, esse contradictionis exclusivum. *Unde* iterum apparet magnum discrimen, cur causa virtualis virtualiter solùm plures continens effectus, possit illos producere, namtalis manet vera causa, neque particula *virtualis* est ibi additum diminuens & alienans, sed notio specificans æquivocam seu altioris ordinis causam, quando autem infertur: ergo tali causæ virtuali competunt prædicata contradictoria, non sequitur, quia particula *virtualiter* & *virtualis* in ordine non ad effectus, sed accepta in ordine ad prædicata contradictoria, etiam sub illa distinctione concepta, facit seu potiùs relinquit, ut illa prædicata convenirent eidem entitati secundum idem, quod est impossibile, ergo talis distinctio nullatenus veram fundare & componere potest contradictionem.

Processus Thomistarum à causa eminenti ad diversos effectus, ad prædicata contradictoria non subsistit.

Particula Virtualis est additum diminuens.

163 *Dices*: Nomen *virtualis* non usurpari hic ut particulam, quæ distinctionem alienet, sicut nomen *pictus*, non *verus* junctum homini, hujus Essentiam alienat, sed pro sola particula dimiouente servata nihilominùs Essentia & proprietate distinctionis, sicut in Æthiope salvatur essentia albedinis, etiamsi diminuator per particulam *secundum quid*.

Evasio.

164 *Contra*: particula diminuens *virtualis* salvâ proprietate distinctionis, vel diminuit illam infra distinctionem strictè realem vel rationis, vel infra *Scoti* formalem, non infra duo priora genera, quia ab Adversariis per distinctionem virtualem independenter à distinctione reali & rationis idem prædicatum affirmari & negari asseritur. non etiam tertium, quia non datur aliqua differentia minor, quàm illa ex natura rei formalis per solam & minimam non repugnantiam ad contradictoria explicabilis: quare si per nomen *virtuale* non destruatur Essentia veræ distinctionis, cum nulla distinctio vera nequeat esse sine vera saltem minima quapiam differentia, reipsa vel incident etiam nolentes in distinctionem *Scoti*, vel ita alienat particula *virtualis* Essentiam veræ distinctionis, sicut particula pictus & non verus Essentiam veri hominis, diminuendo namque infra distinctionem *Scoti* necessariò fit transitus à distinctione minimâ ad identitatem maximam, quod enim intermediat à parte rei est mera & merissima identitas formalis.

Praeluditur.

165 *Respondebis*: Distinctionem virtualem non tollere summam & merissimam identitatem entitativam, quia non est propriè distinctio entitativa sed virtus solùm distinguendi, quæ non opponitur rerum identitati reali aut ex natura rei formali, sed identitati virtuali, proinde verum est, quod illa particula *virtualis* non diminuat & alienet rationem commu-

Responsum alterum.

niter significatam, per nomen, *distinctio*, infra recensitas distinctionum species, seu ut jam illa ratio per differentias contracta constituitur ad certas species oppositas, ast falsum est, quod non diminuat illam, quatenus opponitur, non quidem identitati reali, aut ex natura rei formali, sed identitati solùm virtuali, quæ sub illa ratione continetur æquè ut aliæ species distinctionis.

166 *Diluitur.* *Contra*: Distinctio virtualis, vel est alicujus entitatis distinctio; Vel non est: secundum nemo dicet, nam nulla cujuscunque nominis distinctio fuerit, modo sit distinctio entis, subterfugere potest, quin sit alicujus distinctio, quod maximè dicendum erit de hac distinctione, cum asseratur non solùm in entitate creata, sed & in ipso Deo & quidem præcipuè, est ergo & distinctio virtualis & identitas virtualis ponenda intra rationem alicujus entitatis: sed quæcunque sit illa entitas, sive creata sive increata, illa secundum te per identitatem realem ex natura rei formaliter & entitativè libi ita est eadem quo ad omnia prædicata, ut si cogitares, ipsi ne quidem inesse distinctionem virtualem, non posset nec in Deo nec in creatura evadere major identitas realiter & entitativè, hoc è tuâ opinione supposito:

Scotus. Dupliciter arguitur contra distinctionem istam virtualem: *primò* quidem ex *Subtili Doctore* 1. d. 8. q. 4. n. 15. per repugnantiam talis distinctionis cum specifica ratione intellectua intuitivi & comprehensivi rei in se, hoc modo: intellectus intuitivus nullam habet distinctionem in objecto, nisi secundum quod existens est, quia sicut non cognoscit aliquod objectum per notitiam intuitivam, nisi secundum quod existens est; ita non cognoscit aliqua distincta formaliter in objecto nisi existunt, cum igitur intellectus Divinus non cognoscat Essentiam suam nisi intuitivâ intellectione, sequitur, quæcunque distinctio ponatur ibi in objecto Essentiæ Divinæ, quod illa sit ibi, ut actu existens, sed vi distinctionis virtualis proprietates & Attributa Divina non existent ut actualiter distincta: ergo nequeunt à Deo ut distincta cognosci: alias enim cognitio Dei respectu suipsius præscinderet ab existentia rei, essetque abstractiva notitia, quod est absurdum. *major* patet evidenter tum ex allatis, tum ex differentia notitiæ intuitivæ & abstractivæ. *min.* prob. tum ex doctrina oppnnentium, cum etiam, quia intellectus intuitivus nequidem potest efficere distinctionem præcisivam, minus contradictoriam, ubi actualis distinctio non insit, alias enim non conciperet rem ut in se est, sed instar entis, dum id, quod à parte rei indistinctum est, instar distincti apprehenderet, quod est in Deo impossibile, supposito ergo quod distinctio virtualis sit alicujus entitatis existentis, eo ipso quo intuitivus intellectus non videt in illa entitate existente distinctionem illam, quæ afficiat prædicata, ut existentia sunt, quæ so ubi eit, ubi habitat illa virtus distinctiva? nonne ibi est, ubi afficit? quod afficit, est entitas existens, sunt formalitates & prædicata contradistinctè existentia, sed intuitivus intellectus non percipit virtute illius distinctionis ibi prædicata contradistinctè existentia, ergo illa virtus evanescit, quia nec entitas existens, neque prædicata, quà distincta, consistunt aut existunt in virtute, sed in re, aut formalitatibus supra quas cadit, & quas afficit contradictio.

Arguitur secundò ex eodem supposito, quod virtualis distinctio sit dicenda entalia, seu alicujus entitatis distinctio, illa dubio procul erit inter extrema illius entitatis, sit itaque unum extremum in aliqua entitate virtualiter distinctum (quod appellemus formalitatem A) vel est in illâ entitate formaliter ex natura rei & entitativè magis unum secum seu suæ definitioni, quàm cum altero, in eadem entitate extremo (quod vocetur formalitas B.) à formalitate A virtualiter distincto, & definitione illius, vel non est magis unum secum ex natura rei formaliter entitativè: si realiter & ex natura rei formaliter entitativè est magis unum secum, & suæ definitioni, quàm cum altero extremo B. virtualiter distincto, jam fateria cum summa identitate reali stare aliquam nonidentitatem ex natura rei formalem, nimirum qua non est alterum distinctionis membrum ita secum ex natura rei formaliter unum, sicut cum seipso, & habetur ipsa distinctio *Scoti*, quà nihil est aliud, quàm talis non identitas ex natura rei formalis in perfectissimâ identitate reali: si non est magis unum secum, & suæ definitioni, id est, ex natura rei formaliter entitativè, sed sicut cum seipso, ita & cum altero distinctionis virtualis extremo & definitionis illius, ergo sicut non possunt verificari prædicata contradictoria de seipso indivisibiliter eodem, ita neque simul de ipso & altero virtualis distinctionis extremo, utpote quia verificarentur in eadem entitate de eodem secundum idem, quod est impossibile.

Contra secundò & probatur Assertio quartò: 167 Nulla dabilis est distinctio virtualis, quæ sit alicujus entitatis distinctio, nisi à virtute, vel activa vel passiva, quæ in eadem entitate potens sit efficere quasi distinctionem vel subire munus distinctionis, at nulla talis virtus datur neque in Deo, neque in creatis rerum Essentiis, ergo nec virtualis distinctio. maj. patet, min. prob. nulla pura virtua potest dari, quæ, supposito, quod in aliquo ente secundum omnia prædicata sit suprema identitaâ, quà major reperiri nequit in entitate creata vel increata, præter, ut virtualiter simul non sit eadem illa summa identitas: id fieret in proposito. min. patet, maj. prob. supremam identitatem entitativam esse talem ex natura rei formaliter, & non esse virtualiter talem importat in summa identitate formalissimè tali, virtutem ad terminos primi principii vel à prædicatione de eodem secundum idem, quantum ad id, in quod cadit contradictio, enunciabiles, contradictio siquidem non cadit super virtutem in abstracto, sed super entitatem, in qua asseritur illa virtus, & de qua vi virtutis illius reapse enunciantur illa prædicata contradictoria: atqui *Distinctio virtualis habetur à virtute vel activa vel passiva.*

virtus

virtus ad terminos primi principii ad prædicari reapse & actualiter de eodem secundum idem, sive ad prædicari actu in eadem illa summa identitate, est virtus implicandi contradictionem ut supra n. 161. satis vidimus & infra q. 3. n. 184. ergo talis est impossibilis.

168 *Mastrius sibi non cobaret.*

Ex quibus hic obiter noto *Mastrium* in Metaphys. d. 6. postquam n. 240. asseruit cum Recentioribus, hanc distinctionem virtualem non esse veram distinctionem n. 243. dum censet duplex contradictoriorum genus, non rectè assignasse alteram speciem contradictionis virtualis, hæc enim non meretur nomen veræ contradictionis, sicut nec distinctio virtualis nomen veræ distinctionis, cum enim verum sit, quod distinctio & contradictio sibi debeant esse commensurata, ut qualis sit contradictio, talisquoque sit distinctio, quam infert, & econtra, certum est, si distinctio virtualis non sit vera distinctio, nec contradictio virtualis constituet veræ contradictionis speciem, divisio itaque contradictoriorum accipienda est intra terminos contradictionis & distinctionis veri nominis, qualis non est virtualis, ut ipsemet astruit, & admissâ semel tali contradictione virtuali, non video cur tantoperè urgeamus nullitatem distinctionis virtualis.

169 *Si detur semel distinctio virtualis, erit extendenda in infinitum.*

Probatur quintò: Dato semel virtuali intrinsecâ distinctione inter perfectiones ejusdem naturæ, nequit negari inter plures partes singularum perfectionum, sequela probatur: si enim in sole virtus illuminativa virtualiter intrinsecè distinguatur à virtute productiva caloris, & ab hac iterum virtus desiccativa luti, & ab omnibus his virtus colliquativa ceræ humectativa &c. non est ratio cur non etiam in ipsa virtute calefactiva, idem est de aliis, virtus productiva caloris A virtualiter distinguatur à virtute productiva caloris B, & sic consequenter in infinitum, quia non minus vis calefactiva virtualiter continet illos plures calores, adeoque plures virtutes, quàm lux vel Essentia Solis, effectus jam recensitos, neque minus duæ illæ virtutes producendi calorem A. & calorem B. terminare possint cognitiones diversas, imò contradictorias, quàm illa Solis: sed hæc Adversarii non admittent, cum in virtualitatibus daretur processus in infinitum: ergo nec talis virtualis distinctio admittenda est inter virtutem illuminativam & calefactivam, ex quo infinitus hujusmodi processus sequitur, asseruntque nobiscum unam eandemque virtutem Solis à nobis cognosci, licet non eodem modo cum iisdem effectibus, ita nulla detur distinctio intrinseca inter virtutem illuminativam & calefactivam, etsi contrarium teneatur ab aliis, sed per cognitionem quamlibet cognoscatur tota Solis entitas & unum idemque totale principium cum reduplicatione operationis talis aut talis eo modo quo explicavimus Controv. 4. q. 2. n. 68.

170 *Speciosus respondendi modus.*

Respondebis: Virtus productiva caloris A ideò non distingui à virtute productiva caloris B, quia calor A & calor B verificantur de eadem virtute productiva caloris tota & totaliter, unde si calor A argueret distinctionem principii sui à principio caloris B, potiùs esset admittenda distinctio realis, secus est de Sole, ut est principium calefactivum, illuminativum, desiccativum, etsi enim ibi sit idem principium realiter, calor tamen illuminatio exsiccatio non verificantur de Solis virtute adæquatè seu tota totaliter, sed de tota sed non totaliter, ea ratione datur distinctio virtualis inter virtutem Solis illuminativam, calefactivam &c. nullatenus inter productivam caloris A & B.

Hoc eodem modo apud Mastrium d. c. n. 246. *Capreolus* 1. d. 8. q. 1. art. 2. *ad sextum* solvens num contradictoria præexigant in subjecto distinctionem à parte rei respondet affirmativè, quando singula extrema verificantur de toto & totaliter, negat quando de toto quidem, sed non totaliter, sed sufficere distinctionem virtualem & fundamentalem secundum quam una res propter suam illuminationem æquivalet multis perfectionibus limitatis, de quibus verificari possunt illa contradictoria, igitur per virtualem & fundamentalem distinctionem illæ propositiones, Essentia communicatur, Paternitas non communicatur, & similia prædicata non sunt contradictoria, cum non sumantur respectu ejusdem subjecti totius & totaliter, idem est de contradictoriis, quæ fiunt in creatis de gradibus metaphysicis v. g. cum dicimus Petrum cum bruto convenire in principio sentiendi in animalitate, non convenire in rationalitate seu principio intelligendi, est dicere non convenire Petro secundum se totum & totaliter, qui Petrus non convenit animalitati, ut est idem cum rationalitate. 171

172 *Ex data doctrina subvertitur potius doctrina Thomistica, & Scoti confirmatur.*

Verùm hoc responsum *Scoti* doctrinæ potiùs favet, quàm oppositæ, si enim, ut rectè *Mastrius* l. c. dictæ propositiones non sunt contradictoriæ, quia prædicata non sumuntur respectu ejusdem totius & totaliter, sed totius & non totaliter, est perinde ac si diceretur quod illa prædicata enuncientur à parte rei de eodem subjecto toto, sed non totaliter, id est, non secundum idem & formalitatem eandem, sed diversas, quod amplius ostendo hac ratione: quando enunciamus aliquid de aliquo, aut totum totaliter, quod in illa re est, concipimus; vel non: non concipimus totum totaliter, ut ipsi *Adversarij* concedunt, cum alioqui falsum esset, aliquid prædicari posse de toto, sed non totaliter: ergo cum nemo dixerit nos totum totaliter ignorare, quod esset ter absurdum, jam sequetur in eadem unâ re reperiri diversas formalitates habentes propriam cognoscibilitatem, ut nec totam totaliter ignoremus, nec totam totaliter uno actu intelligamus. *seq.* quod inde diversas colligamus in una re formalitates patet: implicat enim simpliciter indivisibile intelligi totum & non totaliter, nisi diversas haberet formalitates distinctam cognoscibilitatem habentes, sicut implicat punctum tangi posse & non tangi totaliter, quia eo ipso non esset punctus, sed aut linea aut superficies

ficies sic & implicat aliquid de una re intrinsecum attingi intellectualiter, & tamen non totaliter, nisi in sua ratione formali realiter quidem, sed non formaliter indivisibili diversas includat formalitates, eo ipso siquidem prædicata ista de tota enunciarentur essentia, qui esset entitas omninò indivisibilis à parte rei in plures formalitates. Sed de hoc exactiùs tractandum erit *Controv.* de distinct. formali ex natura rei, videri etiam potest Controv. 10. q. 1. n. 89. in refutatione quarti responsi, ibidem quoque dicitur, in quo sensu hoc argumentum stringat, & in quo non stringat.

173 *Aureolus.* Probatur Assertio. Sextò ex fundamento desumpto ab *Aristot.* 2. Physic. & 5. metaphys. & affertur ab *Aureolo nostro* quodl. 3. art. 2 causa in actu, & effectus in actu, simul sunt, & non sunt, sed radix & causa contradictionis est distinctio, unde contradictio signum est distinctionis velut ejus effectus: ergò quando contradictio formaliter & actualiter est vera, ut contingit in his: Essentia communicatur, Paternitas non communicatur, Essentia non producitur, filiatio producitur, intellectus intelligit, voluntas non intelligit &c. arguit distinctionem actualem sive ex natura rei formalem, & non virtualem tantum.

Ad hoc, ajunt, *Thomistæ*, jam dudum respondit *Cajetanus* 1. p. q. 39. art. 1. negando quod sola actualis distinctio, sit causa actualis contradictionis, nam ista potest esse à distinctione, ut à causa quasi univoca, à virtualiter continente distinctionem, qualis est eminentia rei, ut à causa æquivoca, itaque ille effectus in actu habebit causam in actu, non tamen necessariò univocam, non etiam sufficit æquivoca, nempè eminentia rei, quæ continet virtualiter distinctionem, hæc enim sola sufficit ad tollendam contradictionem, quia opposita enunciantur de eadem re eminenti, non quatenus una, sed virtualiter multiplici.

174 *Contra:* Hæc responsio multum continet de petitione principii, nam hoc ipsum an stet per eminentiam rei, ut tollatur actualis contradictionis repugnantia, est quod quæritur, talem enim eminentiam esse in Deo, quæ fundet distinctionem virtualem, quæ sufficiat, ut non sit contradictio actu, sive dicatur causa univoca sive æquivoca, est Deum esse talis Naturæ, ut ipsi eidem omninò metaphysicè indivisibili possint convenire actu duo contradictoria, hoc autem diximus sine actuali distinctione impossibile esse, in responso autem dicitur id esse possibile de facto, & sic respondetur idem de quo disceptatur, & ex hoc ipso titulo à multis Auctoribus hæc distinctio jure merito rejicitur, quia nihil per illam explicatur, sed committitur vitiosus circulus, si enim quæratur, quare per eminentiam rei velut causam æquivocam contradictionis prædicata contradictoria convenire possunt actu, huic vel illi, respondetur, quia sunt distincta virtualiter, si iterum quæratur, quare sunt distincta virtualiter, redit in responsum, quia per eminentiam rei prædicata contradictoria convenire possunt huic vel illi, sicut conveniunt rebus distinctis, accepta, ergo definitione pro definito, idcirco potest salvare contradictoria, quia eminentia rei habet virtutem salvandi contradictoria: & cum redditur pro ratione, quia virtute distinguitur, ipsamet thesis, de quâ controvertitur assignatur pro ratione suiipsius, nam in hac opinione virtute distingui est illud ipsum, quod est habere virtutem per rei eminentiam contradictoria salvandi, sive quia potest salvare, igitur Paternitati & Essentiæ non repugnare contradictoria, quia sunt virtualiter distincta perinde est ac dicere, non repugnare, quia non repugnat.

Thomistæ incidunt in petitionē principij.

175 *Exploditur responsum supra datum.* Deinde non solvit argumentum, sicut enim in Divinis ad contradictionem actualem reperitur verè positio actualis terminorum primi principii & non virtualiter solùm, esse taliter & non esse taliter &c. ita ad illam tollendam exigitur multiplicitas actualis & non virtualis tantum, cum aliàs semper manebit defectu distinctionis actualis, quod verificarentur de eodem secundum idem contradictoria actualiter à parte rei, unde licet concedatur quod actu detur talis eminentia rei, quid inde? non ideo actu respondet distinctio actu contradictioni actuali tollendæ necessaria, id est, quæ sit illi enervandæ commensurata, imò de facto gratis dato quod ad mentem Adversariorum admittenda sit distinctio virtualis per eminentiam explicata, illa ad nihil ampliùs serviret, quam ut *Mastrius* l. c. consequenter bene ad componenda contradictoria virtualiter solùm distincta, sicut distinctio rationis solùm sufficit ad tollendam contradictionem rationis, igitur ad submovendam contradictionem actualem à parte rei verificatam, exigitur distinctio actualis, itaque nisi alia producta fuerint, manet Aureoli in suo vigore.

176 *Distinctio virtualis est æque difficilis intellectu ac ipsum SS. Trin. Mysterium.* Probatur septimò ratione *Oviedo* Controv. 7. Metap. puncto 4. ubi distinctionem virtualem pronunciat prorsus inutilem, nullamque afferre lucem ad explicandum SS. Trinitatis Mysterium, sed æquè captu difficilem, ac sit ipsa Trinitas, quod ita suadet. distinctio virtualis in Deo importat æquivalere Deum in ordine ad hæc prædicata communicari & non communicari, duplici entitati distinctæ, quod formaliter dicit posse habere in se summè simplici hæc duo prædicata communicari & non communicari, produci & non produci, communicari ratione Essentiæ, non communicari relationi relationis identificatæ cum Essentia, produci ratione filiationis, non produci ratione Essentiæ identificatæ cum filiatione, quæ in quacunque alia entitate dicerent, ergo distinctio virtualis dicit posse convenire hos conceptus communicari & non communicari, qui ex se contradictorii sunt, in quo est tota Mysterii difficultas, & sic eadem omninò in hac distinctione virtuali difficultas, quæ est in ipso SS. Trinitatis Mysterio. plura QQ. seq. ad idem propositum.

Proba-

177. *Discrepantia Auctorum in asserenda distinctione virtuali.* Probatur octavo ab extrema Auctorum discrepantia, qua Patroni hujus distinctionis extremè diffident inter se non solum in descriptione illius, ut vidimus supra Q. 1. sed ut ubi illa locum habeat, nam ut videre est apud *Riccislium* c. 7. de distinctione. ubi Auctores de distinctione virtuali dividit in tres classes distributas, quorum multi illam propter infinitatem admittunt in solo Deo, alii econtra etiam in creatis. & quidem *Perez* tam in creatis, quàm inter Attributa Divina & Essentiam, ast in ordine ad fœcunditatem, negant eam esse sufficientem inter Essentiam & Personas, quas inter substituit distinctionem virtualem mediante tertio de quâ *Contrav.* 3. adeoque distinctionem virtualem duplicis generis reponit in Deo. *Valentinus* de Erice econtra disp. 2. c. 3. n. 18. & disp. 12. c. 1. & disp. 50. c. 2. à n. 23. ait: distinctionem virtualem ante intellectum cogitantem propter contradictoria esse in Deo statuendam in ordine ad fœcunditatem inter Essentiam & relationes, quam non admittit inter Essentiam & Attributa, vel inter Attributa inter se, hæc enim distingui ait solâ ratione: Deinde negat n. 23. & 26. quod possit per illam videri Natura Divina non visis Personis, sed solùm ea quæ spectant ad fœcunditatem & oppositiones relativas, ut est communicari Naturam non communicatâ Personâ & Unionem hypostaticam à Persona Verbi terminari, non à Natura Divina, quasi verò impossibilius sit communicari Naturam intentionaliter per visionem quàm communicari per realem productionem ut *Alarcón*, qui hoc titulo *Erice* impugnat air hanc distinctionem nil nisi verba importare. Erice tamen loquitur de distinctione virtuali *Recentiorum* potiùs, quàm Thomistarum.

178 Deindè, quod specialiter notandum, sunt qui distinctionem virtualem admittunt, ea tamen non utuntur ad salvanda contradictoria, sed in his semper ad distinctionem vel realem vel rationis recurrunt: ergo nequeunt saltem illi Auctores sub nomine distinctionis virtualis veram aliquam & propriè dictam distinctionem statuere sed talem, qualem intelligi ab aliis notavimus q. 1. n. 150. sic *Suarez* qui sæpiùs usurpat nomen distinctionis virtualis quando tamen de contradictoriis in Deo verificandis tractat, non ad hanc, sed ad rationis ratiocinatæ distinctionem recurrit, ut videre licet apud eundem *Tract.* 1. *de Deo.* c. 13. n. 6. & *Tract.* 3. *de Trinit.* c. 4. n. 18.

ASSERTIO II.

Nominalium distinctio q. 1. n. 153. relata, abusivè solum & nulla veri nominis distinctio est censenda, quin potiùs non tam est distinctionis alicujus explicatio, quàm ipsiusmet Sacrosancti Mysterii Trinitatis expressio fide credenda.

179 *Nominalium distinctio Mysterij SS. Trin. expressio est & nihil aliud.* PRobatur ex propria doctrina, nullam siquidem per illam intelligunt distinctionem mediam inter Essentiam & Relationes, sed solùm identitatem unius cum tribus, unius scilicet Essentiæ, quæ est eadem realiter cum Relationibus v. g. cum Paternitate, & tamen non cum omni cui identificatur Essentia, identificatur Paternitas, nam Essentia identificatur, cum filiatione & spiratione passiva, à quâ Paternitas realiter differt: hoc autem est ipsummet Mysterium, non distinctio inter Essentiam & Relationes, ideoque hæc distinctio nullibi, neque in Essentialibus Dei ad invicem comparatis, multò minùs in creatis, in quibus nullum tale reperitur exemplum, ut Tom. 2. Controv. 5. q. 4. fusiùs, locum habet, plura de hoc vide Controv. 2. n. 23. ubi disputatum contra *Nominales* nulla unquam contradictoria posse eidem secundum idem competere, ut hic iterum falsò supponunt.

****

QUAESTIO III.

An detur distinctio virtualis intrinseca quæ explicatur per meram æquivalentiam & insitam quandam perindeitatem; id est, quæ *perinde se gerere ac si*, vel per *perinde se habere*, vel denique per *quasi*, *ac si*, obtineat vim præstandi ad verificanda contradictoria sine vera distinctione, quod præstat distinctio vera, adeoque recurrendo ad hanc virtualem distinctionem satisfiat argumentis *Scoti* & contradictoriis fide credendis.

SUMMARIUM.

1. *Cur hac virtualis Recentiorum major & nobilior dicenda, altera Thomistarum. n. 180.*
2. *Æquivalentia pro perindeitate promiscuè non est accipienda, & cur? ibidem.*
3. *Æquivalentia multiplex. ibid.*
4. *Ad supportanda contradictoria est inutilis. n. 181.*
5. *Sicut Affirmatio opponitur negationi, ita res affirmata negata. ibid.*
6. *Ex intrinseco conceptu suo involvit contradictionem. ibid. & n. 182. & seq.*
7. *Capacitas ad contradictoria sine actuali distinctione refert non imputationem contradictionis. n. 183.*
8. *Summa identitas præstando quod præstaret negatio destruit seipsum. n. 184.*
9. *Nusquam docet fides Catholica in Deo admittendi contradictoria absque omni verâ distinctione. n. 185.*
10. *Arriaga discursus cur non subsistat. n. 187. cedit argumento. n. 189.*
11. *Proponuntur & improbantur speciatim Arriaga, Izquierdo, Honoratus Faber, Perez, Esparza. à n. 191. usque ad n. 199.*
12. *Laus & fraus, utilitas & nullitas distinctionis virtualis ex mente Auctorum. n. 199.*

180 *Discrimen distinctionis virtualis Recentiorū à virtuali Thomistarum.*

DIstinctionem virtualem de qua q. præced. actum, distinguunt a distinctione hujus Q. quod hæc sit *major*, ut Arriaga 1. p. d. 42. sect. 1. subsect. 1. Perez supra cit. quod sit *altior* & *nobilior*, solique Deo conveniat, alia autem, quia reperitur quoque in creaturis, sit *minor* dicenda. *major* illa realiter virtualis sive virtualiter realis, ita idem Arriaga subsect. 3. n. 8. minor autem propriè non sit distinctio, nec quidem virtualis, quia non æquivalet virtute rebus distinctis, sed præcisè consistit in eo, quod in se continet diversos effectus, ut causa illorum. plerique autem hanc majorem distinctionem realiter virtualem sive virtualiter realem in perindeitate positam confundunt cum distinctione virtuali in æquivalentia constitutam ac promiscuè, quando asserunt eâ mediante indistinctum se habere, ac si esset distinctum de una & de altera tractant, posset tamen non immeritò videri aliquam inter utramque interesse differentiam. Primò quia in multis casibus & materiis per omnia genera causarum, ut videre est apud *Ricciolium* c. 7. de distinct. n. 81.

Sitne differentia aliqua inter virtualem per æquivalentiā

vera datur æquivalentia physica & moralis, sic v. g. loquendo de causâ efficiente, ut Q. præced. visum est, non repugnat eundem Solem pluribus æquivalentem causis eosdem physicè causare effectus, quales præstare possunt sydera cœli, ignis &c. Si in moralibus Ungarus, ut vocant, sive Ducatus, est æquivalenter duo imperiales, æquivalet enim duobus seorsim extra Ungarum reperibilibus. Sic quod terrestres Nuncii in Comitiis publicis acceptant, censetur virtualiter in æquivalentia acceptum à Nobilium statibus, quia concordia Nobilitaris & assensus per plures dispersus adunatur in uniuscujusque Palatinatûs legatis. Præterea unica causa finalis potest indubiè movere ad plura media adhibenda, ac si essent plura bona, quæ moverent. Similiter causa formalis etsi non potest causare plures species diversos effectus, cum enim non causet effectum, nisi seipsum immediatè communicando & præbendo subjecto, nequit præstare plures specie effectus, nisi constet ex pluribus actu formis, sic albedo v. g. non potest facere formaliter album & nigrum, album & dulce, nec forma perfectè mixti formaliter ignem, aërem, aquam, terramvè, nimirum sint licet, non tamen formaliter, sed virtualiter solùm, quatenus in illis sunt quædam accidentia & materia secunda cum disponibilitate, ut possint effectivè resolvi in elementa. minùs sicut Q. præced. diximus. & *Ricciolius* hic cit. una eadamque forma potest præstare in genere causæ formalis diversos effectus oppositos sive contrariè, sive relativè, sive privativè, & adhuc multò minus talem potest præstare contradictoriè, ita ut ens

explicata, ab eadem aliis terminis proposita puta per perindeitatem.

Ricciolius.

præstet

præstet alicui formaliter, ut sit non ens, potest tamen causare plures effectus, si pluribus subjectis vel quasi subjectis applicetur, qua ratione dixi in *Unitate Tract.* 2. Q. 2. n. 5. unicam existentiam conferre omnibus gradibus essentialibus suam actualitatem & unam hæcceitatem omnibus præstare individuationem, ut pluribus Controv. 8. q. 3. Cum igitur dentur hujusmodi æquivalentiæ primâ fronte opinio de æquivalentia propter latentem æquivocationem, magnam videtur præ se ferre veritatis speciem, secus est de distinctione per vocabulum perindeitatis explicata, quia non statim prima fronte videtur res taliter esse perindeizata, ut in eâ latitudine perinde se gerant præstentvè quod modo explicato res æquivalentes. Verùm quid quid de hoc sit, ideò non adimetur dictæ perindeitati præensa capacitas ad contradictoria. *Secundò* & parentior differentia hæc est, quod æquivalentia in obliquo involvit aliquod extrinsecum, si tale non dicat in recto, eo quod videatur consistere in quadam rerum distinctarum comparatione, ut de illa judicandum sit, sicut de relatione convenientiæ & similitudinis, perindeitas econtra videtur consistere in vi quadam insitâ ipsi rei ad se ita habendum, id est ad contradictoria supportanda, unde & dicitur distinctio realiter virtualis intrinseca & ante intellectum cogitantem, nos cum Opponentibus, sicut illi indifferenter de illis agunt, simul etiam tam contra unam, quàm contra alteram procedemus, itaque sit

ASSERTIO I.

Distinctio virtualis quæ non est actu verè & propriè distinctio, sed fundata in merâ virtute & æquivalentia distinctorum, vel sita in perindeitate quadam *quasi* veræ distinctionis in ordine ad recipienda prædicata contradictoria & inutilis & nulla est.

181 PRobatur primò: Si per impossibile darentur duo contradictoria à parte rei salva natura contradictionis idem esset & non esset alteri idem, vel esset ens & non ens, & distingueretur realiter negativè à seipso, sed quando res realiter & formaliter eadem statuitur habere ad prædicata contradictoria per indeitatem, æquipollentiam virtualem distinguendi, æquivalentiam, nonnines ut via, jam talia darentur à parte rei contradictoria: ergo idem esset tale & non esset. *sequela maj.* patet: minor, quæ est injuria lumini naturæ, attamen ex opinione advetsantium, probatur, duo supponendo: primò quod sit impossibile salvare contradictoria secundum idem. Secundò quod distinguatur contradictio mentalis ab objectiva, quæ mentali substat, docente Aristotele c. *de Oppositis*, quod sicut affirmatio negationi opponitur, sic & res, quatenus sub utraque est I *neque enim id*, inquit, *quod substat affirmationi & negationi, affirmatio est, aut negatio: affirmatio namque oratio affirmativa est, & negatio oratio negativa, quod verò substat affirmationi & negationi nulla est oratio, sed res.* & mox: *dicuntur autem hæc esse opposita ad invicem tanquam affirmatio & negatio, nam in his modus oppositionis idem est. Sicut enim affirmatio negationi opponitur, ut quod sedet ei, quod non sedet; sic & res quæ sub utraque est opponitur, scilicet sedere aliquem, ipsi non sedere.*

Hisce duobus præsuppositis, probatur inquam minor: quando una eadem res formaliter intrinsecè coalescere duobus objectivis conceptibus sibi contradictoriè repugnantibus, ut in ea esset unum quidem, virtute cujus verè aliquid de illo affirmetur, & alterum, virtute cujus illud ipsum de eodem secundum idem verè negetur, tunc necessariò, quod in affirmativa asseritur, est ens, vel aliquid, & quod in opposita contradictoriè negatur est negatio ejusdem, seu non ens, cum alioqui non forent contradictoriæ: atqui virtute perindeitatis, æquivalentiæ &c. ita contingit, nam primò, cum secundum universos *Virtualistas* virtualiter distincta sint à parte rei indistincta, ut fatetur *Arriaga* d. 5. Log. sect. & subsect. 1. expressè *virtualis distinctio non est distinctio.* Perez d. 6. de Deo Trino ait: *Distinctio virtualis non est absolutè distinctio, sed est absolutè non distinctio, ut virtualis homo non est simpliciter homo, sed simpliciter non homo.* Riccardus Lynceus l. 1. Metaph. Tract. 3. c. 2. *distinctio virtualis non est distinctio vera.* Sebastianus Izquierdo in Pharo disp. 13. q. 6. n. 137. expressè habet: *Distinctio virtualis absolutè loquendo, non est distinctio.* & sic

Distinctio hæc virtualis implicantiam involvit.

& sic alii ecce ex mente Virtualistarum in re habente talem æquivalentiam & virtutem solum distinguendi omnia sibi sunt realiter & ex natura rei formaliter idem, proinde in tali re habetur conceptus objectivus, quo aliquid verè affirmetur de illa, nempe esse quo ad omnia sua prædicata entitativè & realiter, seu quod apud illos idem est formaliter ex natura rei quid indistinctum, sic ajunt, in Deo idem sunt realiter & formaliter Divina Essentia & Personalitates. Secundò habetur in eadem re, v. g. Divina, quæ Deus est, conceptus objectivus priori contradictoriè oppositum, virtute cujus verè à parte rei negatur illud ipsum, quod affirmabatur esse indistinctum, nam de eodem secundum idem, id est, de eadem Essentia affirmatur communicari, de Paternitate negatur, ergò habentur in una eademque re conceptus objectivi contradictoriè sibi repugnantes, quod propter manifestam implicantiam est impossibile, nisi confugiant ad quandam non imputationem contradictionis, nam sicut moderni nostri Acatholici docent peccatores justificari per solam non imputationem peccatorum absque intrinseca actuali mutatione per formam sanctificantem, cum sufficiat animam nostram capacem esse applicationis meritorum Christi, seu perinde se habere ad vulnera sibi per originale vel actuale peccatum illata, quasi sibi non essent illata, nimirum quia ob merita Christi illi nihil damnationis inest, seu nulla mala imputantur; eodem modo hi Philosophi nostri Catholici docent contradictoria verificari sine actuali intrinseca vera distinctione per solam capacitatem supportandi contradictoria, quasi ibi sit quædam non imputatio contradictionis imo paritas illa probatur: non obstante summa identitate affirmari & negari prædicati de eodem subjecto respectu ejusdem, quæ in omni ente necessario inferrent contradictionis implicantiam, vi hujus non distinctionis res perinde se habet acsi distinguerentur prædicata, ut non inferatur illa contradictionis implicantia: atqui secundum Acatholicos propter capacitatem applicationis meritorum Christi in anima illa perinde se habet absque gratia sanctificante, ut per non imputationem peccatorum Deo abluta sit, grata sit, sanctificata & justa sit, ergo sicut in uno, ita & in altero, & revera licet Theologia illa Acatholicorum nihil valeat, attamen, omnibus benè perpensis, quoad distinctionem virtualem, quæ sit aliqua virtus positiva ad contradictoria sufferenda, & tamen vera non distinctio indispensabiliter & ex natura rei majorem involvit inconvenientiam, & intrinsecam implicantiam quam opinio illa heterodoxa, qualis abstrahendo à fide, nullam infert repugnantiam metaphysicam, sicut illa Catholicorum Doctorum.

Distinctio virtualis Recentiorum assimilatur non imputationi hæreticorum.

182 Confirmatur: Nulla rei inesse potest virtus implicandi contradictionem; sed asserere in una re æquivalentiam & perindeitatem ad contradictoria, est virtus implicandi contradictionem: *maj.* patet: non enim datur virtus & æquivalantia ad impossibile. probatur etiam minor ex supposito primo: impossibile est convenire contradictoria secundum idem, sed per ipsam æquivalentiam conveniunt & salvantur contradictoria secundum idem, ideò enim fingitur illa, ergo sicut nec datur virtus implicandi contradictionem, ita nec virtus ad tale æquivalens nec perindeitas ad contradictoria.

Neque satisfacis, si dicas, contradictoria quidem convenire secundum idem formaliter, non tamen secundum idem virtute & æquivalentia, nam contra primò, ad implicantiam contradictionis sufficit, si contradictoria sint secundum idem formaliter, quia in contradictione afficiunt eandem prorsus realitatem, id est, formaliter idem affirmatum & negatum, neque impedire possunt hi termini *virtute* & *æquivalentia perindeitate* contradictionem ad rationem talis entis sive ad entalem identitatem sequi natam, nisi afferant secum veram & entalem aliquam distinctionem, qua fiat ut una illhæc contradictio non cadat intrinsecè super omninò idem, cujus oppositum nempè quod distinctio virtualis nulla sit distinctio vera, ultrò concedunt, ut statim supra, quo pacto etsi centies hosce terminos *virtute*, *æquivalentia* rei addideris, semper est addidisse idem sibiipsi, idem autem additum eidem relinquit idem, ac proinde nihil confert ad evitandam contradictionem. 183

Præoccupatur effugium.

Contra secundò & probatur secundò Assertio: Eo ipso quo aliquid, quod necessariò dicit identitatem summam, æquivalet sibi contradictoriè opposito, præstando seipso quod præstat negatio, id est non identitas, seipsum æquivalenter destruit: ergo nulla talis datur æquivalentia in creatis minus in Divinis: *anteced.* prob. hæc propositio absolutè vera, *Natura Divina communicatur*, æquivalenter destruitur per hanc; *Natura Divina æquivalenter non communicatur*; item hæc simpliciter vera: *Paternitas est incommunicabilis*, per hanc: Paternitas virtualiter non est commonicabilis, ergo & hæc simpliciter vera: Natura est formaliter indistincta à Paternitate, æquivalenter & virtualiter destruitur per hanc: non est æqoivalenter Indistincta à Paternitate, si enim dictæ propositiones. *Natura æquivalenter & virtualiter non communicatur*, *Paternitas virtualiter communicatur*, temerariæ censendæ sint & destructivæ virtualiter propositionum, quas ut absolutè veras fides docet, multò magis æquivalentia distinctionis, quæ non ut ficta & falsa, sed ut vera & rei intrinseca asseritur, æquivalenter destruet identitatem illam summam inter Essentiam & Paterni- 184

Non datur virtus & æquivalentia ad sui destructionem.

Paternitatem , cum identitas illa secundum te non minus vera sit , quàm verum sit , quod Essentia communicetur , & Paternitas non, esto hoc simul sit de fide , ideoque ultrò hoc, quod destruat æquivalenter seipsam , insuper temeratiæ sit imò & hæreticæ , quod non esset dicendum , si contradictoria per æquivalentiam non convenirent rei formaliter, ut talis entitas est , suoque modo destruerent illam.

185 *Contra* : iterum & probatur Assertio tertiò : Ex nulla solida ratione cogimur de aliquo subjecto sive in Deo sive in creatis affirmare & negare idem de eodem respectu ejusdem , & simul excludere ab illo affirmationis & negationis subjecto omnem distinctionem veram , ut adsciscì oporteat in subsidium aliquam virtutem rerum Essentiis tam invisam , quæ præster id , quod præstat actualis distinctio , ergo hoc ipso quod debeamus aliquid negare & affirmare , ne idem de eodem secundum idem negetur & affirmetur contra primum principium & lumen naturæ cogimur statuere veram aliquam & actualem distinctionem. *antecéd.* prob. fides Catholica docet in Deo admittenda prædicata ex se contradictoria, sed non docet illa esse vera sine verâ aliquâ etsi minimâ distinctione. *ergo. min.* prob. quia docet ibi esse & non esse communicabile , non æquivalenter tantum & virtualiter , estque tam absoluta veritas , & tam fide credenda , quod Natura actu communicetur, Personalitas actu non communicetur, quàm quod sit Trinus & Unus : ergo hoc ipso cum prima Veritas non docet , ut assentiamur impossibili , potiùs evidentia credibilitatis supponit , non submergit illud primum principium , adeoque ad non assentiendum sine vera distinctione idem simul esse non esse tale. unde apparet valde turbaxi Philosophiam ab his imò & Theologiam , qui loco veræ distinctionis Simplicitati Divinæ nihil officientis virtutem & æquivalentiam & inanem illam acumen in Scholas invexerunt , si enim ob talem æquivalentiam in una & omninò eadem re citra omnem distinctionem actu , contradictoria locum habeant , jam eâ fulti doctrinâ , poterint affirmare hæretici Deum esse Trinum & non esse Trinum , esse Unum & non esse Unum , Essentiam esse communem omnibus tribus suppositis , & non esse communem. filiationem produci & non produci , nam admisso semel , quod idem omninò indistinctum perinde se habeat acsi esset distinctum , adeoque possit de illo aliquid semel affirmari & negari , quantumcunque adigantur argumentis nostris , ut cogantur primum principium admittere , impossibile esse , ut idem sit & non sit , continuò tamen effugere reddendo rationem , imò armare se possunt dicendo illud idem se habere perinde acsi esset idem & non esset idem, proinde tali æquivalentia muniti & *Galenos* ridebunt , subsannabunt *Aristoteles* , nullos formidabunt *Chrysippos* , cum omnibus suis syllogizandi modis instructos.

Philosophiam nō ferenant,

sed turbant Virtualistæ Recentiores.

Quartò probatur Assertio iisdem argumentis, quæ attulimus Q. præced. pro secunda parte Assertionis primæ à n. 160. usque ad 166. & à n. 173. usque ad n. 177. quæ ad probandam Conclusionem , hic non rescribi, sed relegi oportet. 186

Proponitur speciatim genuina doctrina *Arriagæ* de distinctione virtuali , & refutatur.

187 QUintò probatur ostendendo nullitatem hujus distinctionis ex particulari examine doctrinæ , qua nonnulli & præcipui illius Patroni illam describunt , & quidem primò *Arriaga* 1. p. d. 42. sect. 1. distinguens illam in *minorem*, quam admittit in creatis, & coincidit cum illa Thomist. de qua egimus Q. præced. & in *majorem* , quam explicat subsect. 2. & 3. rejectâ aliorum descriptione , ait : *dicendum est , hanc virtualem consistere præcisè in eo , quod eidem indivisibili entitati & formalitati uni reali , verè tamen & realiter conveniant duo prædicata ex se contradictoria ; qualia sunt produci & non produci , communicari & non communicari.* id quod deinde repetit sect. 5. subsect. 1. n. 52. & explicatis terminis de ea non esse difficultatem. explicat autem n. 54. hac ratione , ut enim, inquit , Deus formaliter non est creatura, eminenter tamen continet omnes creaturarum perfectiones , Ideoque potest eminenter seu virtualiter dici creatura , ita Essentia & Paternitas non sunt formaliter distinctæ ante meum intellectum , sunt tamen eminenter æquivalenter seu virtute hoc est in ordine ad recipienda prædicata contradictoria ita se habent ac si realiter distinguerentur , habent enim perfectionem distinctionis realis , id est , capacitatem contradictoriorum , seu quod idem est æquivalent duplici capacitati qualis est in duabus rebus realiter distinctis, v. g. quia homo & lapis distinguuntur realiter , hinc rectè dicitur , potest homo produci lapide non producto , ita virtute hujus distinctionis Essentiâ Divinâ improductâ filiatio dici potest sine contradictione , produci , idem est de aliis prædicatis ex se contradictoriis , quæ in Deo per hanc distinctionem verificantur. Quia autem prævidit posse objici , quod committatur in hac sua doctrina vitiosus circulus, aut idem per idem expli-

Deo inesse capacitatem contradictionis.

explicari, dum dicitur eam distinctionem consistere in capacitate prædicatorum contradictoriorum, & rursus ea prædicata contradictoria dicimus sine repugnantia ei entitati convenire, qua datur in ea distinctio virtualis eam objectionem subsect. 3. n. 7. præoccupat, dicens: quod cum in seipsa distinctio videri non potest debere illam explicari per capacitatem prædicatorum contradictoriorum, eam autem capacitatem dari, aliunde probari, ostensa autem ejus existentia, rectè rursus inde possumus explicare, cur licet conveniant ei entitati prædicata contradictoria, non dicunt repugnantiam, quia hæc tollitur per eam distinctionem seu per perfectionem illius entitatis. Hæc est tota substantia doctrinæ, quam habet de hoc *Arriaga*, qui ut evitet circulum vitiosum, dicit aliunde probari illius existentiam in Deo, sed ex hoc ipso ostenditur nullitas illius, nimirum una indivisibilis res ad recipienda duo prædicata contradictoria æquivalet duplici capacitati duarum rerum distinctarum, seu ita se habeant acsi essent realiter distincta, nam primo ad hoc probandum non suppetit, quod sect. 3. refutet distinctionem in Divinis realem inadæquatam, neque secundò per hoc quod sect. 5. illos Auctores, qui ponunt in Divinis ad salvanda contradictoria solam distinctionem rationis, patet reipsa coincidere in suam opinionem, eo quod nullo modo negent posse idem in Divinis eandem rem indivisibilem produci & non produci, communicari & non communicari, nam hac via potiùs ipsius doctrina coincidit in opinionem aliorum, qui in illius possessione antiquiores sunt, eritque sua distinctio virtualis, reipsa distinctio rationis, & quidem id ostendo ex propria mente sua, quia l. c. n. 53. ait: *nullo modo ante operationem nostri intellectus Essentiam & Relationem esse duas formalitates.* & n. 54. sufficere, *si fiant duæ per intellectum.* & subsect. 2. sequenti n. 67. *dixi autem sæpè ad explicanda ea prædicata nos non ponere actualem & formalem distinctionem majorem, quàm rationis, quam vocamus distinctionem virtutis, seu virtualem quod idem est*, inquit n. 63. *Relatio & Essentia realiter idem, at solum ratione distinguuntur formaliter, ac licet solùm ratione differant, hoc tamen non impedit, ne convenientia prædicatorum contradictoriorum sit realis. & hoc est quod supra dixi ex* P. Vasquez *scilicet ad hoc ut duo conveniant realiter prædicata, non requiri majorem distinctionem actualem in subjecto, quàm rationis, per hoc tamen non negatur nostra virtualis, prout à me explicatur, ut consistat in eâ capacitate contradictoriorum, ergo reipsa illam* Vasquez *& cæteri admittunt*, sic ille non obstante quod illi Auctores sub nomine distinctionis nullam aliam quàm rationis scire velint in Divinis, imò sunt ex illis, ut *Vekenus* d. 6. c. 1. de Deo, qui aversatur ipsum nomen distinctionis virtualis dicens esse chymeram, esse virtualem implicandi contradictionem seu impossibilem, cum non detur virtus ad præstandum id, quod fieri non potest, id est, ut prædicata contradictoria conveniant eidem secundum idem formaliter, additque: *quare haud scio, quomodo probari apud aliquos possit opinio, quæ ad ejusmodi virtutem recurrit, ut Scoti aliorumque argumentis mediam distinctionem urgentibus satisfaciat. Ego sane mallem argumentis succumbere, etsi ea proponentibus consentire nollem [quod saltem respectu Scoti adhuc liberum est] ignorantiam meam fateri, quàm confugere ad illam ultimam omnis redargutionis metam*, id est, ad distinguendi æquivalentiam c. 2. autem immediatè post verisimiliorem modum contradictoria omnia, quæ verè dicantur de realiter identificatis in Deo ab omni contradictione vindicandi putat obtineri per distinctionem rationis, citatque idem Auctor *Tract.* de *Simplic. Dei. Tract.* 1. d. 4. c. 2. ipsummet *Arriagam* & hanc ipsius disputationem 42. cui tamen mordicùs in hoc puncto resistit, idem videre est apud alios, qui sola rationis distinctione contenti, prorsùs explodunt virtualem illam. Errat itaque ex mente *Vekeni* quod in reipsa in Deo agnoscant æquivalentiam, imò illa æquivalentia asseritur ab ipso *Arriaga* ante intellectum, distinctio rationis fit per rationem, & sic tandem contingit suam distinctionem esse nullam, nec virtualem, quia rationis est, nec rationis, quia virtualis est, & ante intellectum, quam illi Auctores negant, econtra solam rationis, omnes illi sufficientem esse dicunt ad salvanda contradictoria ut in Deo posse eandem rem produci & non produci, communicari & non communicari. *Porrò* quod ibi dicat, quod simile quid nulli creaturæ competat; cum nemo ponat Mysterium Trinitatis in creatis, ideoque in re omnes admittunt majorem capacitatem in Deo, quàm in creaturis, consequenter æquivalentiam illam, prodit manifestum circulum, quem supra evadere contendebat, admittunt in Deo produci eandem rem & non produci, ergo & admittunt in Deo distinctionem virtualem sitam in capacitate ad prædicata contradictoria, & rursus ea prædicata produci eandem rem & non produci sine repugnantia ibi esse dicuntur, quia datur in eo distinctio virtualis seu ad contradictoria ista capacitas &c. unde nisi aliter fulciat suam opinionem, exiguam illi obtinebit aut extrinsecam probabilitatem à suæ opinionis exsortibus, scilicet qui per solam distinctionem rationis in Deo omnia salvunt à contradictione, aut intrinsecam à ratione data, unde tandem *sect.* 5. *subsect.* 1. in fine ait non posse dari rationem à priori hujus distinctionis, nisi infinitam perfectionem Dei, ratione cujus in ordine ad aliqua prædicata in se opposita habet capacitatem ea recipiendi simul, sed nullatenus propter infinitatem admittenda in Deo contradictoria sine distinctione satis ostensum *Controv.* 2da. q. 1. a 3. n. 16. & *seqq.*

Distinctio Arriaga virtutis coincidit in distinctionem rationis.

Secundò

188 *Valida instantia & ratio.* *Secundò* aliundè postet ostendi in hac doctrina nihil esse soliditatis, accipiamus v. g. filiationem æterni Filii, quæ per æternum sui productionem, vel addit aliquid ad Essentiam improductam, vel nihil addit, hoc secundum dicere non est orthodoxum: ergo filiatio idem est de spiratione passiva, imò & de Paternitate improducta sunt aliquid à Deitate, cum alioqui una Essentia fieret triplex, vel triplicitas relationum transmutaretur in unitatem Essentiæ. Simile argumentum ipse d. c. *sect. 1. subsect. 3.* n. 9. sibi ipsi opponit. Item à parte rei producitur filiatio, & hoc non convenit Naturæ seu Essentiæ Filii, ergo à parte rei est una formalitas Filii, cui convenit prædicatum *produci*, & à parte rei est alia formalitas Naturæ, cui non convenit illud idem prædicatum produci; ergo sunt à parte rei duæ formalitates: si enim à parte rei non sunt, nisi una formaliter ex natura rei indivisibilia; ergo si supra unam cadit prædicatum unum, cadet etiam supra alteram, ubi enim non est unum & aliud, non est cadere supra unum & non supra alterum.

189 *Doctrina manifestè ostendit. Arriaga nonostendit, qui Mysterii Trinitatis nonfit contra lumen naturæ.* Rotundè fatetur argumentum hoc esse *valde difficile, nec mirum*, inquit, *si non claram ei possimus adhibere solutionem, consistit enim in eo tota abstrusissimi SSmæ Trinitatis Mysterii difficultas, quæ sola ad ponendam hanc distinctionem nos cogit necessariò.* & sect. 5. subsect. 1. n. 57, *fateor*, inquit, *eam aequivalentiam difficulter intelligi, non est tamen propterea neganda: eam enim fides, in cujus obsequium debemus captivare intellectum, manifestè ostendit.* Ecce Mysterium hoc secundum se, & fides cogunt *Arriagam* ad ponendam distinctionem, quæ secundum eundem l. c. sect. 1. subsect. 3. n. 5. duas formalitates, quas sonat, eo modo, quo sunt duæ, distinguit, & ex ipsa natura distinctionis impossibile ducitur & ab omni ratione alienum, ut distinguat verè & ante intellectum cogitantem idem à seipso, & contradictoria alicui conveniant secundum idem, rectè ergo secundum hunc Auctorem, cum fides nos cogat credere Essentiâ improductâ produci filiationem, datur inter Essentiam & filiationem distinctio aliqua, quæ consequenter & distinguit eo modo, quo sunt duæ formalitates: atqui distinctio virtualis est prorsùs inepta ad distinguendam Essentiam improductam ab filiatione producta. probatur *assumptum*: in argumento statim adducto consistit totum abstrusissimum SS. Trinitatis Mysterium, nimirum dari à parte rei duas quasi realiter formalitates in Deo, quæ verè & à parte rei contradictoriè enunciantur ut Essentiam non produci, filiationem & Spirationem passivam verè & à parte rei produci, sed huic difficultati ipsemet *Arriaga* ingenuè fatetur per suam distinctionem non posse claram adhiberi solutionem, ergo illa distinctio succumbit argumenta, estque inepta ad distinguendam Essentiam improductam à filiatione producta: hæc *minor* probatur insuper ex ratione: non distingui nisi per æquivalentiam est extrema distinctionis relinqui prorsus & omni modo ex natura rei indistincta, habeantque se velut idem ad seipsum seu est combinare omnimodam identitatem cum involutione duorum contradictoriorum: sed hoc solis chymeria, nulli enti reali finito convenit, multo minus enti divino & infinito, ergo *major*, quod æquivalentia & virtus distinguendi supponant & relinquant merissimam identitatem ex natura rei Virtualistæ & opponens concedit, ergo proinde hoc terminos addere rei est addere sibiipsi, sed apud omnes in confesso est quod idem additum eidem relinquat idem, nihilque conferat ad formalem & veram contradictionem tollendam, ergo à primo ad ultimum convincitur hic Auctor, si non evidentia naturali saltem certitudine Theologica deducta ex una naturali, quod nequeat esse vera affirmatio & negatio, ut non esse productum & esse productum respectu ejusdem secundum veram & meram identitatem, & ex altera de fide Essentia non est producta, filiatio est producta, convincitur, inquam, ut dimissa sua virtuali distinctione & æquivalentia, aliam meditetur distinctionem, quæ sufficiat ad tollendam veram contradictionem & simplicitatem non lædat, qualiscunque illa demum fuerit, degenerabit in distinctionem *Scoti*, quâ docemur, quod in obsequium fidei debeamus captivare intellectum, ut credamus ea quæ sunt supra Naturam, non quo contra illam.

Ex dictis etiam refutatus manet *Riccardus Lynceus* cit. supra q. 1. n. 151. qui dum non ostendit qualiter æquivalentia sua possit obire munus distinctionis, si non sit vera distinctio inter extrema distincta manet solum in eo, quod est in quæstione reducendo responsionem ad petitionem principii, non dando aliam rationem, quàm si diceres: æquivalentiam *posse id*, *quia id potest*, termini siquidem virtus & æquivalentia quod valeant, jam notum est, de quo quod amplius agamus, non est è re. 190

* * *

Secundò proponitur ſpeciatim doctrina Sebaſtiani Izquierdo cit. ſupra q. 1. n. 151. & refellitur.

191 *Sebaſtianus Izquierdo.* Contra propriam ſuam doctrinam ſibi objicit d. 13. q. 6. n. 138. ſi Paternitatem diſtingui ab Eſſentia nihil ſit aliud, quàm eſſe talis eminentiæ, ut ſufficere poſſit prædicata contradictoria, perinde eſt ac dicere, Paternitati & Eſſentiæ non repugnare prædicata contradictoria, quia ſunt virtualiter diſtinctæ, vel dicere, ideò non repugnare, quia non repugnat, reſpondetque quod ex fide Catholica conſtet illa contradictoria eſſe admittenda in Deo. *ſubſumo*: atqui fides Catholica non docet illa admittenda in Deo ut talia, id eſt, ut reſpectu ejuſdem, *eſſe* & *non eſſe*, verificentur, id enim generaliter eſt impoſſibile, tam in ente infinito, quàm finito, neque unquam probabit infinitatem præſtare Deo, ut ſit capax contradictoriorum ſine vera actuali diſtinctione, quamdiu priùs non probaverit nobis, idem poſſe immediatè producere ſeipſum & ſimul non producere, quod contingeret, ſi Eſſentia Divina improducta prorſus & omni modo ex natura rei idem eademque formalitas ſit, quod filiatio Divina improducta, probatio autem hujus deſperata eſt, & ad aſſentiendum tali abſurdo revera non cogit nos noſtra fides, ſed veras eſſe has contradictoriè enunciatas: Eſſentia Divina non producitur, ſed filiatio, Eſſentia Divina communicatur, non filiatio &c. itaque deſideramus oſtendi ſolidè & ſine petitione principii veram & inferendis contradictoriis non deficientem diſtinctionem, nec Divinæ Simplicitati inimicum ad hunc effectum autem, quod affert in ſuæ diſtinctionis encomium, & Scoticæ tum inſufficientiam, tum nullitatem dicens: Scotiſtica diſtinctione *plus valere diſtinctionem virtualem, quia æquivalet reali, Scotiſticam autem quæ ſola diſtinctione formali nititur ex una parte inſufficientem eſſe ex altera minuere ſimplicitatem*, conſequenter quod unum *quaſi tale*, plus valeat, quàm quod eſt verè & actu tale riſum movet diſtinctio virtualis eſt, inquit, realis in hoc ſenſu, quod unum prædicatum verè convenit uni v.g. Eſſentiæ, alterum alteri, v.g filiationi, eſt ergo realis per *quaſi*, quia æque ſe habet eorum ſubjectorum identitas, *ac ſi* non eſſet identitas, ſed ex hoc ipſo illa diſtinctio virtualis incidit potiùs in illas ipſas quas Scotiſticæ impingit, inconvenientias, *ſeq.* prob. tum quia, quod eſt abſolutè & ſimpliciter identitas, ut ſupra ſæpius, ne quidem virtualiter poteſt eſſe non identitas: tum quia hoc dato gratis, non conceſſo in idem & majus inciditur abſurdum; quod probatur: Deum facere, qui ſimplex eſt virtualiter non ſimplicem, eſt facere Deum, qui perfectus eſt, virtute eſſe imperfectum, atqui hoc fit in propoſito: *minor* prob. quia eo conceſſo, quod virtualis diſtinctio æquivalet reali, ergo ſicut realis componit realiter, ſic vi hujus Deus virtualiter eſſet compoſitus, conſequenter quemadmodum diſtinctio virtualis verè ſecundum Opponentes vires habet ſufferendi contradictoria, ita compoſitio virtualis in Deo verè virus inquilinum habebit auferendi virtualiter ſimplicitatem & ita Deus perfectiſſimus, virtute eſt imperfectiſſimus, quæ præterquam, quod maximum in fide involvant diſconveniens, inſuper & ſummam involvit repugnantiam, quorum utrumque *Scoti* diſtinctio tollit, ut toto 1. *Tract.* ſeq. *Tomi* manifeſtum fit, ſtatuendo in Deo veram identitatem realem abſque compoſitione reali formali & virtuali quorum ſingulæ obſtant ſimplicitati, plùs ergo valet diſtinctio *Scoti*, quæ habet bonum intentum ſine malo, cui declinando neceſſe eſt, ut *Izquierdo* in ſua Pharo ſuſpendat alia lumina, alioqui non illuſtrabit noctivagos Philoſophiæ ſinus, quin potiùs reddendo Myſterium SS. Trinitatis difficilius & fidei lumen obſcurat & lumini naturæ tenebras offundit. *Cenſorem ſibi ferit cenſura.*

Speciatim proponitur & exploditur doctrina Honorati Faber cit. q. 1. n. 151.

192 Novam cum nova de æquivalentia & perindeitate commiſcet hic Auctor doctrinam tribuens aliam perindeitatem creatis, aliam Divinis, illam in creatis confundit cum præciſione logica, quam l. 1. Metaph. defin. 7. & 8. ait eſſe illam, qua per actum intellectus attingitur quidem realiter & phyſicè objectum; & omnis ratio, quæ cum illo eadem eſt, perinde tamen ſe habet in ordine ad ſcientias humanas, ac ſi attingerent unam rationem ſine alia, quæ tamen cum illa eadem realiter eſt, hujuſmodi ergo præciſiones prop. 34. in creaturis admittens conſtituit in perindeitate non ad prædicata contradictoria nempe eſſe idem & non eſſe idem, ſed eſſe idem quidem, attamen perinde ſe habere, ac ſi non eſſet idem, ſicut, inquit, ille, cujus conſilio homo interfectus eſt, non eſt idem cum interfectore, perinde tamen moraliter ſe habet, ac ſi revera interfeciſſet, vel potiùs qui multas provincias gubernat, ſuſtinetque plures perſonas perinde ſe habet ac ſi eſſet multiplex, cujus exemplum ſubjungit, dicens: *pari modo licet animal in homine idem ſit cum rationali, perinde tamen ſe habet logicè, ac ſi eſſe diſtinctum, non quidem in ordine ad prædicata contradictoria, ſed logicè, id eſt, in ordine ad ſcientias humanas, quippè homo juxta hujuſmodi conſiderationem quaſi plures perſonas ſuſtinet.*

De hac doctrina Honorati, quatenus dicit per actum intellectus realiter & physicè attingi totum objectum & omnis ratio, quacum illa eadem est, agere non est hujus loci, satis enim refutata est *Controv.* 4. q. 1. n. 65. & seqq. & videri potest *Arriaga* contra eandem disp. 5. Log. sect. 2. subsect. 2. quà autem concedit unam rationem in objecto, quæ est eadem realiter cum alia perinde se habere logicè ac si realiter distingueretur, quas & prop. 36. ait, *esse formalitates logicas ante actum intellectûs*, & tamen non ad prædicata contradictoria Virtualistarum perindeitati & æquipollentiæ præjudicate videtur, hi enim nihil aliud exigunt ad prædicata contradictoria, quàm quod idem realiter perinde se habeat, ac si non esset idem, ut in superioribus visum est, si autem semel hujusmodi perindeitas insufficiens reperitur, semper & ubique, id est, in Divinis quoque insufficiens erit, ut satis probatum est, imòptoptiæ doctrinæ suæ officit duplici ex causâ. Nam primò scientia humana, in ordine ad quam statuit talem perindeitatem increatis, ut sit vera & utilis requiritur demonstrationes non resolvi illusoriè in ambiguas hypotheses æstimando esse id, quod non sunt, aut perinde se habere, ac si essent, quod non sunt, sed id, ut patet, fieret juxta hanc doctrinam. Secundò quomodo collocat illas quasi rationes & formalitates logicas ante intellectus operam, quia licet, inquit, dicant habitudinem ad actum intellectûs possibilem, non requirunt tamen intellectu actu operantem, *quippe licet omnes homines dormirent*, ait prop. 37. in Corollariis *animal in homine distingueretur formaliter à rationali, esset que intrinseca rerum cognoscibilitas, quatenus tali modo attingi, sciri & demonstrari possunt?* nonne si dentur ante actum intellectus illæ formalitates erunt Scoticæ? non inquit prop. 36. sed longè sunt diversæ à formalitatibus Scoticis, sed ostendatur, in quo? in hoc, quia *distinctio formalis* ait defin. 10. *est eadem cum præcisione logica*, & prop. 37. ait, *distinctio formalis est* omninò *logica & non est actus intellectus*, quis hic tandem erit intellectus? nam rectè quidem dicis tuam distinctionem formalem non esse formaliter actum intellectus, quia formalis distinctio non est ipsa cognitio, sed ipsa negatio, per quam unum non est aliud, vel ut vis, per quam unum non est quasi aliud, sed quomodo tunc dicebas defin. 10. distinctionem formalem esse eandem cum præcisione logica, quæ est actus intellectus? si dicas quod sit effectiva distinctio, jam erit subjectivè in intellectu, adeoque actus intellectus inadæquatè præscindens, jam manet difficultas tacta, cum enim per talem præcisionem attingatur una ratio in objecto, quæ est eadem realiter cum alia, eaque perinde se habeat, ac si non esset eadem cum illa, & hac via in ordine ad scientias humanas habeantur formalitates logicæ, quomodo illæ sine distinctione ex natura rei velut fundamento prævio dantur ante actum intellectus, cum sit diversa in rebus cognoscibilitas, eaque ipsis intrinseca ante omnem intellectum operantem velut particularis passio consequens ab ente, haud secùs quàm ille transcendentales unitas, veritas, bonitas? ergo vel debuisset hic Auctor præcognoscere formalitates diversas cognoscibilitati diversæ correspondentes esse, quæ sint rationes independentes in illo priori naturæ aut quasi naturæ ab omni creato intellectu etiam possibili, nam si, ut benè advertit *Ricciol.* c. 7. de distinct. n. 89. omnis creatus intellectus esset impossibilis, tamen animalitas equi non esset formaliter equinitas, alioqui ne posito quidem possibili intellectu, diversa esset utriusque cognoscibilitas intrinseca, sed cognoscendo animalitatem, necessè erat cognoscere equinitatem in equo. Hæc per accidens de perindeitate hujus Auctoris quoad creata.

Doctrina Honorati Faber ofscit sibi-ipsi & alii virtualistis.

Quantum ad æquivalentiam & distinctionem virtualem in Divinis q. cit. & n. 151. exponebat, quod sit, qua non res à re, sed virtualitas à virtualitate distinguitur; virtualitas autem defin. 11. ibidem *est*, ait, *ratio in objecto, qua revera est eadem realiter cum alia, in ordine tamen ad prædicata contradictoria perinde se habet, ac si distingueretur realiter ab illa.* Sic secundùm *Honoratum* Natura Divina distinguatur à Persona Verbi, dicitur enim Persona generari, Natura verò non generari, at generari & non generari sunt prædicata contradictoria, quæ vult ponenda esse in Deo, quia illa docet fides. Ideoque prop. 30. ob. 2. ait: *non ideò ponimus prædicata contradictoria, eo quod sit distinctio virtualis, sed hanc ponimus, ut salvemus illa, quæ ex fide constat.* Ex his ipsis non malè arguit *Ricciol.* l. c. 9. *Itaque tota*, hoc modo: si non obstante identitate reali, adhuc in ipso non est unica, sed duplex virtualitas, ergo antecedenter ad æquivalentiam, ob quam perinde se habent ac si realiter essent distinctæ, quandam aliam distinctionem habent, ob quam Natura est una virtualitas, & Persona alia virtualitas, unum enim & aliud in aliquo tertio identificata supponunt aliquam distinctionem saltem minimam, quænam ergo est illa distinctio? si est non identitas formalis, hoc ipsum asserit *Scotus* & in hac fundat virtualitatem, qua perinde se habet Natura & Persona, ac si duæ res essent; si nullam aliam distinctionem præviam tanquam fundamentum illius perindeitatis agnoscis, ergo gratis dixisti esse duas virtualitates, imò unicum debuisti agnoscere, & revera esset à parte rei, de qua prædicarentur duo contradictoria, id est, idem de eodem respectu ejusdem. 193

Virtualitas distincta à virtualitate ad mentem Honorati.

Ego arguo Primò ex ipsa doctrina hujus Auctoris, non tenet secundum illam prop. 32. illa virtualitas in creatis in ordine ad prædicata contradictoria, ergo multò minus tenet in Divinis. Anteced. prob. ex ipso, prop. 33. ait: *si rebus creatis inessent hujusmodi virtualitates, nulla esset scientia humana, nullum enim principium esset, quod negari non posset, cum admissa distinctione virtuali negari possit illud principium; impossibile est idem simul esse & non esse.* Sed eadem ratio, quod nulla esset notitia de Deo nullumque esset principium, quod non posset negari, & quod ipsum primum principium tolleretur, 194

Sicut de creatis ita de divinis argumentandum in materia contradictoriorum.

etiam viget in Deo, imò à potiori, ne dicatur lumen fidei nostræ repugnante lumini naturæ & principiis, quod ipsa evidentia credibilitatis supponit, adeò ut si quis diceret se ex divina revelatione scire, non esse illi principio assentiendum in rebus fidei, talis ut Pseudo-Vates rejici posset & teneri suam revelationem non à Spiritu veritatis procedere, utpote qui non potest revelare evidenter incredibile: ergo sicut de uno ita & de altero philosophandum est.

195 *Confirmatur*: Ratio ob quam & negetur in creatis est impossibilitas capacitatis essendi & simul non essendi, quæ simpliciter est impossibilis & contra primum principium, quod, inquit *Honoratus*, negari posset; atqui perindeitas illa est capacitas simul essendi & non essendi, sive quod in idem recidit, est identitas se gerens, ut non identitas, seu perindeificata identitas, ut sit instar non identitatis, in eo siquidem fundatur veritas contradictoriarum, non fundatur enim secundum ipsum eatenus in perfectione Dei, quatenus continet Deus omnes creaturas & perfectiones earum partim formaliter, partim causaliter, partim eminenter, & ideò sit quasi multiplex virtualiter ad præstanda munia, quæ præstantur à realiter distinctis, sed nobiscum omninò hanc virtualem distinctionem ad contradictoria eliminat à Deo: *ergo* illa perindeitas, cum nulla solida ratio afferri potest in contrarium, tam parum imò minus in Deo fundari potest, quàm in creatis.

196 Arguo secundò: asserendo quod distinctum non est, esse distinctum, falsum & repugnans asseritur: ergo asserendo indistinctum, se perinde habere ad distinctum, etiam asseritur falsum & repugnans. *Anteced.* patet, conseq. prob. quia quod attinet ad rationem significati istius *perinde se habere ac si*, cum ut supra vidimus, æquivalentia nihil rei addat, sed idem relinquat idem, tantundem asseritur in consequente, quantum in antecedente, siquidem vi æquivalentiæ ipsum verè *indistinctum* quasi deambulando à seipso, quod est, in sui contradictorium, quod non est, sed putatur esse, sustinet sine ulla vera distinctione in ordine ad contradictoria absolutè vera, ac *non esse indistinctum*, quod æquè est repugnans, quàm dicere, quod album perinde se habeat ac esse nigrum, plus enim opponuntur, ac si distinctum esse & simul indistinctum esse, seu perindeitas ad contradictoria, quam si esset perindeitas ad contraria, ut supra n. 161.

Falsò obtenditur indistinctum deambulare à seipso quasi in distinctū.

Confirmatur ex eodem Auctore: Is pro fundamento hujus perindeitatis seu distinctionis virtualis assignat ipsas propositiones contradictorias *non ideò* ait prop. 30. ob. 2. *ponimus prædicata contradictoria, eo quod sit distinctio virtualis, sed hanc ponimus, ut salvemus illa, quæ ex fide constant.* Subsumo: sed fides non dictat illas ut contradictorias, imò dictat non esse contradictorias, non posset autem illas dictare ut non contradictorias, nisi ob diversitatem in perindeitate rei & virtualitatibus repertam, & diversis nominibus propriè acceptis significatam, ita ut affirmatio communicationis cadat supra Naturam Patris, negatio ejusdem supra Paternitatem, ergo cum propositiones illæ sint fundamentum distinctionis hujus virtualis, & absolutè sit vera affirmatio, quæ dicit Naturam verè communicari & absolutè etiam sit vera negatio, non communicari Paternitatem, absolutè invehunt inter Naturam Patris & Paternitatem aliquam veram non identitatem, consequenter inter indistinctum, quod perinde se haberet, ac si esset distinctum, invehunt esse verè distinctum; ergo nolens volens hic Auctor missâ suâ perindeitate cogitur admittere secundum propriam doctrinam, qua fundat hanc distinctionem supra contradictoria, aut aliquam veram non identitatem inter Paternitatem & Naturam, aut non evadit repugnantiam contra primum principium toties repetitum.

Proponitur rejiciturque doctrina *Martini Perez* de virtuali distinctione cit. q. 1. n. 152.

197 Præ cæteris quidem de plano procedit & lucidè de sua perindeitate scribere videtur *Martinus Perez* disp. 6. de *Deo Trino*. sect. 2. apertè statuens Deum mediante distinctione virtuali in se habere prædicata contradictoria sub uno conceptu ac sub alio: *ita ut in re & in ordine ad suum intrinsecum esse, ita Deus se gerat ac si esset compositum* & distinctus realiter, ast novis illam opinionem accumulat difficultatibus, quia etsi cæteri Virtualistæ consentiant in eo, quod virtus distinguendi æquivaleat in ordine ad prædicata contradictoria pluribus realiter distinctis, plerique tamen abstinent dicere, quod vi illius virtutis Deus se habeat ac si esset vel quasi realiter compositus, si enim ut supra, non obstante quod Deus absolutè & omni modo est simplex, non importat specialem deformitatem, quod possit dici compositus virtualiter, non apparet, cur non posset & dici virtualiter non omnipotens, mutabilis, injustus, non immensus, non æternus &c. sed illa dedecet verificari de Deo virtualiter, ergo & virtualiter componi: *sequela maj.* patet, *minor* prob. secundum hunc Auctorem hæc virtus est in Deo inter Essentiam & Relationes in ordine ad se & ad intrinsecum Dei, sed implicat in ordine ad intrinsecum Dei dari virtutem ad tantas imperfectiones, quod ita verum judico, ut contrarium audire nolim. Porrò quod addit *unitatem Naturæ Divinæ, ita esse absolutam & communem toti Trinitati, ac si non esset idem realiter cum relatione, relationem autem ita carere eâ communitate, & esse incommunicabilem, ac si non esset idem realiter cum Essentia.* Jam satis refuta-

Perez in novas incidit inconvenientias.

refutatum manet ex dictis, & ſi ita nudè & crudè ac ſiccitatem illam intelligat, uti proponitur ab ipſo, non apparet cur non poſſet etiam quis fingere unum Deum perinde ac ſi eſſent tres Dii, dicendo ſe habere ob unitatem Naturæ ac unus Deus, ob Perſonarum autem Trinitatem, ac ſi eſſent tres Dii, ſi occurrat Catholicam fidem repugnare, ſciſciteris cauſam, quare illa repugnet, aliam non invenias, niſi quia illa nil dictat, aut doceat fideles ſuos repugnans lumini naturali & credibilitatis evidentiæ, ut illud, qood revera eſt idem, ſe habeat, ac ſi non eſſet idem, & illud, quod revera non eſt idem, perinde ſe habeat, ac ſi ſit idem, non minus ergo repugnat fides huic doctrinæ, quàm quod unus Deus ſint tres Dii, aut tres Perſonæ ob unitatem Naturæ una ſola Perſona.

Fides non docet contradictoria.

Confirmatur: fides non docet veritatem duarum contradictoriarum per *quaſi* veritatem ſubſiſtere, neque affirmativa aſtruit per fidem Catholicam, per *ac ſi* vel *quaſi* aſtrueret, ſed revera abſolutè & ſimpliciter docet verum eſſe Eſſentiam communicari, Paternitatem non communicari, hanc produci, illam non produci &c. ergo cum affirmatur per illius contradictorium negatur, id quod abſolutè affirmativa aſtruit, id abſolutè & ſimpliciter removet negativa, non per *videri* per *quaſi*, per *ac ſi* &c. ſi Perez recurrat ad cauſam diſtinguendi æquivocam, jam ſupra ſatisfactum eſt, quod nimirum contradictoriè actu enunciata requirant diſtinctionem actu, actualis enim contradictio, non evitatur, niſi per actualem diſtinctionem, cum alioqui non eſſent verè contradictoria, ſed viderentur talia *quaſi* eſſe.

Aſſertur rejiciturque deſcriptio diſtinctionis virtualis data à Martino Eſparza citatus Q. 2. n. 151. ubi occurrunt

Laus & fraus, utilitas & nullitas, id eſt, corrivalia Doctorum dicta de hac diſtinctione.

199 ITa porrò Eſparza l. c. hanc diſtinctionem proponit, quod ſit *identitas realis conjuncta cum diſcrepantia intrinſeca identificatorum, quoad aliquod prædicatum*, ubi nomen diſcrepantia vel ſignificat diſtinctionem veram in objecto identitatis, & tunc potius in recto poſuiſſet dicendo diſtinctionem virtualem eſſe diſcrepantiam veram cum identitate reali conjunctam, diſtinctio ſiquidem involvit intrinſecè & in recto diſſenſum in aliquo prædicato, quod ſit de eadem re affirmabile & negabile, adeoque oppoſita identitas in recto poſita in definitione diſtinctionis, non explicat ſed deſtruit definitum, aut certè non ſignificat diſtinctionem veram in objecto identitatis, ſed ſolam differentiam ſine vera diſtinctione inter affirmationem & negationem ejuſdem de eodem reſpectu ejuſdem contra evidentiam primi principii.

Diſtinctio virtualis nec eſt quod apparet, nec apparet, quod eſt.

Ex hactenus dictis in comperto eſt, ad nihil valere & inutilem protſus eſſe diſtinctionem illam virtualem vel expectandum ab illius Patronis, ut illam ita proponant, ut appareat, quod nomine tenus præfert, & quod nominatur, ſit, id eſt, aut vera diſtinctio, aut mera meriſſima identitas non diſtinctio, hac de cauſa, quia volunt expreſsè qood non ſit diſtinctio vera, ſed non diſtinctio, & tamen ſit & appelletur quaſi diſtinctio hinc & hinc de illa prodeunt corrivalia dicta, laudant illam & in pretio habent Patroni ſui, rejiciunt, & velut ſal infatuatum, quod ad nihil prodeſt, conculcant alii, audiamus à multis pauca, prononciatum encomiaſticum illud, quod de diſtinctione ex natura rei formali ſeu *Scoti in hypotypoſi* philoſophiæ, id eſt, in illuſtri explicatione hujus ſcilicet diſtinctionis *Venetiis* ab Academis ſuſcitatorum ſuſceptæ in domo Profeſſa *Societ. Ieſu*, legitur §. *Agnovit hanc diſtinctionem Ariſtoteles*, nimirum quod ſit *Divinum inventum ad explicandas difficultates de Trinitate aliaquin inſuperabiles* ex *Valentino Erice* 1. p. diſp. 2. c. 3. n. 18 & diſp. 12. c. 1. & alibi, attribuunt illi diſtinctioni ſuæ realiter virtuali. *Didacus Alarcon* econtra de viſione Dei diſp. 4. c. 2. ſi hæc diſtinctio virtualis, inquit, ſit medium quid inter diſtinctionem rationis ratiocinatæ à S. Thoma aſſerta, & diſtinctionem formalem ex natura rei à *Scoto* traditam, pronunciat eſſe *merum purumque figmentum & pura petitioni principii innixum*. Nam ſi nec ſit diſtinctio per rationem, nec illa à *Scoto* aliiſque aſſerta, hæc *virtualis mera ſunt verba, ſi nugæ non ſunt*. Idem Auctor Tract. 5. de Trinit. d. 2. c. 10. iterum ait: diſtinctionem virtualem, quæ æquivaleat diſtinctioni reali *riſum movere*. Martinus Perez d. 6. de *Deo Trino ſect. 2.* quamvis ille loquatur de diſtinctione virtuali inadæquata, appellat illam *nobiliorem*, *altiorem*, & Arriaga ut ſupra *Controv.* 4. q. 4. n. 80. notatum eſt, diſtinctionem in æquivalentia aut virtute diſtinctorum poſitam vocat *majorem, à nullo Catholico poſſe negari, eſſe verè de fide*. Veken econtra diſp. 6. de Deo. c. 1. n. 12. ait, eſſe virtutem chymeris propriam, & *Staudenhecht*, ſed l. c. n. 212. chymericam & virtutem nullam, ſed de his plura hic legi, cum ſemper in idem tendant, non eſt neceſſe, nec prodeſt ad veritatem, quam inveſtigamus, pro qua cum viris doctis certavimus hactenus rationibus, propter quas ſcitè & nervosè revera ſine cenſuræ ictu de hac diſtinctione vir-

Corrivalia dicta de diſtinctione virtuali.

ne virtuali *Caramuel* in ſua Metalogia l. 3. d. 5. art. 3. pronunciat *non eſſe diſtinctionem rationis, ſed voluntatis,* id eſt, non ex ratione, ſed fictione introductam, ac valere ſolum in moralibus, & in iis quæ pendent à libero arbitrio, ſecus quæ pendent ex ipſa natura rei, & n. CCXLII. in fine, id eſt, in Corollario 2. dicit: *niſi vocibus abuti velimus, non dantur in Deo ante* omne voluntatis (Divinæ vel humanæ) decretum *& cæt.*

QUAESTIO QUARTA.

Quid ſenſerit Doctor Subtilis de diſtinctione virtuali, ubi, quà nonnulli à Scoto robur illi mutuare putant, nullitas illius palam fit amplius.

SUMMARIUM.

1. *Diſtinctio* Scoti *ex mente quorundam confunditur cum virtuali Thomiſtica ab aliis cum virtuali Recentiorum. n.* 200.
2. *Textus* Subtilis *præpoſterè cenſuratur.* ibid.
3. *Diſtinctio* Scoti *ad res, non ad realitates virtualis dici poteſt. n.* 201.
4. *Scoti modeſtia novam innuit doctrinam.* ibid.
5. *Scoti diſtinctio intuitivè cernitur ab intellectu divino.* ibid.
6. *Reſpondetur ad fundamentum Adverſ. & amplior explicatio, in quo ſenſu diſtinctio Scoti virtualis dici poſſit, in quo non.* 201.

200 A Diverſis trahitur *Scotus* & citatur pro diſtinctione virtuali, tum *Thomiſtica,* quæ tamen compleatur per rationem, & ut illa confunditur cum diſtinctione rationis ratiocinatæ. Sic Suarez in *Metaph. d. 30. ſect. 6. n. 3. & l. 4. de Trinit.* c. 4. n. 2. *de SS. Trinitate. Faſolus Tom. 1. q. 4. art. 2.* d. 12. n. 92: & alii multi, imò ex Thomiſtis *Dominicus à Flandria 5. Metaph.* q. 9. tum pro diſtinctione virtuali, ut cenſetur independens ab intellectu cogitante, ex iis, qui *Scotum* ſequuntur, ita de Scoto ipſo ſentit *Ricciolius* c. 7. de diſt. n. 77. reſpondens ad objectionem, qua ſupra dicebatur diſtinctionem virtualem æquivalere diſtinctioni reali ſalva ſimplicitate, neutiquam *Scoti* formalem: *at,* inquit, *vel non legit,* puta Izquierdo, *vel diſſimulavit verba Scoti,* 1. d. 2. q. 7. n. 43. *quibus expreſſe dicit diſtinctionem ſeu non identitatem formalem poſſe vocari differentiam virtualem, quia una res habet virtualiter & eminenter quaſi duas realitates, eſto ſubjungat nos non habere neceſſitatem hujus appellationis &c.* Ita alii *Scotum* trahunt in ſuæ opinionis favorem, inquiro itaque in hac Quæſt. breviter mentem Doctoris, quid de diſtinctione virtuali voluerit.

Scotus. In primo Sentent. diſt. 2. q. 7. n. 43. poſteaquam inter Eſſentiam & Relationes, quæ realiter idem ſunt, docent admittendam diſtinctionem, quæ *omnem intellectum creati & increati præcedat,* mox ex inſtituto declarare aggreditur, qualis ſit iſta diſtinctio, præmittens autem §. *Reſpondeo non eſt propriè realis actualis,* quod non ſit taliter realis actualis, qualis tempore ſuo ſolum accipiebatur pro differentia, quam habent res, quæ diſtinguuntur realiter diſtinctione reali ſtricta, hanc quippe prohibet ſimplicitas divina, *& ſicut,* inquit, *non eſt propriè, realis actualis, ita nec realis potentialis, quia nihil eſt ibi in potentia, quod non eſt in actu.* Hoc poſito velut indubitato ita pergit: *Poteſt autem vocari diſtinctio rationis, ſicut dicit Doctor quidam, non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, ſed ut ratio accipitur, pro quidditate rei, ſecundum quod quidditas eſt objectum intellectus, vel alio modo poteſt vocari differentia virtualis, quia illud, quod habet talem diſtinctionem in ſe, non habet rem & rem, ſed eſt una res habens virtualiter ſive eminenter quaſi duas realitates,* quia utrique *realitati, ut eſt in illa re, competit illud proprium, quod ineſt tali realitati, ac ſi ipſa eſſet res diſtincta, ita enim hac realitas diſtinguit, & illa non diſtinguit, ſicut ſi iſta eſſet una res, & illa alia.*

Diverſos ergo modos Doctor tradit, quibus appellare & concipere licet ſuam diſtinctionem. Primò, ait, poteſt vocari diſtinctio rationis, non accipiendo diſtinctionem rationis pro differentia rationis ſeu per rationem fabricata, ſed pro quidditate rei, de quo vide *Tom. 2. Contror. 4. q. 2. n.* 187. & ſeqq. ſecundò poteſt dici differentia virtualis, de qua mox, ubi id ſolum noto, quando dicit *Doctor*, illud quod ſic in ſe diſtinguitur non habere rem & rem, ſed eſſe unam rem habentem virtualiter ſive eminenter quaſi duas realitates, eo loci Vekeno *Tract. de Simpl. Dei* c. 3. viſus fuit quaſi confundat terminum *eminenter* cum termino *virtualiter*, de quo ibi idcirco Subtilem arguit, quaſi verò *Doctor* non agnoviſſet differentiam unius ab altero, de quorum diſcrimine non erat ibi locus diſcernendi aut tollendi uſitatiſſimum loquendi modum, quo illi termini combinari ſolent ſi non adſit ſpecialis ratio illos diſcernendi pro ſubjecta materia, qualis non erat in præſenti, de qua *Scotus* agebat, ut ipſemet *Scotus vindicatur.*

Veken

Peken fatetur, is ergo, cum non sit absona locutio *Scoti*, non veritatis acumine & impulsu, sed voluntatis impetu taxat Doctoris Subtilis loquendi modum, qui per additionem termini *eminenter* doctrinam suam explicatiorem reddere satagebat, aut à communi Doctorum loquendi modo recedendum esse ibi haud necessarium judicabat. Tertio denique Doctor innuit suam distinctionem posse dici, *non identitatem*, de qua suo loco, his præsuppositis, sit

ASSERTIO I.

Omninò præposterè Scoti mens, eo quod dicat suam distinctionem vocari posse virtualem, & violenter trahitur ad distinctionem sive Thomistarum, sive Recentiorum virtualem, dum solùm intendit distinctionem suam esse virtualem, non ad formalitates, sed ad res re ipsa discretas, ita ut duæ formalitates in eadem entitate se gerant, ut duabus naturis inter se separatis æquipolleant & distinctio virtualis, cujus hic *Scotus* meminit, ita distinctioni formali præambulæ innitatur, sicut distinctioni virtuali Thomistarum ceu fundamento innititur distinctio rationis, quam ideò rationis ratiocinatæ appellamus.

201 SEnsus Conclusionis est, Doctorem nostrum non absolutè distinctionem suam vocare rerum virtualem, quasi hæc distinctio vera non sit, sicut concedunt de sua virtuali Recentiores, & q. 2. de Thomistarum probavimus; sed comparativè ad distinctionem realem, quod scilicet distinctio formalis, licet non sit strictè realis, ita tamen huic æquivaleat, ut perinde ejus officium in ordine ad contradictoria componenda subire valeat, ac si ipsa esset distinctio realis.

Modestia Scoti. Probari Assertio potest ex peculiari *Scoti* modestia, qua innuens se non consentire aliis, sed quasi singulare inventum & ante se in Scholis non usitatum in medium prolaturus ait: *dico sine assertione & præjudicio sententiæ meliorũ*, quo loquendi modo uti supervacaneum fuisset, si intendisset cum Thomistis astruere distinctionem eorum virtualem. Secundò distinctionem illam ita ponit in re, ut illa ab intellectu circa eam rem intuitivè versante haud aliter cernatur, quàm cætera, quæ rei insunt, sed certum est, *Scotum* non velle quod intellectus intuitivus & comprehensivus rei in se possit efficere distinctionem non solùm præcisivam sed & contradictoriam, ubi actualis distinctio non Insit, aliàs enim conciperet rem non ut verè in se est, sed quod quasi tale esset adinstar illius, quod verè esset, dum nimirum id quod à parte rei actualiter indistinctum est, instar distincti, vel quasi realiter distinctum esset, apprehendit, vel quod est formalissima identitas concipiat virtualiter etiàm esse contradictorium sui seu non identitatem, quod est contra specificam rationem intuitivi intellectus, ut talis & expressè impugnatur à Doctore Subtili 1. d. 8. q. 4. §. *Præterea intellectus* n. 15. ubi ait: *prætereà intellectus intuitivus nullam habet distinctionem in objecto, nisi secundum quod existens est, quia sicut non cognoscit aliquod objectum, nisi secundum quod existens est: ita non cognoscit aliqua distincta formaliter in objecto, nisi ut existunt. Cum igitur intellectus Divinus non cognoscit Essentiam suam, nisi intuitiva intellectione, quæcunque distinctio ponatur ibi in objecto, sive sit distinctorum objectorum formalium, sive ut rationum causatarum per actum intellectus; sequitur quod ita distinctio erit in objecto, ut actu existens est. Et ita si ista est objectorum formalium distinctorum in objecto erunt ista formaliter distincta, & habetur tunc propositum, quod distinctio talis objectorum formalium præcedat actum intellectus. Si autem sit rationum causatarum per actum intelligendi: igitur intellectus divinus causabit aliquam intentionem in Essentia, ut Relationem rationis, ut existens est, quod est absurdum.* *Scotus.* Ita Doctor. Ex qua litera manifestè elucet, quod non loquatur de alia distinctione, quàm quæ ab intellectu Dei intuitivo cernitur ut actu existens in objecto seu Essentia Divina: atqui distinctio virtualis non videtur in Deo actu existens distinctio, neque extrema virtute illius distinctionis, videlicet Essentia & Relationes, item Essentia & Attributa, & Attributa inter se, non existunt ex mente Adversariorum ut actualiter distincta, ergo talis nequit ab intellectu intuitivo apprehendi, ut distinctio: concedunt assumptum: conseq. prob. in hoc cognitio intuitiva formalissimè distinguitur à cognitione abstractiva, quod intuitiva terminatur ad objectum, prout existens est, adeo ut existentia objecti, sit ratio specificativa cognitionis intuitivæ, ergo cum nullatenus tali cognitione, nec ab ipso Deo talis virtualis distinctio cernatur in sua Essentia ut actu existens, neque Attributa ut distincta actualiter vi talis distinctionis perspicuum est talem distinctionem non dari ex mente *Scoti*, adeoque nec illius Patronum constitui posse, ut perperam supponebat *Ricciol.* l. c.

Confirmatur ex iis, quæ ait mox infra n. 17. §. *Ad quæstionem. Est ergo ibi distinctio tertia præcedens*

cedens intellectum omni modo, quam tertiam distinctionem, ne quis posset exponere, quod loquatur de sola virtuali, subdit: *& est ista, quod sapientia est in re ex natura rei, & Bonitas est in re ex natura rei, sapientia autem in re, non est formaliter Bonitas in re*, & post paucas lineas: *est ergo aliqua non identitas formalis sapientiæ & Bonitatis ------ & intelligo sic, quod intellectus componens istam, sapientia non est Bonitas formaliter, non causat actu suo collativo veritatem istius compositionis, sed in objecto invenit extrema, ex quorum compositione fit actus verus.* Quibus verbis manifestè innuit, suam distinctionem esse actualem, & non virtualem tantum, omneque opus intellectus antevertere.

202 *Quare Doctor suum distinctionẽ vocet virtualẽ.* Ex quibus liquet, nil referre, quod *Doctor* supra concedat suam distinctionem vocari posse differentiam virtualem aut eminentialem, seu quod addat, *illa verba de distinctione virtuali non esse malè dicta*, quia non alio sensu, quàm expresso in conclusione id intelligit absque præjudicio distinctionis actu in Deo existentis, ut *Doctor* per seipsum satis explicat in litera, imò ne arreptâ occasione quis ex virtuali illa distinctione sinistrè interpretaretur, quasi excluderet ibi distinctionem actualem, quæ contradictoriè opponitur distinctioni virtuali, expressiùs mentem suam aperiens, subdit: *Breviter igitur dico mittenda illa verba de distinctione rationis & de distinctione virtuali, non quia sunt malè dicta, sed quia non oportet eis uti. Dico quod in Essentia Divina ante actum intellectûs est entitas A, & est entitas B, & hac non est formaliter illa; ita quod intellectus paternus considerans A, & considerans B habet ex natura rei, unde ista compositio fit vera, A non est formaliter B, non autem præcisè ex aliquo actu intellectus circa A & B*, quid expectamus clariùs? itaque si ut habet Assertio, *Scoti* distinctio referatur ad res realiter discretas, ita ut duæ formalitates in eadem entitate se gerant, ut duabus naturis inter se separatis intelligibiliter æquipolleant, vel quod res habens tales formalitates solùm formaliter distinctas possit effectus realiter distinctos mediantibus illis formalitatibus producere tam benè quàm si essent illæ inter se distinctæ realiter, hinc *Doctor* ait, quod & talem distinctionem in se non habeat rem & rem, sed est una res habens virtualiter duas realitates, quarum cuilibet proprium est concipi ac si esset res distincta, & sic ista realitas sit quasi una res, & illa alia, sic non malè quidem posset vocari distinctio virtualis, sed malè si conferatur ad formalitates in eadem re intellectum præcedentes, de quarum actuali distinctione, cum ibi sermo fuerit, illam distinctionis nomenclaturam de illa meritò mittendam *Scotus* judicavit.

CONTROVERSIA OCTAVA,

An sit possibilis major distinctio, quàm rationis, & minor in actu, quàm realis, consequenter inter utramque media talis, per quam nec destruatur identitas extremorum realis, nec tamen per illam astruatur identitas eorundem ex natura rei formalis?

SUMMARIUM.

1. *An Doctor Subtilis docuerit distinctionem quandam tertiam, id est, inter simpliciter realia & rationis?*
2. *Inter qualia extrema indicata distinctio inveniatur?*
3. *Num in eadem re ad pluritatem graduum plurificentur existentia, quarum singula singulis formalitatibus proportionatè correspondeant?*
4. *Resolvitur Quæstio principalis, an Scoti distinctio sit possibilis, ubi expenduntur rationes in oppositum: primò, quod ea distinctio necessariò frustra sit vel realis, vel rationis, ac proinde media sit impossibilis. Secundò, quod illa inducat Mysterium SS. Trinitatis in creaturas, adeoque non falsitatis solum suspecta sit, sed omninò chymerica æstimanda. Tertiò procedunt contra hanc distinctionem ex principiis negativis. Omnia primò diluuntur. Secundò ostenditur quod opponentes relabantur in eandem criminis censuram, quam Scotistis impingere voluerunt. Tertiò tandem pro Scoto resolvitur astruendam tum in Divinis quàm creatis distinctionem ex natura rei formalem.*

Quid sentiant nonnulli de Scoti distinctione. PRiusquam determinemus, an talis distinctio actu detur in Deo vel creatis, quod priùs fiet Tomo 3. hîc gratia materiæ solùm præmittere volui Quæstionem, *an sit possibilis*, quod hic scire sufficit, nam ut videre est passim apud Auctores, si non omnia, saltem plurima eorum argumenta eò vergunt, ut ostendant, illam esse impossibilem

lem & chymericam, vel si talis non sit, ut fortiùs illam refellant, volunt illam esse realem, adeoque ut *Arriaga* 1. d. 41. subsect. 4. n. 19. Scotum eò quod talem distinctionem apertissimè ponat in Divinis, relabi in errorem *Gualteri* & *Gilberti Porretani* ut *Vasquez* 1. d. 116. verum si illi Auctores tam studiosi fuissent in penetranda doctrina *Scoti*, quid per suam distinctionem mediam inter realem & rationis intellexerit, quàm procaces in illa censuranda pientissimo Doctori nostro nunquam tam acriter impalluissent, nec ad rem tam impertinentes, frivolas & inanes conglobassent rationes in oppositam, quarum ingens est numerus, & quidem *Ricciolius* præter alias, quas sparsim in suo Tractatu de distinct. refert, solo c. 12. recenset, solvitque 42. objectiones contra hanc distinctionem in creatis, & totidem, si non plures c. 24 & in Appendice contra eandem in Divinis, ut merito dixerit *Oviedo* Controv. 4. Metaph. puncto 2 apud *Mastrium* d. 6 *Metaph.* q. 11. n 206. *totus eorum labor est in distinctione hac impugnanda*, sed nullus eorum insudat in assequenda mente Scoti & *Scotistarum*; defectu hujus etiam alii inveniuntur, qui putant Scotum nunquam docuisse talem distinctionem, sed coincidere in sua doctrina eum distinctione rationis ratiocinatæ, vel Thomistarum virtuali, quos inter apud Modzianowski, Raymundus in Theologia Naturali d. 6. q. 2. art. 1. n 66. multos recenset Scotistas, nempè Rubionem 1. d. 8. in fine. *Tataretum* Quodlib. 1. art. 2. circa Conclus. 3. & in 1. d. 2. p 2. q. 7. C. apud Gabrielem 1 d. 2. q. 11 Philipp. Faber c. 8. formalitat. Picum Concl. 7. insuper Javellum 12. Metaph. quibus annumera, quos adducimus Tom. 2. post literam Scoti n. 6. Item Magistrum formalitatum, & alios quosdam ex nostris & novissimè nostrum *Saxium* Tom. 1. sive *Curs.* disp. 8. q. 3. pertinaciter defendentem, ut videre est apud *Mastrium* d. 6. Metaph. q. 15. à n. 270. & seqq. per totum, quod distinctio Scoti formalis re ipsâ non differat à distinctione rationis ratiocinatæ, vel ut ad mentem illius meliùs loquar, quod distinctio rationis ratiocinatæ non discrepet à nostra distinctione ex natura rei formali, ad indagandam itaque veritatem, sit

QUAESTIO PRIMA.

An Doctor Subtilis docuerit distinctionem quandam tertiam, id est, mediam inter simpliciter realem & rationis?

SUMMARIUM.

1. *Distinctionem mediam dari inter rationis & realem sic per antonomasiam dictam in quo sensu verificetur.* n. 204.
2. *Est constans & perpetuus Scotistarum consensus, esse assertam à Doctore Subtili tertiam quandam distinctionem, quæ sit verè major, quàm rationis Thomistarum, & virtualis minor in actu, quàm strictè realis.* n. 205.
3. *Non malè vocari Scoti distinctionem rationis, aut virtualem, in quo sensu capiendum, elucidatur,* n. 206.

140 IN hoc Argumentum vide *Tom* 2. *loc. cit.* utpote ut in hoc Tomo præfatus sum, quem scripsi, antequam de hoc Tomo, quem alteri deinde præposui, cogitassem, *Primo* autem suppono ex dictis Controversia superiori q. 4. *Scotum* nullatenus per distinctionem suam formalem mediam inter realem & rationis intelligere distinctionem Thomistatum aut Recentiorum virtualem, & patebit mox amplius. *Secundò* suppono inveniri quidem mediam distinctionem inter realem & rationis, si solum eam vocemus realem, quæ talis est per antonomasiam & maximè dicitur & perfectissima, seu quæ versatur inter duas res, ut distinguuntur contra modos, quales sunt v. g. duo supposita vel accidentia duobus suppositis communia, vel ea quæ sunt existere nata in diversis subjectis, seu secundò quæ versatur inter causam & effectum, inter producens & productum, & similia, quibus positis statim innascitur & defluit distinctio, quæ hinc ab aliquibus *innata* appellatur, sic esto concedatur Recentioribus tam inveniri distinctionem mediam inter realem & rationis, scilicet distinctio modalis, quæ quamvis non sit per intellectum, sed à parte rei, non tamen inter duas res, sed inter rem & modum rei, alterum enim extremum est modus rei, non res, sed de hac media distinctione, quæ & ipsa ad realem strictè computatur, non est quæstio, neque talis potest confundi cum illa *Scoti*, qui illam in Divinis, à quibus procul abigunrur modi, admittit, his suppositis, sit

Distinctio realis per antonomasiam.

ASSERTIO I.

Ex litera constat & ab unanimi & perpetuo tum Veterum cum Recentiorum Scotistarum à Subtili Ordinis Magistro tertiam aliquam distinctionem assertam esse, quæ quia non solùm præcedit omne opus intellectus secundùm fundamentum, sed etiam secundùm rationem distinctionis, sit major quàm rationis & virtualis, minor in actu, quàm realis strictè.

205 PRobatur ex iis, quæ ex Scoto *adducta* sunt *Controv. præced.* q. 4. 2. p. patet, quia omnes Scotistæ ad mentem Scoti pro eâ invictè decertant, cur autem pauculi deflexerint, rationem dedi *Tom.* 2. sub litera *Scoti* n. 6. cit. quare non est è re, ut huic Assertioni nimis certæ amplius probandæ incumbamus. Nec quidquam efficiunt oppositum autumantes, ex iis, quæ ex litera *Scoti* quasi divinando conjiciunt decepti in eo, quod Doctor agens de hac sua distinctione eamque inter Essentiam & Relationes reponens 1. d. 2. q. 7. n. 43. in fine numeri interroget: *sed nunquid hæc distinctio dicetur realis? Respondeo*, inquit, *non est propriè realis actualis intelligendo, sicut communiter dicitur actualis illa, quæ est differentia rerum & in actu, quia in una Persona, non est aliqua differentia rerum propter simplicitatem* Divinam, *& sicut non est realis actualis, ita non est potentialis, quia nihil est ibi potentia, quod non est in actu.* Quæ verba si convenienter conferantur cum iis, quæ ibi præcedunt n. 41. §. *sed hic restat*, ubi disertis verbis dicit hanc distinctionem suam esse actualem & præcedentem omnem actum intellectus creati & increati, consequenter ibidem omnibus & singulis, qui habent oculos, non potest non obvium esse, eum non intendere virtualem vel rationis ratiocinatæ distinctionem, sed suam *tertiam*, quàm inter Essentiam astruit & relationes non esse distinctionem realem, *rerum & in actu* in sensu suppositi secundi, qua ratione & nos in Assertione dicimus illam quidem esse *majorem* distinctione rationis, sed *minorem in actu*, quàm illa realis strictè & modalis, qualem negat esse suam distinctionem tertiam, & tamen, ut in Assertione habetur, non solum præcedat omne opus intellectus secundum fundamentum, sicut virtualis & rationis ratiocinatæ, sed etiam secundùm rationem distinctionis ut sic, ut pluribus disputatum Controv. 7. q. 4. cit. ubi & cur Doctor dicat, si vocaretur sua distinctio rationis aut virtualis *illa verba non esse malè dicta*, & quomodo Assertioni nil præjudicet, pleniùs est explicatum.

Scotus.

206 Dices tamen si Doctor Subtilis voluisset invehere distinctionem actualem, cur illam ibi explicat per non identitatem dicens n. 44. *Nunquid igitur debet concedi aliqua distinctio? Respondeo*, inquit, *melius est uti istâ negativâ, hoc non est formaliter idem, quàm hoc est sic & sic distinctum.* Ad hanc auctoritatem, quam apud *Mastrium* d. 6. q. 11. n. 207. objicit *Herrera*, idem *Mastrius* diversas affert responsiones, prima quæ est *Bargii*, relictâ tanquam infundatâ, magis placet aliorum & ipsiusmet Mastrii, quod ita locutus sit Doctor, quia tunc temporis *distingui ante rationem* usurpabatur rigorosè, adeoque pro suo more sobriè & modestè loquendum judicabat, ne aliis videretur ponere inter Personas relationem talem, quæ lædit simplicitatem Divinam, & hæc responsio concordat cum illa *Smisingii Tract.* 2. *de Deo. disp.* 1. q. 2. n. 40. dicentis Doctorem ita loqui, quia negativa identitas potest habere sensum præcisivum, puta in actu signato, id est, ut negativa identitas dicat rationes in objecto actu præparatas seu inexistentes taliter, ut sine actus inadæquatione sint præscissibiles intelligibiliter, & sic in actu exercito ratio unius proprietatis de se intellectionem terminet, illam non terminante altera; *distingui verò*, ita ut positivè extrema sic & sic dicantur distincta videri potest habere sensum exclusivum, quia positivè opponit unum alteri, perfectiones divinæ verò se invicem non excludunt, sed postulant realem inclusionem in eadem re; consuluit itaque Doctor & usuali temporis sui modo loquendi, & integritati simplicitatis Divinæ, quo pacto nos hoc & sequenti Tomo sæpenumerò illo numero *non identatis* usi sumus, sicut & aliquando termino *distinctionis ex natura rei*, ad indicandum, quod vox ista distinctio, posteaquam mens Doctoris & Scotistarum Scholis plenissimè innotuit, non exclusivè, sed præcisivè modo explicato adhibenda non rejicienda sit.

Objectio annullatur.

Ex quibus patet ad auctoritatem, videri potest insuper *Tataretus*, *Vigerius*, *Basolius* 2. d. 22. q. 4. art. 2. *Vulpes* Tom. 1. p. 1. d. 8. art. 6. *Meurisse* l. 2. Metaph. c. 3 q. 4. Concl. 4. apud *Mastrium* l. c. dicentes Doctorem ita scripsisse, quod distinctio formalis non importet relationem realem inter extrema sic distincta, sicut altera strictè realis: quia distinctio formalis non est dicenda actualis per aliquam relationem, sed solùm materialiter ratione extremorum, quæ sic à parte rei distincta ita

ita habeat in eadem re proprium esse actuale extra nihil, & ut esse formale unius, non sit esse formale alterius, quæ non discrepant omninò à sensu, quem statim & in Assertione innuimus. Manet ergo, cum indubiè, quando agitur de mente *Scoti*, deferendum sit Auctoritati suæ Scholæ, quæ melius mentem Magistri didicit, veram & actualem & tertiam quandam distinctionem ab ipso assertam esse.

QUAESTIO SECUNDA.

Inter quæ dicta distinctio reperiatur extrema, ubi quid illa sit, aut quomodò describatur?

SUMMARIUM.

1. *Vnde proficiscatur error quorundam & falsa suppositiones de doctrina Scotistica. n. 207.*
2. *Character notitia quid sit propriè res, quo & quotuplex. n. 208.*
3. *Formalitatu seu realitatu ampla expositio. n. 210. ejusque discrimen à formalitatibus inadaquatu & transcendentibus modu intrinsecu. &c.*
4. *Pluralitatem formalitatum in eadem entitate realiter indivisibili possibilem esse, diversis aperitur viis. n. 211. 212. 213.*
5. *Qua sit definitio distinctionu Scotistica, ubi varias inter descriptiones, quanam verior. n. 215.*
6. *Extrema distinctionis Scotica quanam sint. n. 214.*

207 ARriaga 1. p. d. 41. sect. 1. n. 6. incusat *Scotistas*, quod non explicent medium illud, in quo stet illa distinctio, etiamsi sæpè repetant illos terminos *formaliter*, *ex natura rei*, & nisi illud sit fundamentum, quod intellectus potest concipere per modum duarum formalitatum, & sic vel ponat Scotus distinctionem rationis aut virtualem, puta quæ in sola capacitate sufferendi contradictoria consistit sine distinctione aliqua actuali, adeoque ut prædicata contradictoria affirmentur de eadem formalitate ex natura rei indivisibili entitate, *ego*, inquit, *illud non concipio*, Scotistæ itaque quamdiu non fuerit datum ab illis quod sit illud medium, rejiciendi sunt, verùm *Arriaga* defecit in legendis nostræ Scholæ formalistis, qui luculentam dant doctrinam, in quo fundetur distinctio *Scoti*, unde meritò huic contrarium tulit judicium Caramuel in sua Metalogica l. 3. de distinctionibus d. 3. a. 3. n. CCXXI. *hodie*, inquam, *ut video*, *distinctio formalis Thomistica communior est* & cæt. *sed quia Scotisticam clariorem & veriorem existimo, volo illam speciali studio propugnare*, ecce clariorem dicit Thomistica, & infra §. 2. & 3. n. 211. & seqq. sed & in responsis ad objecta q. 4. n. & iterum ibidem sub Assert. 1. seqq. & alibi in his Tomis sæpissimè, & tamen *Arriaga* non capit illam, expectet paulisper radicem hujus distinctionis, dabimus illi. Hic loci solum horum terminorum (*Res, realitas, formalitas,*) proprias acceptiones dilucidabimus; incredibile enim est, quàm deviè incedunt Recentiores, qui regiam nostræ Scholæ, & ad inquirendas formalitates viam nunquam penetrarunt, imò ne à limine quidem attigerunt, unde enormiter sæpissime errant offenduntque in Scoti scholam impingendo illi, quæ nunquam somniata sunt à Scotistis, imò quorum oppositum docent, eâ ratione *Rhodes* de Deo d. 1. q. 3. sect. 2. ait Scotistas, quorum nullum citat, *nomine formalitatu intelligere quidditatem, nomine realitatu existentiam*, quod est falsissimum, cum quidditas etiam competat Naturæ communi, & composito metaphysico, & omnis Essentia est quidditas, non tamen omnis Essentia est formalitas.

Arriagæ judicium de Scoti distinctione toto cælo differt à judicio Caramuelis.

Deinde apud plurimos Scotistas existentia nihil aliud importat, quàm modum intrinsecum, modus autem intrinsecus non est propriè realitas, quia non est ratio conceptibilis sine re & quidditate, cujus est modus, his itaque ad intelligentiam horum terminorum, & ad tollendos abusus eorundem, sit

§. I.

Quid in propria significatione sua importet terminus iste, Res, *ut distinguitur contra* realitatem & formalitatem?

208 DIxi, ut distinguitur contrà realitatem & formalitatem, quia non sumus hic solliciti de aliis variis acceptionibus *Rei*, quas non solùm apud formalistas ut Trombetam in initio sui Tract. *de formalit.* aliosque plurimos, sed & apud ipsum *Scotum* Quodl. 3. ab initio §. *de primo* cognoscere licet, & recognoscere quæ dixi q. præced. n. 204. in secundo supposito, ubi

res & *res*, inter quas est distinctio realis per antonomasiam accipiebatur, ut contra modum rei distinguitur, quo sensu de *re* loquitur ipse Doctor 2. d. 1. q. 5. §. *Quod si adhuc*, & sumitur pro ipso rei esse radicali & entitativo, & non pro modo, qui potius est circumstantia rei & extrinseca ejus determinatio, qualis est v. g. sessio respectu sedentis, ubicatio respectu ubicati & cæt. quo pacto dum supra n. cit. Recentiores distinctionem modalem distinguunt à reali, quam fundant in hac acceptione rei, eam solam rei acceptionem videntur agnoscere, ut amplius in relatione objectionum infra.

209 Ad propositum igitur dico, significatum in creatis propriè per nomen *rei*, ut distinguitur contra realitatem & formalitatem, & dicitur græcè χρῆμα vel Πράγμα, duos potissimum suæ notitiæ habere characteres: prima est, quod sit verum ens. Secunda, quod sit capax existendi propriâ existentiâ taliter, ut propriam possit terminare suâ veram efficientiam & physicam causalitatem, sive solitariè possit existere sive non, & ita se habent omnes physicæ entitates, sive completæ sive incompletæ, quales sunt formæ substantiales & materia prima, quam supponimus contra *Thomistas* existere per propriam suam existentiam, non formæ; tales item sunt omnia accidentia, sive absoluta, ut albedo, calor, frigus, sive relativa ut unio, omnia siquidem utriusque ordinis verè sunt entia in recto propriam Essentiam & existentiam habentia & terminativa propriæ productionis, ut de Relationibus Doctor 2. d. 1. q. 5. §. *Quod si adhuc*. Unio namque est capax existendi per productionem sui, & per consequens propriam habet Essentiam & existentiam, & sic de aliis respectibus extrinsecis. Porrò nomen *rei*, ut opponitur realitati, à potiori merentur substantiæ completæ, ut Angeli, homines, bruta, & id genus rerum, quæ præter propriam existentiam etiam propriam subsistentiam sortiuntur, quamvis illa non sit adhuc necessaria, ut patet in aliis v. g. in Natura humana Christi, quæ de se est vera res, & tamen habet non propriam subsistentiam, sed Verbi.

Dixi primò *in creatis*, quia certum est, quod *res*, prout à formalitate & realitate secernitur, in creatis maximè veritatem habet, ubi cuilibet rei propria correspondet productio, quâ ponitur extra causas in esse existentiæ, in Divinis autem *res* dicitur illud, quod propriam habet Essentiam & existentiam directè & per se primò præscindendo à quacunque causalitatis efficientia; de quo vide Mastrium disp. 6. Metaph. n. 160. in fine.

Dixi secundò, *sive solitariè posset existere, sive non*, licet enim quod per se & solitariè existere potest, ambas habeat conditiones, & vel maximè mereatur nomen *rei*, realiterque distinguatur ab omni alio, aliqua tamen sunt tum in Schola nostra, tum etiam in Thomistica, quæ etsi realiter distinguantur, attamen nequaquam solitariè existere possunt, quo pacto apud hoministas distinguitur realiter anima à suis potentiis, subjectum à sua proprietate, quæ seorsim tamen existere nequeunt. Idem est in Schola nostra de Relationibus prædicamentalibus in ordine ad fundamentum, de toto item composito substantiali in ordine ad partes quæ secundùm multos Scotistas distinguountur realiter à toto, nequaquam tamen sunt apta existere immediatè per se solitariè, ut patet.

§. II.

Quid sit realitas *seu* formalitas, *ut distinguitur vicissim contra nomen* rei?

210 Vox illa *realitas*, attento nominis etymo à termino *res* presè sumpto deducta est, sicut & formalitas à forma, ubi adverte, sicut ad hoc, ut aliquid sit *res* presè sumpta requiruntur ex dictis duæ conditiones, primò ut sit verum ens, secundò ut sit capax propriæ existentiæ taliter, ut possit secundùm se propriam sui terminare efficientiam; ita ad hoc, ut aliquid sit forma presè sumpta requiruntur tres conditiones: *primò*, ut sit verum ens. *Secundò*, ut sit determinativum ac perfectivum seu rei constitutivum in esse tali vel tali. *Tertiò* ut etiam sit capax propriæ existentiæ, sed quia hæ conditiones etiam competunt formæ physicæ, sciendum præter hanc formam sic descriptam dari formam, quæ & est ipsa rei Natura, quomodo dicit S. Thomas *omnis forma vel constituit Naturam rei ut in compositis, vel est ipsa Natura rei, ut in simplicibus*, hoc modo, ut est ipsa Natura & ipsi Naturæ Divinæ non disconvenit forma & quodlibet totum metaphysicum, est talis forma, itaque à forma, quæ non est partis, sed totum appellari solet importans totam rei quidditatem, est abstractum illud formalitas, sicut realitas à re, quam non totam, sed aliquid illius importat, quemadmodum formalitas, non totam formam, à quâ abstrahitur, importat seu totam rei Essentiam & quidditatem, sed aliquam aliquitatem formæ & Essentiæ, id est, aliquem gradum ejus in primo vel etiam secundo modo dicendi per se, ut amplius statim infra, id solum te semel pro semper monitum volo, hos terminos *realitas*, *formalitas*, pro eodem sumi, uterque enim in sua significatione secernitur ab illa *rei* supra descripta, proinde sive audias legasvè Τὸ *realitas* vel Τὸ *formalitas* in hoc opere, non est intelligenda res neque forma, quæ dicitur tota aliqua Essentia, neque forma, quæ dicitur propriâ existentiâ existere & propriæ efficientiæ physicæ terminativa; totaque realitas sic describi potest.

Quod

Quod sit aliquod verum ens, cujus ratio formalis pura & puta quædam rei aliquitas vel aliquidditas, id est, quidam essendi gradus, sive tales gradus vel quasi sint gradus metaphysici Essentiæ, sive sint proprietates & formalitates, quæ importent à parte rei perfectionem, illi, cujus est, & omnibus in ea contentis, realiter eandem, ac eatenus de se cooceptibilem, ut sine quacunque alia, diverso omnino conceptu, respectu totius, inadæquato quidem, respectu aliarum formalitatum in eadem Essentia adæquato conceptu exprimi valeat, nullatenus tamen in ente producibili possit terminare de per se physicam sui causalitatem, sive propriam sortiatur existentiam, sive existat existentia totius, cui in Divinis & inter se identificantur per perfectissimam identitatem ex ratione & infinitate earum propriâ natam, vel illius, in quo identificantur; in creatis autem per identitatem realem imperfectam, seu in tertio tantùm, Ex quo perspicuum est, de ratione formalitatis esse, quod sit immersa per identitatem realem In re propriè dicta, cujus scilicet est essendi partialitas.

Explico: dicitur *primò* quod sit verum aliquod ens, in quo convenit cum *re* & quocunque alio convertibili, cum vero ente, seu esse rato. Dicitur *secundò* vocabulo diminutivo, quod sit pura & puta aliquitas, seu quasi aliquidditas; per hoc distinguitur primò à *re*, quia realitas defectu tertiæ conditionis, non est res in tecto & physicè sed identicè solum & realiter seu ens metaphysicum, ut mox infra §. 3. & 4. sunt tamen tales quasi gradus Essentiarum completivi cum hac differentia, quod ex illis gradibus creatæ Essentiæ genere & differentia constantes compleantur metaphysicè, divina autem Essentia, quæ est metaphysicè completissima res, & forma perfectissima, actusque purus, juxta id Apost. ad Hebr. 1. *Qui cum in forma Dei esset* &c. non habens distinctionem præterquam rationis, inter gradus superiores & inferiores, ut alibi, Controv. decima q. 2. In digressio: fuse per suas perfectiones attributales tantum quasi physicè completur. Dicitur *tertiò* importans à parte rei perfectionem adæquato conceptu & cæt. expressibilem, ad distinctionem graduum transcendentium, qui quidem sunt rationes conceptibiles diverso conceptu Inadæquato, adeoque distinctos dicunt conceptus objectivas, ut ratio formalis concepta non sit ratio formalis alterius, sed non importent à parte rei perfectionem solùm adæquato conceptu expressibilem, quo pacto animalitas & rationalitas in homine sunt perfectiones, quarum quælibet una, sine respectu & absque inadæquatione unius & alterius ratione, à parte rei distinctè in se, non est alia, quod v. g. de ente aliisque transcendentibus, saltem secundùm probabilem sententiam contra quosdam Scotistas, dici nequit, quo pacto ens in Deo perfectè & adæquatè non cognoscitur, nisi concipiendo Divinitatem, quod consequenter ut *Mastrius* l. c. pariter dicendum de ente creato, utpote quod in substantia à parte rei importat ipsam realitatem substantiæ, & in accidente importat ipsum accidens, non autem realitatem aliquam ab ipsis distinctam 3. & hæc est ratio, cur gradus prædicamentales possint ioter se fundare distinctionem ex natura rei formalem, non autem transcendentales, quia isti non fundantur in aliqua realitate à parte rei in Deo vel creatura, distincta à propriis eorum rationibus, *sed important solùm conceptus inadæquatos à propriis rationibus desumptos* Dei & creaturæ, gradus prædicamentales autem important veras realitates metaphysicas inventas in rebus citra omne intellectûs opus, & singuli sunt inadæquatis conceptibus expressibiles & declarabiles, vide ipsum *Mastrium* d. 6. q. 7. n. 162. secundò per hanc particulam realitates seu formalitates differunt à modis intrinsecis, qui non possunt concipi sine modificato, sed de his alibi. Dicitur *quartò* in descriptione data, quod nullatenus in ente producibili possit terminare propriam causalitatem & cæt. sicut enim non potest per ullam potentiam existere secundùm se, includitur tamen necessariò in re porenre existere secundùm se, ita per nullam potentiam secundùm se extra rem, cui includitur terminare potest physicam sui causalitatem, impossibile enim est Essentias à Deo dimidiatas produci, aut diversâ realiter productione identitatem earum realem pro aliquo signo non destrui, & per hanc particulam differt à materia & forma, & similibus, quod licet sint etiam aliquid rei, sunt tamen secundum se physicâ efficientiâ producibiles & cæt.

Ex his liquet realitatem seu formalitatem brevius describi posse quod sit positiva rei inadæquatè sumptæ perfectio incapax secundùm se terminandi propriam sui causalitatem physicam, faciens tamen proprium effectum formalem seu propriâ [illegible]tione determinans tale esse.

***

§. III.

An, & qualiter Scotistæ valeant ostendere descriptas formalitates in eadem entitate, stante ejusdem entitatis actuali indistinctione, ex natura rei plurificari possibiles?

211 Hic est causæ articulus, cur dicant se non posse capere medium, id est, formalitates Scotisticas, in quibus stet distinctio Scoti, cum enim illa quæ plura sunt, nequeunt esse realiter idem, nullum siquidem identitatis realis principium elucet in his, quæ aliud sunt & aliud & quidem ex natura rei, vel certè si quæ identitatem realem sustineant, jam illa prævenit earum distinctionem, incidunt enim in eandem entitatem. Pro enodando itaque fundamento, quod possibilis sit hujusmodi formalitatum pluralitas in eadem realiter indivisibili entitate ex propria & communi gravium Doctorum sententiæ opposita, imo ex ipsiusmet *Arriaga* doctrina astruente actionem & passionem realiter inter se non distingui sicut nec relationem & fundamentum, ex instituto declarabimus, & quidem hoc ultimum de *relatione* prædicamentali *Arriaga* expressè habet in Logic. disp. 12. sect. 5. Primum de *actione* & *passione* docet in physica d. 8. sect. 3. Hac igitur sententia Arriagæ & Doctorum adversæ Scholæ supposita ecce habemus ex mente ipsorum actionem & passionem realiter identificari inter se: jam quomodo cum reali identitate eorum adhuc possibilis sit distinctio vel inde concipies, si adverteris quod realis identitas materialiter solùm & concomitanter accidat rationibus actionis & passionis, quæ in eandem conveniunt entitatem, actio enim & passio, quidditativo & proprio spectato conceptu, seu ex rationibus suis formalibus, non identificantur, cum potius sint formæ inter se oppositæ, ea ratione Arriaga l. c. expensa quidditate actionis illi non contradicere realem distinctionem à passione claris hisce fatetur verbis: *propter hoc argumentum*, inquit, n. 25. *rectè posset dici eas*, puta actionem & passionem, *distingui realiter*, & n. 27. *ex quo capite etiam realiter poterant distingui*, ergo supposita identitate earum reali inter se, qua in eandem entitatem conveniunt, quandoqoidem id[illegible]ica conjunctio ista se materialiter habeat ad illa, non statim concipitur identificatio rationum formalium harum formarum id quod enim materialiter solum accidit alicui, non mox rationes formales omni modo ita imbibit & absorbet, ut non possim dubitare, an cum tali identitate materiali stare non possit distinctio rationum formalium, quas formalitates dicimus: en, ergo illæ non sunt inconceptibiles, esto propter inevidentiam physicam earum pro opinionum diversitate sint disputabiles, earumque decisio sub judice tamdiu maneat, donec Adversariis magis illucescat rationum Scotistarum veritas, quorum pauci tamen trutinant illas ad pondus & justitiam, & ideo ut illis doctrinam nostram, id est, pluralitatem possibilem in identitate reali enucleatius aperiamus, placidè invito eosdem ut mecum investigent & considerent animal in homine & rationale: De his *primo* omnis schola tenet, quod sint in homine duo metaphysicæ compositionis gradus. *Secundò* quod sint realiter in homine identificati. Ex hoc Scotistæ inferunt oppositas rationes convenientiæ & disconvenientiæ essentialis, idque non expectata mentis negotiatione, sed ex natura rei, moventur ad hoc, ne à parte rei patiuntur genericas rationes quidditativè permisceri & confundi cum actibus differentialibus, non enim vident quomodo tunc genericæ rationes ob quidditativam inæqualitatem vi actionis præcisivæ colligi possent & coire in unam rationem objectivam, en fundamentum formalitatum in homine, & distinctionis earundem in propriis rationibus, quam identitas realis ad illas solum materialiter se tenens prævenire aut impedire non potest, ut propterea *Lalemander* disp. 3. Met. partit. 2. clypeo 4. sub decisione dixerit: *Mihi evidentissimum videtur, quod danda sit quædam distinctio ante opus intellectus inter rationalitatem & animalitatem in homine*, & infra. *Videtur contra rationem, quod ante opus intellectus, animale sit rationale.* Id quod ut amplius quæst. 4. à n. 226. usque ad n. 233. illam tamen identitatem indissolubiliter in eadem entitate illi distinctioni vicissitudinariam esse sociam, quid mirum? cum talis eorum identitatis nullum aliud sit principium, quàm omnimoda unitas physicæ entitatis, quia gradus animalitatis ab eodem nexu eademque compositione corporis & animæ petitur sub ratione convenientiæ, à quo gradus rationalitatis accipitur sub ratione disconvenientiæ, consequenter non absorbet identica illa conjunctio formalium rationum distinctionem. his ritè expensis, quomodo quæso viri tam docti & ingeniosi non capiunt esse possibile, quod aliqua distinctio stet cum identica conjunctione prodeunte ab identitate principii physici, unde dimanant, habes itaque identitatem & in illa rationum formalium haud impossibilem pluralitatem, quibus si adhuc resistas, identitatem realem omninò tollere distinctionem dicens, identitatem illam graduum metaphysicæ compositionis potius petendam esse ab ipsamet compositione, non distinctionem, quæro ex quo, si spectes illorum graduum diversitatem, convenientiam & disconvenientiam, ex quo, inquam, hoc dicis fundamento? an quia ad compositionem metaphysicam necessariò sit contractio animalitatis, quæ sit per rationalitatem? verum est in tali

Arriaga.

Modus concipiendi distinctionē Scoti.

tali compositione necessariam esse contractionē generis per differentiam, ad talem speciem constituendam, falsum est, quod illa contractio quid efficiat ad identitatem realem, sicut enim nil confert ad identitatis physicæ unitatem, in qua proximè fundatur identitas, ita nihil confert ad identitatem, unde si compositione metaphysicâ proscriptâ, gradus animalitatis & rationalitatis ab eodem dimanarent principio tanquam formalitates non componibiles inter se, aut nullatenus ordinabiles in ratione actûs & potentiæ, adhuc indubiè essent gradus illi realiter identificati: ergo ex hac parte identitas non ebibit & absorbet pluralitatem & conceptibilitatem plurium formalitatum, minus reddit illas impossibiles.

212 Amplius & tertiò idipsum ex Augustino apud Magistrum t. d. 3. lit. M. & O. in te ipso ostendo, quomodo concipias pluralitatem in identitate: hic, inquit Mag. *attendendum est diligenter, ex quo sensu accipiendum sit, quod* Augustinus *supra dixit*, illa tria *memoriam & intelligentiam & voluntatem esse unum.* & mox: *mens id est Spiritus rationalis essentia est spiritualis & incorporea, illa vero tria naturales proprietates seu vires sunt ipsius mentis, & à se invicem differunt, quia memoria non est intelligentia vel voluntas, nec intelligentia voluntas sive amor.* Deinde litera O. *Sed jam videndum est, quomodo hæc tria dicuntur una substantia*: & respondet: *ideo scilicet, quia in ipsa anima vel mente substantialiter existunt, non sicut accidentia in subjecto.* Ecce tria in uno & unum cui inexistunt substantialiter tria, ut dicantur una substantia indubiè realiter, quia si essent etiam formaliter unum, jam non essent amplius tria, nec amplius differrent inter se: ergo si Augustino credendum sit, jam in te ipso phrasin Scotistarum intelligis, & agnoscis identitatem cum pluralitate non esse impossibilem, quia ut *Aristoteles* 8. *Metaph.* identitas proximè fundatur super unitatem, & distinctio super multitudinem, sed hic habes unum, & in illo tres distinctas proprietates, scilicet in unam substantialiter seu realiter colligatas substantiam. ad quid ergo dicunt, non capimus distinctionem Scotistarum?

213 Quartò videat Arriaga & alii, qui dicunt se nostram distinctionem capere non posse, quid doceant in physicis de sensationibus materialibus seu cognitione sensitiva, *elim putavi*, inquit Arriaga d. 14. *Log* sect. & *subsect.* 4 n. 73. *de sensationibus materialibus, eas semper esse veras, quia verè sentiunt suum objectum*, etsi postea re melius consideratâ fateatur, *sensum errare aliquando, quando res per illum aliter apprehenditur, quam est*, ita habet etiam in physicâ d. 5. de Anima. sect. 3. subsect. 1. n. 31. Secundùm hanc *Arriagæ* & communem doctrinam pro certo tenetur, non rectè inferri ex eo, quod sensus aliquando quidem possit falli, sed perrarò fallatur circa propriam, nec ex eo, quod aliquando fallitur, circa commune sensibile, rectè inferri, illum semper aut communiter falli circa sei sibile commune, nedum circa proprium. Adhæc ex communi eorundem doctrina necessariò debemus veriorem existimare cognitionem distinctam, quàm confusam, ut dum progredimur à confusâ ad distinctam illiusque ai bitrentur nos profecisse, factâ jam inductione haud dubiè concludent per has sensationes aliquem potius decipi in cognitione confusâ, non distinguendo partes verè distinctas in objecto sensibili, ut v. g. quando vel ob distantiam objecti, vel ob exiguum lumen aut remissam applicationem vitiumvè organi sensorii, ea quæ sunt distincta confusè cognoscimus, postmodum in distantia objecti proportionata & medio ad majus lumen alterato, & applicata melius potentia, distinctè cognoscimus, quæ prius cognoveramus confusè & per posteriorem cognitionem velut veriorem inter diversas qualitates objecti sensibilis veram cognoscimus distinctionem, ut in hoc non decipiatur, sed verè intellectus judicat ita esse.

Igitur rationabiliter procedendo à notionibus de cognitione sensitiva ad intellectivam, esto sibinde intellectus circa intelligibilia per alienas species rerum realiter distinctarum, decipiatur v. g. æstimando distincta esse, quæ à parte rei per alias certiores intellectiones, constat non esse distincta, ideo non debemus arbitrari, id semper aut plerumque evenire circa rationes rei formales, id enim & gratis dicitur, & non sine injuria & violentia contra humanæ naturæ dignitatem, pro qua stat possessio existimandi ipsam non decipi, nisi probetur & sciatur oppositum, itaque sicut de sensationibus dictum est, si in casu confusæ & postmodum distinctæ intellectionis contingat deceptio, probabilius est deceptionem inesse intellectioni confusæ, quàm distinctæ, id est non distinguenti in subjecto rationes formales, quas antea tanquam unum & idem indivisibile conceperat.

Hactenus ex communi doctrina, jam quàm facilis sit intellectu nostra distinctio, item formalitates saltem in una aliqua tota Essentia sibi identificatas esse possibiles conceptu ante fictionem intellectus, probatur manifestè. Omnis Schola de facto dividendo, definiendo, demonstrando procedit à cognitione confusâ ad distinctam, putantque philosophi se hac methodo utiliter in hoc laborare, veriorem que esse ac perfectionem cognitionem ejusdem rei distinctam, quàm confusam: atqui sic procedendo v. g. viâ distinctionis definitum ante cognitum confusè & per modum unius ac totius, cognoscimus postea per partes discernendo partem Essentiæ communem nempe animalitatem & differentiam propriam ipsius constitutivam, scilicet rationalitatem; ergo intellectus cognitione distinctâ cognoscit & fundatè judicat ibi esse verè partes metaphysicas sibi quidditativè impermixtas, si enim animalitas aliique gradus generici essent essentialiter im-

bibiti in fuis differentiis, jam ut ftatim fupra cognofcendo partes cognitione clara & definitiva, non cognofceremus Effentiam ficuti eft, fed ficuti non eft, cum tamen per definitionem contendamus cognofcere ficuti eft, & aliquid amplius, quam cognofcebamus per notitiam rei fimplicem & confufam. fequela prob. eâ cognitione diftinctè difcernimus partem communem Effentiæ, eamque coire cum aliis gradibus convenientiæ in unitatem conceptus objectivam rebus fpecie diftinctis communem, & ab hac parte difcernimus partem aliam differentialem, quâ fpecies effentialiter diftinguuntur, atqui fi nulla nifi ficta & facta per intellectum inter illas partes effet differentia, jam haud dubiè hoc effet cognofcere Effentiam aliter quàm eft, ergo. maj. patet, min. prob. ex dictis, quia eo ipfo, quo pars feu gradus Effentiæ communis convenientiæ effentialiter permifcerentur cum partibus Effentiæ differentialis, ficut differentiales quidditativam pluralitatem & inæqualitatem conftituunt, ita & gradus generici, fed tunc non poffent colligi ad unitatem conceptus, nec plus conveniet in animali bucephalus in recto cum homine, quàm bucephalus cum angelo, ergo. min. prob. impoffibile eft illud, quod eft aliud effentialiter fecundùm quofcunque gradus effendi, poffe per folam abftractionem intellectus à quidditativa inæqualitate depurari, ergo & quod poffint concipi ad unitatem objectivi conceptus; ergo à primo ad ultimum, cum per cognitionem claram diftinctam & definitivam cognofcamus Effentiam ficuti eft, fed non ficuti non eft, quid ergo eum per illam in definito partes cognofcamus, quæ fint gradus effendi, difficultatis fupereft, quin gradus cognofcantur, aut cognofci valeant, illos ibi verè effe inter fe diftinctos, citra intellectus operam, efto fub judice lis fit, an ita fit? nulla fane, nulla omninò.

Confirmatur demonftrando de fubjecto per Effentiam definitione verè cognitam, paffionem feu proprietatem omni & foli & femper ipfi convenientem tanquam per caufam, propter quam talis proprietas ineft tali fubjecto, fupponimus nos evidenter cognofcere quod illius caufa eft, & tam certò, ut arbitremur impoffibile effe, ut aliter fe habeat, & priorem effe effentiam & notiorem, non folùm fecundùm noftrum modum concipiendi, fed ex natura fua, ideoque proprietatem de fe demonftrari à priori per eam, & à notiori, fed hæc methodus fallax effet, fi nullam ante intellectum cogitantem poffemus concludere diftinctionem inter Effentiam rei, & ipfius proprietates, adeoque non folùm effet melior & congruentior Effentiæ notitia fimplex & confufa, qua partes concipiuntur ut formaliter idem, fed & idem ut patet demonftraretur reipfa per idem, fateantur itaque noftras formalitates non folùm effe poffibiles, & taliter conceptibiles fed & actu exiftentes. His ad intelligentiam doctrinæ Scoticæ præmiffis, fit

ASSERTIO

Extrema diftinctionis Scoticæ ex mente Doctoris, non funt diftinctæ res, aut fi vis per abufum ita dicere, realitates actuales, quæ propriam exiftentiæ actualitatem referunt, fed talia funt vel gradus metaphyfici ejufdem phyficæ entitatis, qui eandem omninò exiftentiam fortiuntur, vel Effentia & proprietates illius & fimilia, id eft, five ipfæ, quæ non funt aliud & aliud phyficè, fumendo ens phyficum, non ftrictè folùm fed latè pro quolibet, quod in fe & à fe exiftit, fed aliud & aliud metaphyficè folum.

114 HÆc facilis eft, & declaratur ex iis, quæ præmiffa funt, & quæ fequentur q. 4. per extenfum. Hoc folùm notandum venit contra de *Quieros* in Philofophia *Tract.* 2. p. 2. d. 17. quod extrema, quæ folùm hac diftinctione feu formaliter ex natura rei diffident, nec de abfoluta Dei potentia feparari queant etiam non mutuâ feparabilitate, ratio jam eft data, quia extrema hujus diftinctionis licet exiftant in fe fcilicet in tertio phyficæ entitatis, in quo copulantur, non tamen exiftunt à fe, & per propriam exiftentiam, quare frivolum eft, quod affert Auctor cit. *Si duo extrema à parte rei diftinguuntur, non eft cur fint infeparabilia præfertim mutuò.* Sicut & quod non explicemus identitatem realem, nifi petendo principium, quo manifeftè prodit fe parùm contrectaffe Scotiftarum codices, in Scoto autem, qui de illa tractet in 1. d. 2. q. 7. §. *Sed hic reftat.* illum in propofito prorfus peregrinum fuiffe vel inde certiffimò colligitur, quod dicat eum velle relationem in creatis diftinctione fua formali ex natura rei diftin-

gui à

qui à fundamento, quòd ſine relatione poſſit exiſtere, quod eſſe falſiſſimum, videre eſt in ipſomet Scoto multis in locis, ut 2. d. 1. q. 4. 3. d. 1. q. 1. 4. d. 12. q. 1. & quodl. 11. omniumque Scotiſtarum Philoſophiis, quæ oſtendunt Doctorem relationem prædicamentalem realiter à fundamento diſtinxiſſe, & ſi illa ex mente *Scoti* exiſtere valeat ſine fundamento, quomodo tunc ſolâ diſtinctione formali ex natura rei diſtinguitur, quæ diſtinctorum ex mente illius ſupponit identitatem realem, quare De *Quieros* non tam contradiſtinctionem arguere, quàm Doctorem contradictionis inſimulare videtur. Sed mittamus illum alibi reconveniendum, ubi à propoſito de identitate reali agendum. Adde: Doctorem in 2. diſt. 1. q. 5. §. *Ad quæſtionem iſtam*, quidem dicere relationem tranſcendentalem, qualis eſt relatio dependentiæ ad Deum, eſto ſit eadem realiter fundamento, adhuc tamen formaliter ex natura rei diſtinctam eſſe ab ipſo, quia reſpectus non includit formaliter rationem abſoluti, nec abſolutum rationem reſpectus, falſum tamen eſt, quod ſimpliciter fundamentum etiam relationis creatæ prædicamentalis diſtinguatur ſolum formaliter ex natura rei à tali relatione.

§. IV.

Quid denique ſit diſtinctio Scoti ex natura rei formalis dicta.

215 EX his quid ad ſecundum Quæſtionis membrum, qualiter diſtinctio *Scoti* deſcribatur, dicendum patet, de quo immeritò conqueritur *Hurtado* Met. d. 6. ſect. 3. §. 51. apud *Caramuelem* l. c. ſupra n. 207. quod non viderit apud Scotiſtas diſtinctionis illius aliquam aut definitionem aut expoſitionem, Caram. *ergo ad cœlum*, inquit, *prius ivit Hurtadus quàm Thomiſtas & Scotiſtas intellexerit*, qui & allatâ & diſcuſſâ deſcriptione hujus diſtinctionis, quam dat Fonſeca Tom. 2. met. l. 5. c. 6. q. 6. ipſemet num. CCXXII. ponit iſtam dicens: *illud diſtinguitur ex natura rei, quod ex natura ſua nec eſt aliud, neque diſtinguitur actualiter ab eo*, quæ deſcriptio intelligenda per τὸ *ex natura ſua non eſt aliud & actualiter* quod actu & ex natura ſua realiter non diſtinguatur ab illo, aliis Scotiſtarum deſcriptionibus conſonat, minimè ſi velit non diſtingui actualiter, id eſt, actu formaliter non niſi per intellectum, melius deſcribit illam *Ricciolius* dicens: diſtinctio Scoti præcisè ſumpta eſt vera ex natura rei & actualis non identitas inter ea, quæ per eandem exiſtentiam exiſtunt, ac per eandem ſubſiſtentiam ſubſiſtunt, quæ coincidit cum illa Scotiſtarum quod ſit *vera ex natura rei actuali non identitas, & quæ eſt inter* hujuſmodi formalitates, tam inter ſe quàm à rebus, in quibus vel includuntur, vel quibus realiter identificantur diſtinctas, & per hanc elucidatur illa Caramuelis, quod ſit illud, quod ex natura ſua non eſt aliud, & tamen diſtinguitur. Explico: per ly, eſt *vera ex natura rei & actualis non identitas*, ſignificatur genus, in quo convenit cum ſtrictè reali, quod ſit verè & propriè diſtinctio & diſcernitur à diſtinctione ficta & falſa virtuali, potentiali & cæt. reliqua verba deſcriptionis referunt differentiam hujus diſtinctionis ſumptam ab extremis, quatenus ponunt per illam non identitatem eorum, non aliquam ſimpliciter negativam, quaſi de uno ex natura rei negare poſſimus, quod illud ex natura rei realiter non ſit alterum, minimè; ſed præciſivam, quatenus ſe habent, ut includens & incluſum, vel inter ſe exiſtunt ac eadem ſubſiſtentiâ ſubſiſtunt, ita tamen ut ex natura ſua non adſciſcant illam inter ſe mutuam conjunctionem identicam, ſed vel indifferentia ſunt, ut intelligibiliter cum oppoſitis differentiis componi queant, vel ſi taliter, ut in creatis, ubi identitas realis, eſt illis materialis, non niſi ratione & beneficio totius phyſici illis convenienз communiter ſit, alioſum indifferentia non ſunt, quomodo v. g. intellectus divinus nequit eſſe indifferens ad concipi ſub oppoſito proprietatis illius, nec enim apprehendit valet ſub Inſcitia oppoſita ſapientiæ, nec voluntas divina ſub injuſtitia oppoſita affectui juſtitiæ, tunc tamen ad ſalvandum hanc diſtinctionem ita ſe habent, ut unum ex natura rei formaliter non ſit niſi illud v. g. intellectus divinus non habet ex natura ſua, quod ſit voluntas, quia ex natura ſua non eſt niſi intellectus, alioquin ſi eſſet ex natura ſua etiam voluntas, jam quod falſum eſt, idem etiam haberet intellectus creatus, quanquam veriſſimum ſit, quod intellectus divinus ob infinitatem omnia in Deo identificantem ex natura rei realiter non diſtinguatur à voluntate, ſed utriuſque natura ſalva & intellectus & voluntatis inter ſe identificantur.

Deſcriptio diſtinctionis Scotica.

Additur in deſcriptione, vel *quibus realiter identificantur*, ad explicandum, quod iſthæc diſtinctio non reperiatur duntaxat inter formalitates & formalitates, ſed & inter Naturam completam & proprietates ſuas, item inter Naturam & differentiam indivi-

individualem; imò inter ipsam inadæquatè intellectam & formalitates in ea inclusas in creatis; inter Naturam Divinam & subsistentiam illius, quæ non sunt propriè formalitates, cum Natura Divina, ut alibi, sit actus completissimus in ratione Essentiæ; proinde illa distinctionis extrema, quæ totam important Essentiam, cum non sint aliquitates, seu gradus solùm essendi, non rectè vocantur formalitates seu realitates, sed sunt ipsa tota res & Essentia, quamvis non desint formalistæ, qui formalitatem distinguunt in totalem & partialem, seu adæquatam & inadæquatam, quæ divisio nullatenus placet, quia formalitas de se est & dicitur ideo aliquitas rei, gradus essendi, quia non est totum id, quod Essentia & quidditas totius.

De aliis variis descriptionibus distinctionis Scotisticæ.

116 Finaliter observa varias circumferri apud alios descriptiones distinctionis formalis; quæ illam non videntur explicare sed implicare, ut v. g. quod sit distinctio, *quâ de eadem tota entitate, sed non totaliter seu non adæquatè sumpta idem affirmari & negari potest*, item quod sit *distinctio secundùm quid, seu non purissima, sed compossibilis cum identitate ejusdem rei*; iterum, quod sit *distinctio opposita omnimodæ aut summæ identitati; sed non oppositio simplicitati ejusdem*, quæ omnes possunt applicari distinctioni rationis ratiocinatæ.

Obscuræ item sunt insufficientes primò illa *Aureoli*, quod sit *distinctio indistinctorum*, seu *negatio identitatis per repetitionem*, nempè identitatis illius, qua *Deitas est Deitas*, quâ eadem ratione alii dicunt illam esse *negationem identitatis formalis*, qualis v. g. est inter Deitatem & Deitatem, & vi cujus identitatis vera est hæc reduplicativa: *Deitas est Deitas*, item quod sit *distinctio realis sine pluralitate rerum*, quæ omnes, etsi verum dicunt, quia tamen non explicant radicem, inter quæ extrema illa sit, insufficienter explicant illam, quod multò magis dicendum de hisce, quibus dicitur, quod *sit distinctio non physica sed compossibilis cum identitate physica ejusdem*. quod sit *distinctio non ficta aut facta ab intellectu, sed à parte rei ante intellectum cogitantem, non tamen realis præsè, qualis est inter duas res, aut rem & rei modum*, ubi exponendum prius fuisset, quænam dicantur verè esse à parte rei, & tamen non sint res, in hoc enim stat difficultas inter Scotistas & Opponentes, melius itaque & conformiter ad dicta §. 2. & 3. describitur supra distinctio Scoti ab ipsismet Scotistis, quæ suo modo per genus & differentiam claré ostendit Naturam hujus distinctionis & discrimen illius ab omnibus aliis.

QUAESTIO III.

An in eadem re, ad pluralitatem graduum plurificentur existentiæ quarum singulæ singulis formalitatibus proportionatè correspondeant?

SUMMARIUM.

1. *Metaphysicæ formalitates nascuntur à physicis. n. 217.*
2. *Scotistæ inter se circa existentiam divisi. ibid. & n. 217. 218.*
3. *Omnes gradus essendi per unicam probabiliùs existentiantur existentiam. n. 218. & seqq.*
4. *Quomodo existentia in serie prædicamentali ultimus dicatur actus. ibid.*
5. *Physica causalitatis incapacitas in aliquo & incapacitas propria seu peculiaris existentiæ, parallela sunt. n. 202.*
6. *Totum physicum unica subsistit subsistentia. n. 220.*
7. *Exploduntur rationes in contrarium. n. 221.*

217 *Vnde & quomodo gradus metaphysici originentur.* Per hanc Quæst. ampliùs explicatur præcedens, ac plurimùm totius Controv. difficultas facilitatur, si observes quod gradus metaphysici & formalitates habeantur per dimanationem pullulativam, quæ est quædam causalitas metaphysica, quam universaliter entitates physicæ exerunt circa realitates metaphysicas, anima & intelligentiæ erga suas potentias, subjectum erga passiones, & nihil est aliud, quàm illas motu quodam & fluxu metaphorico, & discernitur à physico, manare ex istis, quo ad esse suum definibile, quod græci per τὸ τί ἐστι explicant, id est, quod exprimitur per definitio-

finitionem, quâ cognitâ tollitur omne dubium Quæstionis de objecto *quid* vel *quale* sit, sicut posito illo quod est per causalitatem physicam, ad quam sequitur esse rei existentiale, tollitur dubium Quæstionis de objecto, *an sit*, hac ratione quando dicit *Aristoteles* nos per syllogismum demonstrativum, dum jam Essentiam vel subjectum verâ definitione quod sit cognovimus, demonstrare de illo proprietatem omni soli & semper ipsi convenientem, tanquam per causam subaudiendum est, non duntaxat per causam in cognoscendo, sed & in essendo, propter quam scilicet talis proprietas est in tali subjecto, ideo namque quod illius causa [illegible] essendo, putamus nos evidenter cognoscere & tam certò, ut impossibile sit, ut aliter se habeat, in hoc enim stat receptissima illa Philosophorum doctrina, *necesse esse demonstrativam scientiam ex veris esse & primis & immediatis & notioribus ac prioribus causis conclusionis.*

Hoc supposito itaque, quia passiones fluere dignoscuntur ex suis subjectis, potentiæ ab anima & universaliter realitates metaphysicæ ab entitatibus physicis, quæritur an fluxus & pullulatio ista, sicut terminat ad aliquid actuale consequens naturam, terminetur quoque ad aliquo modo existens, potest autem extendi Quæstio ad ipsam naturam communem, & modos etiam intrinsecos, num illis aliisve formalitatibus peculiaris sua conveniat existentia, non desunt celebres Scotistæ, qui ita sentiunt, hos inter est Theodorus *Smising* de Deo Uno Tract. 1. δ. 2. n. 36. *Faber* 9. Metaph. d. 2. c. 2. *Meurisse* l. 1. Metaph. q. 20. Concl. 5. ubi ait propriis passionibus, idem est de aliis formalitatibus suppositâ distinctione formali earum, correspondere existentiam distinctam ab existentia subjecti, quia dimanare & fluere dicuntur à suis subjectis, dimanatio autem & fluxus terminatur ad aliquid actuale consequens naturam, consequenter ad aliquid suo modo existens propria existentia alioqui sequeretur, quod eadem existentia pullularet ex seipsa, quod implicat: seq. prob. Attributum v. g. sapientia pullulat ex Essentia divina: ergo si ipsa existentia divina intrinsecè includitur in sapientia, existentia inclusa in sapientia pullulabit à seipsa. *Smising* autem l. c. idem conatur probare ex Doctore 2. d 3. q. 1. §. *Ad Quæstionem.* & q. 3. versu *Præterea*, ubi docet naturam communem habere proprium esse reale extra animam distinctum (formaliter) ab Essentia singularis, sicut habet propriam quidditatem & realitatem. & 3. d. 14. q. 3. §. *Ad Quæstionem*, docet etiam intuitivè posse cognosci naturam, ut præcedat singularitatem, unde & sic debet habere propriam existentiam saltem formaliter distinctam ab existentia formalitatis, quia intuitivè terminatur ad rem ut existentem. *Faber* l. c id urget amplius de natura communi v. g. homo, inquit, & equus à parte rei sunt entia positiva distincta ab entitate singulari, sed existentia est modus intrinsecus cujuslibet entis realis positivi, ergo etiam natura communis propriam debet possidere existentiam.

Ex his liquet horum Scotistarum opinionem non esse suâ destitutam probabilitate, nihilominus oppositum ostendemus probabiliùs esse nempe pluralitatem existentiarum non esse admittendum. Sit

ASSERTIO

Non correspondet propria & partialis existentia singulis rerum gradibus ac earum formalitatibus, quas quidem in iis asserimus plurificatas, sed unica existentia, quæ sit simplex quædam actualitas indivisibiliter afficiens omnes & singulos ipsius Essentiæ gradus per ipsam omnes simul unicè existentiatas.

218 HAnc inter Scotistas tenet *Trombeta* 5. Metaph. q. 6. & 1 tract. formalitatum ab initio. *Vulpes* disp. 63. de Trinit. Art. 8. *Mastrius* in Metaph. d. 6. q. 7. n. 161. & d. 8. q. 4 n. 174. qui illius cum illo oppositum docuerunt in physica d. 6. de anima. q. 7. art. 2. ac idem horum posttemus in physica se amplexurum promittit ibidem, ast postmodùm re *maturiùs consideratâ promissis*, inquit, *stare non potui*, subdens quod oppositum non inficiatur. imò adeo probabilem censet, ut pro libitu quisque Scotista unam vel alteram sequi valeat. In hanc rem *Poncius* quoque ait *Scotum* fuisse problematicum, sed quidquid sit

Probatur Assertum auctoritate Doctoris ex secundo d. 3. q. 3. §. *Contra istud* in fine, versu *per hoc patet*, ubi ostendit, quomo-

quomodo existentia sit ultimus actus, pro quo vult imprimis, quod tota coordinatio prædicamentalis sit præcisè attendenda secundùm entitatem superiorum & inferiorum, ut priorem naturâ omni existentia, sitque adeo illa extra totam generum specierum & individuorum seriem prorsus exclusa, ut adæquatè concipere possimus Essentiam quo ad omnes gradus suos etiam individuales, absque eo quod concipiamus existentiam, neque enim hic homo magis includat existentiam, quàm homo, hac nimirum ratione secundùm Doctorem existentia Essentiam in toto genere ut completam supponens, & integram in suo ordine illam ultimatè distinguit, sed distinctione consequenter quæ est extra totam per se coordinationem prædicamentalem, servatâ non solùm proportione, quod existentia partialis non sit posterior solum partiali Essentiâ, & existentia totalis Essentiâ totali, sed à toto genere existentia sit posterior Essentiâ tam partiali, quàm totali, ac ideo ultimate illa distinctio, quam facit existentia juxta eundem Doctorem est aliquo modo accidentalis, licet non sit verè accidentalis, quod benè explicat *Lychetus* In Com. quod dicatur *quasi accidentalis*, quia non per se pertinet ad aliquid Essentiæ ejusdem prædicamenti, sed concomitatur illud, quod per se est in prædicamento, non tamen est *propriè accidentalis*, cum sit gradus intrinsecus

Scotus. rei, cujus est, verba Doctoris sunt: *Dico quod actus distinguit eo modo quo est actus, sed actus accidentalis distinguit accidentaliter, sicut actus essentialis distinguit essentialiter: ita dico, quod ultima distinctio in coordinatione prædicamentali est distinctio individualis, & illa est per ultimum actum per se pertinentem ad coordinationem prædicamentalem. Sed ad hanc coordinationem prædicamentalem non per se pertinet existentia actualis, actualis autem existentia est ultimus actus, sed posterior totâ coordinatione prædicamentali. Et ideo concedo, quod existentia distinguit ultimatè, sed distinctione, quæ est extra totam per se coordinationem prædicamentalem, quæ distinctio est aliquo modo accidentalis, licet non sit verè accidentalis, tamen sequitur totam distinctionem secundùm esse quidditativum.*

Singuli gradus non habent propriam existentiam. Ex quibus sic arguitur: Si singuli gradus metaphysici peculiarem haberent existentiam, vel illa potiuntur, quatenus metaphysicam speciei constitutionem anteeunt, ut sint ad illam quod præsuppositum, seu ut substratum immediatum ejus; vel illa potiuntur postea, ita ut quilibet gradus post omnium quidditativarum rationum conventum ad naturæ specificæ constitutionem accipiat illam: neutrum dici potest: non primum, ut patet expressè in litera *Scoti* supra & alibi docentis, existentiam non afficere aliquem gradum antecedenter ad infimum, ita ut prius concipiatur animal existens, vel homo, quàm hoc animal & hic homo existens, consequenter sic non antevertit existentia compositionem generis & differentiæ specificæ, ut substratum metaphysicæ compositionis: non etiam secundum, quia pro illo posteriori, omnes gradus adæquatè constare possunt per unicam existentiam illius rei, ad cujus integritatem pertinent; quid enim obstat, cum una hæcceitas seu unica ratio individualis omnem metaphysicam compositionem actuat in ratione *hujus*, quod non etiam una actualitas in ratione existentis? quod enim individualitas non plurificetur juxta graduum essentialium distinctionem, est quia ultima accipitur post omnium rationum essentialium conventum ad naturæ specificæ compositionem, eo ipso, quo immediatè ratio specifica v. g. homo fit hic homo, omnes quoque rationes genericæ individuantur vi ejusdem individualitatis, sed pari ratione asserit Doctor existentiam obtineri post omnem essentialium graduum compositionem, & tam parùm immediatè conjungi v. g. gradum animalitatis cum existentia, quam cum hæcceitate ante compositionem cum rationalitate, ut sicut individuatio gradus generici non possit esse substratum metaphysicæ compositionis, ita nec existentia & quidem à potiori, quæ ipsâ quoque individuatione naturâ posterior est, ergo quemadmodum una individualitas omnes simul actuando in ratione *hujus* præstat singulis individuationem, sic unica existentia formaliter indivisa omnibus gradibus essentialibus confert actualitatem actuando illos in ratione existentis.

Contra hoc Argumentum, quod est ab 219 auctoritate *Scoti*: *Dices primo*: Quando con- *Objectio.* cipitur animal à parte rei, ut ens actuale distinctum à rationali, quod similiter est ens actuale, vel jam concipitur eadem distinctio inter actualitatem animalis & rationalis, ac inter animal & rationale, vel non: si primum, habetur intentum; si non, jam non posset concipi actualitas animalis præcisa ab actualitate rationalis & econtra, atqui hoc est absurdum. min. prob. tam verè est concipere in Petro humanitatem actu existentem, quam verè concipiam singularitatem suam esse actu existentem: ergo tam verè est alia actualis entitas humanitatis in Petro, quàm ipsius Petri, consequenter actualitas essendi in Petro non est quædam existentia formaliter indivisa, sed quot sunt gradus essentiales tot erunt gradus existentiales & entitates vel saltem formalitates actuales. neque argumentum ex Scoto adductum probat ex mente Doctoris aliud, quam existentiam suo gradui correspondentem non conjungi cum illo immediatè ante graduum essentialium compositionem & independenter ab individualitate totius, cum existentiâ circumscriptâ habeatur tota series prædicamentalis omnium graduum essentialium, cum quo stat intra singularia cuilibet gradui suum correspondere existentiam mediatè.

Confirma-

Confirmatur: quia licet Doctor 2. d.3. ad initium §. contra istud primò dicat *esse existentia non habere proprias differentias alias à differentiis esse essentia, quia tunc oporteret ponere propriam coordinationem existentiarum, aliam à coordinatione Essentiarum*, affirmat tamen habere easdem quam habet Essentia, & determinari ad determinationem illius, *praecisè*, inquit, *determinantur ex determinatione alterius*, ergo habere potest gradus correspondentes partibus essentiæ.

Gradus essentiæ seorsim concipi nequeunt ut existentes actu.

Respondeo, non posse gradus essentiæ seorsim concipi ut actuales & actu existentes, cum ut existentes nullo pacto distinguantur, neque sub ratione existentiæ fundant diversa prædicata, quemadmodum talia fundant sub specialibus rationibus animalis & rationalis; ac propterea falsum est dividi posse actualitatem hominis in actualitatem animalis & rationalis, sicut homo dividitur in animal & rationale, quia licèt eadem existentia faciat formaliter existere & animal & rationale, non tamen in ratione intrinseca existentiæ infertur distinctio existentiarum; unde ad antecedens dico negando primum membrum, sicut enim animal à parte rei haud concipi potest ut ens actuale distinctum à rationali, etiam quà est ens actuale, ita neque conconcipi potest distinctio actualitatis eorundem, nisi extrinsecè tantùm, quatenus existentiæ actualitas extrinsecam quandam in connotatis coassumptis sortitur, negata itaque *minori*, ad *prob.* illius distinguo antecedens, tam verè est concipere in Petro humanitatem actu existentem, quam Petri singularitatem seu Petrum quòd sit hic homo, unâ & eadem existentiâ, quæ omnes & singulos gradus afficiat, concedo antecd. tam verè est concipere humanitatem Petri seorsim à singularitate illius, nego *antecedens* cum *consequentia*. falsum proinde est, aliud nihil ex mente *Scoti* convinci, si enim secundùm illum, essentia secundùm omnes gradus ita est in actu, ut tamen existentiæ subsit, ut quod complexum ex omnibus gradibus suis usque ad infimum individualem inclusivè, jam consequens est, quod in tali statu, in quo omnes gradus sunt conjuncti, in eadem essentia solùm concipi possit, ut immediatè capax existentiæ, & sic solùm potest esse terminus productionis, secus si gradus seorsim considerentur, ac ideo non potest ullus gradus fundatè concipi tanquam actualis, præterquam mediante individuo in quo existat.

Mastrius.

Ad confirmationem respondet *Mastrius* d.8. Metaph. q.5. n.185. Doctorem ibi non loqui absolutè, quòd habeat aliquas differentias, sed ex hypothesi, si aliquas habeat, alias esse non posse, quàm differentias Essentiæ. Sed meliùs respondetur ex aliis Scoti principiis, cùm enim modus intrinsecus, qualis est existentia, concipi non possit sine re, cujus est modus, nec potest in illo differentia cogitari, quæ non sit primò & propter rem, ad quam spectet ille modus seu existentia, quæ proinde cùm actuando in ratione existentis pervagetur omnes gradus usque ad infimum inclusivè, jam necesse est existentiam suo modo habere easdem differentias, quas essentiæ, sed non habere illas, ut præcisè talis modus est propter se, seu gratiâ sui, imò nec gratiâ rei, cujus est, habet illas quasi exigitivè, sed solùm concomitanter & extrinsecè, ad eum modum, quo una differentia in eadem specie non habet aliam differentiam tanquam sibi propriam, quia tamen ibi simul concurrunt, una concomitatur alteram ad constitutionem totius.

Probatur Assertio *secundò*: Existentia est ipsa 220
entis actualitas, quam Græci ὕπαρξιν appellant; quâ positâ, omne dubium tollitur quæstionis de objecto, *an sit*: atqui talis exigit per solam physicam causalitatem produci, & arguitur sic: nihil est immediatè capax propriæ seu peculiaris existentiæ, quod non potest esse effectus physicæ causalitatis, atqui gradus metaphysici non possunt esse effectus physicæ causalitatis; ergo gradus talis non est immediatè & de se capax existentiæ. maj. prob. quia per solam talem causalitatem communicatur effectivè enti actualitas, quæ est, ut dixi, existentia, consequenter non potest aliquid talem actualitatem obtinere, nisi prout terminare potest talem actionem producentis, seu quatenus per se est quid & producibile, ut nec concipi possit aliquid actu in se existens, nisi prout actu terminavit actionem agentis, utpote virtute cujus arguit existentiam in rerum natura: min. prob. ex dictis supra n.210. quòd gradus tales per se non sint producibiles, nisi causalitate metaphysicâ, quibus existentia conjungi nequit, nisi quatenus illa supponit Essentiam secundùm omnem graduum compositionem jam completè constitutam à gradu entis usque ad infimum individualem.

Confirmatur *primò*: quidquid peculiari existentia producta per propriam causalitatem existit, illius potest assignari idea in mente divina: sed formalitatum & graduum metaphysicorum, imò neque naturæ communis idea habetur in mente divina: ergo. maj. prob. quidquid enim ad extra propria existentia existit juxta rationes æternas in mente divina existit ut secundùm propriam rationem ejus. minor apud multos Scotistas in confesso, qui solùm concedunt ideas in divina essentia respectu individuorum prædicamenti substantiæ & accidentium, & omnium eorum, quæ per absolutam Dei potentiam solitariè existere possunt; atqui certum [illegible] ex dictis non posse illos gradus & formalitates solitariè existere &c. ergo manet, quòd illa non existunt propria existentia, neque sint per aliquam productionem ad peculiarem existentiam producibilia.

Confirmatur 2. Si formalitates rerum diversas & peculiares haberent existentias, nulla solida ratio afferri posset, cur in creatis non possint seorsim produci ac conservari. Sed hæc ratio non videtur urgere, quia dicent non esse magis impossibile, quòd possint per unam productionem multiplicari existentiæ particulares, quàm quòd semel & simul produci valeant multæ subsistentiæ particulares, si tales dentur & sint quid positivum, ut si subsistentia totius

completi integrales v.g. equæ, totius hominis, sit composita ex subsistentiis particularibus, quæ corresponderent partibus totius; neque enim obstat, quòd illi gradus seu formalitates formaliter immediatè non sint capaces existentiæ extra singularia, adeoque non possit sic esse terminus vel effectus physicæ causalitatis immediatè, quia sufficit per talem causam singulis gradibus communicari existentiam mediante composito singulari seu toto physico; si enim singuli mediatè denominentur existentes intra singularia, ita ut quilibet suam habeat denominationem, cur non etiam ibi habebit proprium denominantem actum existentiæ? sed ex hoc ipso, quidquid sit de subsistentiis totius integralis, cujus quælibet pars suam habet existentiam partialem, quia quælibet potest esse terminus physicæ causalitatis, potius habetur oppositum, præsertim in probabili sententia multorum Scotistarum, qui tenent totum physicum importare tertiam entitatem à partibus physicis simul sumptis & unitis realiter distinctam, ex qua doctrina Scotistarum sic arguitur: tertia entitas illa est sufficiens subjectum subsistentiæ totalis unius simplicis, ut posita illa una subsistentia, tota substantia per unicam illam eo modo subsistat, quo suppositum per se debet subsistere, adeoque non sit necesse ut ponantur partiales subsistentiæ istius compositi: ergo ratio à nobis allata potiùs roboratur.

Ad alterum, in quo nulla est paritas cum his, jam patet quid dicendum, nimirum in composito physico plures res reperiri, quæ possunt immediatè terminare actionem physicam, quare non est mirum ibi plures dari existentias, secus est de formalitatibus, quæ non habent aliam causalitatem, quàm quæ est per simplicem dimanationem metaphysicam, adeoque nequeunt esse subjectum existentiæ peculiaris.

Ad Argumenta, quæ in principio Quæst. sub
228 n. 217. in oppositum afferuntur, *ad primum* respondeo implicantiam dicere, quòd causalitas metaphysica terminet aliquid actuale, vel aliquid existens, cùm absolutè effectui non communicetur actualitas, quàm per productionem vel actionem physicam, quia tamen nihil esse potest sine sua propria ratione formali, nam quidquid est, eo modo quo est, habet suum esse, ideo fluxus ille terminat ad esse formalitatum quidditativum, quod exprimitur per definitionem, non habens propriam existentiam, aliter quàm quatenus existentia cuilibet rei adæquat omnes formalitates ipsius faciendo singulas esse existentes. Ex quo patet ad secundum, quod *Smising* affert ex Doct. 2. d. 3. q. 1. §. *Ad quæstionem*, ubi solùm loquitur de natura, secundùm hoc quod quid est definibile, est autem specialis difficultas de natura communi, de qua ibi nihil resolvit, quoad existentiam, sed solùm illam de se nec esse universalem, nec singularem, sed esse priorem, naturaliter illâ ratione

Solutio argumentorum in contrarium.

ipsam contrahente ad singularitatem, & in quantum prior est habere extra animam reale & definibile, secundùm quod habeat unitatem sibi proportionatam & cæt.

Ad tertium ex 3. sect. dico Doctorem non velle, quod possit natura communis intuitivè cognosci extra individuum, & ut est abstracta à singularitate, ut *Pontius* habet 3. d. 14. q. 3. §. *Ad quæstionem*, n. 145. Commentarii. conceditur quidem, quod potest concipi, ut apta ad existendum, non tamen ut immediatè & secundùm se habens talem ordinem ad existere, sed mediante individuo, in quo existit, & hic loquendi modus potiùs colligitur ex 3. d. 22. q. 1. ubi esse existentiæ naturæ non tribuit immediatè, sed individuo, nec obstat quod l. c. dicat, naturam cognitione intuitivâ posse cognosci, *ut præcedit singularitatem*, quia aliud est cognosci intuitivè ut prior singularitate, aliud cognosci taliter, ut est abstracta, primum nihil aliud importat, quàm cognosci juxta subsistendi consequentiam in re individua, in qua tantum existere potest, secundum autem est cognosci taliter non solùm ut prior est individualitate, sed seorsim ab illa & secundùm se immediatè ita cognosci possit valeatque, quod arbitramur esse falsum, & in hoc sensu ait *Brinzennus Controv.* 9. de visione Dei dist. 3. subd. 2. n. 21. quod natura secundùm conceptum & intelligibilitatem anteverrens actum individualem & existentialem, adhuc terminare posset intuitivam notitiam, modò illa conceptibilitatum anterioritas habeat existentiam identicè adjunctam; nam præsuppositio illa metaphysicarum formalitatum, quæ se habent ad instar originis & pullulationis intelligibilis, sicut non tollit simultatem existentiæ realis, ita & ad objectum intuitivæ notitiæ conferre posset: si quis tamen ex textu *Scoti* vellet, salvâ notitiâ intuitivâ, omninò abigere existentiam, vel, inquit, debet dicere *Scotum* sibi non constare, eò quòd supra teneat existentiam accedere post omnium conventum prædicatorum quidditativorum, adeoque fieri non possit, ut ante illam natura ut præcedens singularitatem objectum esse valeat cognitionis intuitivæ, vel ut ipse *Brinzennus* autumat, illum textum ex *Scoto* adductum non esse de assertione proprio sensu & judicio *Scoti*, sed tanquam quid probabile de sensualiorum propositum, quod *Scoto* in more est, dum varia Auctorum placita discutit & exagitat. Vide Brinzenn. l. c. & qui plura desiderat *pro & contra*, accedat Lychetum 2. d. 3. q. 3. & in 3. d. 14. q. 3. §. *Ad quæstionem*, Poncium ibidem & Mastrium l. c. q. 5. per totam.

Brinzenno.

* * * * *

QUAESTIO IV.

in qua

Resolvenda venit Quæstio principalis, sitnè aliqua distinctio possibilis media inter simpliciter realem & rationis?

SUMMARIUM.

1. *Argumentum à non repugnântia,* non implicat, *quando valeat, & quando rejiciendum.* n. 222.
2. *Afferuntur objectiones, quòd si distinctio Scotistica non sit vel rationis, vel strictè realis, chymerica sit.* n. 223. usque ad n. 230. Diluuntur à 227. & seqq.
3. *Divisio entis in reale & rationis nec est adæquata nec immediata.* n. 226.
4. *Pluralitas rerum & pluralitas realitatum in eadem re constituunt diversas distinctionum species.* ibid.
5. *Differentia à priori distinctionis realis & formalis* Scoti. eodem.
6. *Quantitas & latitudo distinctionis Scotistica non ab intrinsecioribus rei prædicatis, sed secundùm majorem vel minorem recessum vel accessum à positivo illo quo privat, metienda venit:* n. 231.
7. *Objectio contra Scotistas ab inconvenienti maximo sumpta expungitur,* à n. 246. & n. 248, usque ad n. 260. *retorquetur in Adversarios.* n. 249. & seqq.
8. *Distinctionem Recentiorum virtualem si detur in Divinis, increatis non esse negandum variè ostenditur.* n. 250. & seqq. *eodem que crimine, quod Scotisticæ impingunt, conspersam esse.* n. 258.
9. *Impetuntur Scotistæ ex propria suâ doctrina.* n. 232. & seqq.
10. *Commentum protervi boys non formis dignant syllogisticis.* n. 260.
11. *Distinctionem Scoti ex principiis negativis adoriuntur, sed refelluntur.* num. 261. & seqq.
12. *Nulla via demonstrari potest, quòd identitas realis negetur per non identitatem formalem, aut identitas formalis affirmetur per identitatem realem. proinde Scotisticam distinctionem ex validissimis rationibus implicas implicare in creatis aut Divinis.* num. 263. & 264.

222 EX Scotistis vix est, qui hanc Quæstionem tractet, sed se figunt in fide & fundamentis Magistri, ex quo dum probant illius actualitatem, certè possibilem supponunt. *Ricciolius* tamen c. 9. de distinct. n. 102. quærit & investigat an sit possibilis formalitas, & distinctio formalis presè sumpta, deinde incidi in amplissimas quasdam Theses *Ioannis Baptistæ Cruxillæ* sub auspiciis Augustissimi Leopoldi I. in Græcensi Universitate disputatas, is in parte postrema seu Metaphysica n. 1712. licèt neget de facto talem distinctionem, si tamen loquamur de ente possibili, ita statuit: *Metaphysicas inter gradus alicujus entis absolutè possibilis possibilem esse distinctionem ex natura rei est probabilius.* Ubi ut firmius procedamus, fateor argumentum *à non repugnantia*, modo quo aliqui in similibus utuntur, v. g. dicendo, *non implicat, non repugnat*, sine aliis rationibus positivis, quibus illius possibilitas suaderi possit, parum probare, quia sicut certum est, multa esse possibilia, quæ nos existimamus impossibilia, quomodo antiqui, ut taceamus supernaturalia, in ipsis naturalibus valde hallucinati sunt, persuadendo sibi orbem sub æquinoctiali planè inhabitabilem, zonam mediam planè torridam, ineptam animalibus edendis aut alendis suo æstu, nunc autem ubi delicatius degitur, quàm sub æquatore ubi Gaza, ubi Taprobana, Amazonum regio, Insulæ Salomonis, sic item magni Viri olim judicarunt implicatorium esse dari antipodas, globum terraqueum ponderibus libratum suis, absque ullo fulcro medio in aëre sustineri, quæ successu temporis non possibilia tantùm, sed de facto dari, deprehensum est; ita certum est, quòd multa possunt implicare, quæ nos implicare non arbitramur, ex eo quòd evidentem nequeamus assignare contradictionem, consequenter sicut si ex defectu notitiæ de omnium rerum natura temerè argueremus alicujus rei impossibilitatem; ita ex eadem pariter temerè argueretur rei alicujus possibilitas, ut meritò dum dicitur, *non implicat*, metuere possimus, ne objectum tale, quod possibile, vel impossibile astruimus, sit ex numero eorum, quorum impossibilitas à nobis ignoratur, proinde per *non implicat*, vel *implicat*, idem omninò dicitur, ac est possibile, se solo nihil omninò pro-

Cruxilla vult Scoti distinctionem esse possibilem.

bans, nisi quòd suspendat intellectum, an illud, de quo quæritur, sit possibile vel impossibile, æquè enim producenti illud *non implicat*, reponi porest pari jure, aliud simile non implicar implicare, ut si quis assereret, in magno tritici acervo omnia grana paria esse, tantum ex eo quòd non apparet imparitas respondeti meritò posset, omnia esse imparia, quia nulla appareat paritas. Itaque distinctionem Scoti possibilem positivis potiùs rationibus & revincendo argumenta in contrarium, haud à sola non repugnantia in propositâ Quæst. probandam suscipimus.

ARTICULUS I.

in quo

Proferuntur & discutiuntur rationes in oppositum,

Quòd ea distinctio necessariò futura sit vel realis vel rationis, ac proinde media sit impossibilis,

Diluunturq;.

123 STatueram hoc Argumentum præterire, utpote cùm æquivocatio in hac vocula, *realis*, jam non latens, sed manifesta sit, & manifesto discrimine jam dudum distincta, & nostro *Fabro* in formalitatibus *Scoti* visa sit puerilis & indigna gravitate philosophica nedum Theologica, & *Bruzennus* Controv. 2. *de Unitate Dei*, artic. 4. *append*. n. 28. dixerit: Adversarios *vocum æquivoco ludere*, *dum obtusè sistunt in nomine realis distinctionis*, *& extorquet à Scotistis*, *quod illi præstant ingenuè & candidè*, quia tamen Viri alioqui gravissimi, in eodem ut ait *Ricciolius* c. 9 de distinct. n. 108. inhærent luto, aut eam dissimulantes, magnam vim habere putant, hinc in capite q. s illud aliis præmittendum duxi. Et quidem Arriaga 1. p. d. 41. sect. 1. n. 5. cum nostro Aureolo q. 1. art. 2. arguit quod vel à parte rei ante operationem intellectus sint duæ formalitates, inter quas versatur talis distinctio, vel tantùm una: si una, ergo non distinguitur formaliter ante intellectum, distinctio enim eo modo quo est, requirit duo. Si verò dicas primum, ergo à parte rei essent proportionaliter duæ entitates. consequentia probatur, quia formalitas ut formalitas, est entitas; ergo si à parte rei duæ essent formalitates, essent à parte rei duæ entitates, ergo à parte rei realiter & entitativè distinguuntur: eo enim modo, quo essent duo distinguuntur, sed realiter & entitativè essent duæ entitates, ergo realiter distinguerentur.

Arriaga.

Aureolus. Confirmatur ex *Aureolo*: Istæ formalitates sunt extra nihil, jam vel illud quo sunt extra nihil, est ipsum fundamentum simpliciter indistinctum, seu res ipsa cui dicuntur immersæ per identitatem, vel sunt extra nihil seipsis formaliter: si primum, ergo erunt ibi proportionaliter plures res & Essentiæ, quandocunque enim aliqua sunt idem, multiplicato uno de necessitate multiplicatur & reliquum, alioquin Idem esset simul plurificatum & non plurificatum. Si secundum, jam habetur propositum, quòd formalitates sint entitates, res, essentia, aliquid, cùm sint quidditates, ergo & res, & aliquid, quæ convertibilia sunt, tum quia hæc non est formaliter nihil, æquipollet huic, est formaliter aliquid, nam duæ negationes affirmant.

Secundò idem argumentum vel potiùs fundamentum illius à plerisque aliis proponi solet: Omne ens adæquatè dividitur in ens reale & ens rationis, ergo omnis identitas & distinctio adæquatè dividitur in identitatem & distinctionem aut realem, aut rationis, consequenter distinctio formalis, cùm non sit rationis, jam ne sit impossibilis & chymerica, erit realis, quod argumentum prosequitur *Bernal de Quieres* in Log. Tract. 2. p. 2. sect. 2. omnis distinctio existens à parte rei, est realis; est enim entis realis: ergo sicut illud ens est reale & verum, quod existit à parte rei, ita & distinctio erit vera & realis, quæ existit à parte rei. Neque obstabit extrema talis distinctionis, non esse strictè res, ut supposita, causa & effectus, producens & productum, nam hoc non obstante, licèt ens aliquod non sit ita strictè res, absolutè dicitur ens reale oppositum ficto: ergo similiter si distinctio detur à parte rei contra distinctionem rationis vel fictam, absolutè erit realis. Eodem modo Bonæ Spei in Log. Tract. primo, d. 2. dubio quinto, numer. 165. fatetur formalem distinctionem ex 124

De quir. rei.

ex natura rei Scotisticam non esse talem, qualis est inter Petrum & Paulum, sed non propterea desinere esse realem, magis quàm brutum desinat propriè esse ens reale, quia non est Petrus aut Paulus; &, si revera detur, manet distinctio Scotica, putamus signa distinctionis propriè realis, quæ communiter assignantur fallere, haud secus, quàm si pro signo puræ negationis afferretur illud, quod opponatur substantiæ, signum negationis fallere diceremus, quia accidens purè opponitur substantiæ, & tamen non est pura negatio. licèt ergo ens aliquod sit non ita strictè res, sed impropriè, illa tamen particula non strictè impropriè non est ita alienans, ut distinctionem illam protendat extra subjectum adæquatum, quod est existere independenter ab intellectu à parte rei, proprietas autem existendi a parte rei non minuitur, quod hanc distinctionem voces formalem ex natura rei, vel ex parte rei, quæ prorsus idem sunt, si non minuitur, ergo distinctio formalis enti reali, ad æqualitatem commensuratur: consequenter est verè distinctio realis, cùm alioqui affictio seu proprietas subjecti protenderetur extra subjectum, quod est ens reale seu existere à parte rei &c.

Diluuntur Argumenta.

225 Expeditiorem puto me parare accessum ad ostendendam possibilitatem hujus distinctionis, si mox ad quasvis oppositiones solidè respondendo eas aut diluamus, aut nullitates esse ostendamus, & quidem argumentum allatum, prout proponitur ab *Aureolo* & *Arriaga* in eo est, quòd putent commentum esse, ea quæ ex natura rei ante intellectum cogitantem distinguuntur ut plura, possint esse idem realiter, cùm nullum identicæ conjunctionis principium eluceat in his, quæ à parte rei seu ex natura rei sunt aliud & aliud, cui innitentes, asserunt extrema distinctionis, aut nullam identitatem realem admittere, consequenter quodlibet extremum, quæ distinguuntur ante intellectum, entitatem esse ab altero realiter distinctam; aut si admittant identitatem realem, quod illa præveniat omnem formalitatum pluralitatem & distinctionem, quia in eandem coincidunt entitatem. Aliud autem argumentum, in quo fundatur primum, se figit in sententia illa Thomistarum, qui, sicut sunt tantùm duo genera entium, nempe vel ens reale, vel ens rationis, ita nonnisi duo agnoscunt genera identitatum & distinctionum, nimirum identitatem realem, quæ talis ut rebus conveniat à parte rei citra quodcunque opus intellectus, vel quia sunt una & eadem res, vel quia important diversas res, quarum una non est alia, & identitatem & distinctionem rationis, quæ talis dicitur, quia non convenit rebus ex natura rei, sed per opus intellectus idem objectum à parte rei indistinctum diversimodè concipientis vel componentis.

226 *Ad secundum* itaque unde pendet responsio ad primum & ultimum, ostendo nullius esse momenti, nam ultrò concedimus *majorem*, de ente reali, quod accipitur pro aliquo vero ente, id est, in ea latitudine, in qua enti rationis opponitur, & de distinctione reali etiam accepta pro distinctione vera non ficta vel facta ab intellectu, & in hac acceptione, qua ens reali enti rationis opponitur, distinctio realis indubiè commensuratur ad æqualitatem enti reali, nec fuit Scotista in mundo, qui neget ens formale seu gradus metaphysicos & formalitates, & similia, prout recedunt & opponuntur nihilo & enti per rationem esse verum ens reale, quia revera & ante opus intellectus subsistit in natura & conditione rerum, imò ea ratione ab illis distinctio inter illa extrema vocatur distinctio ex natura rei, utpote quia subsistit in conditione & natura rerum, quod, & nihil aliud evincunt argumenta *Aureoli*, *Bonæ Spei* & *De Quieros*, verùm comparando deinde illas distinctiones inter se, quoad unitatem & pluralitatem extremorum in subdivisione entis realis fundatam magnum discrimen constituendum esse inter unam & alteram ex illo ipso argumento, quod affert *Bonæ Spei*, deduci potest l. c. nimirum, si daretur distinctio Scotistica, inquit, jam signa distinctionis realis non essent adæquatè assignata: ergo fatetur illam, si daretur, quidem esse realem, non tamen esse verè & in rigore realem, qualem signa distinctionis realis de facto ab Auctoribus admissa indigitant, quod & facilè est ostendere.

Si observes secundum rectum modum dividendi res in scientiis debere esse immediatum & adæquatum in ordine ad membra dividentia, deinde hæc ipsa membra, si fœcunda fuerint, posse subdividi proportionatè in varias species juxta variam rerum & realitatum aut conceptuum unitatem, vel pluralitatem, in quibus fundatur. Itaque in proposito fuge, tolle æquivocationem, dum enim concedunt Scotistæ scientes, quòd nihilo & enti rationis contradicat tam ens reale latè sumptum, ut opponitur nihilo & ficto tantùm, quàm ens simpliciter & strictim tale, quod præterea opponitur ut membrum referens propriam sui existentiam contra alterum, quod non refert propriam existentiam, adeoque concedendo Adversariis majorem, non statim concedunt suam distinctionem esse taliter realem, qualis est inter extrema existentia aut subsistentia, quæ referunt à se propriam existentiam & subsistentiam, hoc modo enim divisio entis in reale & rationis, nec est adæquata nec immediata, essetque minor concedenda, sed neganda major, itaq; divisio entis in objectione posita in reale & rationis (idem est de distinctione in realem & rationis) est primò in ens rationis & reale generalissimè sumptū pro vero ente,

Divisio rerum qualis.

ut contradicit nihilo & enti per intellectum ficto, & hoc membrum dividens deinde subdividitur in ens reale physicum, id est, quod non solum à nihilo recedit, & enti ficto contradicit, ut ens reale latè sumptum, sed & quod in se, & à se, id est, ratione sui per propriam, quam sortitur, existentiam, fundat pluralitatem vel unitatem simpliciter, seu rerum, potestq; terminare physicam causalitatem, & in ens formale seu metaphysicum, per identitatem realem in entitate physica immersum videlicet, quod non sortitur propriam existentiam, secundùm quam posset terminare physicam causalitatem, neque aliam fundat unitatem vel pluralitatem, quam secundum quid, quæ formalitatum dicitur, sic & distinctio realis subdividitur in distinctionem realem simpliciter seu pluralitatem rerum propriam existentiam habentium, unde & vocatur distinctio inter rem & rem, quarum quævis physicam sui potest terminare productionem, & in distinctionem, quæ fundatur super pluralitatem secundum quid, quæ est pluralitas non rerum, sed realitatum duntaxat & formalitatũ, non habentium propriam existentiam, sed participativè tantum, fundamentaliter, & identicè in termino communi, quatenus sunt aliquitates, vel quidam gradus Essentiæ illius, eiq; realiter identificati, ratione cujus identitatis, licèt sint formaliter ex natura rei distinctæ, sunt realiter aliquid rei & oppositum ficto & nihilo, cum ut dixi, quod opponitur nihilo & entibus rationis, tam comprehendit partialitates essendi, quàm ipsas essentias propriam existentiam habentes. Ad hanc igitur & tam diversam extremorum pluralitatem, nempe pluralitatem rerum, & pluralitatem, non in diversis rebus, sed in eadem entitate salvâ identitate reali, repertam inter aliquitates rei, an non necessariò consequantur & consurgant diversæ rationis distinctiones, ostendemus à priori.

Et quidem distinctio inter res seu entitates, quæ proprias habent existentias, ac ideò jure meritò sui superioris retinet vocem, quòd dicatur propriè & strictè & simpliciter realis, sicut negatio, quæ *ut sic*, dividitur rectè in privationem & in negationem particulariter dictam, retento scilicet superioris sui nomine, dicitur negatio quæ non est confundenda cum privatione propriè dicta, esto sit etiam suo modo negatio, ita esto distinctio, quæ non est inter res propriâ subsistentes existentiâ esto sit latè identicè *Doctrina notanda.* seu participativè realis, attamen duntaxat est inter duas unius essentiæ aliquitates & rationes formales diversorum graduum solùm, vel inter extrema, ex natura rei quidem alia & alia in sensu explicato, id est, manendo inter se realiter identificata, minimè tamen est realis simpliciter, accepto reali in sensu dicente rem & rem, propriis existentiis existentes, ut nemo nisi ambos oculos claudere velit, videre non possit rationem genericam ad utramque distinctionem in eo consistere, quòd utraque requirat discretionem extremorum ante intellectum cogitantem, formale autem constitutivum & distinctivum realis simpliciter à distinctione formali consistere in eo, quòd illa sit inter rem & rem, quibus alia correspondet existentia, vel subsistentia, ut in Divinis, posito quòd tres subsistentiæ Divinæ unicâ existerent existentiâ. Itaque ratio à priori seu differentia contrahens distinctionem actualem ante intellectum ad constituendam distinctionem realem est diversitas rerũ & simpliciter talis nata per propriam existentiam extremorum physicâ sui causalitate producibilium, econtra distinctionis formalis constitutivum, quo opponitur distinctioni simpliciter reali, est diversitas rationum formalium duntaxat metaphysicalium seu pluralitas cum identitate reali extremorum in unica entitate adæquatè conceptibilium & unicâ existentiâ existentium. Ad distinctionem prioris generis sequitur alia differentia, quâ cognosci potest, ut *à posteriori*, scilicet quòd possint distincta realiter separari entitativè mutuò vel non mutuò ad minus per Dei potentiam, vel saltem correspondeant his proportionatè, quæ possunt separari entitativè, quæ nimirum ita se habeant, quòd unum dependeat ab alio, & se habeant per modum producentis & producti, causantis & causati, quod est adæquatum & convertibile signum, unde a posteriori agnosci potest distinctio realis. Ad distinctionem posterioris generis sequitur similiter alia differentia, unde illam à posteriori cognoscimus, puta non posse distincta formaliter ex natura rei, ne quidem divinitùs extrema inter se mutuo vel non mutuò separari realiter, sed secundùm solam conceptibilitatem ex natura rei debitam apud intellectum perfectè & adæquatè concipientem. Ex quo iterum, ut *à posteriori* colligimus hanc distinctionem non esse realem simpliciter. Jam respondeamus ad Argumenta in particulari, ad id *Aureoli* & illud *Arriagæ*; nam primò

Ex his patet ad primum *Aureoli* & *Arriagæ*: 227
unde respondeo in forma concedendo ibi esse *Responsio* à parte rei ante opus intellectus duas formalita- *ad rationem in* tes, inter quas versatur illa distinctio formalis, *oppositum* negando consequentiam, quòd ideo à parte rei *ab Aureo-* sint duæ entitates, consequenter distinguantur *lo & Ar-* absolutè & strictim realiter, quia in rebus, ut *riaga al-* vidimus, non tantum entitates, quæ sunt ens *latum.* physicum seu existentiale, sed etiam esse metaphysicum ab eo realiter indistinctum reperitur, sic in homine à parte rei non datur solùm corpus & anima, sed & animalitas & rationalitas, quæ licèt sint duæ formalitates, non tamen sunt duæ entitates propriis gaudentes existentiis, sed solum perfectiones alterius rationis in eadem physica hominis entitate per realem identitatem immersæ, à talibus autem perperàm procedit *Arriaga* ad res seu entitates physicas. Suppono te intellexisse, nos physicum ens hic non vocare id, quod sensibiliter tantùm aut physicis subjacet mutationibus, sed quodlibet ens reale, quod in se & à se, seu ratione sui propriâ existentiâ existit, adeoque quod propriam refert existentiæ actualitatem a cujuslibet alterius entis actualitate consideratam; quia ab extremis unius generis distinctorum ad alterius

generis

generis extrema, & consequenter inferre, *ergo distinguuntur realiter*, non valet consequentia, causa hujus jam clarè est assignata, si enim ex vi nominis haud idem important res, entitas & realitas, essentia & formalitas, minimè sequitur ad multiplicationem formalitatum seu realitatum plurificari quoque entitates, ut malè inferebatur.

228 Ex quo itidem exploditur id *Aureoli*, quando aliqua sunt idem, multiplicato uno, multiplicari & reliquum, si ergo formalitates in eadem re plurificantur, rem ipsam seu fundamentum, cui dicuntur immersæ per identitatem necesse est plurificari; nam verum est rem ipsam quoque multiplicari, non tamen realiter per pluralitatem simpliciter, sed formaliter per pluralitatem secundùm quid seu formalitatum, sicut enim nostra distinctio stat cum identitate reali, ita pluralitas formalitatum seu secundum quid stat cum unitate rei, nec unquam poterit ostendi repugnantia, cur cum unitate simpliciter non possit stare pluralitas secundum quid.

229 Ex quibus perspicuè [illegible]is hoc argumentum, quod communiter & à multis supponitur ut certum, nimirum distinctionem formalem, nonnisi verbis differre à reali, eo quod hæc formalitas secundùm Scotistas detur, quæ non est illa, & alia, quæ non est ista, & quòd eadem distinctione distinguantur materia & forma, quæ certum est realiter distingui, cùm materiam & formam realiter distingui nihil aliud est, quàm materiam non esse formam, cernis, inquam, haud, ut putat, *Oviedo* validum esse, sed frivolum, satis enim ostendimus verum non esse, quod realiter distingui, nil aliud sit quàm unum ante intellectum cogitantem non esse aliud, in quo utraque distinctio velut in ratione communi & generica cernuntur convenire, sic vi utriusque quidem verum est unum extremum non est aliud, sed cum differentia, de distinctis enim realiter distinctione reali primi generis seu pressè & simpliciter sumpta dicitur absolutè *hoc non est illud, hic non est ille, hæc non est illa*, quia ly *est* involvit ibi in prædicato & subjecto propriam existentiam aut subsistentiam; de distinctis autem distinctione secundi generis seu ex natura rei formali similiter quidem verè dicitur, *hoc non est illud*, non tamen absolutè & simpliciter, entitativè & realiter, sed secundum quid dicendo: *hoc non est ex natura rei formaliter illud*, ubi existentia subjecti reciprocatur in prædicato ac si diceres, hoc, quod cum alio realiter existit, illud non est formaliter illud, quæ simul stant excludendo à se distinctionem aliam rigidè realem.

230 Urget *Arriaga* secundùm *Scotum* 1. d. 2. per hanc distinctionem, quando unum abstractum prædicatur de altero abstracto, non est vera propositio, *rogo an solùm sit falsa ratione nostra, an etiam realiter*: si solùm ratione, *jam ea prædicata non distinguuntur*, si verò *realiter*, *habetur intentum*, quod unum realiter non est aliud, eo enim modo, quo unum non potest verè de alio prædicari, eo unum non est aliud.

Pro responso vide quæ Tom. 2. *Controv.* 9. q. 1. art. 4 n. 496. diximus ex *Scoto* 1. d. 30. q. 2. pro intelligentia hujus termini realiter scilicet *To realiter* in duplici sensu sumi, semel prout determinat compositionem, *& tunc*, ait Doctor, *nihil aliud est, quàm illud, quod verè est, sicut ista propositio est realiter falsa, hoc est, verè est falsa*. hoc sensu dicimus de homine verè pio & religioso, quòd sit realiter virtuosus, realiter pius &c. & distinguitur contra fictionem. Secundò sumitur prout opponitur in Schola *Scoti* contra ly *formaliter*, quod additum termino *idem* dicit identitatem ex natura rei formalem, quæ concipitur per consensum in omnibus prædicatis seu per repugnantiam ad prædicata contradictoria, & in hoc sensu ly *realiter* determinat prædicatum esse cum subjecto identicè unum, attamen per non repugnantiam ad contradictoria. Explicatio congrua termini.

Respondetur nunc ad argumentum, imprimis non esse verum, quòd *Scotus*, prout præfertur, simpliciter & absolutè doceat hanc distinctionem esse sufficientem, ut quando unum prædicatur de altero in abstracto sic distincto, sit falsa propositio, sed hoc tantùm docuit de prædicatione in abstracto in creatis, ut liquet 1. d. 8. q. 4 ad argumentum princip. n. 25. ubi inquit, *abstrahendo illas realitates, quæ sunt in eodem, puta realitatem generis & differentiæ & considerando eas præcisissimè utraque est finita, & neutra est perfectè eadem alteri, non enim sunt modo eadem inter se, nisi propter tertium, cui sunt eadem, & ideo si abstrahantur à tertio, non remanet causa identitatis eorum, quare hæc non est vera nec formaliter nec identicè*, animalitas est rationalitas, & mox ut in Divinis dicendo sapientia est Deitas, vel justitia vel bonitas, licèt istæ propositiones non sint veræ formaliter, quia extrema non sunt eadem formaliter, adhuc tamen sunt identicè & realiter *veræ, quia remanet utrumque extremum adhuc in tali præcisione formaliter infinitum, & ex quo infinitas est ratio identitatis eorum, factâ tali præcisissimâ abstractione, remanet ratio identitatis eorum*, in Divinis proinde hæc propositio *sapientia est bonitas*, est realiter ac identicè vera, formaliter est falsa, & cùm ait Arriaga, *rogo jam an solùm sit falsa ratione, vel etiam realiter falsa*, Respondeo secundùm primam hujus termini acceptionem, quòd sit realiter falsa, id est, quòd sit verè falsa & non tantùm ratione nostra, cum quo stat, quòd sit realiter vera in secundo sensu, ubi ly *realiter* determinat prædicatum cum subjecto realiter esse identificatum identitate non formali, quæ per repugnantiam concipitur ad contradictoria, & ideo ea est formaliter falsa. *Sapientia est bonitas*. sed *reali*, & ideò in illo sensu est realiter vera, ubi scilicet copula *est*, significat ly *realiter* non esse tantum veritatis expressivum, quod est quid consequens ad esse vel non esse rei; sed & prædicati determinativum, ita ut ad esse illius sit quid intrinsecum, exprimens identitatem realem in illo ad suum subjectum, econtra identitatem formalem in illo ad suum subjectum excludens. Cajetanus retunditur.

Instabis ex *Cajetano*: Distinctio formalis est 231

major in actu, quàm realis, non ergo debet negari esse realis: *assumptum* prob. illa est distinctio major in actu, quæ fit per intimiora rei, quàm illa, quæ fit per minus intima, sed distinctio formalis fit per magis intima, quàm ipsa distinctio realis, maj. pr. quia distinctio per differentias essentiales major est distinctione per differentias accidentales & extrinsecas: min. prob. etiam: quia distinctio formalis est per prædicata essentialia, quæ sunt magis intima rebus, cùm conveniant in primo modo dicendi per se, quàm realia, quæ conveniunt ratione entitatis, cum qua identificantur plures Formalitates. Ad hoc Argumentum respondent Formalistæ communiter, *Mastrius* d. 6. Met. q. 11. n. 232. neg. ans. ad cujus probat. negat *majorem*, quia & cum illis cur una distinctio fit major altera non ex eo attendi debet, quòd fit magis vel minus intima, aliàs distinctio specifica esset major generica; eo quod illa fiat per differentias essentiales magis proprias & intimas; ista verò per communiores, sed absolutè loquendo illa est major distinctio quæ non infert aliam, seu quæ est compossibilis cum identitate opposita illi distinctioni, ita Formalistæ nostri passim, quorum responsio soli nostro displicuit *Baroni* in Metaph. Apol. 6. art. 9. n. 1. ubi dupliciter respondet: primò ibi omnia *Cajetano* concedit, nimirum distinctionem formalem ob allatas rationes in argumento esse majorem, quàm sit realis, imò inferre realem, quando completa est, ut in diversis speciebus v. g. homine & bruto, non item quando incompleta est ut hic, quia est tantùm inter formalitates. Secundò respondet, distinctionem formalem esse quidem majorem reali, non tamen esse ipsam, sed aliam, nec inferre eam, quia quod dicitur major distinctio inferre minorem, accipiendum est, & intra eandem lineam, ut major materialis inferat minorem materialem, major formalis minorem formalem, non è converso. Verùm hæc responsio meritò è *Scoti* Schola rejicitur, quæ nusquam admittit distinctionem formalem esse majorem in actu, quàm sit distinctio realis, tum

Cajetan. retunditur.

quia hæc sumitur ab entitate perfecta existentiam propriam referente, formalis autem ab aliquitate vel essendi partialitate propria existentia & subsistentia carente, tum quia, cum distinctio unitati, in qua proximè fundatur identitas, aliquo pacto opponitur, utpote quæ super pluralitate fundatur, consequenter distinctio sit quoddam *non esse* positivæ entitatis, cujus quantitas & latitudo per majorem vel minorem recessum vel accessum à positivo illo quod negat, metienda sit, perspicuum est, distinctionem realem esse majorem formali, omninò siquidem recedit realis ab unitate, quia fundatur super pluralitatem rerum simpliciter, formalis non ita, consequenter realis privat omnino identitate reali, formalis verò minimè, quia stat cum identitate reali, & fundatur duntaxat super pluralitate formalitatum, quæ est pluralitas duntaxat secundùm quid, unde communis responsio Formalistarum optima est & fundata, *Baronis* minimè, non prima illa, ut jam liquet ex ratione, cui adde eum perperam secare distinctionem formalem in completam & incompletam, quam tamen gratis dato, quia posses illam vocare completam ab uno extremo, ut quæ est inter Naturam specificam completam & rationem individualem, falsum tamen est dari distinctionem formalem ut comparatam ad diversas species, v. g. brutum & hominem, illæ namque inter se fundant distinctionem realem, quid ergo illis inter se separatis cum distinctione formali? nec valet secundum responsum ex eadem ratione. Quòd dicat autem esse quidem majorem, *non tamen ipsam, sed aliam*, quam nullo modo explicat, & si explicare illam alietatem vellet, non posset, nisi stando in principiis à nobis supra allatis, & explicatis, sicque necessariò redit ad illos, & responsum Scotistarum, quod absque fundamento improbavit, unde meritò suo diffidit responso, quo tamen secundum non est melius. Si placet, vide *Mastrium*, & ipsum *Barell. cc.*

ARTICULUS II.

§. I.

Distinctionem Scoticam impossibilem esse, ostendere satagunt ex propria Scotistarum doctrina.

232 *Fundamentum quorundā contra Scotistas.*

De Quieros, ut supra q. 2. §. 3. n. 212. objicit Scotistis, quòd non explicent, quid sit identitas realis, nam dicis, inquit, esse vinculum inseparabilitatis, & cùm ratio hujus vinculi inquiritur, respondes esse identitatem: ecce petitionem principii.

Alii refellunt ut impossibilem distinctionem Scotistarum ab ipsa identitatis formalis, quam assignant, explicatione, nimirùm quòd non solùm supponant identitatem realem inter distincta formaliter ut qua sine distinctio illa esse non potest, sed quod præterea secundùm datam identitatis explicationem intrinsecè

secè inesset in ipsamet identitate eorum formali opposita distinctio tum formalis, tum realis; quod implicat: sequela prob. quia identitatem formalem Scotistæ dicunt esse eorum, *quorum unum alterum includit in sua ratione formali, & in primo modo dicendi per se*, quo sensu est definitio eadem formaliter suo definito, constitutivum suo constituto & cær. probatur: quia identitas formalis intrinsecè dicit inclusionem alterius in primo modo dicendi per se, ergo in ipsamet formali identitate datur includens & inclusum formaliter distincta. prob. quia includens & inclusum sunt diversæ rationes objectivæ, sive diversæ formalitates, sed inter tales est distinctio formalis, sicut ubi sunt diversæ entitates, est distinctio entitativa, ergo in ipsa identitate formali inesset opposita distinctio formalis, quod est chymericum.

Secundum quod in ipsamet formali identitate Scotistarum esset quoque distinctio realis, probatur etiam ex mente Scotistarum, tunc aliquid formaliter identificatur alicui, quando est de essentia ejus, vel intrinsecum constitutivum ejus, indubiè enim si quæ est inter illa, est identitas formalis, atqui in hoc sensu materia & forma identificantur cum toto, & tamen ab eo realiter distinguuntur, juxta probabilissimam sententiam Scotistarum, ergo in ipsa identitate formali etiam deprehenditur distinctio realis, quod manifestam implicantiam dicit.

Confirmatur utrumque, sive dicant Scotistæ superius esse idem formaliter cum inferiori, aut inferius cum superiori, in quo discordant inter se, illa tamen semper comparantur inter se, ut pars & totum, sicut ergo implicat secundùm illos, partes totius physici identificari realiter ac entitativè cum toto physico, ita etiam implicat partem totius metaphysici identificari formaliter cum toto metaphysico, aut econtra totum cum parte: ergo in ipsa identitate formali tum realis cùm etiam formalis est distinctio, partium scilicet à toto, cui tamen sunt essentialiter eædem. sicut ergo perspicuum est, impossibilem esse talem identitatem, quæ essentialiter imbibat distinctionem sibi contradictoriè oppositam, ita & ipsam distinctionem impossibilem esse tenendum.

§. II.

Identitas quid sit, seu in quo consistat?

233 IDentitas græcè ταυτότης, dupliciter capitur, semel scilicet formaliter, & iterum fundamentaliter. Ubi imprimis certum est, identitatem fundamentaliter acceptam existere in positivo; cùm sic constituatur vel in ipsa rei unitate, vel in positivo indistincto ab entitate rei, ita ut per illud ipsum constituatur aliquid idem, per quod constituitur in esse, & à quovis alio diversum. Identitatem formaliter acceptam noster Mauritius in *Epit. Formalit.* & alii nonnulli constituunt è contra in negativo, eo quod per negationem distinctionis explicetur. Sed

234 *Dico primò*: Identitas formaliter sumpta, veriùs constituitur in positivo, ita coll. ex *Scoto* l. 5. metaph. q. 12. sub scholio 3. n. 4. ubi sustinet, identitatem importare relationem realem, & potest probari ratione, in tantum enim aliqua dicuntur eadem, quatenus sunt unum, seu quatenus adunantur in aliquo esse; proinde cùm unitas quid positivum dicat, ita & identitas, id quod insinuat ipse *Aristoteles* 5. Metaph. t. 16. dicens: *Identitas unitas quædam essentiæ est*, id est, proportionaliter de identitate ac de unitate, in qua fundatur identitas, discurrendum est, non quòd identitas sit formaliter unitas, nihil quippe fundatur in seipso, sed quia sit unitas quædam fundamentaliter, tum quia unitas græcè ἑνότης, quæ est formaliter indivisio rei in se, de suo conceptu formali, non respicit plura, quæ cogat in unum, secus est de identitate, quæ plura cogit in unum, vel saltem refert ut unum esse vel realiter, vel formaliter, tum etiam, quia unitati opponitur multitudo ex 10. Metaph. t. 3. identitati verò negatio identitatis vel distinctio 4. Metaph. t. 21. itaque identitas non est formaliter unitas, sed fundatur in unitate.

In quo consistat identitas.

Hoc ergo supposito, quod sit quid positivum, esto identitas aliquando per negationem explicetur, quomodo explicamus v. g. spiritum per negationem corporis, in quo sensu fortè noster Mauritius loquitur supra.

Dico secundò: Identitas formaliter sumpta non consistit in absoluto, sed in respectu æquiparantiæ, quo æqualiter utrumque denominatur extremum, colligitur expressè ex Scoto 235
l. 7. Metaph. Summæ secundæ, c. 1. n. 29. & 30. item ex Scoto l. v. Met. q. 21. Scholio 3. n. 7. ubi solvit argumenta in contrarium. Item & ex Aristotele 5. Met. t. 20. ubi numerat identitatem inter relationes primi modi, quæ in unitate fundatur dicens eadem dici, quorum substantia est una, nam sicut similitudo in specie, qua dicitur aliquid simile in specie, est convenientia in qualitate, & æqualitas convenientia in quantitate, ita identitas v. g. generica, quâ aliqua dicuntur genere unum, est convenientia plurium in genere, specifica, quâ quædam specie unum dicuntur, est convenientia plurium in specie sed convenientia similitudinis & æqualitatis essentiarum

sunt

funt relationes, ergo & convenientia identitatis plurium in eadem essentia & substantia, tum quia fundantur æqualiter super unum principium numeri immediatè, esto remotum fundamentum est, res diversorum generum secundùm unam viam, & secundùm aliam viam.

236 Quæ porrò identitas, & quando sit relatio rationis, vel realis, discernendum est ex conditione extremorum, an scilicet ipsa sint realia & realiter distincta, quâ ratione identitas generica vel specifica est realis identitas, ut Doctor a. d. 3. q. 1. identitas econtra, quæ numerica dicitur, erit solùm identitas rationis, quoad veritatem rationis formaliter importatæ, quia non habet extrema à parte rei distincta, sed tantùm ratione, quæ unum apprehendit ut duo, ejusdem autem ad seipsum nequit esse relatio realis; dixi quoad veritatem relationis formaliter importatæ; nam secundùm veritatem fundamenti, sicut nulla major unitas, quàm ejusdem ad se reperiri potest, ita nulla major veriorque identitas, quàm ejusdem ad seipsum, vide de hoc *Scotum* II. cc. & d. 31. qu. 1. & *quodl.* 8. & alibi. hic non est locus insistere diutiùs naturæ identitatis formaliter acceptæ, tum realis, tum formalis.

Sit itaque

§. III.

Quid sit identitas realis in Schola Scoti?

AD solvendum Argumentum, quod primâ fronte satis molestum apparet, identitatis notio tum realis cum formalis scitu necessaria est, & quia plerique diversimodè de iis philosophantur:

237 *Inseparabilitas nō est constitutivum identitatis.* *Dico primò*, falsum esse, quòd inseparabilitas sit constitutivum identitatis realis, quin potiùs si sit inseparabilitas tam actualis, quàm potentialis & proportionalis, est quid consequens, ex quo velut signo à posteriori identitas colligi valeat. Prob. 1. pars: quia multa sunt inseparabilia, quæ tamen dignoscuntur esse realiter distincta. Secunda pars prob. etiam: quia sicut ex separabilitate tam actuali, quàm potentiali, aut saltem proportionali, id est, eorum, quæ etsi sint inseparabilia in esse, se tamen habent proportionaliter, sicut illa quæ sunt separata, vel separabilia, quia nimirum se habent ut causa & causatum, & unum essentialiter dependet ab alio aut alio consimili modo, ut ratione talis originis & dependentiæ contradictoria de illis verificari possint, in hoc enim consistit separabilitas proportionalis, sicut inquam ex tali separabilitate, ut à posteriori colligitur distinctio, ita ex inseparabilitate opposita identitas tanquam ex signo à posteriori, unde immeritò *Bernal de Quieros* l. c. & alii obtrudunt *Scotistis*, quasi identitatem explicent per vinculum inseparabilitatis, & hoc iterum per identitatem, etsi enim hujusmodi inseparabilitas ut opponitur triplici illi separabilitati, secundùm illos sit adæquatum & convertibile signum identitatis realis, nullatenus tamen constituunt in eâ formaliter ipsam identitatem, sed insinuant per illam tanquam à posteriori ipsam realis identitatis naturam, sicut indicamus per separabilitatem oppositam naturam distinctionis realis.

Dico secundò: Identitatem realem, de quâ modo distinctioni reali opposito discurrendum est, fundari super unitatem essentiæ & existentiæ. prob. distinctio realis in creatis fundatur in pluralitate rerum propriam existentiam habentium, ergo identitas opposita fundatur in unitate essentiæ & existentiæ, ita ut, quæ hac identitate inter se realiter identificantur, etiam reentur & realizentur per unam in eadem singulari essentia, existentiam, quâ solâ & unicâ pariter existunt, adeoque identitas realis dicat plura quidem, sed in unitate secundùm essentiale; quod, ut quorundam objectionem anteveritamus, quia esse essentiale dupliciter intelligi potest, puta vel pro aliqua formalitate, vel pro aliqua integra essentia, ut est natura humana, cautè intelligendum est, nam in hoc secundo duntaxat sensu essentia fundat identitatem realem, secus in primo; essentia enim in solo secundo sensu ex propria sua significatione dicit naturam integram, quæ includit totam illam seriem rationum metaphysicarum generis & differentiæ, & quorumcunque ordinabilium in prædicamento, estque immediatè capax propriæ existentiæ, quare gradus metaphysici non sunt essentia, sed in essentia singulari hac identitate reali inter se identificati, sic realiter identificantur genus & differentia in communi constituto, quæ in se considerata sunt quidem ratione essentiales seu prædicata quidditativa (qua ratione *Scotistæ* passim secundùm unam acceptionem identitatis essentialis confundunt & vocant hanc identitatem realem, identitatem essentialem, eò quòd hac identitate identificentur & communicent uni essentiæ singulari, seu quia eandem participant essentiam) non tamen sunt essentiæ in seipsis, quæ ex propria sua significatione dicunt naturam integram, id est, quæ dicat aliquid à par- 238 *Identitas realis fundatur in unitate essentiæ & existentiæ.*

à parte rei in recto, sitque immediatè & gratiâ sui capax existentiæ, sed duntaxat sunt gradus Essentiæ nullatenus ex seipsis ordinati ad existentiam, cujus sint capaces immediatè, sed realizantur, ut dixi, ex ratitudine Essentiæ, cui identificantur, & per ejus existentiam existentiantur. Sic etiam se habent subjectum & proprietas illius & perfectiones attributales in Deo & alia quæcunque in una Essentia singulari identificantur. Ex quibus

Dico tertiò: Identitatem realem consistere in conjunctione identica plurium eandem essentiam & existentiam participantium, patet ex dictis, ut opus non sit huic ampliùs immorari. Sit 239

§. IV.

Quid sit identitas formalis. ubi de loco Doctoris 1. Sentent. d. 2. q. 7. §. *Sed hic restat*, cùm ait: *Voco identitatem formalem, ubi illud, quod dicitur sic idem, includit illud, cui sic est idem, in ratione sua formali, & per consequens per se primo modo.*

240 EX hoc textu Doctoris antiquiores Scotistæ desumpserunt supra in argumento n. 215. adductam formalis identitatis descriptionem, quod sit eorum, *quorum unum includit alterum in sua ratione formali, & in primo modo dicendi per se*, econtra distinctio formalis sit eorum, *quorum unum non est de conceptu formali alterius*, seu de quo sit verum dicere, quòd non sit formaliter illud. Jam attende, quæ sequuntur: de quocunque allud includente, verum est dicere, quod non sit illud aliud, quod est inclusum v. g. de homine includente animal, verum est dicere, quòd non sit formaliter animal, aut certè vicissim secundùm aliam opinionem, quòd animal non sit homo, & consequenter quòd homo distinguatur formaliter ab animali: & similiter, quia distinctio debet esse mutua, ut mox infra, verum est dicere, quòd animal in homine non sit formaliter homo, & consequenter animal formaliter distinguitur ab homine, quomodo ergo salvant Scotistæ auctoritatem Magistri, quòd illa sint formaliter idem, quorum unum formaliter includit alterum?

Respondent Scotistæ antiquiores confugiendo ad distinctionem & identitatem non mutuam, ut sit duplex identitas formalis nempe mutua, quæ versatur inter illa, quorum unum identificatur alteri formaliter, & è contra, ut homo & animal rationale: non mutua sit illa; quorum unum est de conceptu alterius, non è contra, seu quorum illud, quod dicitur idem formaliter, includit illud, cui dicitur idem formaliter in sua ratione formali, sed non è contra, proinde illud, quod includit aliud in sua ratione formali, erit idem formaliter illi alteri, & consequenter non distinguitur formaliter ab illo: illud autem alterum, quod non includit aliud, sed est ipsum inclusum, non erit idem formaliter ipsi, proinde distinguetur formaliter ab illo. Ecce distinctionem non mutuam, & per hanc salvant locum Doctoris, & solvunt argumentum superiùs allatum.

241 *Distinctio non mutua rejicitur.* *Dico primò*, Doctrinam de identate & distinctione non mutua, esto fundent illam super rationem constituentis & constituti, non super unum & multa, seu primum modum relativorum, sicut in meo *Unilabio*, ita hic tanquam imperceptibilem, esse rejiciendam. *prob.* non enim fieri potest, ut unum identificetur cum alio, & hoc maneat idenficatum cum illo. Secundò sequeretur manifesta implicantia, quod per identitatem formalem ab extremis tolleretur, & simul poneretur multiplicitas, tolleretur, ut supponitur, quia unum identificatur cum alio; non tolleretur, cùm enim non identificetur vicissim cum illo, reveta aderit multiplicitas, & sic contra naturam identitatis, ut dicebatur in objectione, erit distinctio in ipsamet identitate. Probatur 3tiò ex Ingenti Scotistarum dissidio de identitate & distinctione hac non mutuâ inter inferius & superius, de quo vide Saxium in sua Catastrofi tom. 1. d. 7. q. 4. art. 2. n. 108. & seqq. & art. 3. nam ex modo loquendi Doctoris *Sirectus*, *Mauritius*, *Vallon*. & alii acriter contendunt, inferius esse idem formaliter suo superiori, quia illud includit in sua ratione formali, seu includens sit idem formaliter incluso, Inclusum autem distinguitur ab includente, & his putat *Poncius* l. c. patrocinari locum *Scoti*; idem censet *Saxius* l. c. art. 1. de ident. & distinct. qui art. 3. tamen n. 117. utramque sentent. conciliare conatur ad mentem Doctoris, vide ipsum l. c. Alii econtra mordicùs volunt superius identificati formaliter suo inferiori, quia illud, quod includitur formaliter, est essentialiter in alio, est idem formaliter illi, cui includitur, ut animal v. g. homini, & non distingui formaliter ab illo, illud verò quod includit aliud in sua ratione formali, distingui formaliter ab incluso, ut homo v. g. ab animali. Ita *Bassolius*, *Trombeta*, *Rhada* & alii. *Digladiantur inter se Scotistæ.*

Ad

242 Ad devitandam & sopiendam hanc litem, aliter Scotistæ recentiores, ut *Poncius* d.71. de distinct. n.75. & *Faber* in suis formalit. & alii melius sanè respondent, ex prædicto loco Doctoris concludi debere identitatem formalem inadæquatam, eam scilicet, quæ reperitur inter ea, quorum unum includitur in alio, in quo aliquid aliud etiam includitur, seu quæ est eorum, quorum non omne, quod includitur in uno, in altero quoque includitur, quamvis aliquid unius includatur in altero, sic homo & animal inadæquatè sunt diversa, quia homo dicit, quidquid dicit animal, & aliquid amplius; unde rectè Scotistæ dividunt identitatem formalem in adæquatam & inadæquatam jam explicatam, ex qua per oppositum patet, quid sit identitas formalis adæquata, scilicet esse eorum, quorum unum non includitur in alio essentialiter, nec è contra, vel si se includant, tunc unum nihil includat essentialiter, quod non includat & alterum, adeo ut habeant & dicant eandem formalitatem, & rationem conceptibilem ex natura rei eandem, possitque aliter explicari per consensum & indistinctionem in omnibus prædicatis, ut nihil possit dici de uno, quod non dicatur de altero, adeoque per repugnantiam ad prædicata contradictoria, quia non ponuntur contradictoria inter seipsum & seipsum sibi omni modo ex natura rei idem, unde & describunt nonnulli *Scotistæ* identitatem hanc, quà illa sunt idem inter se, de quibus duo prædicata opposita, secluso opere intellectus collativi verificari non possunt, illa econtra sint formaliter distincta, quæ habent aliam & aliam formalitatem seu rationem conceptibilem ex natura rei diversam, quæ alibi per non repugnantiam ad prædicata contradictoria explicavimus, ut possint secluso opere intellectus de iis verificari contradictoria, nam certum, superius & inferius in hoc sensu esse formaliter distincta ac contradictoriorum capacia, sic alia est ratio humanitatis à ratione animalitatis, esto eam includat, imò per hoc quod eam includit & non ab ea includitur, admittit contradictoria, adeoque distinctam ab eâ rationem formalem; & hoc totum concedit & refert ipse *Mastrius* disp. 6.q.11.n 210. approbat item divisionem identitatis & distinctionis formalis in adæquatam & in inadæquatam q.7.n.165.& alibi. quare nullo ex fundamento & ex nulla necessitate defendit nihilominus identitatem & distinctionem formalem non mutuam, quæ cùm ex parte utriusque extremi sit inadæquata ex dictis, mutua quòd sit, consequens est.

243 *Dices* pro distinctione non mutua contrà identitatem illam utrinque inadæquatam, esto animalitas non prædicetur formaliter de homine in abstracto, eo quòd sic ab inclusione sui in homine abstrahit, in concreto tamen prædicatio hæc: *homo est formaliter animal*, vera est; quia sic nullatenus abstrahit ab inclusione, sed hæc ut patet ex textu Doctoris, sufficit ut dicatur idem formaliter homini: ergo à parte unius extremi non datur distinctio, adeoque nec mutua datur, quæ sit inadæquata.

Respondeo hic breviter cum *Poncio* l.c. quia pluribus de hoc agetur in solutione argumenti, secundùm quamcunque rationem animal potest prædicari de homine, secundùm eandem rationem potest prædicari saltem prædicatione indirectâ de eodem animali, proinde non dabitur distinctio non mutua. Deinde animal non prædicatur adæquatè de homine in concreto aut abstracto formaliter, ergo verum est dicere, quòd homo non sit adæquatè animal, consequenter quòd homo distinguatur formaliter ab animali, vicissim verum est dicere, quòd animal non sit adæquatè homo, superest ergo, ut vicissim animal formaliter distinguatur ab homine, nihilque omninò ad distinctionem mutuam deesse compertum est. Ex his

244 *Identitatis fundamentum iteratò statuitur.*

Dico secundò: Sicut omnis identitatis fundamentum est unitas, & distinctionis pluralitas; ita quæcunque unam & eandem habent formalitatem, sive rationem conceptibilem formaliter eandem, sive quorum unum includit aliquid, quod includit & alterum, identitatem dicunt adæquatam, & non distinguuntur formaliter; si verò sic includant, ut unum aliquid includat, quod non includitur essentialiter in altero, tum identificantur formaliter inadæquatè, quæ inadæquatio, seu quia non identificantur adæquatè, adeoque aliqua ibi sit pluralitas, facit illa distingui formaliter, imò identitatis relationem inter superius & inferius facit transire ad genus secundum relativorum & disquiparantiæ, in inferiori quippe est ratio activa fundandi relationem identitatis, in superiori verò passiva, quæ fundandi diversitas disquiparantiam parit, non immutuitatem, solius enim disquiparantiæ inadæquatio est, non mutuitatis. Per hanc doctrinam clarè explicatur & salvatur locus & auctoritas *Doctoris*, qui quandocunque loquitur de identitate & distinctione formali, in alterutro sensu est interpretandus, quomodo 1.d.8.q 4. cùm ait: Divina attributa formaliter ab invicem distingui, quià *ratio bonitatis non est ratio sapientiæ*, loquitur de identitate & distinctione formali adæquata, similiter a.d.1.q.5. §. *Ad quæstionem istam*, cùm ait: relationem transcendentalem fundamento esse realiter eandem; item 2.d.3.q.1. differentiam individualem & naturam communem realiter identificari inter se, adhuc tamen tam fundamentum à respectu & vicissim; quàm rationem individualem à natura communi, & hanc ab illa ex natura rei formaliter distingui. Hisce propter argumentum in principio Articuli allatum discussis, restat, ut respondeamus.

Itaque

* * *

Respon-

§. V.

Respondetur ad Argumenta, & annullantur.

245 QUamvis illis omninò in dictis satisfactum est, primo quidem §. 3. ubi satis remonstratum est, Bernal. de Quieros ex mala intelligentia perperam loqui de natura identitatis, ac aliter quàm Scotistæ, quibus ideo non est amplius ad id, quod affert, respondendum.

Ad secundum similiter patet ex §. 4. falsum esse, quod in ipsa identitate formali intrinsecè includatur distinctio sive realis sive formalis identitati opposita, ubi nota, quod opponentes manifestè videantur decepti in eo, quod cum identitas sit relatio primi generis, quo fit ut identitas formalis sit mutua, ac proinde quod utrumque extremum denominetur, & per consequens concludunt ita, & benè: si ut volunt *Scotistæ* inferius est idem formaliter superiori, similiter superius est idem inferiori, omne enim quod sequitur ad aliud absolutè, sequitur ad ipsum præsertim addito eodem termino utrique qui non distrahat aut diminuat, sed ampliet, unde si ad istam: homo est idem animali, sequitur ista: animal est idem homini; pariter ad istam: homo est idem *formaliter* animali, sequitur ista: animal est idem *formaliter* homini: ille enim terminus *formaliter* utrique additus non distrahit neque diminuit sed ampliat, & utrumque extremum identificat strictius, identitas siquidem formalis est strictior reali, ex qua fundatissima doctrina, cum dicant Scotistæ superius & inferius distingui mutuò formaliter, quia non habent eandem formalitatem aut conceptibilitatem, dum putant se rectè concludere contra Scotistas, decipiuntur, quod non attendant ad discrimen identitatis formalis inadæquatæ & adæquatæ, verissimum quidem est, inferius esse idem formaliter superiori, quia illud juxta locum *Scoti* supra adductum continet in sua ratione formali, & in primo modo dicendi per se, & econtra verissimum est superius esse idem formaliter inferiori, quia illud est formaliter idem alicui, quod est de essentia ejus, veruntamen falsum est, quod sit adæquatè de Essentia alterius, ut liquet ex responso ad *Dices* sub n. 243. & in *Dico secundò* n. 244. ita enim sunt idem formaliter mutuò, quoad continentiam formalem, quâ unum continet seu includit alterum, unumque in altero continetur in sua ratione formali & primo dicendi modo per se, ut præterea in uno aliquid aliud etiam includatur, quod non includitur formaliter in altero, hac ratione animal in homine est formaliter idem homini, quia includitur in illo, quia tamen præterea includitur in homine rationalitas, à qua distinguitur quantum est de se, animalitas, ideo nonnisi inadæquatè est idem formaliter homini, & nonnisi inadæquatè de animali modo supradicto prædicatur.

Terminus (formaliter) ampliat non distrahit.

His visis respondeo ad Argumentum in formâ negando *sequelam*, ad ejus probationem concedendo descriptionem, quam dant *Scotistæ*, item quod identitas formalis in una acceptione, dicat intrinsecè inclusionem alterius in primo modo dicendi per se, sed nego inde sequi inclusionem distinctionis intrinsecam in ipsa formali identitate, non enim idem sunt, quia non identificantur formaliter adæquatè, distinguuntur formaliter inadæquatè, & includi distinctionem in ipsa indistinctione, primum enim solùm dicit cum includente & incluso propter inadæquationem identitatis ad invicem stare distinctionem formalem inadæquatam, quâ innuitur, quod non sint identificata inter se formaliter adæquatè, ideoque stare non in ista, sed cum ista identitate distinctionem formalem inadæquatam, quod nullum dicit inconveniens, ut luculenter remonstratum est, & ex ipso probatur argumento ab Adversariis adducto; secundum verò, indistinctionem intrinsecè esse distinctionem, quod falsum est, neque probatur, ut patet, Quarè si duntaxat malæ intelligentiæ errorem, quo identitatem adæquatam confundunt cum inadæquata, correxerint, vim argumenti in fumum abscessisse in comperto habebunt.

*****

ARTICULUS III.

in quo

Argumentum profertur contra Scoti distinctionem à tam enormis sequela inconvenientis, utpotè quod illa invehat in creaturas Mysterium SS. Trinitatis, ut non solùm falsitatis suspecta sit, sed omninò chymerica censenda.

246 EX illis quæ objecta sunt *Tom. 2. Controv. 5. q. 4. n. 238.* & seqq. hic obiter repono, ut habeamus occasionem amplius illa confutandi, *primò*, Id quod miramur in Divinis scilicet Essentiam realiter identificatam cum Paternitate communicari non communicatâ Paternitate, & filiationem identificatam cum Essentia produci non productâ Essentiâ, non esset supra naturam rerum creatarum, sequela prob. quia in creatis reperitur distinctio, ratione cujus in eisdem possint componi illa, quæ in hoc Mysterio per illam componuntur: ergo malè à *Scoto* distinctio illa excogitata fuit, ad explicandas difficultates hujus Mysterii, quomodo scilicet Essentia & relationes sint idem realiter, tamen inter se comparentur, ut Essentia sit ex natura rei actu formaliter communicabilis, & de facto communicetur, & formalitas relationis sit incommunicabilis, & de facto non communicetur. Similiter filiationis relatio de facto producitur, & Essentia non producitur, quæ facilè explicantur admissâ distinctione formali inter Essentiam & Relationes, ac proinde desinimus illa mirari, nec sunt quidquam supra naturam.

Secundò & confirmatur: Pone non esse in Deo distinctionem formalem ex natura rei, tunc non posset salvari, quod communicetur Natura Divina, non communicatâ Paternitate, per hanc enim prædictam difficultatem salvant. ergo cum hæc distinctio per Scotistas detur in creatis, jam si protervus contenderet dabilem esse Trinitatem in creatis efficaciter refelli non posset. Quid enim implicaret animalitatem Petri communicari Joanni & Paulo, rationalitatem vero non? omnis certè contradictio per formalitatum diversitatem pugnabitur.

247 Propter tantum inconvenientiæ crimen Scholæ Scoticæ ab Adversariis ex lubricis sanè impactum rationibus scripsi Tom. 2. totam illam & amplam Controversiam quintam, ubi Q. 3. & 4. per totum illius nullitatem ostendi, eaque apud me semper tam evidens fuit, ut aliquando in Nylo meo Mystico Anno 1673. ad celeberrima Seraphicæ Religionis nostræ Comitia Toleti in Hispania celebrata directo, Thesi primâ membro secundo scripserim, *falsum est & fatuum, quod Mysterium SS. Trinitatis vel ejus possibilitas in creatis ostendi possit ex distinctione formali Scotica.* Sed propterea mihi nonnemo assumens hoc argumentum in subsidium, quod non detur ea distinctio in creatis, ex mala intelligentia illius termini *fatuum*, quasi semper pro amente acciperetur, fertur graviter succensisse, sumitur ille terminus quandoque ad indicandum virtutis neglectum, quomodo quinque illæ Virgines fatuæ dicuntur, quæ tamen non erant amentes, quandoque pro quovis frivolo, infundato & ineptè illato, in quo sensu intelligenda erat dicta positio, ex nostra distinctione infundatè & ineptè inferri in hæc creata Altissimum SS. Trinitatis Mysterium, me hercule tamen non est magnæ prudentiæ nec gravitati Theologicæ decorum, ut sententiam totius Scholæ Catholicissimæ statim ex ratione solùm umbratili sine ullo solido fundamento tali tamque enormi feriant censura, scilicet quod lædat, evacuet, diminuat, in ipsas creaturas detrudat ipsum primum & altissimum fidei nostræ Mysterium, quidni Scotistæ illos Thomistas, illos qui animæ rationali corpori conjuncto hypostasin concedunt, & materiæ primæ existentiam & subsistentiam denegant, ita quod materia prima ab anima rationali existentiam simul cum subsistentia emendicare dicant, censurare possent, primò quod statuant in puris creatis communicationem idiomatum, exhauriant Mysterium Incarnationis, ex quo dicimus per unionem hypostaticam, Deus est homo, homo est Deus, ita quia materia non minus subsistit per subsistentiam animæ, sicut Persona Christi per subsistentiam Verbi, materia prima dicatur Spiritus & anima corpus, sicut Christus dicitur Deus & Deus dicitur homo? Secundò, quando quæritur ab iisdem Thomistis, quid sit Eucharistiæ Sacramentum, vel, quid in ea contineatur? Corpus & Sanguis Domini, respondebunt; & rectè: jam cum apud

ipsos

ipsos fit corpus per animam, alia enim forma secundum illos non est ista materia, aliunde autem de fide sit, vi verborum poni solum corpus, non animam, nonne licebit Scotistis tali Scholæ obtrudere quod evacuet imò destruat Mysterium Eucharistiæ, quia si corpus sit tale per animam, jam vi verborum anima poneretur, quæ secundum communem Ecclesiæ & SS. PP. sensum non est corpus, sed id, quod consecrationis virtute concomitanter se habet ad illud. Deinde non desunt gravissimi Auctores, qui sunt in ea opinione, ut asserant non implicare idem ante existens posse per potentiam obedientialem producere nova productione seipsum, unde quia SSti PP. distinctionem realem divinas inter Personas unicè probant ex hoc, quia Persona producta necessariò realiter debeat distingui à producente, quidni possit objici sententiæ dictæ Patronis, quod lædant Sanctissimam Trinitatem, cum eo ipso, quod non implicet idem producere seipsum, subvertant omnem viam probandi distinctionem realem inter Personas, & Sabellianismo faveant; absit, ut statim in hujusmodi censurandi impetus prorumpant, pro eo ut suam doctrinam fulciant, hoc enim est ædificare & linire parietem cum luto absque paleis & temperatura, quibus postquam validissimis rationibus fuerit clarè detecta nullitas censuræ, eamque puram & putans impostaram fuisse, meritò adsibilatur illud Prophetæ: *Ubi est litura, quam linistis? destructus est paries, quem linistis absque temperamento.* itaque ad propositum

Diluitur & Scoti Doctrina ab obtrusa illa inconvenientia prorsus expurgatur.

248 Apertum quidem & luculentum habent responsum ad objectionem *Tom.* 2. cit. quæst. n. 245. & propterea art. 3. ibi n. 247. & seqq. quod seipsos & ipsum D. Thomam in eandem censuræ damnationem conjiciant, imò si quid valeat illos potiùs quàm Scotistas impingere in Altissimum SS. Trinitatis Mysterium, dum enim titulo creati docent demonstrabile esse, non dari in creaturis distinctionem ex natura rei formalem aut virtualem intrinsecam, eo ipso ut l. c. n. 245. ostendimus, sequeretur nos naturaliter posse demonstrare de hoc Mysterio quod detur de facto, quod tamen asserere est temerarium vide ll. cc. in præsenti tamen sit

Responsum primum ad hominem, ubi quod Adversarii in eandem incidant inconvenientiam, nimirum quod non repugnet Trinitas in creatis, si daretur distinctio [illegible]rtualis Recentiorum.

249 Antequam respondeamus ad Argumentum directè, conveniamus Patronos & inventores hujus argumenti, ex eo enim imprimis Virtualistas, quia agnoverunt non sufficere in hoc Mysterio ad contradictoria, distinctionem rationis, nec virtualem Thomistarum, ideo virtualem realem, id est, quæ distinctioni verè reali æquipolleat, requirunt, uti visum est Controversia 2. hac itaque distinctione ex mente Virtualistarum suppositâ, pone non esse in Deo distinctionem virtualem, jam non poterit communicari Natura & non communicari Paternitas, ergo quod de facto communicetur Natura & non Paternitas, signum est, quod id proveniat à distinctione virtuali: ergo pro hac parte non est mirabile, Essentiam communicari non communicatâ Paternitate, filiationem produci, non produci Essentiam, quæ facilè explicantur admissâ distinctione formali inter Essentiam & relationes, hoc argumentum contra Virtualistas apud illos, qui negant distinctionem *Scoti* in creatis & admittunt solum in Divinis vim habet, secus qui illam etiam admittunt in creatis, quibus dicetur esse supra Naturam, quia similis distinctio non reperitur in creatis, consequenter in creatis non poterit salvari, ut communicetur Natura creata & non communicetur identificata illi realiter ratio individualis, vel subsistentia, contrarium autem contingat admissa distinctione Scoti in creatis, & ea ratione potius illa, quàm distinctio virtualis evacuabit hujus Mysterii profunditatem, propter hoc sit

*****

Responsum secundum ad hominem

in quo

Ostenditur negata simpliciter in rebus distinctione formali, si daretur distinctio Recentiorum virtualis in Divinis, in creatis quoque admittendam esse, & sic velint nolint Scotistas à crimine, quo invehi dicunt Mysterium Trinitatis in res creatas, absolvere tenentur eorumque distinctionem indemnem salvare, aut proprio seipsos ore ejusdem criminis condemnare coguntur.

250 MUlta de hac re affert *Thomas Medzanswiski* in suis *prælectionibus Metaph.* d. 3. de distinct. virtuali, quæ recognoscentur infra. Ratio asserendi, supposito quod detur illa distinctio in Divinis dari debeat in rebus creatis est, quia non possunt demonstrare in sua opinione, nec assignare causam sufficientem, cur repugnet in creatis, nam vel illa repugnantia esset ex parte ipsiusmet distinctionis, vel ex parte talis distinctionis in ordine ad subjectum creatum: non *primum*, quia quod ex se simpliciter est impossibile per nullum subjectum possibilitari potest, adeoque nec dabitur in Divinis, sicut si quis ostendat impossibilitatem omnipotentiæ simpliciter, illa nec in Deo salvari poterit. *non secundum*, quia perperam arguitur aliquid esse impossibile, ubi illius repugnantia ex nulla ratione ostendi potest, atqui dato quod detur in Divinis, nulla ratione ostendi potest illius repugnantia in creatis, illa enim quæ desumitur ex finitate entis creati, nulla prorsus est, & potest econtra ostendi si aliàs daretur in Divinis, quod etiam dabilis sit in creatis, tum solvendo in contrarium, tum positivè probando illius actualitatem in creatis, ergo &c. minor quoad primam partem mox infra in objectionum solutione patebit: quoad alteram partem, quod posset ostendi, si daretur in Divinis illam etiam in creatis reponendam, probatur: de facto datur objectum creatum, in quo datur prædicatum reale virtualiter idem cum illo, sed non virtualiter idem cum alio prædicato realiter identificato cum eodem subjecto v. g. Angelus est effectus Dei essentialiter dependens ab illo solo, & simul est causa realis suorum effectuum intelligibilium & similium, atqui ex mente Opponentium in tali Angelo prædicatum seu habitudo effectus ad primam causam virtualiter est identificata ipsi Angelo, & non esset identificata virtualiter alteri prædicato seu habitudini, quam dicit Angelus ad proprios effectus, habitudo siquidem ad causam primam includitur formaliter secundum illos in Angelo, & est in opinione illorum virtualiter Angelus, sed non includitur ita in habitudine transcendentali ad effectus Angeli creatos, quod sine distinctione virtuali fieri posse non videtur, ergo illa in creatis asserenda. Hujus demus exemplum magis apertum: de facto cognoscuntur in anima rationali diversa prædicata, ut esse vegetativum, sensitivum, loco motivum, rationale &c. absque eo, quod sint quinque animæ, & absque eo quod sit perfectionis infinitæ, ergo una anima constat quinque perfectionibus virtualiter intrinsecè distinctis, cui conformiter rectè *Philosophus* docet formas se habere sicut figuras, quæ sunt ita ordinatæ, ut prima seu infima sit trilatera, quadrilatera, secunda, tertia, quinquelatera, & sic deinceps, & sicut figura superior continet totum, quod inferior, & adhuc quid amplius, sic forma superior continet totum, quod inferior, & adhuc plus aliquid, propter hoc autem non est perfectionis infinitæ, ergo licet anima velut forma superior contineat plures virtualitates seu formalitates, non sequetur, quod sit perfectionis infinitæ, neq; quod Mysterium Trinitatis in rebus reperietur creatis. Propter has rationes concludunt aliqui in Cruxilla l. c. talem distinctionem esse possibilem in rebus, non quidem secundum præsentem earum ordinem, sed secundum esse aliquod possibile, absq; eo quod trahatur hoc Mysterium ad creaturas, & sint perfectionis infinitæ, cum ens illud possibile capax hujusmodi distinctionis, unicâ tantùm vel etiam pluribus, sed determinatis perfectionibus excederet entia quæ de facto sunt, non autem infinitis. Verùm ut ipsa exempla allata ostendunt, non est quod recurramus in proposita quæstione ad ens possibile, quia de facto ita est, saltem in anima quoad suas potentias & intellectivã & volitivam, neq; *Aristoteles*, ex quo secundũ exemplum sumitur, loquebatur de ente possibili, quia alium ordinem rerum & alium mundum creabilem & creatorem aliquẽ talis entis, qui suam rerum catenam disrumpere posset, credebat esse chymerã. Sed quidquid de hoc sit, data hypothesi, quod talis distinctio in ordine ad possibiles creaturas non repugnet, consequenter astruenda erit de facto propter rationes & si illa non inducit prætensam inconvenientiam, sanè nec distinctio Scoti, vel vice versâ, si illa non est innocens, certè illa virtualis rea erit, & de eodem condemnanda crimine.

Distinctio virtualis cur admittenda in Divinis, si admittatur in creatis.

Probatur secundò confutando rationes in oppositum, primò enim ideo secundùm opponentes non datur distinctio virtualis intrinseca in creatis, quia tale ens creatum, cui competeret distinctio virtualis intrinseca, esset ens chymeri- 251

Refelluntur argumenta in oppositum

chymæricum, omne illud namque est ens chymericum, quod includit verificabilitatem duorum contradictoriorum & simul tamen identitatem realem, id est, omnimodam identitatem ex natura rei formalem, quacum Virtualistæ hic confundunt suam realem, hæc duo enim ita sunt constitutiva entis chymerici in esse talis, ut nullum tertium requiratur, ponunt enim aliquod ens, de quo verum sit dicere, *est* & *non est*, & in quo, cum hæc duo esse scilicet & non esse identificantur, chymeiam conficiunt.

252 Hoc Argumentum aut de creatis nihil, aut nimium probat de Divinis, quia procedit ut sic, adeoq; probat etiam in Divinis, non dari distinctionem virtualem, nam etiam in Divinis impossibile est, ut esse & non esse sint idem, itaque sicut in Divinis, supposita virtuali distinctione non est convenientia prædicatorum contradictoriorum formalis, sed ratione virtualis affirmatur *est* & ratione alterius *non est*, eodem prorsus modo in creatis distinctio virtualis consistit in hoc, quod id quod uni convenit virtualitati, non conveniret alteri salvâ identitate reali, eodem inquam planè modo, quo salvâ identitate reali cum Natura, quæ comunicatur, non communicatur Paternitas, sic virtualitati animalitatis, v. g. convenit virtualiter, esse principium sentiendi, virtualitati rationalitatis non conveniet esse principium sentiendi, nec potest, cum secundùm se non dicat hæc distinctio impossibilitatem simpliciter, ostendi, nec absunt aliæ rationes positivæ ipsius possibilitatis, ut adhuc amplius inter disputandum patebit, cur hujusmodi intriosecam inflexibilitatem virtualitatum dicat in creatis. Sed

253 *Respon-sum Pe-rez.* Occurrit & affert rationes in contrarium *Perez* disp. 1. de Deo *sub initio* n. 77. dicens impossibile esse quod duæ formalitates creatæ careant identitate virtuali intrinseca inter se, & tamen habeant inter se identitatem realem perfectam: sint enim entitates creatæ A & B quia utraq; est creata, utraq; dicit in sua ratione defectum, consequenter cum qualibet est sibiipsi eadem, B erit idem virtualiter cum sua entitate dicente imperfectionem, non erit autem idem virtualiter cum A, seu non involvit virtualiter entitatem A, adeoque major est identitas entis B cum sua imperfectione, quàm entitatis B cum virtualitate A, nam B non est A à suâ defectuositate virtualiter distinctum, est autem ut supponitur, virtualiter realiter distinctum ab A. jam sic: ad identitatem realem perfectam, id est, omtimodam requiritur communicare virtualitatibus imperfectis, quæ identificentur ex natura rei, atqui est impossibile, ut A sit idem perfectè cum B, si, ut supponitur, non sit idem virtualiter intrinsecè, maj. patet, min. prob. nullæ formalitates dicentes in sua ratione imperfectionem propriam, possunt inter se communicare in rationibus suis imperfectis, ac proinde sicut impossibile est, ut aliquid non includat in sua ratione, id quod est, ita non possunt quæ sunt distincta virtualiter realiter inter se perfecta identitate reali idem esse; atqui omnes formalitates creatæ non identificatæ virtualiter inter se tales sunt, quæ dicunt in sua ratione formali imperfectionem propriam, ergo &c.

Pro responso ad mentem Perez *primò* sint entitates creatæ A B, id est, sint duæ distinctæ formalitates, per quas intelligamus duntaxat formalitates, seu ut Virtualistæ loquuntur, virtualitates, non autem simpliciter entia inter se realiter distincta. *Secundum* quoq; conceditur illi, quod entitas B sit idem virtualiter cum sua entitate dicente imperfectionem, consequenter & *tertium*, quod major sit identitas virtualitatis B cum sua imperfectione quàm virtualitatis B cum virtualitate A, nam B nt rectè dicitur in instantia à seipso non est distinctum virtualiter, est autem distinctum ab A, consequenter in casu distinctionis virtualis in creatis, non habet A & B identitatem virtualem, nec imperfectio virtualitatis hujus est virtualiter imperfectio virtualitatis alterius, sed negatur omninò, quod illæ virtualitates cum suis imperfectionibus realiter inter se nequeant identificari, nihil enim obstat, cur creatæ perfectiones, eo quod sint limitatæ & respectivè imperfectæ non possint identificari in gradu perfectionis competentis enti creato, id est, habentis connexam imperfectionem, imò de facto ita sibi identificantur ex natura rei realiter saltem in tertio, cur itaq; repugnabit distinctio virtualis in creatis, si statuatur in Divinis? Ad probationem itaq; conceditur *major*, quod requiratur ad identitatem realem communicari sibi invicem, negando *minorem*, quod formalitates seu virtualitates dicêtes imperfectionem inter se nequeant communicari realiter in rationibus suis imperfectis, quatenus in unam conveniunt entitatem, cujus probatio adhuc est expectanda, & tam diu distinctio virtualis in creatis tenenda, quàmdiu negatâ simpliciter distinctione *Scoti* illam in Divinis tenere voluerint.

Dixi *negatâ simpliciter distinctione Scoti*, quia hac hypothesi datâ, ex ipsa eorum objectione necessariò consectariam esse distinctionem virtualem in creatis vel inde patet, de facto sint duæ formalitates creatæ *animalitas* & *rationalitas*, quæ carent virtualitate intrinsecâ inter se, & tamen habent identitatem realem inter se tam perfectam, quantum ipsis in una entitate competere potest; animalitas itaque est realitas creata, est item rationalitas realitas creata, ideoque utraq; dicit in sua ratione defectum, consequenter cum qualibet sibiipsi eadem, rationalitas erit idem virtualiter cum sua ratione dicente imperfectionem, non erit autem idem virtualiter cum animalitate, adeoq; major est identitas rationalitatis cum sua ratione & virtualitate imperfecta, quàm rationalitatis cum virtualitate animalitatis, nam rationalitas non est à sua virtualitate seu à seipsa quid distinctum, est autem, ut supponitur ab animalitate seu virtualitate illius, ex propria ipsorum doctrina exploratur distinctio eorum virtualis, quamvis cum ut supra Controv. 7. q. 3 ex particulari implicantia defendi non possit, eo ipso ex allatis distinctio *Scoti* in rebus delitescens, iisdem innata dignoscatur. *Scoti distinctis invitu Adversarys ex propria eorum elucescit doctrina.*

254 Secundò occurrit Perez 1. p. disp. 1. de Scienria Dei n. 131. Essentia Divina ob infinitam suam perfectionem vim habet se communicandi infinitè alteri formalitati virtualiter distinctæ, illamque reddendi Deum, ac proinde in omni genere communicatio summa, & identitas summa, quæ ratio non potest in creatis formari, adeoque una formalitas non potest reddere aliam formalitatem sibi virtualirer intrinsecè non identificatam perfectam infinitè vel finitè &c.

Et ut ab hoc ultimo inclpiam, concesso illo quod dicitur de Divina Essentia, malè infertur non posse unam formalitatem creatam aliam in proprio genere reddere perfectam, eo ipso enim, quo alteri realiter communicatur, & stante alietate virtuali illi realiter identificatur, sequitur & illam reddere in aliquo gradu perfectionis creato perfectam, quod probatur, quia oppositum eveniret, quod illa solum inter se identificare possent realiter, & non virtualiter, quæ sunt perfectio simpliciter simplex, capiendo notionem perfectionis pro perfectiono omnem aliam in se includente perfectionem: atqui hoc dicitur absque ullo fundamento, quia falsum est in eo conceptu generatim consistere perfectionem simpliciter simplicem, ut ostendetur alibi, sed eo concesso, quod talis in Divinis ponenda sit, adeoque nulli præterquam soli Deo competere possit talis conceptus perfectionis simpliciter simplicis, per hoc nobis nondum probatum est, quod illæ, quæ non important istius, sed alterius notionis perfectionem simpliciter simplicem, nequeant salva alietate virtuali inter se realiter identificari, ut amplius elucescet solvendo instantià sequentem. igitur

Instabis: Ideò in Divinis salvari identitatem
255 realem cum alietate virtuali, quia infinitum in omni genere nulla additione intensivè crescit per sui communicationem, si enim additione cresceret, jam non fuisset perfecta identitas realis, sed finitum in creatis per sui communicationem additione crescit, min. prob. supponendo quod finita virtualitas sibiipsi ita communicatur, ut sit secum virtualiter intrinsecè eadem, nec ponantur prædicata contradictoria inter se & seipsam: at omne finitum, si ei addis aliquid perfectionis crescit intensivè, crescit ergo & illa communicatio, quâ sibi se communicat illa formalitas, & est major quàm altera communicatio, quâ alteri formalitati communicatur, quamvis enim Essentia Divina sibi se communicet virtualiter, non verò Paternitati, hic accessus tamen erit quasi extensivus, nec intensivè communicatio erit major.

Hæc instantia abusivè procedit, quod velit aliquid comunicari sibiipsi, cum omnis comunicatio tendat ad alterum, adeoq; nihil addit aliquid ad seipsum, eâ tamen loquendi phrasi dissimulatâ, sequeretur vi distinctionis virtualis, ut rectè supracit. *Auctor* in Divinis quoq; solvi & tollli, & non solvi & tolli identitatem realem, primò quidem non tolleretur, quia est communicatio infinita & non crescit intensivè, seu non est intensivè communicatio major; tolleretur autem identitas realis, quia ita natura identificatur sibi, ut ne virtualiter à se distinguatur, secus sic identificatur Paternitati, Natura Divina siquidem non dicit alietatem virtualem à seipsa, benè à Paternitate Divina, & vicissim Paternitas non dicit virtualem alietatem à seipsa, benè tamen à Natura; cum ergo secundùm Adversarium magis est Idem, quod dicit omnem communicationem, consequenter omnem negationem alietatis, quàm illud quod non dicit omnem negationem alietatis, si quid ratio allata valeret contra identitatem realem in creatis, æquè urgebit in Divinis, nam eodem jure, quo dicis majorem esse in Divinis identitatem non intensivè, sed extensivè solùm, cum non extinguatur per ritulum infinitatis, quin Paternitas, quoad identitatem virtualem sit magis idem secum quam cum Natura, & vicissim dicam & ego, in creatura majorem esse identitatem in ordine virtualitatis ad seipsam, sed non In ordine reali, id est, virtualitatis seu formalItatis ad formalitatem, imò dum concedis in Divinis majorem communicationem & identitatem materialem & extensivam, concedis etiam majorem identitatem in ordine virtualitatis ad seipsam, sed non in reali. Nihil itaquè proficit hæc instantia contra distinctionem virtualem in creatis, quin potius, ut supra, si non detur distinctio virtualis, prodit se eo ipso nostra distinctio formalis.

Ex quibus sic concluditur directè contra *Perez*, non implicat ullam contradictionem, quod perfectio creata sit alteri identificata realiter, & reddat aliam finito modo, ut ipsa est, talem. Item, non implicat, nec est ulla ratio in oppositum, cur non possit fieri, ut cum summa ideutitate reall magis sibi se communicet aliquid creatum, quàm se communicet ideurificato sibi, ut in simili fit, in Divinis: quid ergo obstabit, cur non detur distinctio virtualis in creatis? nihil profectò, nihil omninò, adeoque nisi te pœniteat censuræ Scotistls illatæ, Mysterium Trinitatis in creatis admittere debebis, cum non minus in creatis contradictoria seu virtualiter *est* & *non est* inveniantur, ut suo loco, quàm in Divinis.

Hic Iterum & tertiò occurrit Perez disp. 256
1. de Trinit. c. 2. scilicer, si daretur In creatls Mysterium Trinitatis, tum si duæ formalitates creatæ reciperent prædicata contradictoria, perfectâ idenritate caterent, idque taliter probat: fieri non potest ut sit perfecta unitas & communicatio inter ejusmodi formalitates, quas v. g. A. B. appellemus, nam formalltas A non potest magis communicari formalitati B, majoremque cum illo unionem habere, quàm est una sibi, & suæ definitioni: hoc enim lumine naturæ clarè perspicitur, sed formalitas A, præter unitatem quam habet cum formalitate B. habet aliam peculiarem suam, ratione cujus non potest in se suscipere prædicata contradictoria: præterea formalitas A, ita sibi se habet conjunctam, nt nihil de ipsa dici possit, quod de ipsa negare possimus, quam conjunctionem ex hypothesi non habet

cum

cum formalitate B : ergo suam habet quasi duplicatam unitatem & cum formalitate B, quasi simplicem : habet enim cum formalitate B unitatem communicationis & non aliam ; secum verò habet & unitatem communicationis non minorem, & præterea unitatem repugnantiæ ad prædicata contradictoria. Major est igitur unitas & perfectio, quâ secum est una, quàm unitas quâ cum alia est una. Conseq. prob. nam unitas quam habet cum altera est finita, cum sit impossibile infinitè communicari formalitatem finitam, unitas autem & communicatio finita quâlibet additione unitatis & indivisionis fit major: cum igitur unitas, quâ formalitas A secum est una, addat aliquem gradum unitatis unitati finitæ, quâ est cum formalitate B, major erit & perfectior. Ita *Perez* l. c.

Doctrina Scotistarum roboratur, & mysterium SS. Trinitatis in creatis negatur.

Ad hoc Argumentum, quia fermè coincidit cum superiori, respondendum ut supra, falsum esse, quod datâ in creatis distinctione virtuali aut formali ideò detur in illis Mysterium Trinitatis, item falsum esse, quod ideò formalitates creatæ perfectâ carerent identitate reali, esto in hac hypothesi, quod idem sibi ipsi communicetur admittenda sit major unitas formalitatis A secum, quæ est exclusiva alietatis virtualis, quàm cum formalitate B, quæ non est exclusiva alietatis virtualis, sed probandum restat, cur posita ab illis tali virtualitatum majori unitate, implicet illarum perfecta identificatio realis: Scotistæ de facto asserta identitate reali in una entitate asseverant plures formalitates, certum est, quod quælibet formalitas est magis secum una, quàm cum alia, ideò meritò negant identitatem earundem ex natura rei formalem, id est, talem quâ quælibet secum est una, cur non etiam admisso in una entitate sint distincta virtualiter, seu diversas importent virtualitates, concedi posset illas in physicam & realem coire posse identitatem, nulla hujus est ratio in oppositum, nisi quod dicant, implicare, sed æquo jure reponi posset, nisi rationes alias afferant, quod implicat implicare contradictionem in creatis, aliqua perfectam habere identitatem realem, quamvis careant identitate formali seu virtuali intrinsecâ, id est, in ordine ad prædicata realia seu à parte rei contradictoria: sed in hoc consistit distinctio virtualis, *ergo* illa ex hoc non est neganda in creatis, quin potius eodem modo, sicut quod major est identitas Paternitatis secum, quàm cum Natura, nam à se non distinguitur virtualiter, sed distinguitur ita à Natura, & tamen hoc non obstante identificantur secum realiter, erit & statuenda in creatis, aut asserenda distinctio Scotica.

Nec valet aliud Argumentum quod in oppositum affert Auctor cit. nimirum virtualitas A habet suam perfectionem, quam non habet virtualitas B, & dum in creatis secum identificantur, tunc unaquæquè esset seipsâ perfectior, quia ex identificatione haberet etiam perfectionem virtualitatis alius, quam non habet secundùm se spectata, ergo unaquæque esset perfectior seipsâ. 257

Pro responso hujus videri potest *Tom. 2. Contro.* 4. q. 2. art. 3. n. 179. ubi simile recurret Argumentum, hic breviter dico, sicut nihil spectatum realiter & physicè perficitur à seipso, ita nihil evadit perfectiùs se ipso physicè & realiter spectatum, sicut enim est eadem indivisibilis entitas realissimè in se ipso & suo gradu subsistens, in quo conveniunt omnes virtualitates realiter, salvâ virtuali earum alietate inter se, ita fit ut stante reali illa identificatione virtualitas unius non fit virtualitas alterius, sed quæ sunt realiter perfectè identificatæ, virtualiter maneant distinctæ, adeoque retinet unaquæque perfectionem distinctam, consequenter salvâ reali identitate, ast non communicatâ alteri sua virtualitate, adeoque nec perficiente illam, si autem virtualitas non perficit alteram, non evadent perfectiores se ipsis, ut patet, vel breviter dic perfectionem majorem vel minorem alicujus intelligi à gradu entis, non à distinctione, quæ est quid consequens ad ens, & consequenter cum omnes virtualitates in gradu entis realiter & perfectæ idem sint, non possunt perfici per id, quod ad rationem suam consequens est, & solam dicit alietatem virtualiter realem, neque hoc suppositâ doctrina opponentium, quod distinctio virtualis dicat verificabilitatem duorum contradictoriorum, & cum hoc omnimodam identitatem realem, mirum esse debet.

Concluditur itaque ex dictis nec posse demonstrari, nec ullo modo efficaciter ab Adversariis probari, supposito quod detur distinctio virtualis illa in Divinis, illam non dari in creatis, imò cum oppositum fortiùs probetur, & talis distinctio non subvertat finitatem entis creati, sive ex illa minimè sequatur, quod creaturæ essent perfectionis infinitæ, profectò Scotistæ condemnandi non sunt, quasi Mysterium SS. Trinitatis in creaturas invehant per suam distinctionem ex natura rei formalem, scilicet quia sine illa non potest salvari, quod communicetur Natura non communicatâ Paternitate, nisi seipsos in eandem condemnationis censuram & manibus & pedibus conjicere velint. 258

Respondetur directè ad Argumentum.

Scotus suam distinctionē Essentiis rerum congenea esse & inquilinam aquilinis vidit oculis.

259 ET quidem primum cujus habes exactum responsum *Tom.2.Controv.5.q.4.* art.1. n.243. & n. 245. & seqq. & art. 4. in *responso* ad *object.* n.250. quod dicit hanc distinctionem à Doctore Subtili excogitatam esse ad explicanda difficillima quædam Trinitatis Mysteria, falsum esse constat, non enim eam *Scotus* excogitavit, sed rerum Essentiis inactuatam, concreatam & quasi naturæ propriam indolem esse, aqoilinis vidit oculis, unde etsi illam utilem & idoneam judicarit ad hoc Mysterium aliquo modo explicandum, quod non sit contra naturam ut l. c. visum, si quis tamen illam negaret in Divinis, adhuc admittere cogeretur in creatis, ut rectè *Mastrius* d.6. Metaph. q.11. art.2. n.226. sed ad objectionem respondeo neg. seq. ad cujus prob. nego in creatis mediante illa distinctione posse componi, quæ in hoc Mysterio per illam componuntur, & quia ly *componuntur* hìc non accipitur solum pro officio declarandi & munio reddendi infidelibus & fidelibus credibile hoc Mysterium, sed per fallaciam extra dictionem *secundum non causam ut causam*, id est, per deceptionem provenientem ex quadam apparentia, ut quia distinctio in componendis contradictoriis in Deo vim habet, ideo illa ipsa distinctio assignatur pro causa illativa inscrutabilium SS. Trinitatis, quod ab omni veritate alienum esse, ad amussim demonstravimus Tom. 2. l.c. n. 241. & seqq. ostendendo illos ita loquentes in manifesto errore detentos esse, cum communicari & non communicari, produci & non produci, nec ad simpliciter nec ad faciliter deduci possit ex distinctione formali, ut ibidem exactè videre, huc non rescribere licet. Adeoque falsissimum sit per illam distinctionem, eo quod solam tollat contradictionem, tolli seu evacuati quoque summi hujus Mysterii inscrutabilem Majestatem. Itaque in Confirmatione, qoando dicit ex præcipuo sed inani suæ opinionis fundamento: *pone non esse in Deo distinctionem formalem ex natura rei*, fiat ita, *tunc non posset salvari, quod communicetur Natura Divina, non communicatâ Paternitate*, involvitur hæc causalis, *quia in Deo illa distinctio est*, ideò *actis generativa est*, communicari siquidem dicit Essentiam Divinam fieri terminum formalem actionis generativæ in supposito producto, *non communicari*, non esse terminum formalem actionis notionalis in supposito producto propter oppositionem relativam, sed hæc causalis ex l.c. Tom.2. & iterum ex n. 246. ibidem falsissima est, quod amplius liquet, factâ hac suppositione: Pone esse in Deo distinctionem ex natura rei formalem, sed non esse in Deo infinitam Divinæ Essentiæ fœcunditatem, tunc verissimè dici potest, non posse salvari, quod communicetur Natura Divina Paternitate non communicatâ, sublatâ siquidem Divinæ Essentiæ fœcunditate, aufertur actio generationis Filii & processio Spiritus sancti, quæ in illa fundantur, tollitur item oppositio relationis, ob quam Paternitas non communicatur Filio, ecce ergo illius verificativum, posse communicari Naturam Divinam non communicata Personâ, propter oppositionem non est *Scoti* distinctio, sed fœcunditas Essentiæ, sicut hominem posse intelligere, velle non est, quia est distinctio inter electivum & intellectivum hominis, sed quia habet principium intelligendi, est intellectivus, & quia habet principium voluntatis, electivus &c. Et licet ut dixi etiam l. c. distinctio requiratur ad remonstrandum, quod hoc Mysterium non sit contra Naturam, nimirum ne cum Persona & Natura essent omninò idem, & solo nomine distinguerentur, aut tunc utrumque significatum per hæc duo nomina produceretur, aut neutrum produceretur, aut idem respectu ejusdem sub eadem à parte rei ratione simul produceretur & non produceretur, quod est impossibile, propterea tamen distinctio non est ratio, ob quam Pater producens Filium, non producat Naturam de se & ex se ipsa improducibilem, alioquin ideo in distinctionem eorum virtualem & quamcunque aliam retorqueri posset. Itaque sicut causalis illa *Quia* (est distinctio) *ideo*, *idcirco* &c. quæ in suppositione involvitur, falsissima est; ita & ipsum quod ex illa infertur, minimè subsistit.

Id quod de protervo additur, jam olim dixi in meo *Vnilabio* p.2. Controv. 1. q.2. n.8. quod tali pro cerebro maleferiato quadrant fustes potius ad medelam, quàm rationes, in multis proterviunt malevoli, propterea non est in Scholis omittendum, quod ad veritatis præstat incrementum, in illis non loquimur protervis, non acephalis aut cacogeniatis, sed viris bonis, doctis, judicio præditis & prudentiæ sale conspersis, tales, quæso quid hujusmodi protervus afferre possit, ut efficaciter repelli non posset, ponderent: *nam non implicabat*, inquit, *animalitatem Petri communicari Ioanni & Paulo, rationalitatem verò non?* fiat ita secundùm magnam hanc sapientiam suam: sed qualis ibi erit idcircò Trinitas, si Petrus se communicat Joanni & Paulo, semi-Virumque Petrum semi-Petrumque Virum, id est, suam animalitatem retentâ sibi rationalitate esset in tali casu Trinitas creata, qualis homo est asinus, cui communicatâ animalitate non communicatur rationalitas? Natura Divina non est in una solùm Persona, sed in qualibet trium, non tantum secundùm unam partem in una, & secundum alteram in altera, sed eandem numero totam certum est de fide esse in qualibet earum, contrarium contingit in commento protervi: ergo concessa sua voluntate, adhuc nolla ex hac distinctione nobis exhibet in creatis Trinitatem: sed demus amplius, quam à nobis exigit, scilicet quod totam naturam suam Petrus communicet Joanni 260

anni & Paulo, quis illam cum Joanneitate & Pauleitate identificabit, ut sicut est una specie, imò una, quod gratis hic etiam do, per inexi- stentiam, ita quod una & eadem humanitas in omnibus hominibus reperiatur, ita realiter uti in Petro sit etiam identificata individuationi Joannis & Pauli, quemadmodum in Divinis ita est Trinitas, ut Natura una omnibus tribus sit realiter identificata, quod fit, quia communicando se, producit, producendo se communicat Personis productis, quis unquam audivit aut dicere ausit, quod Petrus (si fieri posset) communicando Naturam suam Joanni & Paulo producat Joannem & Paulum, adeoque producendo illos in reali identitate cum illis in Natura & communicando producat? non est exemplum invenibile in rebus creatis, in quo eluceat simile, sicut in Divinissima & super gloriosissima Trinitate. Hoc ipso itaque, quod realis identitas Personarum in unitate Naturæ obtineri nequit in creatis, sed sicut in Divinis,

Protervienti ponus palas aptare quam responsum dare, convenit.

si identitas Personarum in unitate Naturæ, tolleretur, non possent communicari in eadem numero Natura, sed sicut essent tria supposita, ita & tres Dii, ita Petrus, Joannes & Paulus ex causa dicta erunt tres homines, non homo unus & trinus, in quali unitate & Trinitate tamen præcipuè consistit admirabilis illa hujus Mysterii altitudo. Ut taceam primò quod Trinitas debeat esse ens à se, infinitum, nullum autem creatum per distinctionem talem fit infinitum & ens à se, in quo possit produci unum altero cum illo realiter eodem non producto, quale quid sine beneficio distinctionis realis in creatis est impossibile. Non itaque Trinitas creata per *Scoti* distinctionem invehitur in res creatas, sed libidinosum protervi figuli commentum, numellis & boys, non formis, cum tanta jactura temporis, dignum syllogisticis, ut de optimo jure contra protervum pronunciat Doctor Subtilis 1. d. 3. q. 4. n. 15. *Nolo disputare tecum, constat enim, quod tu es protervus.* *Scotus protervum repudiat.*

ARTICULUS IV.

Distinctionem Scoti ex principiis negativis adoriuntur.

261 PRimò nec sunt multiplicandæ distinctiones, sicut nec entia sine necessitate ex primo Post. t. 40. & 8. Topic. loco 78. & Phisic. tom. 6. *quod fieri potest per pauciora, frustra fit per plura.* Frustrà unitates, quæ sequuntur ens, discerperentur, sed nulla est necessitas distinctionis formalis ex natura rei, nam totum illud, quod volunt *Scotistæ* salvare per illam, benè salvari potest, quod non sit à parte rei actu, sed fundamentaliter solùm, & quod totum id habeatur in solo statu intentionali, vel nobis cum fundamento in re, cogitantibus, idest, per distinctionem rationis.

Objectio.

Confirmatur: non implicat contradictionem talis identitas inter animal & rationale Petri, ut nulla sit eorum actualis alietas, sed tantùm fundamentalis, & alietas actualis per rationis operam.

262 Scitè respondet noster *Mayronius* in Quodlibetis q. 6. t. 1. illam maximam: *frustra fit per plura.* Malè intellectam, multas veritates interemisse, & multos reddidisse avaros, qui si hujus sæculi Doctores vidisset, violentos invasores nuncupasset, quia non solùm impugnant, sed & expellere conantur distinctionem nostram, ut subintrudant, alii quidem suam virtualiter realem, quæ per æquivalentiam explicatur; alii autem suam virtualem realem inadæquatam in tertio, seu mediante tertio, cum tamen totum argumentum contra illas distinctiones retorqueri possit dicendo eas non esse multiplicandas sine necessitate, & posse multò melius salvari ea, quæ salvanda sunt, per distinctionem formalem, ubi non potest admitti realis. Unde respondeo ad argumentum concedendo *maj.* neg. *min.* quia secundùm

Solutio.

omnes omninò Doctores simpliciter opus est distinctione aliquâ ad tollendam contradictionis repugnantiam, quæ alioquin tam in Divinis, quàm in creatis sequeretur. Sed ut vidimus *Controv.* 3. q. 2. per totum: ad hoc non valet distinctio realis inadæquata, quæ est mediante tertio, nec ut Controv. 5. q. 2. & 3. per totum sufficit distinctio rationis per intellectum, insuper insufficiens est, ut Controv. 5. q. 4. per totum. Distinctio virtualis extrinseca sive per connotata, nec quidquam ad hoc præstat virtualis Thomistarum ut Controv. 7. q. 2. per totum. Nec denique ut ibidem q. 3. per totum. Distinctio virtualis Recentiorum, quæ est per æquipollentiam quidquam servit ad hoc, imò de facto non admittitur ut l. c. vidimus, & impossibilis demonstratur in Divinis, ab ipsis autem Adversariis, quod non detur in creatis, docetur apertè; per *Scoti* econtra distinctionem ritè salvatur veritas contradictoriarum, esset enim ridiculum, cum virtualistæ expressè profitentur distinctionem Virtualiter realem non esse verè & propriè distinctionem, utpotè stantem cum summa identitate, sed perinde se habere, ac si esset distinctio realis, esto à parte rei nullam distinctionem realem includat, esse sufficientem ad tollendam contradictionem, & non distinctionem Scotisticam, quæ est verè distinctio actualis: ergo illa non superflua, consequenter per hanc nec multiplicantur distinctiones sine necessitate, quæ est manifesta, tam in Divinis, quàm in creatis ad evitandam contradictionem.

Ad Confirmationem respondetur negando assumptum, quòd talis identitas non implicet inter animal & rationale Petri, ut nulla sit eorum

rum alietas actualis, jam eo ipso verificarentur contradictoria de eadem entitate aliter indivisibili, nam animalitas Petri habet convenientiam cum bruto, secundùm quod illam convenientiam importat in recto, & sic similiter rationalitas disconvenientiam, nisi dixeris quod Petrus & brutum v. g. bucephalus se habeant sicut Angelus & bucephalus, sed de hac re particulariter alibi in specie, tractare de hoc non est hujus loci, ubi generatim duntaxat inquirimus, an sit distinctio Scoti possibilis, contra quam, quà de facto à nostra Schola ut actualis propugnatur, tot objectionum farragines confecerunt, ut videantur integra plaustra frustraneis cogitatibus & conatibus suis adimplere voluisse, ut tum Tom. 2. ubi egimus de iis, qua Deum contingunt, tum Tom. 3. quo Deo dante illam, qua creaturas concernit, fusè & amplè ad trutinam revocabimus. Sit itaque hic

ARTICVLVS V.

Resolvitur Quæstio principalis, num sit possibilis distinctio media inter simpliciter realem & rationis?

ASSERTIO I.

Nullis omninò rationibus demonstrari potest, quod sicut duæ formalitates superius descriptæ in una entitate per identitatem realem immersæ, proprium facientes ac determinatum effectum formalem, & existentes unica eademque existentia, qua coëxistunt simul reliquæ ejusdem entitatis perfectiones, sicut inquam sunt idem realiter, ita etiam sint idem formaliter inter se; nec proinde, quod identitas realis negetur per non identitatem formalem, aut identitas formalis affirmetur per identitatem realem, econtra cum adsint positivæ rationes, quæ non possibilitatem duntaxat, sed actualitatem indicatæ distinctionis inferre videntur dicere illam impossibilem esse, chymericam esse, temerè & insubidè assentur.

263 *Mayronius.* HÆc Assertio *Mayronis* Doctori Illuminato, ita certa est, ut dicat 1. d. 8. q. 3. *hanc distinctionem demonstratam esse evidenter necessariò esse tuendam, eamque si homo nolit protervire, oportere quamlibet concedere ex vi demonstrationis.*

Probatur *primò*: quia non potest assignari possibilitatis illius repugnantia, cur hujusmodi formalitates modo superius exposito non possint poni à parte rei, quod si ponantur, pro quo adsunt validissimæ rationes, jam necessariò habebimus distinctionem *Scoti* formalem, ergo possibilis est distinctio illa formalis, quæ ratio, cum non procedat ex nuda non repugnantia, magis manifesta est, quàm ulla ab Adversariis unquam excogitata, imò quàm omnes simul in oppositum ut luculentè remonstratur, tum ex dictis q. 2. §. 2. 3 & 4. tum ex dictis hac quæst. in solutione objectionum, signanter in responso Articulo 1. & 2. imò & magis manifesta est, quàm omnes rationes pro sententia distinctionis virtualis, quæ, ut fatetur *Oviedo* Contro. 4. Metaph. puncto 4. n. 9. tantam difficultatem continet, quantam ipsum Mysterium SS. Trinitatis, Et certè si benè consideren tur dicta superiùs perspicuum fit, nulla ratione demonstrari posse, quod illa, quæ per indifferentiam admittunt componibilitatem intelligibiliter cum oppositis differentiis exigant talem conjunctionem identicam, quæ excludat illam indifferentiam, consequenter nequit demonstrari illa formaliter ex natura rei idem esse cum differentiis, quibuscum de facto componuntur: ergo ex actuali conjunctione identica eorum nequit concludi, quod sit illa identitas formalis, adeò ut nulla probabilitate possit negari, licet *Arriaga* d. 42. n. 11. cum pauculis id neget, gradum animalitatis in homine à gradu rationalitatis distingui formaliter ex natura rei, & non solà denominatione à nostris conceptibus reli-

ctâ,

ctâ, Deus enim, ut firmiùs hoc inculcemus, qui non fingit distinctiones rationis, distinctè & perfectè penetrans quascunque res & earum convenientias & differentias, haud dubiè attingit convenientiam & differentiam inter hominem & brutum, non enim concipit illa in tota Essentia differre, quia sic vel homo vel brutum non esset animal, neque in tota Essentia convenire, quia tunc non minus brutum esset animal rationale, quàm homo; consequenter nisi concipiat animal & rationale, non esse omninò idem à parte rei, non concipit discrimen inter brutum & hominem, nec convenientiam inter illa, nec ullarum rerum, quod est paradoxum, & à mente humana alienum, ut optimè *Smising* Tract. 2. de Deo. d. 1. de dist. Attribut. q. 2. n. 50. & ex illo tacito nomine *Mastrius* d. 2. de Divinis Attrib. q. 2. art. 3. n. 75.

Finaliter itaque licet distinctio nostra non possit tam distinctè explicari, ut quasi palpari debeat, propterea non est dicenda impossibilis, cum non solùm in hac, sed & in aliis pluribus materiis constet non satis explicari posse, quid res quæpiam sit, & tamen quod sit, ob evidentia argumenta, est extra omne dubium, quid enim exploratum magis apud Philosophos, quàm continuum componi ex partibus semper indivisibilibus, & tamen quomodo hoc fiat, quis hactenus ad captus nostri satisfactionem explicavit, ut taceamus alia?

ASSERTIO II.

Nullis etiam rationibus demonstrabilis est in Divinis distinctionis indicatæ impossibilitas, quin potius econtra demonstrari potest, cum contradictio in Divinis per CC. & SStos PP. sit admittenda, quandam non identitatem in extremis suæ naturæ proportionatam, id est, non negativam simpliciter, sed præcisivam ibi astruendam esse.

204 HÆc non habet aliam difficultatem, nisi quod Adversarii nolint concipere, quod detur à parte rei præcisio identitatis, quæ non coincidat in ejusdem negationem simpliciter, *exempli gratia*, quando dicunt *Scotistæ* intellectus divinus distinguitur à voluntate divina, quia intellectus tantùm est intellectus, seu ex natura sua non habet, quod sit voluntas, alioquin id etiam haberet intellectus creatus, putant quod particula taxativa *tantùm* necessariò involvat simpliciter, etsi tacitè, negationem voluntatis, quid enim est intellectum tantùm esse intellectum, & non voluntatem, seu præscindi ex natura rei à voluntate, nisi hunc non esse voluntatem ex natura rei? sed ut sæpè alibi, & hac quæst. à n. 226. ad 232. ostendimus, errant toto cœlo, non attendentes quàm differenter in istis propositionibus sumatur. Ly *est* vel non *est*, & quod alia sit pluralitas secundum quid, alia autem pluralitas simpliciter, quæ in una propositionum exprimit sensum simpliciter negativum, in altera verò tantùm præcisivum, quo semel ac proinde distinctione Scoti absque implicantia in creatis admisso, poterit quoque ad divina transferri, nisi ostendatur id impossibile esse ex speciali ratione divini entis, cui talis distinctio repugnet, ut patet manifestè, atqui ex hoc capite id nullatenus ostendi potest. *min.* prob. ex *Contrev.* X. q. 1. parte sequenti hujus *Tomi*, & toto *Tom.* 2. & hic breviter, quia nulla ratione demonstrabile est intellectum divinum & voluntatem divinam, quia existunt per eandem existentiam, habeantque perfectissimam inter se & cum reliquis Attributis, atque cum ipsa Essentia divina identitatem realem, idcircò ex natura rei esse formaliter idem, sicut neque quod intellectus creatus & voluntas eadem existentiâ existentes in eadem reali identitate coëxistentes formaliter ex natura rei distincta non sint: *ergo* à primò ad ultimum, cùm nulla sit assignabilis repugnantia, cur hujusmodi positiva illius distinctionis extrema non dentur, & cum stent positivæ & validissimæ rationes, quales *Tom.* 3. amplius & acutius ex professo producendæ sunt, quod talia extrema actu ponantur, necessariò habetur distinctio formalis, tam in Divinis quàm in creatis, *ergo* certè quod hic intendebatur, dicendum est nedum quod sit possibilis, sed actu rebus innata reperiatur. Sed de hoc ex professo alibi,

Unde error in concipienda distinctione Scoti?

Porrò

Porrò objectiones particulares, quas desumunt primò ex SS. PP. secundò ex *summa Dei Simplicitate* & *Unitate*. Tertiò ex *infinita perfectione* Divinæ Naturæ. Quartò ex *Attributorum infinitate*. Quintò ex *inclusione Divinitatis in relationibus*. Sextò ex *infinitate Divinæ* cognitionis. Septimò ex *prædicatis Dei quidditativis* hoc loco propter amplitudinem difficultatum non est agendum, sed ll. cc. supra. Est autem specialis difficultas de prædicatis Dei quidditativis, quales sunt v. g. conceptus entis, substantiæ, spiritus &c. an de illis eadem sit ratio, quæ de Attributis, ad quod propriâ quæst. commodiùs resolutionem dabimus Controv, 10. q. 2. per extensum.

FINIS

Tractatus Præliminaris de Contradictoriorum Natura & Distinctionibus Entium.





TOMI I.

PARS PRIMA

DE

Distinctione & identitate in Divinis inter prædicata Dei quidditativa, inter Attributa & Essentiam, inter Attributa & Attributa, inter Essentiam & Relationes.

PRÆFATIO.



Es ipsa à longa me extricabit Præfatione, cui superiorem Librũ destinato calamo de Distinctionibus aliarum Scholarum scripserim, hoic Libro secundo & Tomo secundo præmittendum. Sapiens Architectus de bono cogitat & solido structuræ suæ fundamento, cui reliqua ædificii moles securiùs incumbens ad debitam assurgat perfectionem. Bonum itaque & sapientem imitatus Architectum, ante omnia præcognoscendum fuit, quid haberent aliæ Scholæ contra doctrinam Scoti, quid solidi afferrent, an ab illis quid solidi objici posset, nervos habens, quod facili negorio non prosternatur, adeoque de nostri firmitate fundamenti, cui hoc opus insistit, securi progressum faceremus ad illa, quæ de Divina Simplicitate, de Distinctione & identitate in Divinis hoc Libro secundo & Tomo secundo ad mentem Subtilis Magistri tractanda occurrunt. Quod autem dicto Libro primo aliarum Scholarum distinctiones, opiniones, earumque rationes & fundamenta fusè pro- & insequar, nihil afferens, nisi ubi id fortè discursus & disputatio occurrens exigit, ad distinctionem Scoti probandam in specie, Lector non miretur, quia id satiùs fiet, Deo volente in Tomo tertio, hic Scotistæ contenti sint nostræ Scholæ & Magistri nostri auctoritate & iis, quæ Controv. 8. de possibilitate illius adducta sunt, opponentes interim opus inveniunt L. 1. ut auctario non indigeant. Porrò in hoc libro inquiremus de identitate & distinctione in Divinis ac imprimis quoad perfectiones & prædicata quidditativa propriè & strictè Naturam Divinam constituentia, prout Natura concipitur in Deo velut radix & ratio à priori Divinorum Attributorum; ab hac enim sic accepta, sicut à sole radii, à centro lineæ, ex mari flumina, originantur & profluont aliæ Dei perfectiones Divinæ, de quibus itaque, explicata prius quantum fieri potest, Natura & quidditate Divina, postmodum distinctas Controversias instituemus. Sit

* * *
* *

CONTROVERSIA NONA,

DE

Natura & quidditate Dei ejusque ratione formali constitutiva & ultimo distinctiva, seu, per quid Natura Divina sub ratione Naturæ & radicis Attributorum formaliter constituatur?

SUMMARIUM.

1. *Qualiter Natura Dei exprimatur, seu quid nominis illi conveniat? q. 1.*
2. *An Deus sit essentialiter substantia spiritualis, intellectualiter vivens? q. 2.*
3. *An actuale esse seu Existentia sit de Essentia Dei? q. 3.*
4. *An infinitas sit de Essentia Dei, & qualiter sit esset? q. 4.*
5. *An intellectio divina sub conceptu operationis sit de quidditate Deitatis. q. 5.*
6. *An Deus essentialiter sit hac substantia, ut singularitas sit de Essentia Dei. q. 6.*
7. *Digressio incidentalis: Num in Deo astruenda subsistentia quadam essentialis tribus personis communis? q. 3.*
8. *An singularitas sit de Essentia Dei? q. 6.*
9. *An Essentia Divina ultimo constituatur & formaliter distinguatur per aseitatem. q. 7.*
10. *Resolvitur tandem, in quo consistat ultima ratio constitutiva & distinctiva Dei? q. 8.*
11. *Digressio incidentalis, quo jure P. Genet Scoto & Scotistis attribuit sententiam, quasi teneant Naturam Divinam formaliter constitui per infinitatem seu cumulum omnium perfectionum, qua sunt in Deo in q. 4.*

Generatim prænotandum Essentiam seu Naturam Divinam duplici modo posse usurpari, semel in ampla & larga quadam significatione: scilicet, physicè, ut est à parte rei. Secundò metaphysicè, id est, propriè & strictè secundum rationem abstractam ab Attributis & Relationibus, ut est radix & ratio à priori omnium eorum, quæ quasi Essentiam circumstant, pro quo vide Quæstionem quartam in Digressione consectaria.

QUAESTIO PRIMA.

Qualiter Natura Dei exprimatur, seu quid Nominis illi conveniat?

SUMMARIUM.

1. *Nomina, quæ Deum indicant diversa sunt, & quæ illa.* 1.
2. *Apud omnes fere Nationes Nomen Dei tetragrammaten est.* Ibidem.
3. *Quo in signo antiquitùs & unitas & Trinitas in divinis adumbrata fuerit.* Ibidem.

1 Nec periculosius, inquit S. Augustin. l. 1. de Trinit. c. 3. alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, quàm cum loquendum de Deo & SS. Trinitatis Mysterio, sed nec fructuosius aliquid invenitur, quàm nosse Deum, id est, quàm humilis attenta & jugis Divinarum perfectionum ac operationum consideratio, quas cum sub uno nomine de Deo, multò minus ipsum Deum ut decet apprehendere non possumus; varia Deo nomina tribui solent, & sunt potissimum hæc: primum אל Hel. Secundum אלה Eloha, tertium אלהים quod præcedentis plurale est Helohim, quartum ארני Adonai, quintum *Tetragrammaton*, subauditur tamen semper יהוה Sextum יהוה Jehova, quo passim Scriptura utitur, & Rabbenus Haccados, ut testatur Galatinus l. 2. c. 10. scribens Mysteria hujus Nominis Antonio Consuli Urbis Romæ, inquit, significare Deum generantem, & quia nequit esse generans sine generato, à generante & generato, & econtra procedere amorem, quamobrem

Nomina Dei.

obrem teſte eodem Galatino l. c. dictum fuiſſe *Sembammephoras*, hoc eſt nomen expoſitum, quod ſcilicet nuſquam ſicut ſcribebatur, legi poterat, niſi à ſacerdote dum populo in ſanctuario benediceret, & quoties extra ſanctuarium producendum eſſet, ejus loco proferebant אדני Adonai. Septimum ex illo Scripturæ: *Ego ſum, qui ſum*, in Hebræo ſic habetur אהיה אשר אהיה *Ehieh Aſer Ehieh*, id eſt, *ero, qui ero*. Unde ubi vulgata legit: *qui eſt, miſit me*, in Hebræo ſic legitur, *qui ero, miſit me ad vos*, & hoc fit, quia in Hebræo ponitur frequenter futurum pro præſenti, quo Hebræi carent, unde ſimilem loquendi phraſin etiam invenimus Gen. 37. cum vir ille inveniſſet Joſeph errantem in agro dixit, ut habetur in textu Hebraico, *quid quæres*, aut quid inveſtigabis, noſtra verò vulgata legit, quid quæris? octavum *Ia* ex Hieronymo epiſt. 142. ubi inquit duabus illis *Ia* multiplicatis nomen illud ineffabile Jehova componi, quarum unaquæque eſt etiam nomen Dei, idque ſonat in fine hujus vocis *Alleluja*, utpote quæ componitur ex הלל Allelu, id eſt, *laudate*, & Ja, hoc eſt, Deum. Plura alia Nomina Dei apud alios videre licet, de quibus id ſcitu dignum, quod apud omnes ferè Nationes ſacrum Dei Nomen ſit Tetragrammaton, id eſt, quod quatuor literis ubique ſcribatur: apud Ægyptios enim Deus vocatur *Theu*, apud Perſas *Syre*, apud Magos *Orſi*, Græcos θεὸς, eo quod tanquam ignis omne vitium abſumat, & ſuâ ſcientiâ omnia percurrat, attingens à fine uſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuaviter, vel ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, quod eſt, videre, proſpicere, vel ἀπὸ τοῦ θεῖν, quod eſt currere, vel αἴθειν, quod eſt urere, derivatum cenſetur, apud Armenos denique *Vors*. apud, Turcas & Arabes *Alla*, apud Iſtros & Liburnos Croatas *Boga*, Germanos & Anglos *Goth*, Gallos *Dieu*, apud Hiſpanos *Dios*, Hebræos, ut diximus, יהוה Jehova quod nomen ſolum non ex variis Dei effectibus poſt creationem, ut alia plurima Deo Attributa ſunt, ſed convenit illi ab æterno exprimens Divinam illius ſubſtantiam, imò ut jam laudatus *Galatinus* apud *Vaſquez* 1. p. d. 109. c. 3. n. 19. literæ illæ ipſum ſignificant Myſterium SS*i* Trinitatis, nam prima litera, י *Iod*, quæ ſignificant initium, ſed principium aliarum literarum, principium autem propriè convenit Patri, imò ex hoc cum, י *Iod* ſignificet principium, & Tota SS. Trinitas ſit unum principium rerum extra ſe in una Eſſentia, apud Chaldæos ut conſtat ex antiquis Rabbinorum libris, triplici *Iod* ſcribebatur Nomen Dei intra circulum hoc modo [circle with three Iod] ubi triplici *Iod* oſtenditur Trinitas Perſonarum; Unitas verò Eſſentiæ, unâ vocali Cameiz, ita prima litera, י, propriè convenit Patri, ſecunda eſt, ה, He, quæ denotat eſſe & vivere appropriata Filio, omnia ſiquidem per ipſum facta ſunt; tertia eſt, ו, vau, quæ ſignificat nexum, eſt enim dictio copulativa, quæ eſt proprietas Spiritus ſancti, quarto denique loco ponitur aliud, ה, He, quia cùm Filius habeat duplicem reſpectum, alterum ad Patrem, & eſt Filiatio, alterum ad Spiritum ſanctum, & eſt ſpiratio activa duplici illo, ה, repetito ſignificatur Filius cum duplici reſpectu. Ita noſter *Galatinus* l. c. ſed nec ipſe circulus, cui illæ notæ incluſæ ſunt, vacat Myſterio, is enim ſymbolicè præfert Dei immenſitatem, ubiquitatem, æternitatem ac infinitatem, antiqui proinde Rabbini videntur in hac figura attendiſſe ad veriſſimum Triſmegiſti de Deo pronunciatum, quòd ſit *Sphæra intelligibilis, cujus centrum ubique eſt, & circumferentia nullibi*.

Explicato jam & allato quid *Nomine Dei*, reſtat explicandum, *quid rei* ſit, quamvis revera, ſicut liquidò conſtat, quod ſit Deus, ita quid ſit nullo modo à Viatoribus rectè apprehendi poteſt, nam ut Tom. 2. Controv. 6. Q. 1. & ſeq. vidimus ex SS. PP. nos veriùs de Deo dicimus, quid non ſit, v. g. non homo, non Angelus, quam quid ſit, v. g. ſapiens, bonus &c. quia priora veriſſima de Deo negantur, poſteriora autem concipiuntur à nobis ſub quodam improprio involucro creatarum perfectionum, quas omnes Deus infinitè tranſcendit, ut intelligentia illius omnium Theologorum abſorbeat ingenia, hinc Nazianzenus Orat. 49. *Certè hoc Deus eſt*, inquit, *quod cum dicitur, non poteſt dici, cùm æſtimatur, non poteſt æſtimari, cum definitur, definitione creſcit, quem omnia neſciunt, & metuendo ſciunt.* Verum quia ut l. c. ſimiliter fusè probavimus aliquos conceptus de Deo eique ſoli proprios ſuo modo habere poſſumus, quales tam Scriptura, quàm ſancti PP. nobis de Deo tradiderunt, ex quibus aliqualiter ſub quibuſdam rationibus communibus deſumptis ex creaturis, ſecluſis tamen imperfectionibus ejus Eſſentiam concipiamus, hac itàque ratione in præſenti quærimus, quid ſit Deus eſſentialiter, & primò, id eſt, quid ſit in Deo Eſſentia vel radix cæterorum, cujus non datur ratio ſcilicet intrinſeca prior, eo quod ipſa ſit primum in ipſa re, deinde ſub quo conceptu propriè conſtituatur Deus præcisè & primò ſub ratione Deitatis & radicis Attributorum. Sit

* * *
* *

QUAESTIO II.

An Deus sit essentialiter substantia spiritualis, intellectualiter vivens?

SUMMARIUM.

1. *Deus est substantia completa.* 2.
2. *Est item substantia spiritualis.* 3.
3. *Est substantia vivens vita intellectuali perfectissima.* Ibidem.
4. *Error Davidis de Dinando turpissimus.* 2.
5. *Error Petri Abailardi stultissimus.* n. 2.
6. *Priscillianistarum fabula qualis?*
7. *Quod discrimen sit vita inventa à creata.* 3.

POsset alicui videri hanc otiosam esse quæstionem, an Deus sit substantia, cum nemini ne quidem protervo dubium esse posset, si Deus sit, quin substantia sit, esto non sit abusivè talis, ut spectet ad prædicamentorum cancellos, & accidentibus subsitet, illa siquidem ex communi Philosophorum calculo adeò viventium rerum primum est prædicatum, ut nil imaginabile sit, quid præsupponi possit, ut prius, quà ratione mihi inutilis etiam quæstio videtur, quam noster *Frassen* tamen fusè tractat, an Deus sit ens, seu an competat illi ratio entis, quis enim unquam de hoc dubitavit, si modo Deum esse credat, & Atheus non sit, deinde imbibitur ista quæstio in aliis de Deo proponi solitis, ut quod sit à se, intellectualis, spiritualis &c. Sit tamen

ASSERTIO I.

Deum esse substantiam & quidem completam, & fides sancta docet & ratio.

1 *Deum esse substantiam variis cōprobatur titulis.* PRobatur primò ex *Cap.* Firmiter, *de summa Trinitate.* Secundò probatur. Deus est Ens præstantissimum & inter species entis principem locum obtinet, sed substantia est nobilior entis species, ergo Deus est substantia, qualiter autem non sit prædicamentalis vide Tom. 2. Controv. 2. q. 2. n. 74. Tertiò Deus est præditus vita & ratione, sed illa nonnisi in substantiam intellectualem cadunt. Idem quartò prob. *Tom.* 2. l. cit. q. 3. ubi omne accidens à Deo removendam esse demonstratur. Quintò, ex Dei independentia, immutabilitate & æternitate, accidentis autem dependentia, mutabilitate & corruptibilitate, utpote quod est dependens à subjecto, eoque naturâ posterius, ut ideò dicatur esse *entis ens*, quod potest abesse & adesse, adeoque mutabile & corruptibile, quæ procul sunt à Deo ente infinito. Quod sit substantia completa prob. etiam: quia si esset incompleta, vel esset materia vel forma: non primum, quia materia non vivit, Deus autem vivit, materia ut potentia passiva, adeoque aliquid imperfectum, Deus perfectissimus: Secundò materia non est activa, Deus autem prima causa rerum effectiva, quare absurdissimus error fuit Davidis de Dinando, Deum esse materiam omnibus formis onustam, adeoque substantiam imperfectissimam & compositam, quod omninò repugnat simplicitati & perfectioni Divinæ. Non etiam secundum, tum quia omnis forma dicit ordinem ad materiam, ordo autem importat dependentiam; tum etiam quia illa forma vel esset animata vel inanimata, certum est, quod non posterius, quia esse formam animatam perfectius est, ergo esset prius: sed forma etiam animata exigit informare materiam, cui consequenter uniatur, ut faciat totum aliquod animatum, non à se, ergo ab alio, & sic esset aliquid prius Deo. Stultissimus proinde error fuit Petri Abailardi Spiritum sanctum esse formam & animam mundi, item & aliorum quorundam dicentium Deum esse formam sive animam mundi, cui Marci Varronis fabulis insistetunt Priscillianistæ comminiscentes animam hominis esse partem Divinæ substantiæ, qui errores jam dudum anathemate extincti jacent. *Quorundam errores.*

* * *
* *

ASSER-

ASSERTIO II.

Certum quoque est, & de fide tenetur, Deum esse substantiam spiritualem.

HÆc apud omnes Orthodoxos est in confesso ex Sacra Scripturâ, Deus *Spiritus est*. Joann. 2. & 2. ad Cor. 3. *Dominus autem spiritus est*. Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Psalm. 138. quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam: si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades; & supponitur à SS. PP. ut indubitatum contra Anaxagoram & alios antiquos nonnullos Philosophos. Prolixam hujus probationem vide Tom. 2. Controversiâ 2. q. 1. & seq. ubi amplè contra *Audianos* & *Anthropomorphitas* hujus Assertionis inimicos disputatum est.

ASSERTIO III.

Certum quoque est Deum esse substantiam viventem vitâ intellectuali perfectissima.

Deus vivit vita intellectuali perfectissima.

NOtandum vitæ acceptionem esse duplicem, vel enim sumitur pro actu primo, qui sibi vendicat operationem vitæ, de qua vita egit Philosophus 2. de Anima c. 37. dicens: *Vivere in viventibus est esse*. Vel sumitur pro actu secundo vitæ, id est, pro ipsa operatione vitali. quomodo *Philosophus* l. c. t. 34. vivere distinguit in vegetari, sentire & moveri secundum locum & intelligere, in qua acceptione appellatur vita alia activa, alia contemplativa. Hoc loco agimus de vita Dei in actu primo, non quod probemus Deum esse simpliciter viventem, de hoc enim nemo est, qui ambigat, cum enim Deus det omnibus & largiatur cunctis viventibus tum stirpibus, cum animalibus, tam hominibus, quàm Angelis vitam, certum est, quod illam ipse prius habere debeat; sed Probatur quod vivat vitâ intellectuali, estque de fide certum, deinde vita in perfectissimo vivendi gradu Deo competit, ergo vivit vita intellectuali, quæ est indubiè perfectissima. Secundò Deus est Spiritus; sed illi non congruit vita vegetativa aut sensitiva, ut patet, hæc enim corporea est, seu includit corporeitatis imperfectionem. Tertiò nomine vitæ intellectualis in actu primo nil aliud intelligitur, quàm quod Deus sit substantia potens percipere objectum intelligendo & volendo, non per physicam efficientiam, sed per identitatem realem: atqui talis substantia est Deus, unde S. August. l. 8. de Civit. c. 6. *Non aliud illi est esse, aliud vivere, quasi possit esse non vivens: nec aliud illi est vivere, aliud intelligere, quasi possit vivere non intelligens: nec aliud illi est intelligere, aliud Beatum esse, quasi possit intelligere, & non beatus esse, sed quod illi est vivere, intelligere, Beatum esse, hoc est illi esse*. Ex quo loco S. August. patet distinctio inter vitam intellectualem creatam & divinam, quod v. g. homo & Angelus quidem exerceant operationes vitæ intellectualis, sed illæ non sunt realiter idem, quod Angelus vel homo, sed sunt accidentia in utroque per physicam efficientiam producibilia; Deo verò idem est vivere intelligere & esse, in quo fundatur commune pronunciatum Theologorum, quod quidquid est perfectionis in essendo aut operando in vita creata, id eminentiori modo sit vita & in vita divina.

Ex quo probatur alterum Deum esse substantiam viventem vitâ intellectuali perfectissima, tum quia inter omnia viventia solus Deus se movet ad operationem independenter ab alio, tum quia omnia in Deo perfectissimè continentur tam secundum esse cognitum, quatenus Deus omnium vitam cognoscit & cognitio est ipsa vitæ Dei in actu secundo, quàm secundum continentiam eminentialem, quatenus quidquid est in essendo & operando in vita creata, eminentiore modo jam dicto vendicat sibi vita increata ac divina.

* * *

QUAESTIO TERTIA.

An actuale esse seu existentia sit de Essentia Dei?

SUMMARIUM.

1. *Deo specialiter competere identitatem Ethnici agnoverunt.* 4.
2. *Existentiam non esse de quidditativo Dei conceptu probatur.* 5.
3. *Existentia Dei est de Essentia ipsius* 6.
4. *Prima ratio essendi in Deo est existentia Dei* 8.
5. *Quod existentia Dei non identicè solum, sed essentialiter proscribat objectivam potentiam, an probet intentum* 9.
6. *Effugium praecluditur.* 11.
7. *Existentia in Deo non est modus intrinsecus, secus est in creatis.* 12.
8. *Expenduntur & diluuntur argumenta in oppositum.* 13.
9. *Differentia cognitionis abstractiva ab intuitiva.* ibidem.
10. *Existentia absolutissimè considerata praescindit ab hoc, ut sit vel non sit praedicatum quidditativum.* Ibidem.
11. *Fundamenta quorundam, quod non detur subsistentia absoluta in Deo. n.* 18.
12. *Oppositum tenendum esse & quare.* 19.
13. *Quare natura creata in propria linea non subsistit, sed ratione sui suppositi.* 21.
14. *Profligantur rationes in oppositum adducta contra opinionem Auctoris n.* 27.
15. *Subsistentia saepe idem sonat, quod Hypostasis, nullatenus tamen in omni sua acceptione.* eodem.
16. *Absoluta Dei subsistentia in positivo consistit.* eodem.

4 Omnes quidem supponunt, quod secundum specialem aliquam identitatis rationem, quae creaturis non cohaereat, Deo sua existentia convenire debeat, id enim Spiritus sanctus satis innuit in illo loco Exodi 3. *Ego sum, qui sum, &c, qui est, misit me*, quasi per antonomasiam singularissima identitatis ratione, quae creaturis denegetur, Naturae Divinae sua sit tribuenda actualitas, imò ipsi etiam Ethnici quod speciali praerogativa Deo debita sit sua existentia, cognovisse videantur, qua ratione in frontispicio Delphici templi hunc Deo titulum dedicarunt: εἶ, id est, tu es, quasi tu semper existis in te ipso. Theologi autem praesertim *Scotistae*; dissident inter se, an haec singularis ratio inter esse Dei & existere desumenda sit à modo essentialis transcendentiae, ut vel illa concipi debeant identificata in uno formaliter, vel identificata in uno realiter; primum negant omnes illi, qui putant existentiam non esse conceptum quidditativum Dei, licet Deo conveniat ex se, & vi suae Essentiae, in quo differt à creaturis, quarum existere est participatum, aliud quippe est formalitatem quampiam congruere alicui ex se vi suae Essentiae per identitatem realem, aliud per quidditativam transcendentiam ac identitatem formalem, cum certum sit Relationes Divinas & Attributa Dei convenire Deo per suam Essentiam, quae sola est principium, quod Deo insint, licet non sint de speciali & ratione illius; ex hoc fundamento *Poncius* disp. 2. de *Essentia & Existentia Dei*. q. 4. n. 43. rectè docet non probari Existentiam Dei esse de Essentia illius per hoc, quod Existentia vi Essentiae & ex se realiter identificentur Divinae Essentiae, cùm multa etiam rebus identificentur, quae non sunt de Essentia earum, neque ex hoc, quod sit ens per Essentiam, aut quod sit suum existere, quia per hunc loquendi modum aliud necessariò non denotetur, quam quod Deus ex sua Essentia habeat necessariò existere independenter à causa extrinseca, quae doctrina tacitè innuit, frustra *Smising* contra *Mayronium* & alios, per hoc quod Deus sit suum existere, velle probare, quod existentia sit primò de Essentia & non modus intrinsecus illius, de quo quia acriter disceptant *Scotistae*, pro syncera rei indagine, quid in proposito veritas tenendum, primò adducam Argumenta principalia contra Assertionem mox statuendam, pro quo sit

* * *
* *

ARTICV-

ARTICULUS I.

In quo recensentur Opponentium

Fundamenta & rationes, existentiam esse de conceptu quidditativo Dei, sed non in primo gradu primi modi, adeoque esse modum illius intrinsecum.

5 *Quid sit prædicari de quidditate alicujus non tamen in primo gradu primi modi,*

Esse de conceptu quidditativo, sed non in primo gradu primi modi, ut intelligas *titulum*, est in primo modo dicendi per se prædicari de quidditate alicujus, non tamen in primo gradu primi modi, quod sic explicatur à Formalistis: primo tunc prædicari quidpiam in primo modo, quando quod inest in ratione *quid est* dicente subjecti, prædicatur de subjecto, ex primo *Post.* cum autem modus intrinsecus inest in ratione *quid est* dicente, quia includitur in quidditate adæquatè concepta, prædicatur in primo modo de suo modificato, non tamen prædicatur in primo gradu primi modi, id est, non ita est de conceptu quidditatis, quin illa aliquatenus, id est, inadæquatè posset concipi sine modo, quod non congruit illis, quæ primo modo, & in primo gradu primi modi, seu perfectissimè spectant ad primum modum dicendi per se, ea sunt enim ita de Natura subjecti, ut illud sine illis concipi nequeat ullo modo, nec intelligi, quin prædicatum sit de præcisissimo conceptu subjecti, adeoque nec præscindi potest ab illo, quomodo v. g. rationalitas ab homine non præscinditur, quia est de formalissimo conceptu illius. Hoc supposito, quod Existentia Dei non sit de primo gradu primi modi per se de Essentia Dei ita suaderi potest primò.

De facto Existentia Dei præscindi potest à Natura Divina ergo. prob. anteced. quia intellectus abstrahit ab Essentia actuali ipsum existere, ita ut Essentia Divina & illius existentia comparentur ut abstractum & concretum, Essentia actualis scilicet se habet ut concretum respectu formæ actualitatis suæ, sed abstractum & concretum secundum Essentialem inclusionem & transcendentiam non adæquantur, cùm alterum apprehendatur per modum totius, & alterum per modum vel partis vel formæ modificantis: ergo existentia est extra conceptum Dei quidditativum.

Confirmatur primo: de Deo habetur Scientia, sed hoc abstrahit ab existentia: igitur cum à prædicatis primi modi non sit abstractio, existentia non erit prædicatum primi modi in Deo.

Confirmatur secundo auctoritate Scoti 2. d. 3. q. 9. ubi tribuit Angelis distinctam notitiam abstractivam Divinæ Essentiæ, abstractiva autem præscindit ab existentia ut docet ibidem §. *Ad quæstionem igitur*, ubi ait: voco abstractivam, quæ est ipsius quidditatis, secundum quod abstrahitur ab existentia actuali & non existentia: ergo *Scotus* videtur velle, quod existentia non includatur in conceptu Essentiæ Divinæ, quod & probatur ratione, &

Confirmatur tertio: quæcunque duo in suis conceptibus simplicissimis & formalissimis non se formaliter includunt in nullo uno identificantur formaliter, quia enim animalitas ut sic, non includit rationalitatem, neque animalitas in homine eam includit: sed Essentia & existentia in suis conceptibus simplicissimis & abstractissimis non se formaliter includunt; ergo in nullo formaliter identificantur, & per consequens nec in Deo.

Secundò suaderi potest rationibus *Majronij* quas *Smising* disp. 2. q. 1 n. 5. & seqq. Poncius l. c. n. 45. proponit, est que hæc una: si existentia esset de conceptu Essentiæ Divinæ, hæc non esset primo diversa ab Essentia creata, quia conveniunt in conceptu existentiæ, consequenter nec esset simpliciter simplex, quod est absurdum.

Suaderi potest tertiò prior est in Deo infinitas, quàm Existentia, sed infinitas non est de Essentia Dei, ergo nec existentia: major sit datur in doctrina Scoti 1. d. 2. q. 1. §. *Ostenso esse de proprietatibus*, scilicet quia Deus est ens infinitum concluditur Deum vendicare sibi existentiam, ac proinde quod existentia à se conveniat Deo ratione infinitatis, seu quod Deus sit, probatur per infinitatem, ergo non est de Essentia Dei, nullum enim prædicatum, quod competit rei ratione prædicati alterius prioris, potest esse de Essentia, si enim ipsum prius non est de Essentia, minus ipsum posterius, quod est ibi propter ipsum prius.

Quartò idem suadens hoc modo cum *Mayron.* cit. si existentia esset de Essentia Dei, etiam esset de formali conceptu Attributorum & Relationum personalium. seq. prob. quia ideò esset de Essentia Dei, quod Dei Essentia sit ens necesse esse, & quod sit actus purus, sed Attributa & Relationes sunt etiam ens necesse esse, & purus actus: ergo si est de Essentia Deitatis, est etiam de Essentia Attributi & Relationis, consequenter darentur plures existentiæ in Deo, sicut plura Attributa, multiplicato siquidem aliquo, necessariò multiplicantur quæcunque sunt de conceptu essentiali illius.

Quintò si existentia esset de Essentia Dei, similiter erit de Essentia creaturæ, consequens nemo ex Scotistis concedet: consequentia tamen

men probatur: quando aliqua conveniunt in ratione communi, & illa ratio fit de Essentia unius, utique erit de ratione alterius, ut quia animal v. g. in quo conveniat homo & brutum, est de Essentia hominis, est etiam de Essentia bruti: subsumo, atqui Essentia creata & increata conveniunt in communi ratione existentiæ: ergo nedum in Deo esset de quidditate Essentiæ, sed etiam in creatura ob eandem rationem, quoniam manente alicujus propria ratione formali, manet etiam identitas vel diversitas ad alium conceptum.

Scotus. Confirmatur ex Scoto 1. d. 8. q. 4. ubi probat distinctionem formalem inter Attributa Dei hac ratione: *Si infinita sapientia esset formaliter infinita Bonitas, & sapientia in communi esset formaliter Bonitas in communi, infinitas enim non destruit rationem formalem illius, cui additur &c.* ergo à pari si Essentia infinita Dei includeret existentia quidditativè, Essentia in communi includeret quidditativè existentiam in communi, consequenter sicut existentia Dei est de ratione Essentiæ Divinæ, erit quoque de ratione Essentiæ creatæ, nulla siquidem est disparitas, quod si Bonitas Divina aut sapientia aliudvè Attributum esset de ratione alterius Attributi in Deo, etiam sit de ratione formali sapientiæ vel alterius Attributi in creatura, eo quod conveniant in ratione communi, cur si existentia Dei, in qua convenit cum creatura, sit de Essentia Dei, non esset de Essentia creaturæ, vel certè si in creaturis sit modus intrinsecus, cur non sit etiam in Deo.

Sextò denique & non minus efficaciter suaderi potest hac ratione: ita intrinseca est Deo subsistentia, ac ipsa existentia, cum Dei existere vi sui præcisi conceptus sit subsistere, sive per se existere completè & independenter ab alio, ut sustentante, est subsistere, hac ratione dicimus subsistentiam esse idem, quod est hypostasis, illa autem est Incommunicabilia Naturæ existentia: atqui subsistentia non est de ratione essentiali Dei; ergo nec existentia: min. prob. quia in communi sententia non habet Deus subsistere absolutum, sed relativam tantum hypostasin, sed illa non pertinet ad quidditativam Dei rationem, ergo nec existentia. min. prob. quia alioqui Essentia Dei esset incommunicabilis tribus Personis, quod est à fide alienum.

ARTICVLVS II.

in quo

Sententia affirmans, existentiam Dei esse quidditativè ipsam Dei Essentiam præfertur & Scoto conformis ostenditur.

ASSERTIO I.

Existentia Dei est de Essentia ipsius.

HÆc est communior cum *Scoto* 1. d. 2. q. 2. & *D. Thoma* 1. p. q. 3. art. 4. contra nonnullos Scotistas veteres asserentes esse modum intrinsecum Dei, non quidditativum illius prædicatum, & sunt *Trombet.* 5. Met. q. 6. & lib. formalit. *Mayronius* 1. d. 2. q. 1. art. 2. *Bargius* ibidem q. 2. & *Posnaniensis* dub. 2. concl. 4. & pauci quidam alii. tenetur tamen Assertio à plurimis Scotistis tum priscis, tum modernis, nam ex veteribus Existentiam Dei esse prædicatum quidditativum docet *Paulus Scriptor, Tataretus, Vallo, Sirectus, Bassolius, Mauritius, Lychetus, Gratianus, Gadius* & alii, omnes Scotistæ veteres: ex modernis *Smising* de Deo Uno d. 2. q. 1. n. 12. & seqq. *Vulpes* Tom. 1. part. 1. disp. 6. art. 2. *Poncius* d. 2. de Deo. q. 4. n. 43. *Smegma* Tit. 1. q. 2. *Faber* p. d. 14. *Schertus* de Deo Uno & Trino d. 1. q. 2. *Meurisse* l. 1. Met. q. 25. *Rhada* Tom. 2. Controv. 2. art. 4. *Brinzennus* Tom. 1. de Deo Controv. 8. de Essentia & Simplicitate Dei. art. 1. n. 9. & art. 2. n. 31. *Mastrius* Tom. 1. de Deo disp. 2. q. 1. per extensum, *Herinex* Tom. 1. de Deo. d. 1. q. 4. dub. 2. *Frassen* Tom. 1. de Deo. Tract. 1. disp. 1. art. 2. q. 2. n. 10. concl. 2. & alii Scotistæ Recentiores, qui omnes Magistro suo Doctori Subtili hanc tribuunt sententiam, cujus & probatur auctoritate. Primò ex 1. d. 2. q. 2. n. 4. 5. *Ex hoc ad quæstionem dico.* ubi discutiens, an *Deum esse*, sit per se notum, ait: *propositio illa est per se nota, qua conjungit ista extrema*, esse & Essentiam Divinam, *ut est hac, sive* Deum & esse sibi proprium, *quia illa ex terminis suis habet evidentem veritatem, in tantum, quod illa propositio, non est per se secundo modo, quasi prædicatum sit extra rationem subjecti, sed per se primo modo & immediatâ ex terminis evidens, quia est immediatissima ad quam resolvuntur omnes propositiones enunciantes aliquid de Deo qualitercunque concepto* en verba ista sine ulteriori declaratione expressè ostendunt Doctorem velle, quod esse Dei prædicetur de Deo in primo modo tanquam prædicatum immediatissimum, ad quod resolvantur omnia prædicata de Deo: ergo vult existentiam esse de Dei Essentia.

Poncius

7 *Poncius Scotum interpretatur.* *Poncius* tamen in hunc locum in ſuo *Comment.* etſi noſtræ ſit ſententiæ, cum aliis oppoſitæ opinionis *Scotiſtis* reſpondet, nihil exinde convinci, quia ratio *Scoti* poteſt eſſe bona, etiamſi exiſtentia non eſſet de Eſſeotia Naturæ Divinæ, ſed ſolus modus intrinſecus, anteced. prob. quia ſingularitas non eſt de Eſſentia Petri, eſt tamen prædicatum per ſe primo ipſius competens ipſi in primo modo dicendi per ſe, & non in ſecundo modo, cum ſit evidens, quod ſingularitas non pullulet ab aliqua alia formalitate priori: ergo ſimiliter poſſet per ſe primò Deo competere exiſtentia, quamvis non eſſet prædicatum eſſentiale ipſius, adeoque vera erit ratio *Scoti*, etiam quod poſſit eſſe propoſitio illa, *Deus eſt*, per ſe nota, imò & hæc: *animal rationale eſt admirativum*, eſt per ſe nota eſto admirativitas non ſit de Eſſentia hominis, ergo idem poteſt eſſe de exiſtentia, non ergo convincis ex illo loco, *Doctorem* loqui de prædicato inter omnia prædicata immediatiſſimo, ſed inter modos intrinſecos, inter quos primus ſit exiſtentia Dei.

8 *Scoti interpretatio melior.* *Contra*: huic interpretationi repugnat ipſa litera Doctoris expreſſè in ſuperlativo dicentis, quod eſſe ſit *prædicatum immediatiſſimum de Deo* qualitercunque (quod benè notetur) *concepto*: ſed ſi intelligatur ſolum de prædicato immediatiſſimo inter modos intrinſecos, non eſſet immediatiſſimum de Deo *qualitercunque concepto*, cùm non eſſet primo immediatiſſimum de Deo ſecundum ſua Eſſentialia concepto, ergo irritum reſponſum & menti Doctoris contrarium, idque ampliùs manifeſtè patet in Quodliberti cit. q. 1. n. 2. & ſeqq. ubi Doctor ait: *habetur ergo concluſio iſta, quod in Divinis oportet ponere aliquam entitatem realem in exiſtentia actuali, & aliquam unicam primam*, cujus cauſam dederat ſtatim ibi ſupra, *ſi enim qualibet exigeret priorem, nulla eſſet prima, & per conſequens nec aliqua alia eſſet poſterior.* Vides ergo quod primam radicem eſſendi in Deo, qua non eſt alia prior ſtatuat eſſe actualem illam entitatem, quæ eſt in Deo, de qua ibi idcircò n. 3. dicit, quod ſit *prima ratio eſſendi ſimpliciter, quæ rationabiliter à Sanctis vocetur Eſſentia*, ad cujus probationem adducit Auguſt. 7. de Trinit. c. 1. in fine dicentem: *quod eſt ſapientia ſapere, & quod eſt potentia poſſe, & æternitati æternum eſſe, & juſtitia juſtum eſſe, hoc eſt Eſſentia ipſum eſſe*: & c. 4. *ab eo, quod eſt eſſe appellatur Eſſentia, propter quod Deus ipſe, cui propriiſſime & veriſſimè dicitur Eſſentia.* ergo ſecundum *Scotum* conformiter ad Auguſtini mentem, Eſſentia ut eſt prima entitas, ut eſt prima radix eſſendi, in Deo includit exiſtentiam in ipſa ſui prima conceptibilitate, quam non ingreditur in hoc ſenſu modus intrinſecus, non eſt itaque eſſe Dei actuale talis modus, quia ille præſupponit aliquod prius, conſequenter eſſe Dei non eſſet omnium prima entitas, ſed exigeret aliquam priorem, atqui hoc eſt falſum ſecundum Doctorem: ergo exiſtentia Dei eſt de Eſſentia Dei, & non ſolum modus intrinſecus, unde optimè Quodl. & q. cc. juxta mentem Doctoris Subtilis in additione ibi dicitur: Eſſentia & ejus exiſtentia in creaturis ſe habent ſicut quidditas & modus, ideoque diſtinguuntur, in Divinis autem exiſtentia eſt de conceptu Eſſentiæ.

Confirmatur Eſſe Dei de Deo ſub ratione primæ entitatis, quæ non exigit aliquam priorem ſeu ſub ratione Deitatis concepto ex allatis Scoti verbis de Deo nequit demonſtrari à priori, ut habetur expreſſè apud Doct. non dumtaxat ex iis quæ affert l. cl. in Quodl. dicens: *Erit ibi ſemper ponere de neceſſitate aliquam entitatem realem, in exiſtentia actuali primam unicam, quæ non præexigat priorem, ſi enim qualibet præexigeret priorem, nulla eſſet prima* &c. ſed etiam ex 1. d. 2. q. 2. §. cit. & §. *Ad primam quæſtionem*, econtra autem, omnia alia quæ Deo conveniunt per ipſum *eſſe* Dei, demonſtrari poſſunt, quatenus ipſum eſſe eſt prius & immediatius omnibus aliis, etiam modis intrinſecis in Deo, ita ut ſubeat rationem medii *propter quid* ad demonſtrandam de Deo infinitatem, æternitatem, alioſque quoſcunque modos & Attributa Divina: atqui hoc *eſſe Dei* ſub ratione primæ entitatis conſiſtit in ipſa actuali exiſtentia Dei ex dictis *Auguſtini* & *Scoti*, ergo cum medium *propter quid*, ſit ipſa ſubjecti definitio, perſpicuum eſt exiſtentiam eſſe de conceptu quidditativo Dei, & non modum duntaxat intrinſecum ejus, tum quia alioqui entitas illa realis in exiſtentia actuali, de qua loquitur *Doctor* poſſet de Deo demonſtrari *propter quid* & *à priori* per aliquid prius, & ſic ipſa contra Aſſertum Doctoris non eſſet prima & indemonſtrabilis, adeoque nulla eſſet prima, quod eſt abſurdum; tum etiam, quia non eſſet illâ viâ intelligibile, quomodo *eſſe Dei* prius & immediatius conveniret Deo, quàm infinitas, cum enim & ipſa infinitas ſit modus intrinſecus Dei, ut videbimus q. ſeq. non poſſet eſſe immediatius convenire Deitati, niſi includatur etiam in quidditativo ejus conceptu, aliàs ſi & ipſum eſſet ut modus, & infinitas eſſet modus, æque immediatè ſe haberent ad Deitatem, vel certè infinitas velut modus ſubſequens afficeret eſſe Dei, jam eſſet modus modi intrinſeci, quod ut mox patebit, eſt abſurdum,

Confirmatur ſecundò ex Quodl. 6. n. 13. §. *Reſtat nunc videre de æternitate*: *Patet*, inquit, *quod ipſa ſit*, puta, æternitas, *alicujus, quod eſt ibi ex natura rei? quia ipſa eſt exiſtentia ut exiſtentia, exiſtentia autem ibi eſt ex natura rei. alioquin nihil eſſet ibi exiſtens ex natura rei, habemus ergo aliquid ex natura rei, cujus eſt æternitas*:

sed si existentia non esset de primo & quidditativo conceptu Essentiæ Divinæ, iste modus loquendi, *quod alioqui nihil esset ibi existens*, non valeret: ergo. sequela prob. quia existeret adhuc illud, unde existentia ceu modus intriosecus promanaret adeoque non *nihil*. Deinde ex illo quod ibi *Doctor* subdit, sequitur existentiam modum intrinsecum esse non posse, sed quidditativum conceptum. *Sicut*, inquit, *infinitas intensiva dicit modum intrinsecum Essentiæ ut Essentia, ita æternitas ut æternitas dicit modum intrinsecum existentiæ ut existentia*, sed æternitas non posset esse modus intrinsecus existentiæ, si & ipsa esset modus, cum daretur modus modi, quod nemo dicet, modus siquidem non habet quidditatem, quæ iterum modificatur, sed est conceptus simpliciter simplex irresolubilis in quidditatem & modum, ut docet *Scotus* 1. d. 2. q. 2. & d. 3. q. 3. §. *Ad quæstionem igitur*. & d. 8. q. 3. ad 1. & alibi, ergo est quidditas ipsa, non modus. Nec juvat conatus quorundam volentium ex hoc potius elicere oppositum, quasi *Doctor* ibi ponat distinctionem ex natura rei inter infinitatem & æternitatem ratione entitatum formalium, quibus conveniunt & infinitas conveniat Essentiæ, æternitas existentiæ ut gradibus distinctis, non juvat, inquam, nam ut patet accuratè textum consideranti, *Doctor* nullatenus ponit distinctionem inter istos modos infinitatis & æternitatis ratione entitatum formalium, quibus insunt, sed tantum vult æternitatem esse modum quendam tam verè realem, quia verè est ibi existentia ex natura rei, quam modificat, quam verè infinitas est modus realis Essentiæ, expende & audi textum: *& tunc*, inquit, *cum ibi sit existentia ex natura rei sicut & esse, pari ratione modus intrinsecus illius, & hoc ex natura rei, sicut modus intrinsecus alterius*, quid clarius? Sed hactenus ex auctoritate *Scoti*.

9 *Smising & Brinzennus an probent efficaciter.*

Probatur jam Assertio ratione: & quidem *Smising* l. c. n. 28. *Brinzenno* l. c. n. 11: affert istam, quod Essentia Divina non tantum identicè, sed etiam essentialiter proscribat objectivam potentiam, id est, quæ respiciat agens, à quo reducatur ad actum existentiæ, Deus enim non dicit ordinem ad agens extrahens illud de non esse ad esse, sed potentia objectiva non excluditur realiter, nisi vi realis, sive entitativi actus in illa natura essentialiter inclusi, quo potentia objectiva removeatur: *major* non eget probatione, cum certissimum sit, quod potentia objectiva in sua præcisa ratione involvat imperfectionem, est enim habitudo dependentiæ ad efficiens fundata in contingentia essendi removente necessitatem rei in essendo. min. prob. ideò Essentia creata, esto tantum ratione ratiocinata distingueretur ab existentia, vi sui quidditativi conceptus non excludit potentiam objectivam vel esse materiam & objectum, circa quod actionis illud ex nihilo extrahentis, quia essentialiter non est aliquid reale; ergo econtra, si Essentia Divina essentialiter respuit potentiam illam ad esse & non esse essentialiter includit actualitatem & necessitatem essendi. Verùm hæc ratio, ut notavi ad initium *quæst*. hujus, evincit quidem Deum esse ens à se, & nullo modo dependere ab efficiente extrinseco, seu quod Deus ex sua Essentia habeat necessariò existere independenter ab ulla causa extrinseca, quodque illud nulli creaturæ cohæreat ab intrinseco, inde tamen nondum probatur sufficienter, quod ideò Existentia Dei sit de Essentia Dei. sicut neque & coincidit cum priori, id probatur per illam rationem, quod Deus peculiari ratione dicatur ens per Essentiam, non solum nominaliter, quia sic etiam creaturæ sunt ens per Essentiam, quatenus ex sua ratione formali habent quod non repugnat illis existere, vel etiam participialiter sic, quia & illæ actu existunt, sed ens quod sit per Essentiam participialiter ita ut necessariò existat semper. non inquam probatur, nisi suffulcias illam, & fundamenti loco præsupponas rationem, quâ *Poncius*, *Mastrius*, *Hermex* ll. cc. afferunt, quâ &

Probatur Assertio efficaciter secundò: supposito quod Deus habeat existere à se, non ulla ratio, ob quam existentia non sit prædicatum quidditativum illius, tam benè, quam quodcunque aliud prædicatum essentiale: & quia si non esset prædicatum quidditativum Essentiæ, jam illa præsupponeret aliquod aliud prædicatum, à quo pullularet velut modus vel proprietas, vel Attributum, quæ propterea non dicuntur esse prædicata quidditativa, sed non præsupponit tale aliquod prædicatum, quia tunc existentia conveniret Deo per aliquam rationem à priori, quæ certè non posset esse aliud à Deo, quia Deus non esset prima causa, ergo à priori seipso per naturalem emanationem, sicut passiones à suis subjectis promanare dicuntur, sed neque dici posse probatur, nihil potest emanare ab aliquo, nisi illud, à quo fit emanatio actualiter in aliquo signo priori durationis vel naturæ vel originis existat, emanatio siquidem spectat ad actum secundum, & illud, à quo fit emanatio ad actum primum: si ergo existentia aliquo modo emanaret ab Essentia Divina, necessariò in aliquo priori Naturæ secundum rem vel rationem suam formalem deberet Essentia esse actu in ratione principii talis existentiæ, sed hoc est impossibile: quodcunque enim illud esset, id esset existens & non esset existens. esset existens, ut supponitur pro illo priori: non esset, quia præsupponeretur existentiæ formali, quod autem non existit, non potest principiare, consequenter concludendum est Existentiam non posse se habere in ordine ad Essentiam, quemadmodum se habent alii modi & Attributa, sed esse prædicatum illius essentialiter constitutivum. 10 *Probatio efficax.*

Respon-

11 Respondent apud *Poncium* quod non existit nec formaliter, nec virtualiter, nec eminenter, verum est, quod non posset principiare existentiam, aut esse radix ex qua profluat, secus verò esset de eo, quod existit fundamentaliter, sicut Essentia existit, ut est contradistincta existentiæ, quæ ideò & potest dici principium, unde emanet existentia formalis. Sed hoc responsum jugulat seipsum, quia illa ipsa existentia fundamentalis esset ipsamet existentia formalis: antecedens probat optimè *Poncius*, quia conceptus existentiæ formalis est constituere rem in tali statu, ut possit habere operationes actuales, seu vim principiandi actualiter suos effectus: atqui hoc competeret Essentiæ Divinæ fundamentaliter existenti, nam in tali statu eâ potitur perfectione essendi, ut principiaret actualiter & realiter existentiam formalem, imò præstare posset per illam existentiam fundamentalem quidquid posset mediante quâcunque aliâ existentiâ, nam opponitur nihilo & entibus creatis potentibus existere, non tamen necessariò existentibus, deinde sicut ex illa, ut ex radice proflueret existentia formalis, posset esse radix ex quo proflueret omnia, quæ conveniunt Deo & non sunt de Essentia Dei, & posset etiam esse principium, quo medianre posset agere ad extra, ergo eâ mediante posset agere quidquid posset mediante existentia formali, proinde Adversarii & multiplicant entia sine necessitate & fateri debent existentiam illam fundamentalem coincidere cum existentia formali, vide *Poncium* l. c. & hæc ratio efficaciter satis probat intentum. Sed

Dices: Existentia in creatis ponitur modus intrinsecus, sed si illa instantia quid valeret, illa æque in creatis esset prædicatum quidditativum, siquidem dimanatio existentiæ seu modi intrinseci in creatis non posset esse nisi Essentia creata actualiter & formaliter præexisteret. Respondeo negando paritatem, nam Divina Existentia haud convenit Deo ab aliqua causa extrinseca, sicut existentia creata, quæ aliter non dimanat ab Essentia creata quàm actuali exercitio positionis Essentiæ extra causas per causam extrinsecam, de quo alibi. 12

ARTICULUS III.

qui

Expendit & expungit fundamenta in oppositum.

§. I.

Diluitur ratio prima in oppositum & quæ adducuntur ad illius confirmationem.

13 AD primum dicimus quod à Deo adæquatè & essentialiter concepto non sit ullo modo præscindibilis ratio existentiæ, à prædicatis enim primi modi non fit abstractio, esto à Deo ad instar creaturarum & inadæquatè apprehenso, præscindi queat, sicut ab homine adæquatè apprehenso abstrahi nequit rationalitas; ne quidem præcisivâ abstractione, eo ipso enim quo intelligibiliter præscindis ab homine rationalitatem, illam intelligibiliter destruis, ut superstes per rationem esse non possit, apprehendi tamen potest inadæquatè & per accidentia aliqua propria Naturæ: itaque distinguo *anteced.* de facto Existentia Dei præscindi potest à Natura Divina sumpta essentialiter & adæquatè, seu ut est metaphysicè talis, nego anteced. aliter & inadæquatè apprehensa, concedo anteced. unde nego conseq. quod præscindens ab Essentia actuali queat abstrahere ipsum existere per modum formæ conceptum, quin potius esse Dei & existere ita identificantur per essentialem transcendentiam, ut sicut in prædicatis transcendentibus dicimus ens est entitas, & entitas est ens, ità de Natura Dei & illius actualitate dicimus esse Dei est ipsum existere, & econtra ipsum Dei existere est ipsum Esse Dei. *Ad primam* confirmationem respondeo distinguendo *min.* scientia abstrahit ab existentia in creatis, in quibus existentia est contingens, concedo *min* in Deo cujus existentia est necesse esse, & simul in primo modo dicendi per se, nego *min.* Ad secundam confirmationem probè intellectâ doctrinâ *Scoti* facilis est responsio, nam l. c. quærens an Angelus habeat notitiam naturalem distinctam Divinæ Essentiæ, in resolutione quæsiti §. *Ad quæstionem* docet Angelum ex puris naturalibus non posse habere cognitionem Dei intuitivam, qua res condignè & commensuratè cognoscatur, ut præsentialiter existens, haud tamen illi denegandam esse, quin possit naturaliter habere cognitionem ejus abstractivam per speciem à Deo sibi infusam, quæ species distinctè repræsentet istam Essentiam, quoad omnia prædicata Dei essentialia, adeoque quia illa abstractiva cognitio obtinetur per speciem impressam Deitatis,

quod illa attingat omnia Dei prædicata, etiam ipsam existentiam in ratione objecti cogniti, esto non condignè & commensuratè, Pro quo advertendum ex *lib. de anima* & *Scoto* hic, cognitionem non dici abstractivam, quia necessariò abstrahit ab esse actualis existentiæ in ratione objecti cogniti, quia & ipsum esse actualis existentiæ potest abstractivè cognosci, ut *Doctor* expressè *Quodl.* 13. art. 2. §. *Circa secundum.* & 2. d. 3. q. 11. §. *Respondeo* & 4. d. 45. q. 3. ubi docet, nos recordari præteritorum, quod & quando extiterint, quod non fit nisi per species abstractivas repræsentantes eorum existentiam, falsò itaque in Objectione supponitur & contra *Scoti* fundamenta dicitur abstractivam, quæ Angelis conceditur, præscindere ab existentia ita, quasi intuitiva in hoc secernatur ab abstractiva, quod intuitiva terminetur ad aliquod prædicatum in Deo, ad quod illa abstractiva non terminatur, nam præterquam, quod tunc illa abstractiva per speciem Deitatis impressam distinctè repræsentantem esse Dei, non foret distincta & clara, nullatenus hoc genus distinctionis est inter abstractivam & intuitivam, sed inter abstractivam confusam & abstractivam distinctam, quia scilicet per abstractivam distinctam aliqua ratio attingitur in objecto, quæ non attingitur & exprimitur per confusam, & sic penes aliam & aliam cognoscendi rationem differant, abstractiva autem & intuitiva ex parte termini in eo tantum sensu discernuntur, quod intuitiva terminetur ad rem non in specie, sed in propria natura existentem & præsentem, unde & per illam solam res, ut dixi, condignè & commensuratè cognoscitur ut præsentialiter existens: abstractiva verò terminatur econtra ad rem relucentem in specie, sive à parte rei existat, sive non; & hinc sæpè dicitur præscindere ab existentia, quià nimirum non est ut intuitiva, rei existentis, quatenus existentis reduplicativè, quin potiùs ex genere suo per repræsentativum, quod indifferenter repræsentat objectum, sive existat, sive non existat, & sic supra in objectione *Doctor* ait: *Voco abstractivam, quia est ipsius quidditatis, secundum quod abstrahitur ab existentia actuali, vel non existentia*, sic exigat, ejusq; existentiam per speciem solum cognoscat, perspicuum est, quod non abstrahat ab Esse actualis existentiæ in ratione objecti cogniti & repræsentati, & insuper perspicuum est, illas notitias non accipere discrimen à ratione talis objecti, sed solum à ratione movendi & terminandi, vel conditione moventis & terminantis. Vide *Scotum* Quodl. 7. §. *Conclusio secunda.* Ex quo

Discrimen abstractivæ cognitionis ab intuitiva.

patet ad argumentum à *Scoti* auctoritate petitum.

Porrò ad illud ex ratione, quâ confirmatur tertiò id quod primo loco objiciebatur respondeo cum *Scotistis* nostræ opinionis, quod Essentia & existentia secundum communissimas rationes suas non habent, quod positivè se includant, vel excludant, sed formaliter præscindunt, tam ab inclusione, quàm exclusione, utrumque enim illis ut sic & secundum communissimas suas rationes consideratis accidit, ac proinde etsi existentia contracta ad Deum sit de quidditate Dei, & contracta ad creaturas sit modus duntaxat, cujus est, intrinsecus, absolutè tamen & præcisissimè considerata præscindit ab hoc, quod sit prædicatum quidditativum vel non quidditativum, neque ideò ut quidam *Scotista* apud *Mastrium* disp. 2. de *Attrib. Divinis* q. 2. n. 4. arguit, dicitur præscindere à seipsa, aut à propriâ formalitate, quæ non debet confundi cum esse prædicatum tale, vel non esse prædicatum tale, quia existentia formalitas & ratio non est, quod sit vel non sit prædicatum quidditativum, aut quod sit prædicatum modale, vel non sit, sed quod sit id, quo aliquid est positum in rerum natura, nam actuale exercitium positionis est de conceptu existentiæ, sive respectu illius, quod est in rerum natura sit prædicatum quidditativum, sive modale, unde fit, quod existentia comparata ad Deum sit de quidditate Essentiæ Divinæ, comparata ad creaturam sit modus solum intrinsecus illius, sicut v. g. animal, cujus formalitas & ratio in eo consistit, quod sit vivens sensitivum, contractum ad sua inferiora, in quibus essentialiter includitur est, est prædicatum quidditativum, comparatum verò ad differentiam essentialiter contrahentem, cum in ea essentialiter non includatur, & quantum est de se, posset contrahi à differentia opposita, non est prædicatum quidditativum, esse autem hac ratione prædicatum tale & non esse tale, non est contradictorium, quoniam non est contradictio respectu ejusdem, sed respectu diversorum *&c.* consequenter nihil hic præscinditur à seipso, quatenus talis formalitas est vel ratio, sed ab esse prædicatum quidditativum, vel non esse.

Existentia præscindit ut sit vel nõ sit prædicatum quidditativum.

***

§. II

§. II.

Satisfit secundæ & tertiæ objectioni.

14 AD secundum patet ex responso ad confirmationem tertiam objectionis, quod aliter non conveniant existentia in Deo & creatura, quàm quod habeant eundem cóceptum objectivum, id est, quod eandem semper retineant formalitatem, qua dicuntur existere, non autem, ut sit prædicatum quidditativum vel modus intrinsecus in utroque, quare *nego sequel. maj.* quod non essent primo diversa, cum nullatenus conveniunt in conceptu aliquo objectivo entitativo & prædicamentali distinctè conceptibili, ut infra in responso ad *Quintam objectionem* amplius dicetur, conceptus autem ille objectivus existentis, in quo conveniunt in confuso illam primo diversitatem non interimit magis, quàm conceptus objectivus entis & substantiæ, vel certè si propter illam convenientiam, prout à nobis est per illam conceptibilis Essentia Divina, urgeas Deum non esse simpliciter primò diversum à creatura nec simpliciter simplicem, dicendum id verissimum esse, sicut &c. etsi sit omninò simplex, id est, omnem excludens compositionem, non tamen est simpliciter simplex, quasi non esset resolubilis in alios conceptus virtualiter & formaliter, hoc enim non argueret in Deo imperfectionem, ut videre est Tom. 2. Controv. 1. q. 2. sed potius summam perfectionem, ut ibidem per extensum.

Ad tertiam respondeo negando antecedens cum probatione, falsum quippe est *Scotum* demonstrasse existentiam per infinitatem, sed *dist. cit.* in object. potius probat ipsam infinitatem, quam per infinitatem probet aliud, adeoque ibi ostendit Deum, præter alias rationes, quibus à nobis concipitur esse etiam sub ratione infiniti, id est, esse ens infinitum. quare si quando concluditur à quibusdam Existentia Dei per infinitatem, arguitur à posteriori, nam sicut per effectus & passiones, ita & per modos intrinsecos investigare licet rerum quidditates. 15

§. III.

Quarta & quinta ratio in oppositum refelluntur.

16 PRo quartò prolixâ opus non est discussione, quia jam de hac difficultate, an in Deo sint plures existentiæ, sicut sunt plura Attributa & Relationes amplè actum est Controv. 8. q. 3. quo lectorem remitto, quamvis revera, ut rectè advertit *Poncius* l. c. hoc Argumentum æquè urgeri posset, si diceretur quod existentia non esset de Essentia Dei, sed modus intrinsecus, sive alio modo quid consequens ad ipsam, nam æquè, ac si dicatur esse de Essentia Naturæ Divinæ, foret necessarium multiplicari existentias ad multiplicationem Attributorum & Relationum, sed quidquid sit vide l. c. Controv. 8. supra l. c. à n. 217. & *seqq.*

Existentia creata & increata non conveniunt in ratione seu realitate communi. *Quantum* autem valeat objectio cum sua *confirmatione* quinto loco adducta est facilè discernere ex dictis supra ad primæ rationis confirmationem tertiam, & ad rationem tertio loco nostræ opinioni oppositam, nimirum Essentiam creatam & increatam non convenire in aliqua communi realitate seu conceptu objectivo distinctè conceptibili, licet in confuso objectivo existentis conceptu, ut supra dictum, conveniant, sed esse primo diversas, quod in opinione nostra, de qua Q 8. hujus *Contrav.* quod existentia sit ratio constitutiva Dei ultima saltem negativè, verissimum est, ultimum namq; alicujus constitutivum necessariò est primo diversum à quocunq; alio conceptu alterius, per quid enim aliud constitutivum ultimatiùs distingueretur aut primo diversificaretur ab alio? sane nullum aliud absque progressu in infinitum est assignabile, quare ut optimè *Mastrius*, illa propositio, *quando quædam conveniunt in ratione communi, si illa ratio est de Essentia unius, est etiam de Essentia alterius*, solum vera est, quando in illa ratione conveniunt non duntaxat ut in prædicato univoco, sed etiam univocè dicto, uti se habet ens respectu Dei & creaturæ, nam si in eo conveniant tantum ut in prædicato univoco, poterit uni tantum quidditativè convenire, & alteri qualitativè, & in hoc sensu dicitur Deus & creatura in ratione existentis convenire.

Ad Confirmationem ex *Scoto* deprómptam respondeo, quod rectè inferat *Doctor* 1. d. 8. si sapientia creata non est formaliter Bonitas creata, nec sapientiam Divinam esse formaliter Bonitatem Divinam, nullatenus tamen valet eadem ratio inter existentiam creatam & increatam, utpote quæ in conceptu communi non conveniunt, ut tamen in Argumento objecto, v. g. *Si sapientia creata esset Bonitas creata*, supponitur, uti & patet in ipsis *Scoti* verbis, si, inquit, infinita sapientia esset formaliter infinita Bonitas, & sapientia in communi esset formaliter infinita Bonitas, infinitas enim non destruit rationem formalem illius, cui additur, igitur si Bonitas Divina aliudvè Attributum esset de formali ratione alterius Attributi in Deo, etiam esset de ratione sapientiæ vel alterius Attributi in creatura, ubi vides utrobique supponi conceptum communem, in qua ratio sapientiæ in Deo & creatura inter se conveniunt, quod non currit in existentia creata & increata. plura de hoc vide *Controv.* seq. q. 2da in *digressione*, §. 2do.

§. IV.

Responsio ad sextum.

AD sextum denique, quid respondendum sit, omninò pendet ex resolutione quæstionis, utrum in Deo subsistentia aliqua essentialis & absoluta tribus Personis communis adstruenda sit. pro meliori itaque satisfactione ad hanc difficultatem hic ex incidenti agemus, utrum detur in Deo subsistentia aliqua absoluta, sit

Digressio incidentalis,

Num in Deo astruenda subsistentia quædam essentialis tribus Personis communis?

17 ANte resolutionem notandum, dupliciter dici aliquid in Deo essentiale, semel quod ita absolutum & commune est, ut ad quidditatem tamen Dei non pertineat, in quo sensu Attributa dicuntur Essentialia, licet censeantur esse extra rationem Dei quidditativam. Secundò propriè dicitur Deo essentiale absolutum subsistere, quia in illius quidditate putatur imbibitum, & esse de intrinseco illius & quidditativo conceptu.

Prima sententia Auctorum quorundam & rationes pro illa.

18 *Non dari in Deo absolutam subsistentiã.* PRima sententia est, quam tenent multi ex modernis, simpliciter non dari in Deo aliquam subsistentiam absolutam & essentialem, prout à ratione notionali subsistendi condistinguitur, quæ ab hypostasibus seu Personis petitur, sed per ipsum subsistens Divinæ Naturæ incommunicabilem intelligunt subsistentiam, scilicet hypostasin seu Personam, quo pacto Sancti PP. asserunt in Deo tres subsistentias, non autem aliquod absolutum & subsistens Deitatis individuum, quod relativarum hypostaseon conventum cum Divina Natura ad esse Personalis constitutionem anteire queat, & quia pro hac opinione Vasquez pugnaciter agit, rationes pro illa saltem principales adducere lubet.

Prima ratio opponitur à Vasquez, inusitatissimam esse, hujus vocis, subsistentia absoluta, usurpationem in Divinis, & quod Patrum & Conciliorum sensui non solum non cohæreat, sed & adversari videatur, quod probat, quia apud PP. & Concilia in eundem sensum redeunt, seu idem sonant, *hypostasis, suppositalitas* & *subsistentia*, in quâ acceptione sexta Synodus actione undecima dicit: *quod Sabelliana pravitas dicitur tres Personas in unam colligere vel confundere subsistentiam*: ergo sicut catholicè in Deo inficiari oportet omnem rationem absoluti suppositi, ita & absoluta subsistentia ab illo removenda venit, cum daretur alioquin in Deo Personarum quaternitas, quod est contra fidem.

Secundò si in Divinis absoluta subsistentia assignanda esset, nihil superadderet præter negationem actualis & aptitudinalis communicationis ad suppositum, quas solas negationes subsistentia absoluta exprimit apud *Scotum*, additque substantiali existentiæ, sed nihil absolutum Deo concedendum est ad hypostases relativas præsupposituum, quod sit illativum negationis actualis vel aptitudinalis communicationis ad aliam rationem suppositi: ergo. maj. patet apud *Scotum* ex Quodlibetali quæstione 19. §. *De tertio articulo* certum est secundum Damascenum n. 17. editionis *Hugonis Cavelli*, min. prob. quia tale positivum infert ultimum terminum Naturæ, quam afficit, sed Essentia Divina antecedenter ad personalitates nihil habere potest, quod sit ultimus ejus terminus, cum alias non posset communicari formis hypostaticis, ultimus quippe terminus excludit posteriorem: ergo nullum positivum præconcipi valet ante relativas hypostases, quod inferat negationem communicationis. Si dicas & teneas asserivè subsistentiam non consistere in negativo, sed positivo, idque probabilissimè teneri à Scoto 3. d. 1. q. 1. §. *Non asserendo*. n. 9. & cit. *Quæst. quodlib.* 19. art. 3. §. *Tertia etiam negatio non sufficit*. n. 19. utique adhuc Argumentum habet vim, quod talis subsistentia positiva sit ultimus terminus Naturæ, quam afficit, ac consequenter illo asserto Natura Divina foret incommunicabilis tribus Personis: quod est à fide sanctâ alienum.

Confir-

Confirmatur: quia ideò Humanitas Christi censetur orbata propria sua subsistentia, qua per se subsistat, quia Natura subsistens alteri supposito per Intrinsecam repugnantiam fit incommunicabilis, & multò magis in Deo, ubi subsistere est per se existere, non solùm independenter ab alio, sed etiam cum repugnantia ad essendum in alio, adeoque positiva subsistentia absoluta in Deo esset incompossibilis cum subsistentiis Personarum, quod falsum esse evidenter constat, hoc ipso quod Essentia Dei cum omnibus suis absolutis perfectionibus intrat per modum substrati constitutionem suppositi relati & incommunicabilis, ut ergo intelligitur supponi hypostasibus Divinis, apprehendi nequit cum modo positivo absoluto, qui dicatur subsistentia.

Secunda sententia celebriorum Theologorum ex modernis, priori diametraliter opposita, simpliciter adstruendam esse subsistentiam Dei absolutam.

ASSERTIO

Subsistentia absoluta, qua fit, ut immediatum *quod* Deitatis non sint relativa & incommunicabilia supposita, sed hic Deus subsistens & communicabilis, sive illa sit de conceptu formali Existentiæ Divinæ, sive solùm modus intrinsecus, simpliciter est adstruenda.

19 *Statuitur opinio verior.* CONclusio expressè excludit subsistentiam prout accipitur pro perseitate excludente communicabilitatem alteri ut supposito, duobus enim modis aliquid subsistens dicitur, ut rectè noster *Bassolius 1.d 8.q.1. §. Ad primum aliorum dico.* Primò quæ existit independenter ab alio, possit tamen alteri communicari. Secundò ut alteri non possit communicari, & hoc secundo modo accipitur subsistentia, non solum pro positiva perseitate excludente dependentiam ut in prima acceptione, sed etiam pro positiva perseitate excludente communicationem, de qua subsistentia, quæ est subsistere suppositale, ut dixi, non loquitur Assertio, certum enim est, Naturam Divinam, ut præintelligitur Relationibus esse communicabilem tribus Personis, & illius oppositum infert quaternitatem contra fidem, cum subsistentia in secunda acceptione, nihil aliud sit, quàm Personalitas, itaque Natura Divina non potest gaudere aliqua subsistentia, quæ tribuat incommunicabilitatem alteri ut supposito. Assertio igitur intellecta de subsistentia in primo sensu est *Scoti* Quodl. c. & 3. d. 1. q. 2. §. *Si verò intelligatur secundo modo.* & d. 5. q. 1. d 7. Quæst. unicâ. §. Contra illud & alibi. ubi Doctor disputans an possit Deus vi suæ absolutæ subsistentiæ Naturam creatam terminare, dicit: *Quod autem ipsa Essentia per se existens posset esse terminus proximus illius unionis videtur: quia ipsa nullum esse habet à Persona, sed est prius naturaliter, quàm sit in Persona & ad esse Personæ; est enim Natura de se hæc & per se subsistens, licet non incommunicabiliter,* illum sequuntur ex modernis celebriores. item Occam cum suis Nominalibus, & potest probari ex ipsis PP. qui haud tam alieni fuerunt ab hac opinione, ut autumat *Vasq.* *Scotus.*

Assertio probatur ex SS. PP.

20 *Agathe Papa. Hilarius. Augustinus. Hieronymus. Anselmus Boëtius. Thomas.* PRimo *Agathe Papa* in Epistola Decretali, quæ habetur sexta Synodo art. 4. ait: *Confitemur Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum sanctum, non tres Deos, sed unum Deum, non trium Nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum unam subsistentiam. Hilar.* l. de Trinit. *Non est,* inquit, *corporalium naturarum ista conditio, ut insint sibi invicem, ut subsistentiæ Naturæ habeant perfectam unitatem,* & mox: *inesse autem non aliud in alio, ut corpus in corpore, sed ita esse ac subsistere, ut in subsistente insit; ita verò inesse, ut ista subsistat, solius Dei est.* S. August 7. de Trinit. c. 4. ait: *Omnis res ad seipsam subsistit, quantò magis Deus.* & c. 5. ad finem: *hoc est Deo esse, quod subsistere, & ideò si una Essentia Trinitas, una etiam subsistentia.* Hieronymus Epistola 57. ad Damasum: *una est,* inquit, *Dei & sola Natura, quæ verè est, id enim quod subsistit, non aliunde habet, sed suum est.* Anselmus in Monologio c. 43. ubi ait: *Pater gignendo Filio dedit,* ut non per extraneam, sed per suam Essentiam, sapientiam & *vitam subsistat, sapiat & vivat.* Denique clarissimè Boëtius l. de duabus Naturis circa medium: *Deus,* inquit, *est hypostasis,* id est, *subsistentia,* subsistit enim *nullo indigens: unde dicimus unum esse* Usiam *vel* Usiosin, id est, Essentiam vel subsistentiam Deitatis. His adde S. Thomam 1. d. 21. art. 1. dicentem: *Iste terminus,* DEUS, *prædicat Naturam de tribus Personis, quæ etiam in se est habens esse subsistens, nullâ Personarum distinctione intellectâ* &c. Et 3. d. 6. q. 2. art. 2. ad 2. *In Deo ipsa Essentia subsistens est, unde sibi secundum se debetur esse, imò ipsa est suum esse subsistens.* & 4. contra Gentes c. 14. ait: quod *in Deo*

sint plures res subsistentes, si Relationes consideremus, & una res subsistens, si consideretur Essentia. denique q. 9. de potentia art. 5. ad 13. *in Divinis*, inquit, *proprietates personales hoc solum habent, quod supposita Naturæ Divinæ ad invicem distinguant, non ut sunt principium subsistendi Divinæ Essentiæ, ipsa enim Divina Essentia est secundum se subsistens.* quibus locis clarissimè convincitur D. Thomam & Scotum in eandem coire sententiam, & licet ille locus, quo S. Doctor 3. p. q. 3. art. 3. ad primum ait: *& per hunc modum potest intelligi, quod* [Natura Divina] *assumat Naturam humanam ratione sua subsistentiæ vel Personalitatis*, explicari posset, quod Natura Divina intelligi debeat pro *assumente*, quia intelligitur ut Persona, tametsi non sit, attamen aliæ auctoritates ex illo adducto manifestè innuunt eum voluisse cum Scoto, quod Natura Divina, ut præintelligitur Personis, & quâ ratione non habet rationem Personæ, sit verè subsistens, & ut sic posset esse terminus proximus unionis cum humana Natura.

Hæc tam evidentia PPum testimonia frustraneo conatu *Vasquez* interpretanda assumit, quod SS. usurpent subsistentiam pro existentia, oppositum perspicuè patet in *S. Augustino*; qui ante verba superius relata sic scribit: *Sicut ab eo, quod est, appellatur Essentia, ita ab eo, quod est subsistere, subsistentiam dicimus*: ergo quando subdit: *omnis res ad seipsam subsistit, quanto magis Deus*, non loquitur de existentia, ut est & sumitur pro modo per se existendi excludente dependentiam ab alio sustentante, quem dicimus pro priori ad hypostases & Personas inesse Naturæ Divinæ. Secundò ista interpretatio *Vasq.* intelligendo per ly subsistens, *existentiam* auctoritates allatas ad nugatoriam cantilenam & battologiam detorquet, nam idem sonarent, ac si diceretur, ex eo, quod in Deo ipsa Essentia esset existens, ei deberi existentiam, & ex eo quod Deus sit suum esse subsistens, sit existentia existens.

Assertio probatur & suadetur ex ratione.

21 *Cur natura creata in propria linea non subsistat?*

PRima est: Conceptus objectivus Deitatis significatus per hunc terminum, *hic DEUS*, & prout anteit omnem Relationem, apprehenditur intra suam lineam essendi, ut simpliciter illimitatus: *ergo* non potest concipi solum ut *Quo*, sed etiam ut *Quod*, seu ut absolutum subsistens completè & independenter ab ullo extrinseco, nec non & Personis: *antecedens* est evidens: Essentia enim non accipit suam perfectionem & infinitatem à Personis, quin potius omnium Personarum perfectiones ab Essentia profluunt: *conseq.* prob. ideò Natura creata intra propriam lineam non subsistit, sed ratione sui suppositi, quia finita est & incompleta ac dependens ab alio ut ab alio complemento illam sustentante, nam alias Natura humana Christi, prout orbata propria existentia diceretur integrum & completum ens, quod est falsum, cum Natura Christi præcisa à subsistentia non sit hic homo, sed potiùs humanitas quasi homo abstractè, non *quod* est Christus, sed *quo* est. ergo conceptus Deitatis expressus per terminum, *hic Deus*, seu quidditas Dei, ut præintelligitur hypostasibus, est revera subsistens & transcendens essentialiter modum positivum per se essendi etsi communicabiliter alteri.

22 *Subsistentia est complementum substantiale.*

Secunda ratio est: Quod est pro aliquo priori principium sufficienter activum per se, est etiam in illo priori subsistens, atqui Deus ut præintelligitur Personis est principium sufficienter activum, quia producit, creat & operatur ad extra, est etiam in illo priori intelligens & volens: ergo pro illo priori est subsistens: *min. prob.* nihil potest operari, nisi quod per se subsistit, prius siquidem est esse ens completum, quàm esse operans, unde commune axioma natum est: *actiones sunt suppositorum*, id est, subsistentium, & ratio suadet, cum enim subsistentia sit actus & complementum substantiale, prius natura convenit quàm operatio. *min. prob.* etiam: tum quia aliàs opera Trinitatis ad extra non essent indivisa ratione scilicet individuæ Trinitatis, quidquid enim convenit omnibus Personis, id eis convenit ratione Deitatis, & hoc est, quod ait *S. Dionysius* c. 1. de Divin. Nomin. *Bonitatis subsistentiam per suum esse, causam esse omnium subsistentium*, consequenter Deus, quatenus præintelligitur seu præscindit à Personis, est subsistens.

Dices: Deitas præintellecta Personis non potest esse principium generandi ut *quod* ad intra: ergo non potest intelligi ut subsistens. respondeo neg. *conseq.* ad hoc enim ut Deitas intelligatur principium generationis Filii debet concipi cum Paternitate; tum ut est ratio incommunicabiliter subsistendi, per quam necessariò debet induci distinctio realis inter generans & generatum; tum quia est conditio sine quâ non, vel ut alii principium generationis & spirationis in Patre, ut autem Deitas intelligatur subsistens, satis est, ut existat per se & independenter ab omni alio. 23

Tertia ratio. præcisis per intellectum personalitatibus, potest Deus assumere Naturam creatam: ergo Deus ut præintelligitur Personis, est subsistens: *antecedens* est D. Thomæ 3 p. q. art. 3. *Doctoris Subtilis* d. 1. q. 2. §. *Sed contra secundum membrum.* n. 10. ubi ex professo docet, assumptionem Naturæ creatæ ad absolutam Dei subsistentiam, appellandam non esse conjunctionem *identitatis*, seu ad unitatem Naturæ vel compositionis, quasi ex increato & creato una tertia natura confletur, hunc enim sensum omnis Orthodoxus abhorret audire, sed *unionis*, inquit, *hujus ad illam, & ista unio est specialis dependentia Naturæ ad Naturam similis illi, qui nunc est Personalis*, ita meus *Doctor* asserens cum *S. Thoma* talem conjunctionem inter Naturam creatam & absolutum subsistere Dei, quæ cum 24

Natura-

Naturam essentiali impermixtione fieret, jam probatur conseq. Si enim in illo priori non esset subsistens, non posset supplere vices subsistentiæ creatæ, seu reddere Naturam creatam subsistentem, implicat enim illam reddi subsistentem, nisi per subsistentiam propriam vel alienam.

25 *Ultima* denique ratio esse potest ista: Esse per se, seu subsistere est perfectio simpliciter simplex, scilicet melior ipsa quàm non ipsa, id est, quàm forma positivæ perseitati incompossibilis, seu quàm existere in alio, vel dependenter ab alio, ergo Deo est tribuenda, prout concipitur depurata ab imperfectionibus finitatis & communicabilitatis, quæ illi ex creatis accedunt: atqui Natura seu Essentia Dei, non potest obtinere perfectionem simpliciter simplicem ab hypostasibus relativis: ergo. major patet evidenter, quia Deus in omni genere perfectionis est perfectissimus in infinitum, ut nulla perfectio ab ipso aliena esse valeat. min. prob. quia Relationes vel nullam dicunt perfectionē, vel talem non important perfectionem simpliciter simplicem, id est, in quolibet supposito secundum formalem rationem suppositi, meliorem, quam formam oppositam, ergo. antecedens docetur à tota Schola Subtilium cum suo Magistro, ut suo loco fusiùs, hic breviter vel ex eo patet, quod licet in sensu composito, Patris, id est, ut Patris supposito, sit melior Paternitas quàm Filiatio, quæ est forma opposita, supposita tamen Patris secundum formalem rationem suppositi non est melior Paternitas, quàm Filiatio forma opposita: ergo perseitas essendi in Deitate non potest haberi ab hypostasibus seu Personis.

26 *Dices:* si per impossibile in Deo esset una tantum Personalitas, utrumq; præstaret, redderet enim Naturam Divinam independentem ab alio, ut sustentante, eiq; incommunicabilitatem tribueret, at nulla est ratio, cur tres Personalitates Divinæ, nam præstarent tantundem, quantum præstaret unica: ergo &c. Respondeo conced. maj. neg. min. nam sicut esse per se in creatis est perfectio simpliciter simplex, scilicet melior ipsa, quàm non ipsa, id est, quàm forma positivæ perseitati incompossibilis, ita in hoc casu impossibili, esset in Deo perfectio simpliciter simplex, secus de facto, ut dictum est, quare omninò inconveniens est, quod modus perfectissimus existendi, qualis est subsistentia, prout dicit independentiam ab alio, ut sustentante, competit Deo dependenter à Relationibus, quæ ratione sui, ut tenetur communiter perfectiones non sunt, sed omnem suam perfectionem obtinent ab Essentia.

Dixi in Assertione, sive illa absoluta subsistentia *sit de conceptu formali existentiæ Divinæ, sive solum modus intrinsecus illius.* Smising *Tract. 1. de Deo* disp. 2. q. 1. n. 49. sustinet esse modum intrinsecum Existentiæ Divinæ, quæ Deum formaliter constituit, sicut necesse esse, non esse ab alio, sed à se, & infinitum esse sicut hujusmodi modi intrinseci, quæ explicant modum seu quantitatem perfectionis Divinæ esse, consequenter vult subsistentiam absolutam ad existentiam Divinitatis distingui inadæquatè. *Brinzennus* econtra *Controv. 1* de *Essentia & Simplicitate Dei* art. 3. n. 6. contendit illam esse de formalissimo conceptu Existentiæ Divinæ, ita ut coincidant in eandem rationem explicitam, citat pro se ex Scotistis *Bassolium* l. c. & *Franciscum de* Pirigianis, *Aretinum* 3. Tom. 1. d. 1. q. 2. art. 2. sed quidquid de hoc sit in proposito cum teneamus dari subsistentiam absolutam, illi dubio non est hoc loco immorandum ampliùs. *Smising Brinzennus.*

Respondetur ad rationes & fundamenta primæ opinionis in oppositum.

27 Ad primum respondet *Smising* etsi *subsistentia* non fuerit apud SS. PP. tam usitata, uti apud modernos, & idem sæpè sonet, quod *hypostasis*, ideò tamen *Vasquez* non satis modestè oppositam modernorum sententiam condemnet aut in erroris suspicionem adducat, cum gravissimi Theologi illam doceant, cum quibus benè licet loqui, quando de re constat, & sicut PP. convenerunt, ut hoc nomen *hypostasis*, cujus significatio ante erat valdè controversa, significaret Personam, seu incommunicabilem subsistentiam, ita posteriores Theologi convenerunt in acceptione illius vocis *subsistentia*, ut sit idem ac existentia ita per se completa, ut non indigeret alio sustentante, sive possit esse in alio, sitq; subsistentia communicabilis, quam ad discrimen appellant subsistentiam absolutam communem tribus Personis, sive non, sitq; incommunicabilis constituens suppositum seu Personam, quod hypostasin appellant, hoc supposito

Subsistentia quandoq; idem sonat quod hypostasis, aliquando non.

Respondeo: subsistentia idem significat quod hypostasis in aliqua sui acceptione apud PP. frequentata, ut patet ex *sexta Synodo* producta, *conceditur* assumptum, in omni sua acceptione, *negatur*, sicut enim hoc nomen substantia dupliciter sumi potest, & pro supposito & pro Essentia, & in prima acceptione conceduntur in Deo tres substantiæ & negatur una, ita jam ex communi *Scholasticorum* consensu hoc nomen subsistentia receptum est, ut accipitur aliquando pro existentia per se completa, ut non indigeat alio sustentante, communicabiliter tamen alteri & aliquando pro tali, sed incommunicabiliter, primo modo est una solùm subsistentia, quam absolutam & essentialem vocamus, non tres; secundo modo sunt tres, non una, scilicet tres hypostases divinæ, nemini *ergo* in hoc nomine datur occasio scandali vel erroris, etsi revera haud censendum sit antiquis Doctoribus omninò inusitatam subsistentiæ absolutæ notionem fuisse, perspicuè siquidem hujus oppositum elucet ex verbis Boetii & aliis superiùs auctoritatibus citatis.

Absoluta Dei subsistentia in quo consistat.

Ad secundum respondeo neg. *seq. majoris*, quod absoluta subsistentia in Divinis nihil addat ad suppositum præter negativum, nam esto *Doctor*, ut probabile censet conceptum subsistentiæ creatæ negativum esse, id tamen nusquam omninò assertivè, sed solum problematicè asseveravit, nobiles autem & plurimi *Scotistæ* ad mentem illius astruunt esse probabiliorem sentiendi viam, quæ quidditativam suppositalitatis creatæ rationem positivam judicat, de subsistentia autem increata quid sit essentialiter positivum quid, Doctor docet expressè cum suis, quorum ideo aliqui autumant esse modum intrinsecum, alii esse quidditativè & in primo gradu primi modi imbibitum in ipsa existentia, potestque quoad hoc, quod consistat in positivo concludi ex Scoto 3. d. 5. q. 2. §. *Respondeo quod in creaturis*, n. 16. ubi docet Divinam Naturam in hoc secerni à creata substantia in tota latitudine illius, quod cum esse creatum non sit simpliciter in ratione essendi illimitatum, non claudat formaliter actum illum substantialem simpliciter necessarium ad complementum alicujus, ut totale & integrum ens dicatur, ex quo contingit, ut humanitas Christi præpedita ab emanatione propriæ subsistentiæ solum sit ens ut *quo* & incompletum indigens subsistentia, qua secundùm rationem essendi compleatur ut *quod*: atqui esset absurdum, quod actus divinæ actualitatis, quo Deus concipitur completissimus, consistat in negativo, præsertim cum ad hanc actualitatis perfectam Essentiæ Divinæ in primo signo Naturæ, sive præsuppositionis intelligibilis, id est, quo præintelligitur Personarum quasi pullulationi, omninò in ratione essendi nihil a Relationibus illi accrescat perfectionis positivæ, ergo Divina Essentia ex se actualitatis suæ positivum infert complementum, ac proinde absoluta Dei subsistentia, qua Deus sit individuum *quod* Deitatis seo *hic Deus* consistit formaliter in positivo, sive illud sit modus illius intrinsecus, sive de conceptu explicito existentiæ Divinæ, patet itaq; falsam esse sequelam majoris. Jam ut progrediamur & ostendamus communicabilitatem Deitatis ad suppositalitatem, ut ad præcisum terminum fœcunditatis suæ, non esse contra subsistentiæ rationem distinguo minorem: tale positivum infert ultimum terminum Naturæ, quam afficit, id est, quod non possit existere in alio ut sustentante quasi Naturæ indigentiam ad existendum exercitè, concedo min. tanquam in ultimo terminante, nego min. nam licet Natura petat esse in Personis veluti fœcunditatis suæ terminis, nullatenus tamen in eis est, tanquam in sustentante, quasi indigeat per illas compleri & existere exercitè, hoc enim habet beneficio sui, non Personarum, quæ sunt potius ab Essentia; est ergo in Personis ut terminantibus, non ut in sustentantibus.

Ex his patet ad confirmationem & generatim ad quamcunque oppositionem, quâ contenditur Naturam Divinam compleri per subsistentias relativas, hoc si de complemento requisito ob indigentiam & potentialitatem ad existendum exercitè intelligatur, falsum est, requisito ob solam fœcunditatem Naturæ verum est, nam illæ complent quidem Naturam complemento orto ex summâ sœc[und]itate, ratione cujus petit esse in tribus Personis, neutiquam tamen complemento orto ex indigentia & potentialitate, ut exercitè existat.

Tandem igitur respondetur directè ad sextum sub num. 5. contra Assertionem allatam.

28 EX his, quæ incidentaliter occasione materiæ fusè discussimus de absoluta Dei subsistentia, abundè patet ad id, quod sexto loco videbatur militare contra Assertionem, gratis enim concedimus antecedens, quod Dei subsistentia absoluta tam sit Deitati intrinseca ac ipsa Existentia, vel saltem quod sit modus illius intrinsecus spectans ad perfectum conceptum Dei, falsum autem est, quod subsistentia in omni acceptione idem sit, quod hypostasis, ut supra satis est enodatum, unde nego *minorem* & *conseq.* licet enim relativæ hypostases quæ sunt subsistentiæ relativæ non sint de quidditatis perfecto conceptu, secus est de subsistentia absoluta, imò repugnat conceptus quidditativus perfectus talis subsistentiæ, qui præscindat ab existentia seu quo apprehendatur perseitas subsistentialis Dei esse extra adæquatum conceptum Existentiæ Divinæ, & viciſsim, & licet Deitas apprehendi valeat in aliquo sensu ut *quo*, respectu suppositi relati & incommunicabilis, non tamen respectu subsistentis absoluti & communicabilis, *Deitas* quippe & *Deus* subsistens, ita coincidunt in eandem formalissimam rationem, ut nihil prorsus significetur per ly *hic Deus*, ut refert individuum Deitatis absolutum & communicabile subsistens, quod non exprimat Deitas, prout Personis aliquo priori præintellecta concipitur.

* * *
* *

QVÆSTIO

QUAESTIO QUARTA.

An Infinitas sit de Essentia Dei & qualiter?

SUMMARIUM.

1. *Infinitas Dei duplex.* 29.
2. *Dei infinitas non est attributum, nec de Essentia Dei, probabiliter solum modus intrinsecus.* n. 30. *& seqq.*
3. *Quare non sit tanta distinctio inter Essentiam & modum intrinsecum, quanta est inter Essentiam & Attributum.*
4. *Attributa & modi intrinseci distinctione ejusdem generis, non ejusdem gradus in illo genere distinctionis distinguuntur.* 31.
5. *Interpretatio Ponciana in Scotum profligatur.* 34.
6. *Cur implicantiam dicat, quod Essentia divina dicat modum intrinsecum suiipsius.* Ibidem.
7. *Infinitas intensiva Dei est conditio objecti beatifici, sine qua Essentia divina perfectè & intuitive videri nequit.* eodem.
8. *Infinitatem esse de Essentia disceptatur pro & contra, tenendum hoc secundum.* n. 36. *& seqq.*
9. *Esto infinitas esset de Essentiali conceptu Deitatis, nullatenus tamen ultima ratio constitutionis quasi metaphysica dicenda est.* 45. *& seq.*
10. *Infinitas radicalis, quia Essentia intimior est, primaria dicitur, nullo modo tamen per illam à priori distinguitur Deus à quovis alio.*
11. *Naturam divinam constitui per cumulum perfectionum divinarum, aut Dei Infinitatem Scotus & Scotistæ nusquam docuerunt.* 49. *& seqq.*
12. *Non datur in Deo perfectionum essentialium cumulus.* 50.

29 PRo resolutione notandum ex Scoto 1. d. 13. quæst. unicâ § *alia est opinio*, n. 16. & 4. sentent. d. 13. q. 1. n. 32. duplicem in Deo distinguendam esse infinitatem nempè fundamentalem & formalem, prior, quæ & radicalis infinitas dicitur & primaria, competit Essentiæ Divinæ, quæ totum esse in se comprehendens; se habet secundum *Damasc.* velut substantiæ quoddam infinitum pelagus & interminatum, id est, omne prorsus esse in se complectitur vel eminenter, vel virtualiter vel formaliter. Posterior verò competit omnibus Attributis, quæ secundùm laudatum *Damascenum* dicunt aliquid circa Essentiam, à qua, quia tanquam à pelago emanant, ab eadem ut radice eorum formalis infinitas pullulare dignoscitur. Ad propositum autem quæstionis non consentiunt sibi *Scotistæ*; nam primo sunt, qui simpliciter volunt infinitatem esse de quidditate Naturæ Divinæ, idque mordicus sustinet noster *Brinzenno* Controv. 5. art. 2. à n. 17. usque ad art. 3: idipsum asserit noster Tom. 1. de Deo Tract. 1. d. 1. art. 3. q. 2. de identitate fondamentali, quibus consentit quidem *Poncius* in cursu Theol. disp. 3. q. 1. n. 8. sed non eodem modo loquitur de infinitate, negat enim infinitatem dicere quid positivum dicens esse rationem particularem Essentiæ, ut est principium negationis, à qua habet quod nihil possit dari aut cogitari superius aut perfectius ipso, sit

Scotus.

ASSERTIO

Infinitatem non consequi Deitatem instar alicujus Attributi certum est, non esse de quidditate Dei sed modum intrinsecum Naturæ Divinæ probabilius est.

30 ESt quo ad secundam partem, quam primò probamus contra *Brinzennum*, *Frassen*, *Poncium* ll. cc. ex Scoto 1. d. 3. q. 2. *Quarto dico*, & d. 8. q. 3. *Ad primum principale*, & d. 31. q. unica. §. *quantum ad tertiam conditionem*, & Quodl. 5. n. 3. & 4. & *Quodl.* 6. à n. 5. usque ad 1. versic: *contra ista arguitur*, ubi auctoritatem *S. Augustini* dicentis: *idem est illi esse, & magnum* „*esse*, sibi objiciens ait: Ergo magnitudo tran- „sit in Essentiam per consequens ergo non ma- „net ibi magnitudo, id est, infinitas, secundum „propriam rationem magnitudinis &c. Ad „hanc objectionem respondeo, inquit. & di- „co, quod omni proprietate per impossibile „vel per possibile circumscripta ab Essentia „Divina, ipsa habet propriam magnitudi- „nem, scilicet propriam infinitatem, habet „enim gradum intrinsecum, sicut res finita „habet propriam finitatem, imò magis, sicut „si circumscribas ab hominem proprietatem, „adhuc habet propriam finitatem in ordine „entium. Sic ergo concedo, quod est idem „Deo esse, quod magnum esse, & aliquo mo- „do, scilicet dicere, magis intrinsece, quàm

Scotus explicatur.

„Deo justum esse, vel sapientem esse, quia „non ita dicit magnum (id est *Dei infinitas*,) „proprietatem vel attributum, sicut justum „vel sapiens: & includit immediatè, transit „ergo in ipsum propter summam identitatem „magnitudinis ad Essentiam: cum infers, er„go non manet secundum propriam rationem „magnitudinis: neganda est consequentia, imò „in creaturis sic transit magnitudo perfectio„nis, quod non est aliud realiter ab eo, cujus „est; & tamen manet secundum propriam rationem magnitudinis, ut proprium fundamentum æqualitatis vel inæqualitatis, ita *Doctor*, cujus litera clara & prosequitur ibi, qua funditùs & directè prosternit sententiam *Ponci* statuentis infinitatem Essentiæ Divinæ nihil omninò dicere positivum ab ipsa Essentia distinctum, sed ipsam rationem particularem Essentiæ, ut est principium negationis, consequenter quia illa ratio est de Essentia imò ipsa formalissimè Essentia Divina Dei infinitas secundom omne positivum, quod dicit, est de Essentia & ipsa Essentia Dei. Quod si ita esset, ad quid Doctor tam operosè responderet ad auctoritatem *Augustini*, qua videtur prætendi, ut patet ex verbis *Scoti*, infinitatem esse de Essentia Dei, quam Doctor certè, si illud fuisset ad mentem suam, non extraxisset ad identitatem solam realem cum Essentia. *Transit ergo*, inquit, *ad ipsum propter summam identitatem ad Essentiam*, subdens, *non esse aliud realiter ab eo, cujus est*, atqui nihil transit per realem identitatem ad seipsum, nihil etiam ad formaliter seipsum dicitur *non esse aliud* realiter ab eo, cujus est in obliquo, sed non esse aliud formaliter ab eo, quod ait formaliter & in recto, cujus oppositum clarè etiam exprimit in *Art. præcedenti* ibi n. 9. *circa finem: sic ergo quantum ad istum Articulum arti de magnitudine habemus, quod ibi sit aliquid ex natura rei, cujus sit magnitudo*, id est infinitas, ut *Essentia*. Paulò superius n. 6. dicit: *infinitas intensiva non dicit proprietatem vel passionem ejus, cujus est, sed modum intrinsecum, circumscripta quacunque proprietate*, idem docet *Doctor* 1. d. 3. q. 2. & alibi sæpe, atqui modus intrinsecus Essentiæ non est ipsa formalissimè Essentia, ut patet.

31 *Objectio.* *Dices*: si per illa verba Doctoris, (*transit ergo in ipsum propter summam identitatem magnitudinis ad Essentiam*) Doctor infinitatem extraxisset ad identitatem realem, eo quod subdat: *non est aliud realiter* ab eo, *cujus est*, ergo *Doctor* vel malè dixisset, quod infinitas sit intimior Deitati, quàm proprietates attributales, quibus æquè talis transitus ac conventus in summam identitatem realem cum Deitate defertur, vel non assertivè, sed com formidine constituit infinitatem Deo magis intrinsecam esse, quàm Attributum, signanter cum ibi addat, *aliquo modo, si licet dicere*, consequenter ex mente Doctoris infinitas nec esset absolutè, sed fortassis modus intrinsecus, & sic Attributum esse æquè posset teneri.

Eliditur. *Respondeo*: licet multi extra Scholam *Scoti* ex mala intelligentia non distinguant modos intrinsecos ab Attributis, adeoque judicant esse proportionalem rationem quoad distinctionem inter se & ab Essentia Dei, absolutè tamen spectata utriusque natura, non est, in sano sensu illa intelligendo, tanta distinctio modi ab Essentia, quanta est Attributi, quare nego *conseq.* quoad hoc, quod modus non esset intimior Deitati, quàm Attributa, illud probandi medium, scilicet quod transitus & conventus in summam identitatem realem, etiam conveniat Attributis, ac proinde sint æquè intima & indistincta à Deitate, *distinguo*. sunt ideò æquè intima, quod conveniant in ejusdem generis identitate, & distinguantur distinctione ejusdem generis, concedo; distinctione ejusdem gradus in illo genere, nego. (idem est de identitate) minor siquidem intra illius generis latitudinem est distinctio formalis inadæquata, quàm distinctio formalis adæquata, hæc namque supponit extrema distinctionis adæquato & perfecto conceptu intelligibilia, ita ut utrumque extremum peculiarem dicat formalitatem; secus prior ille, nam licet quidditas sine modo sit imperfectè & inadæquatè conceptibilis, non tamen perfectè & adæquatè, nec modus sine illa, cum modus intrinsecus non addat quidditati, cujus est modus, peculiarem formalitatem, quo fit quod intensio vel remissio qualitatis v. g. non est distinctè conceptibilis sine qualitate, cujus est intensio vel remissio, & qualitas distinguatur solùm formaliter inadæquatè. Pro quo vide, quæ dixi supra q. 3. *hujus Controv.* Art. 1. statim in principio nimirum modum intrinsecum prædicari in primo modo dicendi per se, etsi non in primo gradu primi modi de quidditate, cujus est modus, quia inest in ratione *quid est* dicente subjecti, id est, quia includitur in quidditate perfectè concepta, esto illa inadæquatè & imperfectè possit concipi sine modo.

Distinguuntur aliqua distinctione ejusdem generis, non distinctione ejusdem gradus in illo genere.

Ex quibus habemus quomodo in ipsa identitatis realis latitudine alii & alii gradus secundum proportionalem identificatorum accessum vel recessum præcisivæ conceptibilitatis ab altero coëxtremo respectivè ad modos & Attributa inveniantur, unde & explicantur illa verba Scoti, *si licet dicere magis intrinsecè*, quibus Doctor non loquitur cum formidine, quasi modi non forent intimiores Deitatis Attributis, adeoque sint Attributa, sed sic loquendo idipsum, quod Attributa non sint, & illis Deitati intimiores, vel maximè innuit, cum rationabili tamen cautela, *si licet dicere*, ne ideò Attributa, ut justum esse, vel sapientem esse, id est sapientia aut justitia concipiantur erroneè, ac si essent accipienda planè ab opposito in sensu negativo, quo in Deo realiter non esset aliud, sic nullotenus modi intrinseci sunt magis intrinsecè in Deo quàm Attributa, ut clamant omnes libri Doctoris, sed quod modus Attributum non sit, & suo modo ad primum modum dicendi pertinent, explicat, simulque Doctorem præoccupat abducens ab istius suspicione erroris & à scrupulo eximit cogitandi an modus coincidat in conceptum Attributi, 32

Notetur doctrina.

Sed

34 *Poncius commentatur in Scoti literam.* Sed plus ultra nos evocat *Poncius* l. c. ubi authoritatem supra allatam nobis surripere studet dicens: propterea *Scotum* infinitatem vocare modum intrinsecum, quia *Essentia Divina*, ait, *potest concipi ab intuitivè vidente ipsam, sine eo quod conciperetur infinita, posset enim concipi sine jam dictâ negatione, quæ concipi nequit, nisi factâ comparatione Essentiæ Divinæ cum aliis rebus conceptibilibus*, & mox: *cum ratio particularis Essentiæ Divinæ non concipitur per modum infinitatis formaliter, nisi ut concipitur cum exigentia dictæ negationis, propterea ipsamet, ut est principium talis negationis, possit vocari modus suipsius, ut est conceptibilis absolutè absque tali negatione.*

Refutatur. Sed hoc responsum non habere fundamentum probatur evidenter: implicat Essentiam Divinam concipi ab intellectu intuitivè & clarè vidente ipsam, sine eo, quod conciperetur formaliter infinita, ergo & implicat sub illa ratione illam esse modum suipsius. Anteced. prob. ex perfectione actus beatifici, qui intuitivè videt Divinam Essentiam, talis habet actum beatificum: sed implicat dari actum beatificum sine modo objecti beatifici: infinitas autem intensiva est talis modus in Essentia Divina; sed qui intuitivè videt Divinam Essentiam, videt objectum beatificum, talis visio namque, qua intuitivè videtur Divina Essentia, est actus beatificus ipsius objecti ut existentis, & in existentia propria præsentis, adeoque videretur conditio objecti beatifici, sine qua Essentia perfectè & intuitivè videri non posset: quod autem infinitas sit per se conditio objecti beatifici, ex-

Scotus. pressè Doctor tenet *Quodl. 6.* cit. n. 7. & 9. & probat ita: *Nullus intellectus nec etiam voluntas in aliquo objecto perfectè quietatur, nisi sit in eo tota plenitudo objecti, quanta scilicet compossibilis est primo objecto: talis plenitudo primi objecti intellectus vel voluntatis non potest esse nisi infinitas, ergo nulla potentia beatificabilis potest quietari in aliquo, nisi in infinitum, & per consequens infinitas est per se conditio objecti quidditativi & ita beatifici.* Ita Doctor l. c. Confirmatur: Doctor *i. d.* 8. q. 3. § *Ad primum Argumentum principale*, n. 27. ait: non posse intellectum concipere realitatem & non habere conceptum illius intrinsecum v. g. impossibile esse intuitivè videre hanc albedinem, quin intuitivè videatur modus ejus intrinsecus & n. 29. disertis verbis, quod si aliqua entitas videatur perfectè & intuitivè, *intuens ibi non haberet*, inquit, *distincta objecta formalia, scilicet realitatem & modum, sed idem objectum formale, tamen intelligens intellectionis abstractiva propter intellectionis illius imperfectionem potest unum habere pro objecto formali, licet non habeat alterum.* Ita Doctor, ergo ex mente illius nequit intuitivè videri Essentia sine infinitate. Et prosequitur ibi: Ex quibus perspicuum est, primo Essentiam ab intuitivè vidente non esse conceptibilem, nisi ut infinitam. Secundò modum illum intrinsecum non esse, nec esse posse suipsius ipsam Essentiam, ut est principium talis negationis & quatenus esset conceptibilis absolutè absque tali negatione, sicut enim falsum est Essentiam non posse concipi, ut formaliter infinitam, nisi concipiatur sub hujusmodi negatione, sic enim nec posset concipi ut quietativum objectum potentiæ beatificabilis sine negatione tali, quod est absurdissimum, ita falsum erit, Essentiam ut est talis negationis principium esse modum intrinsecum, qui sit infinitas suipsius Essentiæ. Proinde ad alterutrum *Poncius* adigetur, ut concedat infinitatem vel esse positivum modum intrinsecum in Deo, vel esse ita de Divina Essentia, ut formaliter sub tali ratione infinitatis, id est, sub conceptu Essentiæ, qua infinita est, & non aliter ab intellectu intuitivo concipi possit, & sic iterum primò non subsistit data ab ipso explicatio modi à *Scoto* usurpati. Secundò falsum est, quod infinitas nihil prorsus dicit positivum, quia dicet in tali sententia, ut supra arguimus, ipsam positivam Essentiam sub ratione positivi infiniti, non enim volet negare Divinæ Naturæ infinitatem suam, & consequenter sua doctrina coincidit in opinionem *Brinzenni*, quod infinitas sit prædicatum Dei positivum spectans ad essentialem Dei integritatem, quo iterum elucet quod frustra & falsò dicit, Essentiam Dei sine infinitate posse clarè concipi seu intuitivè videri, cum involveretur in adæquato conceptu Essentiæ, ergo illam secundum conceptum inadæquatum, qui non esset intuitivus & satiativus, consequatur.

Confirmatur & probatur secundò contra *Poncii* responsum & opinionem: Essentia Divina non sufficit ad fundandam negationem illam finitatis sine aliquo speciali positivo: *ergo* talè positivum importat infinitas de facto. *Anteced. prob.* Essentia Divina de se & absolutè, est tantum ratio essendi ens perfectissimum, quo nihil possit dari perfectius, aut melius excogitari, atqui hoc ex se non opponit magis finitati & limitationi, quàm aliis quibuscunque Deo repugnantibus imperfectionibus: ergo requiritur aliquod speciale positivum velut proximior ratio cur repugnet sibi imperfectio finitatis, &c.

Dices: inde potius oppositum sequi, nam eo ipso quo Essentia est id quo nihil melius & perfectius excogitari & dari possit, concipitur, quod infinitas sit de quidditate Divinæ Essentiæ, ea ratione Sancti PP ubique Deum explicant per esse infinitum, & ideo dicunt esse, quo nihil perfectius explicari possit, ut *Damascenus* l. 1. c. 12. describit Deum quod sit immensum & infinitum Essentiæ pelagus, aliique PP. Deum esse summum ens quo majus excogitari nequit, hoc autem est esse infinitum, infinitum enim majus non potest excogitari. 35 *Damascenus.*

Respondeo neg *anteced.* ad cujus probationem dico Patres Deum describere tanquam per conceptum primum primitate perfectionis, quæ pro statu viæ de Deo habere licet, quia non cognoscimus Deum distinctè & quidditativè, id est, non nisi per conceptus desumptos à speciebus alienis, qui non sunt conceptus simpliciter primi primitate generationis nec quoad nos, ut infra in responso ad object. sub n. . . . . non itaque PP. describunt Deum per infinitatem

nitatem tanquam per conceptum primo primum primitate generationis.

36 *Effugiũ.* *Iam probatur* Assertio contra *Brinzennum*, quod infinitas non sit de quidditate Dei. Estque *Scot.* 1.d.3.q.2.§. *Quartò dico*, & d.8.q.3. *Ad primum principale*, & d. 31. & *Quodl.* cit. ubi sentit infinitatem non esse de quidditate Dei, nec esse Attributum, sed modum intrinsecum Divinæ Naturæ, & quidem quod non sit quidditate perspicuè 1.d.2.q.1.§. *Ad quæst.*& q.2.§. *Ex his ad quæst.* ideò ibi affirmat, quia infinitas ab habente conceptum quidditativum Dei possit à priori demonstrari de Deo, quæ illatio causalis est à priori, *quia* Deus est suum esse, *ideò* est infinitus: *atqui* quæ sunt de quidditate rei, non possunt demonstrari à priori: ergo ne talis illatio sit quædam petitio principii, id est ejusdem antecedentis repetitio infinitas non est de quidditate Dei talis. Respondet *Brinzenno*, inde solum colligi distinctionem rationis secundum inadæquatas conceptiones nostras inter Deum & suum existere, & prout illimitatus in ratione essendi, quæ sola rationis distinctio præstet, ut aliquid quasi concipiamus in Deo quasi rationem à priori, esto quod ne quidem formaliter distinguantur.

Verùm hæc responsio destruit seipsam: *prob. assumptum*: demonstratio à priori, de qua supra loquitur *Scotus*, ab habente conceptum quidditativum, est per veram causam essendi: atqui ubi est sola distinctio rationis secundum inadæquatos nostros conceptus non esset demonstratio à priori per causam essendi, sed per omninò idem, etsi putatum propter inadæquatas nostras conceptiones ut distinctum, seu à nostro intellectu fictum, modò ut causam, à qua aliquid emanet, modo ut effectum, aut aliquid manans ab illo ut causa, quæ certè non est demonstratio vel cognitio rei per causam, propter quam res est, & quoniam illius causa est, sed inanis & ficta putatio, per id quod secundum nostrum concipiendi modum & habitudinem extrinsecam fingitur tanquam à causa alterius, ac proinde quatenus *Doctor* ait infinitatem esse à priori demonstrabilem ab habente quidditativum Dei conceptum, sensus esset, infinitatem demonstrari de Deo quia concipitur hoc alio modo, etsi à parte demonstrabilis non sit, quod est reducere quæstionem ad modum sub quo conciperetur res, non quo res est, tanquam à causa, propter quam res est, adeoque non haberetur conceptus rei quidditativus, cum tamen expresè *Doctor* dicat infinitatem demonstrari à priori de Deitate ab habente conceptum illius quidditativum: ergo ad mentem Scoti infinitas ab intellectu perfectè concipiente verè & reapse quasi pullulare intelligitur à quidditate Dei, & vicissim Deitas intelligitur velut radix & ratio à priori infinitatis: ergo illa non est de quidditate illius. *Præcluditur.*

37 *Probatur secundò* & confirmatur eadem ratio jam allata: finitas in creatis vel infinitas si daretur intensionis in qualitate, aut extensionis in quantitate non addit prædicatum essentiale, quo intelligatur metaphysicè constitui quidditas illorum accidentium, unde fit ut quantitas vel qualitas finita vel infinita non differunt specie, sed idem est in quantitate virtutis, ergo sicut nullius creaturæ quidditas constituitur per finitatem vel infinitatem, sed per genus & differentiam, sive illa sint quid nominatum, ut animal & rationale, quibus constituitur homo, sive quid innominatum, & quidditas sic constituta est ratio, cur sibi conveniat infinitas, cur namque Angelus finitus & homo finitus est quia talem habent quidditatem, ita neque in Divinis infinitas attinet ad Dei quidditatem ut prædicatum essentiale.

Dices: Doctor expresè 1.d.3.q 2. n.17. & *Quodl.* 6. ex phrasi *S. Augustini* docet, quod infinitas sit intimior Naturæ Divinæ, quam quodcunque aliud Attributum, vel quam quæcunque passio vel quasi passio, quia circumscripto per possibile vel impossibile omni Attributo à Deitate, adhuc Deitas esset formaliter infinita, sed non esset infinita infinitate, quæ esset modus intrinsecus: quod probatur, quia alioqui propositio in qua prædicatur proprietas de definitione sive de ratione formali subjecti, de quo demonstratur proprietas, non esset per se nota: sequela prob. quia talis proprietas posset demonstrari de ratione formali subjecti per gradum intrinsecum, cum illa sit intimior & sic per infinitatem. 38

Respondeo ad hoc cum *Lycheto* in Comm. super lit. cit. n.2. quod propositio immediata possit intelligi dupliciter, vel immediatione causæ, vel immediatione subjecti, sic v.g. ista propositio: *rationale est risibile* est immediata immediatione causæ, rationalitas enim est præcisa & immediata causa risibilitatis: sed ista: *homo est risibilis* est immediata immediatione subjecti, quia risibilitas primo homini ut subjecto inest, cum non insit parti compositi, sed toti composito, ut patet ex Doctore 3.d. 2. itaque sicut finitas, licet sit gradus intrinsecus & intimior rationalitati, non tamen ipsa finitas est præcisa causa risibilitatis sed rationalitas, proinde non sit demonstratio per finitatem tanquam per causam, sic etiam licet infinitas sit intimior Deitati, non tamen est causa, per quam posset demonstrari Attributum vel quasi proprietas Deitatis, sed ipsa Deitas, consequenter infinitas nil obstat propositioni per se notæ, omnis siquidem propositio propriè immediata est per se nota. Vide *Lychetum* l. c. *Lychetus immediatio causa & immediatio subjecti.*

His opponit primò noster *Brinzennus* l. c. n. 20. inconcussum illud & constans *Scoti* principium de vitanda compositione in Divinis, quæ tamen est admittenda inter formaliter distincta in creatis hoc modo: ideò datur metaphysica compositio in creatis inter ejusdem rei gradus seu formalitates, quid tales in eadem entitate identificentur non ab ipsismet quidditativis illorum graduum & prædicatorum conceptibus, sed ratione tertii v. g. quod habens hanc animalitatem est habens hanc rationalitatem, ideò animalitas conjungitur rationalitati, adeò ut identitas realis illis gradibus metaphysicis solum materialiter accidat, & non ab ipsismet gradi- 39 *Brinzennus cur sit metaphysica compositio in creatis, non in divinis.*

gradibus, quo fit, ut ſicut animalitas non eſt de quidditate rationalitatis per iſtam identitatem, ita eadem animalitas ſecundum ſuam rationem formalem non abhorreat indigentiam & carentiam rationalitatis, nec proinde quod ſit potentialis ad illam, & ſic illis accidat compoſitio. Econtra ideò ſapientia Divina v. g. & Deitas ex natura rei inter ſe non componuntur, eſto quod formaliter ex natura rei diſtinguantur, quia Eſſentia & Attributa ſibi vendicant quidditativam illimitationem, à qua habent ut illis identica conjunctio materialis non ſit, ſed petatur ab ipſiſmet conceptibus eorum quidditativis vi propriæ illimitationis formalis: ergo ſicut Deus per ſuam Eſſentiam formaliter illimitatam refert, quod adeat realem identitatem cum ſapientia, ita & per ſuam quidditatem removet Deitas indigentiam cujuslibet attributalis perfectionis, ac proinde potentialitatem ad illam.

Scotus objicitur.

,, *Confirmatur* deinde l. c. n. 21. & urget ra-
,, tionem ex regula *Scoti* quam tradit 1. d. 8. q.
,, 4. n. 26. de verificatione propoſitionum, quæ
,, formantur ex terminis abſtractis, nimirum
,, propoſitionum, quæ ex terminis creatis ab-
,, ſtractis ex natura inter ſe diſtictis formantur,
,, & propoſitionum, quæ ex terminis abſtractis
,, abſolutis etiam ex natura rei diſtinctis con-
,, ſtruuntur In Divinis hoc eſſe diſcrimen, quod
,, propoſitiones ex terminis creatis falſificen-
,, tur; in Divinis verò per nullam præciſionem
,, falſificari poſſint, eò vel maximè, quo per
,, nullam abſtractionem tolli queat in Divinis
,, à terminis abſolutis ratio infinitudinis. Ad
,, meliorem hujus intellectum producamus
,, verba *Scoti*, ſuntque hæc: Oppoſitum eſt in
,, Deo, quia abſtrahendo ſapientiam à quocun-
,, que, quod eſt extra rationem ſapientiæ, &
,, bonitatem ſimiliter abſtrahendo à quocun-
,, que, quod eſt extra ejus rationem formali-
,, ter: remanet utraque quidditas præciſè ſum-
,, pta formaliter infinita: Ex quo infinitas eſt
,, ratio identitatis eorum, facta tali abſtractione
,, præciſiſſima; remanet ratio identitatis ex-
,, tremorum, non enim hæc erant præciſè
,, propter identitatem eorum ad tertium, à
,, quo abſtrahuntur, ſed propter infinitatem for-
,, malem utriuſque. Et quod iſta eſt ratio præ-
,, dicationis per identitatem, ſignum eſt ex
,, hoc, quod non conceditur iſta: Paternitas
,, in Divinis eſt ſpiratio activa, nec ut vera for-
,, maliter, nec ut vera per identitatem: nec
,, Paternitas eſt innaſcibilitas & è converſo;
,, ſicut iſta conceditur Paternitas eſt Deitas &
,, è converſo. Et ratio eſt, quia abſtrahendo
,, Paternitatem & innaſcibilitatem ab Eſſentia,
,, ſive à ſuppoſito, neutrum eſt formaliter in-
,, finitum, & ideo neutrum in ſua ratione ſic
,, abſtractum includit rationem identitatis ejus
,, ad alterum, & ideo neutrum ſic abſtractum
de altero verè prædicatur: ergo Scotus ipſe docet infinitatem eſſe de Eſſentia quidditatis, cujus eſt, quia defectu infinitatis, inquit, *non includit rationem identitatis ejus ad alterum*: ergo cum includere rationem alicujus, eſt illam eſſe de Eſſentia illius, infinitas eſt de Eſſentia. In hoc fundamento præcipuè figit & firmat noſter *Brinzenus* opinionem ſuam. Sed

40 *Reſponſio.* Reſpondeo: Ex his nihil aliud convinci, quàm infinitatem non eſſe extra quidditatem perfectam & integritatem debitam illius, cujus eſt, ſeu quod inferat intrinſecam illimitationem cuilibet formalitati in Deo & Eſſentiæ Divinæ debitam, ratione cujus non aliunde quàm à propria & intrinſeca perfectione ſibi identificentur in Deo, ſitque ratio identitatis, ſive eorum conjunctio identica non materialis ſicut in gradibus creatis, ſed intrinſeca & eſſentialis, id eſt, ſpectans ad integritatem adæquatam Eſſentiæ, vel illius quidditatis actualitatem perfectam in ſenſu ſupradicto, quod poſſit infinitas prædicari de quidditate, cujus eſt modus in primo modo dicendi per ſe, non tamen in primo gradu primi modi, ſeu primo modo præciſiſſimo, id eſt, quod non ita prædicetur de quidditate ſubjecti, quin illa aliquo modo id eſt inadæquatè poſſit concipi ſine modo, ut ſupra fuſiùs.

41 *Inſtantia.* *Dices*: Doctor expreſsè vult, quod data quacunque intelligibili ſeparatione prædicati in Divinis à prædicato ſemper relinquatur in terminis etiam ſecundum ultimam præciſionem abſtractis ratio identitatis inter prædicatum & ſubjectum, quam exprimit prædicatio conjungens prædicatum cum ſubjecto: ſed hoc eſſet falſum, ſi infinitas non eſſet de præciſiſſimo conceptu quidditatis: ergo, *maj.* patet ex litera: *min.* prob. illa quæ non ſunt de præciſiſſima ratione quidditatis per functionem mentis ab illa ſeparari poſſunt: ſic eſſet in propoſito, *ergo* ſapientiæ v. g. infinitas, vi cujus ſapientia eſt idem realiter cum juſtitia, poſſet præſcindi à ſapientia, infinitate autem ablata removetur ratio identitatis, conſequenter iſta propoſitio: ſapientia eſt juſtitia, falſificari poſſet contra expreſſam mentem *Doctoris*.

Enervatur. *Reſpondes* conced. *maj.* neg. *min.* ad cujus probationem diſtinguo *maj.* quæ non ſunt de præciſiſſima ratione quidditatis adæquatè & perfectè concepta poſſunt per intellectum ab illa ſeparari, concedo *maj.* quæ ſunt de præciſiſſima ratione apprehenſa adæquatè & intellecta perfectè, nego maj. ex dictis autem ſupra luculenter apparet infinitatem eſſe de conceptu & ratione quidditatis cujus eſt, cum ingrediatur rationem *quid eſt* dicentem ſubjecti, ita ut illud perfectè concipi non queat ſine modo, viciſſim nec modus ſine illo; imò nullo modo concipi poteſt modus ſine ſuo modificato, formaliter nihil eſt niſi ipſa modificatio, quæ non eſt conceptibilis, ut talis, niſi ut eſt in ſubjecto, quo ſine modus eſſe non poſſet, ut alibi.

42 *Dices* cum Brinzenno l. c. n. 16 hoc ipſo quod quidditas non poteſt concipi diſtinctè & adæquatè, quantitas perfectionis ſeu infinitas intenſiva non ſolum tranſit in identitatem realem cum ea ratione objectiva, cujus eſt infinitas, ſed etiam in identitatem formalem, identitati formali enim nihil obſtat quod quidditas ſine ſua magnitudine poſſit concipi inadæquatè,

tè, nam sic possumus inadæquatè concipere hominem, quia rationalis est, absque eo quod cogitemus de rationali, esto utrumque sit de essentia hominis; sic item possumus Deum concipere inadæquatè sub ratione viventis, non concipiendo rationem entis, substantiæ, spiritus, licet hæc omnia sint de quidditate Deitatis, hoc autem quod sine de quidditate, aliter explicari non potest.

Huic Argumento communis responsio evidenter satisfacit, non omne illud sine quo aliqua quidditas adæquatè concipi non potest, esse de quidditate, non enim possumus concipere relationem sine termino, qui tamen saltem in probabiliori sententia non est de Essentia Relationis; sic neque modi v.g. figura, unio, præsentia localis & similia nequeunt concipi sine suis modificatis, quæ tamen non sunt de Essentia illorum, suppar proinde quoad hoc ratio est de modis intrinsecis & quidditate cujus sunt modi, quæ licet sine illis adæquatè & perfectè concipi non valeat, ideò tamen illi non ingrediuntur quidditatem, ut prædicatum essentiæ, esto illam ingrediantur adæquatè & perfectè conceptam ut modi Intrinseci, & sic suo modo ad Essentiam pertineant.

43 *Instantia nova.* *Instabis*: Ens prius dividitur per finitum & infinitum, quam per substantiam & accidens, cum ergo substantia sit de quidditate Dei, etiam infinitas erit de quidditate Dei. Anteced. probatur ex *Scoto* 1. d. 8. q. 3. §. *Tenes meam opinionem*. n. 18. Quodl. 5. *Ad argumentum principale*. Conseq. prob. quod est prius in aliqua Essentia, est vel maximè de quidditate illius, si posterius illo sit de illius quidditate: atqui ens essentialiter prius dividitur per finitum & infinitum, quàm per substantiam, ergo prius essentialiter & quidditativè Deo convenit infinitas, quàm substantia.

Subvertitur; Ad hanc instantiam responsum est Tom. 2. Controv. 3 q. 2. n. 142. nimirum prius ens dividi per finitum & infinitum, non esse intelligendum de simpliciter prima divisione entis, quia ut Quodl. cit. ens anteriori divisione dividitur in ens quantum & non quantum; itaque *Scotus* supra intelligi debet, quod ens antequam descendat ad decem prædicamenta, prius dividitur in ens finitum & infinitum, & ens finitum, deinde in decem prædicamenta secundum *Aristot. 5. Metaph.* vide quæ dixi Tom. 2. l. c. quæ directè faciunt ad dirimendam litem, & quæ habentur de hoc apud *Antonium Trombetam* in formalit. p. 209. & *Vallonem in formalit.* p. 207. ubi docent à perfectè & quidditativè concipiente substantiam creatam & increatam, concipi in Deo & creatura, quod prior sit ratio talis substantiæ, quàm ratio finiti & infiniti, prout & apertè, ut supra ostendimus contra *Brinzenus*, docet Doctor, cum ait 1. d. 2. q. 1. §. *Ex his ad Quæstionem*, & §. *Ad primam quæstionem*. Infinitatem esse de Deo demonstrabilem à priori, ipsa ergo in Deo, prius esse non potest.

Responsum ex dictis ad Argumentum principale.

44 Ex quibus denique patet ad Argumentum principale sub n. . . . . quod scilicet sive dicamus infinitatem esse modum intrinsecum, sive esse prædicatum quidditativum, quia ut *Lychetus* putat 1. d. 8. q. 3. in *Comm.* super lit. Paragraphi *ad primum Argumentum principale*, forte non esset inconveniens & ad mentem Scoti, unde & in Assertione ut probabilius solum, non simpliciter statuitur oppositum, interim quidquid teneatur, semper tamen in una, quam in altera sentiendi via arcetur per ipsum compositio metaphysica à Divinis ex ratione in argumento producta, sicut enim Essentia Divina ad perfectam sui integritatem metaphysicam, id est, ut concipitur distingui à proprietatibus suis Attributalibus & Relationibus sibi vendicat infinitatem suam fundamentalem, ita & quodlibet Attributum ex intrinseca sua integritate involvit Infinitatem suam formalem, & ideo non materialiter solum sed ex natura sua sibi identificantur, ut eorum identitas in quidditativos eorum conceptus refundi debeat, ut alibi sæpè inculcatum fuit.

Denique quod infinitas non consequatur Deitatem instar Attributi, quod erat primum in Assertione, ex dictis liquet, quod quidditas Dei non potest concipi distinctè & adæquatè sine infinitate ut nec qualitas creata sine finitate, Attributa econtra sine se invicem concipi possunt, quia illa, non autem infinitas distinctas inferunt formalitates positivè condistinctas tam sibi, quàm quidditati, à qua dimanant, infinitas vero modum duntaxat formalitatis.

* * *
* *

ASSER-

ASSERTIO II.

Gratis dato quod infinitas sit de quidditate Naturæ Divinæ, nullatenus tamen ultima ratio constitutionis quasi metaphysicæ renunciari potest.

45 *Infinitas non est ultimò constitutiva Deitatis.* HÆc est contra nostrum *Frassen* l. c. probatur primò: nullum prædicatum transcendens omnes gradus & formalitates entis increati potest asseri ultima ratio constitutiva & distinctiva alicujus, sed prædicatum infinitatis ut sic, est qoid transcendens omnes illos gradus. *Maj.* patet, *min.* prob. omnia Attributa Dei v. g. scientia in Deo ejusque amor & potentia intra propriam lineam sunt infinita, *ergo* infinitas in Deo est quid transcendens & commune gradibus & formalitatibus entis increati. Probatur secundò Argumento & ratione infra in Digressione sub n. 47. adducenda, quæ hic æque stringit.

Confirmatur: Infinitas se habet respectu Dei, sicut finitas respectu creaturæ, sed finitas secundum quantitatem virtutis in ente creato transcendit omnes gradus finitos: ergo & infinitas reperta in Deo.

Nec obstat quod restringat Frassenius sententiam oppositam ad infinitatem fundamentalem & primariam, quia sic accepta, vel dicit aliquid positivum, vel quid negativum, si primum: urget argumentum: si secundum: jam non est de substantia Dei, quoniam privativum nomen est, ut arguit *D. Basilius* l. 1. contra Eunomium: sed in tali acceptione infinitas esset quid privativum, ergo sic infinitas non est quidditas seu substantia Dei, sed potius inter modos vel Attributa negstiva numerari deberet.

46 *Objectio.* *Dices:* Infinitas radicalis Deum à quovis alio distinguit, quod non est Deus, nullum quippe est ens creatum, quod in ratione entis infiniti conveniat cum Deo. Secundò infinitas est radix & ratio fundamentalis tum Attributorum tum modorum ab Essentia Divina emanantium, siquidem idcircò Deus est omnipotens, immensus, æternus &c. quia est ens infinitum, si enim quis quærat, quare Deus est omnipotens, omniscius, immensus &c. ritè respondetur, quia est illimitatus & infinitè perfectus.

Respondeo ad primum disting. *anteced.* distinguit ultimatè intrinsecè & à priori quasi specificè, nego *anteced.* quasi à posteriori, id est, quod ab aliquo priori est demonstrabile, eo modo quo distinguitur aliquid per modum intrinsecum, concedo *anteced.* sic multi sunt modi intrinseci in Deo, qui Divinam Essentiam distinguunt à creatura, ut v. g. infinitas Divinæ stabilitatis, quæ est immutabilitas, infinitas durationis, quæ est æternitas, infinitas cognoscibilitatis, quæ est invisibilitas, incomprehensibilitas, ineffabilitas, infinitas præsentiæ, quæ est immensitas, item infinitas intellectûs & scientiæ, quæ est omniscientia &c. quorum singulis distinguitur Deus ab omni ente creato, nullatenus tamen sicut constitutiva Dei, & sicut infinitas scientiæ, non est formalissimè ipsa scientia, neque infinitas voluntatis est ratio formalis constitutiva omnipotentiæ, ita infinitas fundamentalis non est ratio formalis Essentiæ constitutiva & distinctiva ab aliis, eo quod transcendens omnes formalitates divinas, non minus sequitur ex Essentia, quam infinitas quæcunque alia, & solum ideo radicalis & fundamentalis seu primaria dicatur, quia est modus illius intimior & immediatior Essentiæ, non quia sit illius ultimò constitutivum. *Exploditur.*

Patet quid ad secundum sit dicendum, falsum enim est, quod infinitas sit radix & ratio fundamentalis Attributorum & modorum ab Essentia profluentium, & esto idcirco Deus sit causaliter omnipotens, immensus, æternus &c. quatenus scilicet est ens & pelagus infinitum, quod habet formaliter *Esse*, & unde emanant omnes perfectiones, formaliter tamen omnipotens, immensus, æternus &c. dicitur per propriam & formalem suam infinitatem, non per radicalem, unde quærenti quare Deus sit omnipotens, rectè quidem respondebitur, quia voluntas illius est infinita, sed infinitate formali sua, non radicali; est omniscius sapiens sapientia & scientia infinita propria infinitate formali sua, & sic de aliis.

***
**

Digressio Consectaria.

Quo jure P. *Genet* **Tom. 1. disp. 2. de Natura & quidditate Dei art. 1. §. 1. n. 4. §.** *Secunda existimat.* **& §. 3. Scoto & Scotistis attribuit sententiam, quasi teneant Naturam Divinam formaliter constitui per infinitatem, seu cumulum omnium perfectionum, quæ sunt in Deo.**

47 *Quo fundamento imponitur Scoto & sua Schola quasi teneat Deũ constitui ex cumulo perfectionum.*

SEcunda, inquit l. c. existimat Naturam Divinam constitui per infinitatem seu cumulum omnium perfectionum, quæ sunt in Deo: citatque Scotum hisce verbis: *ita Scotus* 1. d 3. q. 1. *ejusque discipuli ibidem.* Ita Ille. Deinde §. 3. ejusdem Art. sub hoc titulo: *Impugnatur sententia Scoti*, oppositum illius iisdem penè argumentis ostendit, quibus nos supra docuimus, & plerique Scotistæ ante *Genet* ad mentem Scoti docuerunt infinitatem non esse prædicatum Dei quidditativum, sed modum intrinsecum, & licet unus Brinzenno teneat infinitatem Dei esse de conceptu quidditativè, expreßè tamen negat illam esse ultimò constitutivam, sed expressè restringit conclusionem ad infinitatem radicalem seu fundamentalem, qua abstrahit à perfectionibus attributalibus & excludit distinctionem ex natura rei formalem inter gradus essentiales ut patebit amplius *Contrmedian.* 10. per extensum, qui ergo eò devenit Auctor ut Scoto & suis asseclis imponat quasi asseverent Naturam Divinam constitui per infinitatem, quæ omnes perfectiones quasi in cumulum contrahat, ut inde Divina constituatur Essentia? ut videat quantum à vero defecerit insimulando Doctorem isti opinioni suorum ipsum dictorum memorem reddamus, nam n. 2. §. *Notandum secundo*, optimè monet Essentiam Divinam in Deo posse duobus modis usurpari. Primò largè & in ampla quadam significatione id est quasi physicè, ut est à parte rei. Secundò propriè & strictè & quasi metaphysicè secundum aliquam rationem abstractam. In sensu priori omnes rationes, quæ sunt in Ente Divino, comprehendit tam absolutas quàm relativas, & *sic significat*, inquit, *ipsam entitatem & substantiam increatam Dei, quia se habet per modum transcendentis & includitur in Divinis Relationibus & Attributis*, & potest indubiè describi: Ens summum, substantia unum, Personis Trinum. In altero sensu ait, *accipi Naturam Divinam, prout concipitur velut radix & ratio à priori Divinorum Attributorum, à quibus virtualiter distinguitur, & in quibus sub hac ratione non concipitur ut transcendentaliter inclusa*, quibus apertè innuit in hoc secundo sensu Naturam Divinam non solum accipi ut abstractam à conceptu trium Personarum, quæ per subsistentias relativas constituuntur, quomodo juxta Innocentium III. in Conc. Lateranensi cap. *Firmiter*, & cap. *Damnamus* de summa Trinitate, una quædam in Deo summa res est tribus Personis communis, videlicet substantia, Essentia seu Natura, quæ neque sit generans, neque genita, nec procedens; sed ut abstractam ab ipsismet Attributis v. g æternitate, immensitate, omnipotentia, aliisque ab Innocentio III. l. c. recensitis, cum enim concipiatur ut radix & ratio à priori Divinorum Attributorum &c. dubiè procul ab illis in hoc secundo sensu præscindit, *& hæc*, inquit Gonet, *distinctio præ oculis habenda est, quia ut rectè advertit Ioannes à S. Thoma ex ejus defectu & inadvertentia contingit multos Auctores æquivocare & hallucinari in hac materia.* His prælibatis sit

ASSERTIO III.

Etsi collectio sive cumulus omnium perfectionum (sive tales per essentialem transcendentiam, sive per identicam conjunctionem coëant in unum) constituat Deum in sensu physico, idque in omnium doctrina dicendum sit, nullatenus tamen in metaphysico propriè & strictè, nec usquam vel per umbram oppositam illius Doctor Subtilis asseruit, nec aliquis suorum, quod proinde falsò de illis & immeritò dictitatur.

49 PRima pars patet, quia Deus in sensu physico, ut reipsa existit à parte rei, est independenter à nostris præcisionibus, includit omnem perfectionem, & tam proprietates attributales absolutas, quàm relativas, ut dictum in Notando supra, quamobrem aliqui volunt Deum per nullam specialem perfectionem in suo esse constituendam,

sed

sed ad id requiri omnium Divinarum perfectionum concursum, eo quod Deitas illimitata in omni genere entis omnes suas proprietates sibi adsciscat tali identitatis norma, quæ omnem distinctionem ante intellectum proscribat. Ita docet *Suarez* d. 30. *Metaph.* sect. 6. & l. 1. *de Essentia Dei*. c. 11. & *Didacus Ruiz de Trinitate* d. 8. sect. 5. & 6. & plures apud eosdem, *Suarez* tamen videtur aut anceps aut sibi non nexus, nam cum ita statuisset l. c. de Essentia omnia scilicet Attributa esse de formalissimo Deitatis conceptu, postmodum l. 11. de Trinitate c. 6. reddens causam, cur Spiritus sancti processio non sit generatio n. 16 17. & 18. dicit intellectionem ad quidditativum Dei conceptum spectare, non ita volitionem divinam, & inde deducit productionem Filii generationem esse, quia vi processionis à Patre accipiat intellectionem, quæ sit de ultimo conceptu Deitatis; è contra spirationem generationem non esse, quatenus ratio amoris quæ tertiæ Personæ vi suæ generationis congruit, non ita spectet ad quidditativum Dei conceptum, nec video quomodo *Valentinus* de *Herice Tract.* 1. *de Scientia Dei*. disp. 3. c. 3. n. 9. conciliare possit illa loca, quod loquatur de constitutione physica, quando dicit omnia Attributa esse de formalissimo conceptu Deitatis, non fuerit tamen illius opinionis loquendo de Deitatis constitutione metaphysica, nam contrarium hujus potius habetur l. c. ex lib. 1. *de Essentia Dei*. c. 11. n. 6. cum enim sibi objecisset, quod sua argumenta solùm probent, Attributa solùm esse de ratione Deitatis, prout à parte rei est, non verò prout à nobis concipitur, serio dicit Attributa non solum esse de constitutione Deitatis, prout in se est, sed & ut sub nostram cadunt considerationem, adeoque quod etiam ad metaphysicam pertineant constitutionem. Si dicas, *Suarez* loqui non de essentiali perfectionum omnium transcendentia, sed de mera conjunctione identica, quomodo v. g. Relationes Divinas dicit omninò idem esse ex natura rei cum Deitate, & tamen non esse de conceptu Deitatis quidditativo, quomodo similiter in creatis putat gradus genericos omninò indistinctos à suis rationibus differentialibus, quæ tamen sunt extra conceptum quidditativum rationum convenientiæ, hoc conformiter ad sua principia benè quidem dicitur, sed non videtur satisfacere ad præsentis quæsiti institutum, quod dum omnium perfectionum exigit collectionem ad metaphysicam constitutionem, de qua hic agitur, ipsam essentialem conceptuum transcendentiam adsciscit, non solam identicam conjunctionem, sed quidquid sit, progrediamur ad partem secundam.

50 *Scotus.* *Secunda* pars vel ex eo probatur quod *Scotus* in loco allegato à *Gonet* ne verbum habeat eorum, quæ ipsi imponit & suis discipulis, quorum tamen neminem producit, & Doctor illo loco 1. d. 3. q. 1. solùm inquirit, *utrùm Deus sit naturaliter cognoscibilis à viatore*, & q. 2. disertis verbis ait: Infinitatem non importare Naturam, sed modum intrinsecum: *Quia infinitum est*, inquit, *non quasi Attributum vel passio entis, sive ejus, de quo dicitur: sed dicit modum intrinsecum illius entitatis*. Idem docet d. 8. q. 3. Ad primum principale n. 27. & 29. dicens quod intrans objectum videt ejus modum intrinsecum, loquitur de infinitate, abstractivè tamen illud intelligens propter imperfectionem intellectionis, quandoque non videat modum, & sic habeat unum pro objecto formali, licet non habeat alterum. Idipsum denique confirmat d. 31. quæst. unica. §. *quantum ad tertiam conditionem*, & Quodl. 5. art. 1. versu: *Ex hoc ultra*, & iterùm in 1. d. 2. quæst. 1. §. *Ad primam quæstionem*, & Q. 2. §. *Ex his ad quæstionem*, manifestè ut supra etiam notavimus docet infinitatem esse à priori demonstrabilem ab habente quidditativum Dei conceptum: ergo cum *Scotus* non teneat infinitatem esse constitutivam Deitatis strictè & metaphysicè sumptæ, multò minus cumulum perfectionum, quæ per identitatem identificantur.

Probatur secundò: Omnia quatuor Argumenta, quæ *Gonet* adducit, eo vergunt ut ostendant Naturam Divinam in secundo sensu & metaphysicè acceptam non constitui per cumulum perfectionum: *atqui* secundùm *Scotum* & melioris notæ *Scotistas* non datur hujusmodi cumulus in Natura Divina in isto sensu sumpta: *ergo*. Major patet legenti argumenta ab ipso Gonet §. 3. allata. *Min.* prob. quia ut *Controv. sequenti* fusè docebimus, nulla datur distinctio ex natura rei formalis inter gradus essentiales Deitatis v. g. entis in Deo substantiæ, spiritus vitæ intellectualis existentiæ, qui se mutuò transcendunt & solùm distinguuntur ratione ratiocinata, attributales autè proprietates non attinent ad Deitatis constitutionem metaphysicam à nobis, ad quam proinde nisi velit in eandem censuram, quâ suprà dicit nonnullos hallucinatos fuisse, ipsemet incidere. Attributa adsciscere nequit: ergo procul abest ibi cumulus aliquis Deitatis constitutivus. *Perfectionum essentialium nullus in Deo est cumulus.*

Probatur tertiò: Ad constitutionem alicujus tertii potissimùm requiruntur & sufficiunt conditiones: *Prima* est, ut sit aliquid quidditativum intrinsecum rei, possitque de illa prædicari in primo modo dicendi per se, & in primo gradu primi modi, certùm enim est constitui non solum nihil propriè per efficientem aut finalem, quia utraque est rei extrinseca, sed neq; per id, sine quo constitutum aliquo modo concipi potest. *Secunda conditio* est, ut non sit commune aliis rebus, sed ita rei proprium, ut faciat eam differre ab omni eo, quod non est ipsa. Per id enim res constituitur, per quod & distinguitur, ex hujus defectu v. g. animalitas non est constitutiva hominis, cum per illam homo non differat ab omni eo, quod non est homo, cum illa & bruto communis sit. *Tertia conditio*, ut faciat primò & ultimò differre, ita ut cernamus rem distinctâ ab omni alio, adeoque sit radix omnium proprietatum attributalium, & eorû quæ se consecutivè ad illud habere deprehenduntur: *atqui* nulla conditio ex his de mente *Scoti* & Scotistarû convenit infinitati, quâ colligit in unum identicè omnes perfectiones divinas: *ergo Major* est in confesso. *Min.* prob. non *prima*, ut liquet ex tota hac Quæst. non *secunda*, quia infinitas secundum illos

illos in Deo est communis omnibus Attributis, non *tertia*, quia secundum eosdem ut sæpè inculcatum, potest demonstrari à priori, imò secundum quosdam *Scotistas* infinitas consistit in negativo denotans carentiam termini seu finis, ergo non est primò constitutivum & distinctivum Essentiæ Divinæ. Quo jure itaque hic Auctor, nec auctoritate *Scoti*, nec ulla illius ratione suffultus publicis typis illi & suæ Scholæ supradictam tribuat sententiam, æquus lector, qui novit non esse nundinandum, ubi pullæ prostant merces, judicet. Vide plura in hoc argumentum *Controv.* 10, q. 3. n. 122. & *seq.*

QUAESTIO QUINTA.

An intellectio Divina sub conceptu operationis sit de quidditate Deitatis?

SUMMARIUM.

1. *Auctoritas & ratio stare videntur pro affirmativa opinione,* 51. & 52.
2. *Opposita opinio verior est.* 58. & seq.
3. *Argumenta in oppositum diluuntur.* 56. & seq.
4. *Ratio vitæ qualiter claudat ordinem eminentialem vel formalem ad conatum vitalem.* n. 57.
5. *Actus primus unde dicatur.* eodem.
6. *Essentia sub conceptu Essentiæ præscindendo ab operatione & sub conceptu naturæ ut est principium operationis eadem sub significatione accipienda sunt.*

PRudens omitto quærere, an Natura Divina constituatur per vim proximam intellectivam, cujus tanta disputandi est amplitudo, etiam inter Scotistas ob quendam *Scoti* locum 1. d. 26. q. 1. & Quodl. infra citando, ut vix una Controversia quæ erit duodecima circumscribi possit, procedit itaque hæc Quæstio de sola intellectione sub conceptu operationis.

§. I.

Quod intellectio intret quidditativam Deitatis constitutionem, probatur primò auctoritate Scoti Quodlib. 1.

51 *Scotus.* PRo hac opinione primò afferri potest auctoritas Doctoris Subtilis q. 1. quodl. §. *Nam contradictio videtur.* n. 10. ubi ait: *Nunc autem intellectualitas, sive vita intellectiva vel intellectualis est idem essentialiter Essentia Divina sic intelligendo, quod non tantum est idem realiter ipsi Essentia, & hoc identitate simplici, sicut fortè quodcunque Attributum ponitur idem Essentia: sed hoc modo est idem sibi, quod si Essentia Divina definiretur, vita intellectualis sive intellectualitas, non esset extra ejus definitionem sicut sapiens vel bonum,* & mox n. 11. minorem probat ex S. Augustino 15. de Trinit. c. 5. dicente: *Qua vita, inquit, dicitur in Deo, ipsa est Essentia ejus atque Natura,* & ex sententia ejusdem S. Augustini 6. de Trinit. c. ult. pro ista minori affert hæc verba: *Ubi est prima & summa vita, cui non est aliud vivere & aliud esse,* & quale sit illud vivere, quia intellectuale, subdit ex eodem: *Primus ac summus intellectus, cui non est aliud vivere & aliud intelligere:* Ergo Doctor de mente *Augustini* vitam intellectualem Dei constituit in ipso actuali intelligere.

Secundò probatur ratione.

52 *Aureolus.* SEcundò objicit *Aureolus* 1. d. 35 art. 3. §. *Tertia quoque inquisitio.* Ratio Dei est formaliter vivens, & per consequens erit intelligere, cum non sit in Deo alia vita, quàm intellectualis, nec de actualitate aliquid aliud sit in eo, quàm purum intelligere, ergo intellectio est prædicatũ essentiale in Deo. *Anteced.* patet, conseq. prob. nulla ratio vitæ concipi potest, nisi actus intellectionis & amoris, seu quatenus Deus intelligitur ut tendens per operationem intellectionis & impulsus. *Tertiò* arguit Aureolus: Essentia Divina non minus est eadem suæ intellectioni, quàm aliqua qualitas sit eadem intellectioni creatæ, sed quædam qualitas est eadem intellectioni creatæ, cum ipsa intellectio sit qualitas, quæ dicitur actus intelligendi: ergo Essentia Divina est formaliter eadem suæ intellectioni. *Quartò* arguit: Intelligere Dei est formalis beatitudo Dei: ergo si illud est distinctum ab Essentia, jam esset esse aliquid melius Essentia Divina, posset que Deus intelligi beatus, absque beatitudine formali: utraque sequela est absurda: prior sequela prob. quia beatitudo formalis est quid melius aliis bonis, *illa* siquidem *est optimum bonum* secundum Philosoph. 10. Ethic. 7. probatur etiam secunda sequela: Divina Essentia præciso omni alio bono est sibi ob suam infinitatem sufficiens, ut sit beata, implicat autem in terminis, esse beatam sine formali beatitudine, sicut implicat album sine albedine: ergo & implicat Divinam Essentiam intelligi sine suo intelligere. *Quintò,* intelle-

intellectio in illa opinione se haberet ad intellectum divinum tanquam actus secundus ad actum primum, sed hoc est falsum, quia non esset actus purus & ultimus. *Sextò*, Essentia Divina est actus purissimus & præstantissimus: ergo constituitur per gradum intellectualitatis purissimum & perfectissimum, qui scilicet omnem exprimit actualitatem, seu omnem potentialitatis rationem excludit: atqui ipsum intelligere essentialiter imbibit summam & purissimam actualitatem, ideò enim gradus intellectualitatis, qui in substantiis spiritualibus contrahitur, actus purus non est, quia essentialiter non imbibit ipsum intelligere actuale, sed sui quid potentiale ad ipsum: ergo gradus intellectualitatis, ut trahitur ad Deum sub ratione actus puri, debet essentialiter transcendere ipsam rationem actualis intellectionis, tanquam ultimum constitutivum Naturæ Divinæ in esse actuali purissimo & actualissimo.

§. II.

Sententia verior astruitur.

ASSERTIO

Intellectio Divina sub operationis conceptu non est formaliter constitutiva & distinctiva Essentiæ Divinæ.

53 HÆc videtur esse communis tum in Schola D. Thomæ, quàm Doctoris Subtilis contra Aureolum 1.d.35.art.3. §. *Tertia quoque inquisitio*, p. 765. Vaticanæ editionis. Item contra Fasolum 1.p.q.4.art.2.dub 7.& 8. Machinum q. 14. d.23 sect. 2. Herice Tract.1. disp.3.c.3.& 4. Probatur ex *S. Thoma* q. 1. de potentia art. 1. ad 1. ubi sic ait: *Est autem de ratione operationis habere principium, non de ratione Essentiæ, unde licet Essentia Divina non habeat aliquod principium neque re, neque ratione, tamen operatio divina habet aliquod principium secundum rationem*, & 1 p. q.14. ad initium sic inquit: *Post considerationem earum, quæ ad Divinam substantiam pertinent, restat considerandum de his quæ pertinent ad operationem ipsius.* Quibus locis apertè insinuat intelligere Divinum sub formalitate operationis supponere aliquid prius scilicet substantiam vel Essentiam in Deo constitutam secundum rationem, quam in illo consideretur operatio: ergo sub hac ratione non constituit Naturam. Probatur item ex *S. Chrysostomo* Homil. 2. de incomprehensibili Dei Natura: *Quanquam*, inquit, *non à sapientia substantiam, sed potius ex substantia sapientiam* &c.

S. Thomas & Scotus consonant.

54 *Probatur* secundò ratione: quod est primò constitutivum alicujus, illud primò & per se, & non ratione alterius competit rei: sed intellectio competit Deo ratione Essentiæ Divinæ, imò ratione principii intellectivi, ut patebit Controv. 12. ergo non est de Essentia Dei, nec constitutivum illius.

Probatur tertiò ex Mysterio SS. Trinitatis: necessariò infertur distinctio ex natura rei inter intellectionem & velle Dei, tam inter se, quàm ab Essentia: ergo intellectio non est de Essentia. *Anteced.* prob. quia intelligere & velle distinguitur ab intellectu & voluntate: ergo & ab Essentia. Anteced. prob. intellectus & voluntas cum Essentia Divina sunt principium processionum divinarum, sed intelligere & velle non sunt principia illarum processionum: ergo non sunt idem formaliter quod Essentia, neque idem cum intellectu & voluntate.

Probatur quartò: quod potest demonstrari à priori non est principium formale constitutivum, sed intellectio potest demonstrari: ergo. Major de se patet, Essentia enim est primum conceptibile rei, radix & ratio aliorum. Min. prob. Esse spiritum, est ratio cur aliquid sit intellectivum: sed Deus est summè spiritus: ergo quia est Spiritus, ideò intellectivus: maj. prob. idcircò plantæ non cognoscunt, quia purè materiales sunt, & Angeli, quia præstant animæ rationali in sua spiritualitate, non enim ordinantur ad corpus informandum, sicut anima rationalis, hinc & perfectiùs intelligunt: ergo cum spiritus seu ratio immaterialitas sit in Deo perfectissimè, Deus omnium perfectissimè etiam intelligit, consequenter intellectio demonstratur à priori: ergo nequit esse constitutivum Essentiæ Divinæ. 55

Intellectio Dei est demonstrabilis à priori.

Confirmatur & probatur quartò: Nihil est constitutivum & distinctivum primò & propriè alicujus per id, quod habet commune cum aliis, sed intellectio sub cōceptu operationis & commune Angelis & hominibus: ergo &c. major patet, quia primò alicujus constitutivum non debet in constituto præsupponere aliud, sed oportet, ut sit omnium prima & primò propria, sed tale quid non est intellectio, utpote quæ præsupponit vitam, spiritualitatem, substantiam.

Confirmatur: Intellectualitas realiter sumpta, nequidem est Deitatis primò constitutiva: ergo nec intellectio Dei sub conceptu operationis. Anteced. prob. vita intellectualis radicalis etiam congruit essentialiter Naturæ creatæ, Angelicæ & humanæ, non minus quàm intellectio, ergo nequit esse ultima ratio constitutiva Deitatis, sicut nec quasi ratio specifica & ultima distinctionis suæ à tota latitudine entis creati & participati, ergo multò magis idem currit de ipsa actuali intellectione.

Probatur quintò ex dicendis Controv. 12. ubi de hoc ampla recurrit discurrendi materia, & denique probatur solutione argumentorum in contrarium.

§. III.

Subruuntur & diluuntur Argumenta in oppositum allata.

56 *Subtilis Doctor explicatur.*

AD primum: Auctoritate *Scoti* concessâ negamus esse genuinam illius mentem, aut ex illo loco elici posse, quod intellectio sub concepto operationis sit essentialiter constitutiva Dei, imò licet eò tendat, ut velit intellectualitatem, id est, vitam intellectualem radicaliter sumptam Deo quidditativam esse, cum enim intellectualitas sic sumpta sit prædicatum essentiale in ipso ente creato v. g. in Angelis & homine, erit citra dubium & in Deo, ut supra vidimus q. 2. n. 3. & colligitur ex ipso textu *Doctoris*, qui immediatè sequitur n. 11. *Minor*, ait, *istâ ratione probatur sic: cuicunque non repugnat esse idem alicui substantiæ essentialiter: illud non convenit verissimè illi substantiæ, nisi conveniat sibi essentialiter; sed intellectualitati non repugnat esse idem substantiæ* [cui convenit] *essentialiter*, *sicut patet in creaturis, quia quæcunque substantia est intellectualis, intellectualitas est intra rationem essentialem ejus, sicut etiam in speciali patet in homine, in cujus ratione ponitur rationale. Et per consequens ista rationalitas, quæ per se intelligitur per rationale, est idem bonum essentialiter, imò ut actualissimum & completissimum in Essentia; ergo cùm* Deus verissimè sit intellectualis, ejus intellectualitas erit idem essentialiter ejus Essentiæ. Sed hisce verbis manifestè innuit se loqui de intellectuali vita radicaliter sumpta, nullatenus de actuali intellectione, ut operationem dicit, ut pluribus Controv. 12.

57 *Complementum vitæ ad vitalem conatum in quo consistat.*

Ad rationem in oppositum: Ad primum concedo anteced. *neg. conseq.* supponere enim Deitatem, ut præconcipitur actuali intellectioni, non esse viventem, est petitio principii, hoc enim est quod controvertitur, etsi enim verissimum sit non esse in Deo aliam vitam, quam intellectualem, falsum tamen est, illam constitui per operationem intellectionis, cujus oppositum in ipsis creatis sit manifestum, non solum ut vita intellectualis ut in creatis anteit actualem intellectionem, sed etiam ipsum formale principium intelligendi, ut si Deus impediret emanationem intellectus ab Essentia Angeli, ut in sententia Thomisticæ Scholæ adstruentis distinctionem realem inter Essentiam & potentias teneri posset, eò non obstante Angelus retineret prædicatum vitæ intellectualis, ad quod sufficeret virtualis continentia talis intellectionis, quia ad rationem vitæ, tam in principio radicali quàm formali id solum spectatur, quod claudat ordinem vel eminentialem vel formalem ad vitalem conatum: à potiori ergo Deitas cum sola quasi eminentiali inclusione intellectionis pro illo priori esset præditus vita intellectuali, ad quam non facit actualis tendentia operationis vitalis, ut in responso ad *quintum* & *sextum* amplius.

Ad secundum Argumentum ex ratione, quæ est tertium Argumentum, & confirmatio prioris respondet *Smising*, falsum esse quod non possit major identitas reperiri in aliquo conceptu rationis increatæ, cum de facto major sit identitas inter hominem & humanitatem, quàm inter Divinam Essentiam & Paternitatem Divinam: sed meliùs respondetur, argumentum non valere, quia fit processus ab identitate formali in creatis ad identitatem realem in Divinis, quàm in Deo negandam esse, prius fuisset demonstrandum, unde licet Essentia Divina non minus sit eadem suæ intellectioni, quàm quælibet Essentia creata suæ, supposito quod intellectio esset idem cum facultate intellectiva [quod tamen falsum est] de facto tamen magis est eadem Divina intellectio Essentiæ Divinæ, quia identificatur illi ex conceptu suo quidditativo ratione infinitatis realiter, in creatis autem distinguitur realiter ab Essentia, non tamen est magis eadem Essentiæ, quàm idem sibi, intellectio qualitas in creatis est eadem sibiipsi, intellectio substantia in Deo similiter ad seipsam comparata est idem sibi ipsi, & in hoc est paritas in utraque intellectione, comparata verò ad Essentiam, aut etiam ad vim proximam intelligendi distinguitur ex natura rei formaliter, unde non valet, qualitas est eadem suæ intellectioni, ubi imbibitur identitas formalis, ergo Essentia est eadem suæ intellectioni, inter quæ est solum identitas realis.

Ad quartum, quod est ex ratione tertium, Respondeo negando utramque sequelam: beatitudo objectiva, non formalis beatitudo est bonum melius omnibus aliis, utpote quia sor malis, ut in creaturis patet, potest solum esse accidens & qualitas elicita ab intellectu & voluntate beati, consequenter licet Deus posset præcisò omni alio concipi, sitque sibi sufficiens in ratione objectivæ beatitudinis, non in ratione beatitudinis formalis, quatenus ex sua ratione formali non obambit per transcendentiam, quidquid spectat ad beatitudinem adæquatam, id est, tam objectivam, quàm formalem, est tamen hoc totum per identitatem realem, ut inhuimus supra & frequenter alibi.

Ad quintum respondeo neg. anteced. in sensu, quo proponitur, in omni enim Schola vel opinione constat admitti debere aliquam potentiam in Divinis respectu aliorsjos actus ad intra, adeoque id non esse quid insolitum, nam ex Mysterio SS. Trinitatis omnes ponunt in Deo potentiam generandi & spirandi respectu actua notionalis nempè Verbi geniti & Amoris spirati, omnes item admittere debent dari in Deo actum quendam primum, actus enim essentialis seu Essentia in Deo est prior ex natura rei vel ratione actu notionali, idem autem est esse actum priorem & esse actum primum, quando prior non imbibit formaliter posteriorem, sed sit ratio & radix posterioris, ex hoc itaque,

itaque, quia *Scotistæ* dicunt intellectum & voluntatem esse quendam quasi actum primum & potentiam intelligendi & volendi, non sequitur quod sit perfectibilis actu secundo, talis enim actus primus, qui potentiam passivam arguit, repugnat Essentiæ Divinæ, quæ omninò in hoc sensu est actus purus primus & ultimus, id est, imperfectibilis per ullum actum ulteriorem, neque enim per potentiam vel actum primum necessariò intelligitur potentia passiva vel productiva, sed quæcunque fœcunditas seu perfectio fœcunda ad diffundendam aliam perfectionem, quæ nomine actus primi & potentiæ ideo vocatur, quia est ratio & radix à priori alterius perfectionis, quæ in illa radicatur & fundatur, licet ergo ita sit illa perfectio actus ultimus, quatenus non est perfectibilis per aliam posteriorem, non tamen ita, ut debeat in suo conceptu quidditativo formaliter inferre quascunque perfectiones illi realiter identificatas, vel quod respectu illarum non sit cum illis ut posterioribus realiter identificabilis, nec est alia difficultas, quam de nomine, de re enim constat in omnium sententia.

[illegible] primum quomodo actus [illegible] tur.

Ex his denique patet ad sextum, nam concesso anteced. cum conseq. negatur assumptum, quod ideo gradus intellectualitatis, qui substantiis creatis competit, potentialis sit, quia non imbibit actuale intelligere in conceptu suo quidditativo, id enim tam congruit naturæ intellectuali increatæ, ut patebit ex rationibus pro *concl.* §. sequentis, quàm naturæ intellectuali creatæ.

Dices: quod in creatura intellectuali intelligere distinguatur ab Essentia, id fit propter limitationem intellectualitatis creatæ, ergo cum in Divinam intellectualitatem & intellectionem actualem non cadat talis limitatio, neque talis illis congruit distinctio. Conseq. prob. quia linea actualis intelligere essentialiter spectat ad conceptum quidditativum illimitata virtus in intelligendi, ergo. Respondeo neg. anteced. ad cujus probationem distinguo anteced. spectat ad conceptum illimitatæ virtutis in intelligendo, quod illi realiter debeat esse identificatum: concedo anteced. quod formaliter quasi coincidant, vel unum imbibat essentialiter alterum, cum toties sit inculcatum, toties ratione declaratum, non esse de ratione Essentiæ Divinæ aut Naturæ intellectualis ut sibi formaliter identificet omnem perfectionem simpliciter repertam in Deo; nego anteced. 58 *Expeditur objectio.*

Dubium incidentale ex dato responso ad primum:

Sitne distinctio aliqua saltem virtualis seu rationis ratiocinatæ in Deo inter Essentiam sub conceptu Essentiæ præscindendo ab operatione, & sub conceptu Naturæ, ut est principium primæ operationis Divinæ, quæ est intellectio?

59 ITa videtur supponi in responso ad secundum, quatenus Naturam intellectualem radicaliter sumptam seu Deitatem ait præintelligi sub continentia eminentiali facultatis intellectivæ & intellectionis sub conceptu operationis, id est, ut est ens dans esse, ab illo, quod in Deo est dans intelligere, hoc autem loquendi modo, id erit Essentia, quod est dans esse præscindendo ab operatione, Natura verò quæ dat actu operari, nec aliud discrimen exigunt Auctores ad distinguendum inter Essentiam & Naturam humanam, quàm quod Essentia quamvis actuata per esse, adhuc concipitur ut defuncta à facultate proxima operandi.

Ad hoc dubium etsi jam ex dictis patet & amplius perspicuum fiat ex q. 8. *Respondeo & dico*. utrumque nomen in eadem significatione accipiendum esse, atque ita acceptum ab *Innocentio* III. in *Concil. Lateranensi*, ut constat ex ejus verbis q. 4. in Digressione prolatis, & ab ipso *Augustino* lib. de moribus Manichæorum c. 2. *ipsa, ait, Natura nihil est aliud, quàm id, quod intelligimus in suo genere aliquid esse, itaque ut nos jam novo nomine ab eo, quod est esse, vocamus Essentiam, quam plerumque substantiam nominamus, ita veteres, qui hæc nomina non habebant, pro Essentia & substantia Naturam vocabant*. Augustino consonat *Anselmus* in Monologio c. 4. idem, inquit, *Naturam hic intelligo, quam Essentiam.*

Pro hac veritate *Gonet* d. 2. de Dei Natura §. 2. n. 9. hanc affert rationem: si Natura intellectualis esset virtualiter distincta ab Essentia Dei sub conceptu Essentiæ radicaretur in illa: sed hoc est falsum: ergo nec virtualis illa distinctio. Sequela majoris patet: nam ideò Attributa radicantur virtualiter in Essentia, quia virtualiter distinguuntur ab illa: *atqui* etiam conceptus Naturæ juxta illum modum loquendi sic distinguitur ab Essentia; ergo radicatur virtualiter in illa. *Min. prob.* si Natura radicaretur in Essentia, jam pro priori ad conceptum Naturæ, salvatur in Essentia conceptus radicis & consequenter ratio Naturæ; hæc secunda consequentia patet, ratio Naturæ enim idem est, quod ratio radicis. Prima autem probatur: Essentia non constituitur radix conceptus Naturæ per ipsum conceptum Naturæ, quia causa nequit constitui per effectum: ergo si Essentia est radix Naturæ, intelligitur constituta in ratione radicis pro priori ad conceptum Naturæ: hæc ratio esset optima in sententia, quæ statuit distinctionem ex natura rei formalem in Divinis, secus in opinione *Gonet* admittentis solam virtualem

tualem seu rationis, nihil enim prohibet concipi sub diverso respectu semel sub ratione Essentiæ, semel sub ratione Naturæ, unde posset negari minor, quod pro illo priori in conceptu Essentiæ salvetur conceptus radicis, non enim per rationem distinguo pro illo priori Naturam ab Essentia: *ergo* cum sint formaliter idem ante intellectum cogitantem illa ut distincta, conceptus Naturæ non potest radicari in Essentia, consequenter nec intelligitur constituta in ratione radicis pro priori ad conceptum Naturæ.

QUAESTIO VI.

An Deus essentialiter sit *hæc* substantia, ut singularitas sit de Essentia Dei?

SUMMARIUM.

1. *Opinio negans sibi conciliat Auctoritatem cum rationibus.* 60.
2. *Fundamentum & ratio signa essendi in Deo, qualia statuat noster Frassen*. eodem.
3. *Discrimen inter modos specificos & individuales.* ibidem.
4. *Ordo naturæ secundum exigentiam naturalem in Deo qui sit ad mentem* Mastrii, Lycheti *& aliorum.*
5. *Sententia affirmans verior, auctoritate & ratione uberior*, 61. *& seqq.*
6. *In nullo signo prima Entitas in Deo est de se existens, quin sit de se* hæc. *ibidem.*
7. *Mastrii fundamentum exsufflatur.* 64.
8. *Implicat Deum esse existentem & subsistentem pro aliquo signo, & non esse hunc subsistentem, & hunc existentem.* eodem.
9. *Retunduntur objectiones & rationes adducta pro sententia opposita.* n. 66.

§. I.

Auctoritas & rationes dantur pro sententia negativa.

60 *Scotus.* PRo negativa stare videtur auctoritas *Scoti* 1. d. 8. q. 3. ad primum principale n. 29. ubi ait: *Ens autem ut convenit Deo, scilicet ens per Essentiam, est ipsum esse infinitum, & non aliquid, cui tantum convenit ipsum esse: & ideò ex se est hoc, & ex se infinitum, ut quasi per prius intelligatur, aliquo modo infinitas esse medium entitatem per Essentiam, quàm ipsum intelligatur esse hoc; & ideò non oportet quærere, quomodo hoc ens sit infinitum, quasi prius conveniat sibi singularitas, quàm infinitas, & ita est universaliter in his, quæ possunt esse entia per Essentiam, non per participationem. Tale primò determinatur ex se, ut sit tale per Essentiam, & ut sit infinitum tale, & ut sit hoc de se.* Ita Doctor. Ex quo loco aliqui Scotistæ putant singularitatem non esse Deo quidditativam, quia vel inde, ut patebit ratione prima inferiùs statim, quod sicut infinitas juxta superiorem doctrinam q. 4. non est de conceptu quidditativo Deitatis, ita neque hæcceitas; vel si hæcceitas sit de formali conceptu, ita & infinitas utpote prior hæcceitate, & quidem *Frassen* Tract. 1. d. 1. art. 3. q. 2. n. 4. in hac auctoritate suam fundat opinionem à nobis supra l. c. impugnatam, imò *Lychetus* in Commentario *Lychetus.* expressè §. *si dicatur nonne Deus*, existimat ad mentem Doctoris, hæcceitatem non esse de quidditate illius. Pro quo ponit signa aliqua essendi, ita quod Deus in primo signo saltem considerationis includat omnia Essentialia in re. In secundo signo ponit formaliter infinitum, & in tertio signo ex semetipso sit singularis, & cum dicitur, quod singularitas est de ratione & cæt. Dico, inquit, quod hoc non debet intelligi, quod sit de ratione quidditativa & essentiali, sed quod sit sic sibi intrinseca quod in eodem instanti & fortè Naturæ sibi convenit, & hoc à semetipsa. Sic ille.

Lycheto adstipulatur noster *Scherius* de Deo uno & Trino 1. q. 2. hanc sententiam teneri *Scherius.* posse autumat *Mastrius* d. 2. de Attributis Divinis q. 1. n. 3. quatenus putat quod illa *Mastrius.* suppositia Deus adhuc non esset plurificabilis, sed nec pro hoc desunt rationes: *prima est*: ideò rectè dicit *Scotus* supra, quod infinitas in Deo præcedat hæcceitatem, quia hoc potissimum versatur secundum ipsum discrimen inter modos specificos & individuales, quod illi constitutionem quidditatis rei immediatè sequantur, hi verò constitutionem individui, id quod patet v. g. in gradibus intensivis albedinis, qui sequitur individualem constitutionem seu albedinis hujus, quia sunt modi intrinseci individuales; perfectio verò specifica, qua albedo cæteros colores antecellit, sequitur immediatè constitutionem illius quidditativam, ut modus ejus specificus, in proposito autem cum finitas & infinitas sint modi intrinseci Dei & creaturæ, scilicet infinitas, consequenter in utroque præveniunt eorum hæcceitatem, ut sit hic ordo Naturæ secundum exigentiam naturalem in Deo cogitandus primò est Essentia Divina de se existens

existens in ultima & consummata actualitate, deinde sint modi intrinseci, nempe infinitus modus Essentiæ, postmodum hæcceitas hujus Essentiæ, deinde intellectus & voluntas, denique cœtera Attributa, ita *Scherius* cum *Lycheto* Comment. l.c. &c. ergo ut supra, cum infinitas non sit de Essentia Dei, neque erit hæcceitas. *Secunda* est: si singularitas esset de conceptu quidditativo earum rationum Dei, quibus Deus constituitur: non esset à Deo abstrahibilis aliquis conceptus communis illi & creaturæ, quod est contra univocationem entis. *Tertia* ratio: conceptus relationis subsistentiæ & personalitatis est multiplicabilis in Deo, ut docet Mysterium Trinitatis: ergo non omnis proprietas reperta in Deo est immultiplicabilis, consequenter non omnis est formaliter singularis.

§. II.

Verior opinio affirmativa proponitur, eamque esse magis ad mentem Doctoris Subtilis.

ASSERTIO

Singularitas ita est de Essentia Dei, ut Essentia in nullo signo sit de se existens in ultima & consummata actualitate, nisi sit de se hæc, adeoque est etiam de conceptu substantiæ, spiritualitatis, vitæ intellectualis & cum proportione omnium Attributorum & Relationum Divinarum in Deo.

61 PRobatur auctoritate *Scoti* pluribus in locis ut 1. d. 4. q. 2. & 2. d. 3. q. 6. *Ad primum principale*, & Quodl. 2. n. 2. dicens: *Oportere ponere aliquam entitatem realem in existentia actuali, & aliquam unicam primam, in comparatione ad quam* [ut mox subdit n. 3. in fine] *tanquam ad entitatem simpliciter primam & absolutam consideratur omnis ordo cujuscunque sive quorumcunque quæ in Divinis sunt*, ubi disertè ponit numericam unitatem primam rationem Deitatis, sicut ipsam existentiam, sed unitas numerica quæ in Deo est quid positivum, ut *Doctor* 2. d 3. q. 2. n. 2. §. *est ergo intellectus quæstionis*, accipitur ab hæcceitate velut à principio individuationis, cujus in Deo alia ratio non est assignabilis: ergo in nullo signo prima entitas in Deo seu substantia Divina est de se existens ex mente *Doctoris*, quin etiam sit de se hæc.

62 *Confirmatur & probatur secundò*: De ratione singularitatis est immultiplicabilitas & incommunicabilitas pluribus numero diversis, ut si v.g. homo imbiberet essentialiter differentiam Platonis, sicut imbibit rationale, non posset multiplicari numero, sicut non potest multiplicari specie: ergo ex hoc solum, quod Deus est essentialiter singularis, ideò solum evidens est, quod sit unicus.

63 *Probatur tertiò*: Existentia est de Essentia & conceptu quidditativo Divinæ Naturæ, cum Deus sit ens per Essentiam & ipsum esse per se subsistens: ergo & singularitas: anteced. patet ex q. 3. consequentia probatur: existentia est non solum essentialis Deo, sed est constitutiva & ultimò distinctiva Deitatis, sed hoc non posset esse nisi esset essentialiter singularis: ergo. Major probabitur q. 8. seq. min. probatur, quia singularitas, ut dicit *Porphyrius*, ducit ad esse, nec ulla res potest esse existens, nisi sit singularis, ergo si Natura Divina sit tantæ perfectionis & actualitatis, ut includat in conceptu suo quidditativo existentiam, haud dubiè in eodem conceptu includet suam singularitatem.

64 Ex quo liquet, quod frustra *Mastrius* l. c. licitetur sententiam oppositam, nimirum quod esto singularitas non esset de Essentia Dei, adhuc Divinam Naturam manere implurificabilem seu ad plures hæcceitates inidoneam, eo quod non esset potentialis, sicut est Natura humana propter identitatem imperfectam, quæ non cadit in Deum, nam licet hoc ad tollendam potentialitatem pro signo aliquo posteriori appareat optimum perfugium illorum Scotistarum, qui cum *Lycheto* sentiunt, non tamen apparet primò quomodo cum *Scoto* constituant existentiam esse de Essentia Dei sicut & subsistentiam absolutam, & id negent de hæcceitate, implicat enim esse Deum pro aliquo signo essentialiter existentem & per se essentialiter subsistentem, & non esse pro eodem signo hunc existentem & hunc subsistentem, necessariò Existentia Divina obambit in suo conceptu hæcceitatem, ut non sit Deus, nisi sit pro omni signo suæ existentiæ, hic Deus.

Deum esse subsistentem est esse hunc Deũ

Deinde non apparet, quomodo responsum illud subsistat, nam supposito, quod singularitas non sit de Essentia Dei, unitas Dei non esset evidens ex lumine rationis, licet à parte rei secundum se non esset potentialis ad plura individua,

Vnde unitas Dei fulciẽda.

vidua, non posset tamen demonstrari lumine naturæ, quo de facto scimus non dari aut dabilem esse, nisi unum Deum, ut communiter Doctores cum *Alensi*, *S. Thoma* & *S. Bonav.* & *Scoto* supponunt contra *Guil. Varronem* Scoti Magistrum, Occam & alios paucos existimantes solùm probabili ratione posse suaderi implurificabilitatem Deorum seu Naturæ Divinæ in plura individua: sed hoc non est dicendum: sequela majoris probatur: quia nulla esset contradictio, quare non posset intelligi multiplicabilis & indifferens ad plurificari; ergo. Sequela anteced. probatur: intellecta pro aliquo signo sola quidditate, ut est distincta formaliter ab hacceitate, non intelligeretur, *hic* & singularis & sine repugnantia ad plurificari, exploratum siquidem est, quando quid se habet quasi potentia determinabilis ad unum actum, sit quoque quantum est de se determinabile per quemcunque alium actum ejusdem speciei saltem reductivè, id est, per quamcunque hacceitatem, modo non respiciat diversas quidditates, licet aliàs dicantur primò diversæ: ergo revera non satisfacit responsum *Mastrii*, sed si singularitas non esset de conceptu Dei, non posset saltem ex hac parte evidenter demonstrari contra Polytheistas ratione naturali dari unum solum Deum, quin possent se armare ista opinione, dicendo Naturam Dei de se in plura individua esse plurificabilem, & sicut de facto videmus de Natura humana in Adam & Abel plurificata saltem per indifferentiam, ita esse plurificabilem per inexistentiam in tribus Personis Divinis.

Nec obstat huic, quod, ut ait *Lychetus*, Essentia Divina determinetur à seipsa, ut ex necessitate Naturæ & ex ratione perfectissima talis entis & infinitate perfectissima illius sit ex semetipsa singularis, quia sicut per hoc substantia intellectualis Dei non distinguitur à creatura intellectuali, nam substantiam intellectualem esse, commune est Deo cum creatura intellectuali, ita neque obstat, quin illa natura, quatenus est à sua singularitate formaliter distincta, esset plurificabilis in alia individua, tam enim concipi posset, quantum est de se & ex se contrahibilis ad Deum alium, quam ad Deum, qui de facto est Deus, adeoque tam ad plures, quàm ad unum solum: ergo quod de facto non sit plurificabilis, non est à Deo solum propter majorem perfectionem, sed principaliter, quia singularitas est de Essentia Dei, non de Essentia creaturæ. Vide plura de hoc *Controv.* 10. q. 2. v. 1. in digressione. *Lychetus non obstat.*

Probatur quartò ex §. sequenti, stabiliendo hanc rationem & solvendo allatas in contrarium.

Secunda pars, quod singularitas quoque sit de conceptu Divinæ substantiæ, intellectualitatis &c. probatur: sicut enim repugnans est Deitatem esse plurificabilem, ita repugnat etiam plurificari sapientiam, Paternitatem, & quascunque alias divinas proprietates, ut patet manifestè, quia utrobique est suppar ratio. 65

§. III.

Enervantur & obliterantur fundamenta sententiæ oppositæ.

66 *Scotus explicatur.* AD primùm concedo auctoritatem *Scoti*, sed dico perperam ibi accipi illa verba: *Ut quasi per prius intelligatur aliquo modo infinitas, quàm esse de se hoc*, quasi Doctor innuat prioritatem infinitatis in esse rei ante hacceitatem, cum aliud non intendat, quam quod infinitas Dei sit pro hoc stata primum distinctivum nostrum in esse conceptus, quo discernimus Deum à creatis, cum enim non habeamus de Deo quidditativum conceptum Divinæ hacceitatis, sicut habemus infinitatis, ideò ex modo intelligendi nostro per infinitatem distinguimus ab eo quidquid non est Deus, & hac ratione conceptus infinitatis inter conceptus qui de Deo à Viatore habentur, dicitur intelligi per prius, seu esse primus primitate perfectionis, non originis.

Ad rationes, quæ ex dictis corruunt, *ad primam concedo* doctrinam Scotistarum de modis specificis & individualibus negando illum ordinem in Divinis, quo hacceitas postponitur infinitati propter rationes oppositas §. secundo pro Assertione allatas.

Ad secundum patebit Controv. seq. q. 2. in digressione 1. & 2. ubi ostendemus conceptum entis, substantiæ, & similes, quos præscindendo formamus & abstrahimus à Deo & creatura, non habere perfectam unitatem & univocationem, nihil enim adæquatè est commune Deo cum creatura, sed prorsus imperfectam, quoad nostrum intelligendi modum, eo modo, quo à primo diversis rationem quandam communem abstrahere solemus, si enim non obstat tali abstractioni primo diversa, Deum singularissimè sibi vendicare omnem perfectionem tam essentialem & attributalem & relativam, quid obstabit, quin de Deo & creatura communem aliquem conceptum abstrahere valeamus? non obstare autem primò diversa, perspicuè patet non solum per plures hacceitates, quæ nihil habent adæquatè commune, seu in nulla prorsus realitate conveniunt & tamen dicimus illas convenire in ratione ultimæ differentiæ, quatenus sunt similia in modo faciendi ultimo differre, & quod non sit res divisibiles per alias differentias cum non includant ens consequenter quod non possint distingui per alia & in nullo positivo conve-

convaniant; sed & ex ipso patet SS. Trinitatis Mysterio, in quo subsistentiæ relativæ similiter nihil habent adæquatè commune, sed se totis sunt diversæ, etiam pro ut à nobis concipiuntur, quia concipimus illas velut rationes ultimas & distinctivas Personarum, ultima autem & distinctiva concipiuntur ut primo diversa, alioqui ulterius per aliquid sui convenirent, & sic per aliud essent diversa, & non essent ultima; sed ut supponitur in *ratione tertia* contra assertionem *adductam*, subsistentia relativa in Deo conveniunt apud intellectum inadæquatè eas concipientem propter eundem modum se habendi unica intellectione confusa concipi possunt & repræsentari sub una ratione subsistendi incommunicabiliter seu quod sint res tales, quæ nequeant amplius terminari aut referri tali terminatione & relatione &c.

Ex his quia subsistentiæ relativæ & personales nihil habent in Deo commune adæquatè, ad tertiam rationem est facilis responsio, quia Relationes Personalitatum in Deo esse multiplicatas, non dicit conceptum objectivum illis relationibus communem perfectè & adæquatè, sed solum, quia concipiuntur in hoc convenire, quod substantialiter terminatæ nequeant amplius substantialiter terminari, conveniunt in tali negatione supponente positivum, quod non conveniat in aliquo, neque dicas negationem non posse esse communem, nisi conveniat in aliquo positivo commune in quo fundetur, id enim quod ultimo distinctiva nihil habeant commune positivum perfectè, & tamen in ejusdem positivi negatione conveniunt, puta ulterioris distinctivi, nemini ut rectè *Smising* Tract. 1. d. 2. q. 2. n. 64. *circa finem*. Mirum esse debet, nam in confesso est, & videre licet apud *Scotum* 1. d. 23. q. 1. ad argumenta negationem specificari per se ex termino, & non ex subjecto vel fundamento, idem namque subjectum varias potest fundare negationes, qua ratione animal rationale non fundat solum negationem irrationalis, sed & omnem eorum, quæ non sunt ipsum v. g. negationem lapidis, ligni &c. id quod universim verum est de unoquoque ente, quod fundat negationes omnium, quæ non sunt ipsum, & materia actu fundat privationem omnium formarum, quibus actu caret. Itaque licet diversitas numerica desumi possit à subjecto, terminus tamen cui opponitur negatio est ratio specificans naturam negationis, unde cognoscitur, quod sit talis aut talis negatio.

QUAESTIO VII.

An Essentia Divina ultimò constituatur & formaliter distinguatur per aseitatem?

SUMMARIUM.

1. *Aseitas non est ratio constitutiva Dei.* 67. & seqq.
2. *Aseitas solum distinguit id quod est divinum, ab illa quod est creatum.* eodem.

PErinde est ad propositum, in quo constituas rationem aseitatis, sive in modo quodam intrinseco entis à se, sive in negatione essendi ab alio. Sit

ASSERTIO

Aseitas non potest constituere Naturam Divinam strictè sumptam, quatenus est radix Attributorum.

67 HÆc Assertio distinguit ipsam rationem essendi à se seu existendi essentialiter ut est fundamentum ab ipsa aseitate formali, de qua hic est quæstio, distinctum. Quo supposito probatur *Assertio*: aseitas invenitur in omni Attributo, Persona, operatione Dei, & in omni eo, quod est Divinum: ergo non potest in Deo constituere id, quod distinguit Naturam ab eo, quod in Deo est Attributum & Persona &c. Ad quæ transcendentaliter se habet, sed solum id, quod est Divinum, ab eo, quod est creatum. Eo prorsus modo, quo homo ut ens creatum constituitur quidem per rationem entis ab alio, & participati, nullatenus tamen, quatenus dicit talem Naturam specificam, quæ est radix risibilitatis, virtutis admirativæ, aliarumque humanæ Naturæ proprietatum, constituitur per abaleitatem, sed per rationalitatem, cum alias *Abel* distingueretur essentialiter aut numericè ab Adam, per abaleitatem, quod est absurdum.

Probatur secundò: Aseitas prout negat rationem essendi ab alio sumitur vel tanquam ab alio ut causa, vel ab alio ut principio, ne trum horum 68

horum dici potest: ergo illa non constituit Naturam Divinam. *Non primum*: quia non esse ab alio ut à causa nedum Essentiæ Divinæ, sed & attributis, & omni, quod est Divinum, competit, nihil quippe est in Deo causarum. *Non secundum*: quia si aseitas, prout negat esse ab alio tanquam à principio, esset ratio constitutiva Divinæ Naturæ, illa non conveniret Verbo, nec Spiritui sancto, quæ Personæ habent esse à Patre ut principio: ergo ratio aseitatis, quatenus negat existentiam ab alio tanquam à principio vel tanquam à causa, nequit esse constitutiva Essentiæ Divinæ, sub præcisa & formali ratione Essentiæ. Dico *sub præcisa & formali* &c. quia Natura Divina largè considerata ut transcendentaliter se habet ad omnia attributa & quodcunque Divinum in Deo, & ut est ens increatum & ut distinguitur à creaturis, haud dubiè constituitur per esse à se, vel per aseitatem, secus est si consideretur intra lineam Naturæ, & prout Divina Essentia habet se ut radix Divinorum Attributorum & distinguitur ab illis.

Probatur tertio ex dictis q. 3. hujus *Controv.* ubi ad *initium quæstionis* & art. 2. ostensum est, 69 inde quod Deus sit ex sua Essentia à se, ac à nullo efficiente extrinseco dependeat, non convincatur, quasi sit præcisè esse à se de Essentia Dei, cum per hunc loquendi modum, quod Deus sit Ens per Essentiam, aut quod sit suum existere, solum denotari posset, quod Deus ex sua Essentia habet necessariò existere independenter à causa extrinseca, sicut necessariò habet, ut sit ens, spiritus, vita intellectualis, quæ tamen non sunt ultimò constitutiva Divinæ Naturæ: ergo nec aseitas seu esse ens à se &c.

QUAESTIO OCTAVA.

in qua

Resolvitur quæsitum principale Controversiæ, scilicet per quid Natura Divina sub ratione Naturæ & radicis Attributorum constituatur?

SUMMARIUM.

1. *Esse de essentia alicujus non est esse rationem ultimò constitutivam.* 70.
2. *Constitutivum Deitatis non est adæquata ratio seu quidditas Deitatis.* eodem.
3. *Ratio constitutiva Deitatis ab omni alio, quod non est Deus, est intellectualitas Dei radicaliter existens, seu vita intellectualis essentialiter existens.* 71.
4. *Essentiale nomen Dei, quod significat ipsum esse Dei ut est radix proprietatum attributalium exprimitur in hoc, Qui est.* 72.
5. *Rejicitur opinio Gonet.* 73.
6. *Ordo distinguendi in Deo secundum diversos gradus.* 74.

70 *Essentia constitutivum an sit idem quod esse de Essentia.* Ex iis quæ in hac Controversia pertractavimus, & ex ipso titulo quæstionis elucet, aliud esse, quod dicamus quidpiam esse de Essentia alicujus, aliud aliquam esse ultimam rationem constitutivam alicujus, nam certum est, non tantum talem rationem ultimò distinctivam & constitutivam esse de essentiali Dei conceptu, qualiscunque illa sit, sed alias etiam rationes, quæ sunt creaturis communes quidditativæ insunt, si in ea præcisione accipiantur, ut depuratis imperfectionibus Deo congruere queant, de ipso essentialiter prædicari, quales sunt ratio substantiæ, spiritus, viventis intellectualis &c. proinde licet ultimò constitutivum Deitatis, non sit adæquata quidditas Dei, cum ad illam etiam pertineant alia prædicata, rectè tamen quæstio instituitur, quænam ex iis rationibus sit ultima ratio constitutiva Naturæ Divinæ, & præcisa radix omnium attributalium perfectionum, & ratio à priori, id est, ut *ante illam* non intelligatur essentialiter distingui à quocunque alio, quod non est ipsum, & *post illam* non intelligatur alia ratio, qua distinguatur essentialiter ab omni alio, quod non est ipsum, eo quippe modo quidpiam per aliquid ultimò constituitur, quo modo per illa ultimò distinguitur & quo modo omnes aliæ rationes in Divina Natura per illud distinctivum omnibus permixtum, Deo propriæ redduntur, hoc prælibato, sit

* * *
* *

ASSER-

ASSERTIO

Vltima ratio conſtitutiva, quæ reliquos gradus eſſentiales in Deitate repertos, Naturæ Dei proprios, atque à tota univerſalitate entis creati alienos reddit, per quam proinde, non ante quam, nec poſt quam per aliud Natura Divina intelligitur eſſentialiter diſtingui à quocunque alio, quod non eſt ipſa, conſiſtit ultimatè in vita radicaliter intellectuali ut conſideratur ſub conceptu formali ultimæ actualitatis completæ, ſive ut eſt per ſe exiſtens eſſentialiter.

71 SEnſus Concluſionis eſt, quod ultima ratio conſtitutionis & diſtinctionis Divinæ Naturæ, per quam ſecernitur non ſolum à tota latitudine entis creabilis, ſed & ab ipſis Attributis & proprietatibus relativis, ſit actualitas per Eſſentiam, ſeu vita intellectualis eſſentialiter exiſtens, ita ut per nullam rationem ſive entis per ſe, ſive incorporei & ſpiritus ſive quamcunque aliam Intelligatur diſtingui ab aliis omnibus, niſi addatur, quod ſit per ſe exiſtens eſſentialiter ſpiritus exiſtens eſſentialiter vita intellectualis exiſtens eſſentialiter &c.

Probatur *Aſſertio*, & patet ex omnibus hujus *Controverſiæ* QQ. non ſuppetere aliam rationem in Deo diſtinctivam Eſſentiæ Divinæ ab omnibus aliis, etiam ab ipſis Attributis Divinis aliiſque proprietatibus, quàm exiſtentia eſſentialis, ut & mox in ſolutione objectionis amplius dicetur.

72 Probatur Aſſertio ex ſacra Scriptura Exod. 3. *Ego ſum, qui ſum*, ſeu, *qui eſt*. Quo loco Deus ipſemet propriiſſimè declarat Divinam ſuam Naturam, per ipſum eſſe Dei per Eſſentiam, ſeu quod ſua ratio eſſentialis & diſtinctiva ab aliis conſiſtat in eſſendo, ut clarè innuit verſio græca ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, quod ſonat: *Ego ſum ipſum Ens*. Unde Sancti PP. hunc locum aſſerunt tanquam adæquatam Naturæ Divinæ deſcriptionem, eumque perpendens *D. Hilarius* ſub initium l. 1. de Trinit. hæc ſcribit: *Admiratus ſum plane tam abſolutam de Deo ſignificationem, quæ Naturæ Divinæ incomprehenſibilem cognitionem aptiſſimo ad humanam intelligentiam ſermone loqueretur, non enim magis proprium Deo, quam eſſe intelligitur*, nimirum voluit Deus quoddam ſpeciale nomen antea Patribus non manifeſtatum, Moyſi revelare, quo Naturæ Divinæ abſoluta ratio eſſentialiter ſignificaretur, ut conſtat Exod. 6. Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac & Jacob in Deo omnipotenti, & nomen meum Adonai, in Hebræo eſt יהוה Jehova, *qui eſt, non indicavi eis*. ecce, *qui eſt*, inquit, *non indicavi eis*, ubi adverte hoc nomen deduci à radice Hebraica היה Hajah, quæ idem valet ac *eſt*, primarium ergo & eſſentiale Dei nomen, quod eſt radix aliorum, & quod præ cæteris exprimit rationem diſtinctivam Dei eſt, *Qui eſt*, quod ſignificat ipſum eſſe Dei, ut eſt radix & principium proprietatum attributalium, quod & propterea ipſi Judæi pronunciare non audebant, utpote quod haberetur ab ipſis ſacratiſſimum ab ipſo Deo Eſſentiæ & Naturæ Divinæ, ut eſt ab omnibus diſtincta, quæ non ſunt ipſa, propriiſſimè accommodatum.

Nomen Dei primarium & expreſſivum Deitatis, quale?

73 Reſpondet *Gonet*, quando PP. & Scriptura exprimunt Eſſentiam & quidditatem Dei per eſſe, ſeu per rationem entis, per Eſſentiam loquuntur, & ſubſtantia & Eſſentia Dei largè ſumpta, & quatenus habet rationem tranſcendentis increati, Deumque ſolum conſiderant ut ens increatum, & quatenus à creatura diſtinguitur, non verò ſub conceptu ſpeciali ut eſt intra lineam Naturæ & prout eſt radix Attributorum & diſtinguitur ab Attributis.

Quæ reſponſio ſtabilitur ratione, quia quodlibet Attributum Divinum vi ſui ultimi conceptus exiſtit à ſe quia excludit eſſentialiter omnem potentiam objectivam, imò Deus Idcirco eſt Deus per eſſentiam & eſſentialiter exiſtens, quia eſſentialiter reſpuit potentiam objectivam: atqui æque Attributum Divinum reſpuit omnem potentiam objectivam, conceptus ſiquidem repugnantiæ ad potentiam objectivam eſt tranſcendentalis & generaliter convenit omni Divino, quod in Deo eſt, ergo exiſtentia & eſſe à ſe, quæ hujuſmodi repugnantiam fundat Attributis erit æquè eſſentialis ac ipſi Naturæ: ergo falſò dicitur, quod per illam conſtituatur Eſſentia Divina in ratione Naturæ & radicis Attributorum.

Reſpondeo in hac reſponſione non rectè ſupponi rationem entis per Eſſentiam ſive eſſe à ſe, & exiſtere eſſentialiter, prout accipitur in Aſſertione, conſiſtere in eo, quod excludat eſſentialiter omnem potentiam objectivam, ſic enim inſtantia & ratio illi adjuncta benè concluderet, certum enim eſt, quod omnia Attributa & relationes Divinæ in hoc ſenſu excludant omnem potentiam objectivam, ſed non ſequitur, excludit ſeu renuit potentialitatem objectivam, ergo exiſtentia eſt de quidditate illius, quia talis potentialitas poſſet alicui repugnare, ut dictum eſt q. 2 l. c. ex eo, quod exiſtentia & aſeitas vi Eſſentiæ & ex ſe realiter identificetur Divinæ Eſſentiæ, eſto non ſit in rigore de Eſſentia illius, multa enim

Aliter Attributa & aliter Eſſentia Dei reſpuit potentiam objectivam.

rebus identificantur, quæ non sunt de essentia earundem, ille itaque modus loquendi *esse ens per Essentiam, aut esse suum existere*; aliud de se necessariò ; non infert ; quàm quod Deus ex sua Essentia habeat necessariò existere independenter ab efficiente extrinseco. Ex quo fit, quod alia ratione respuat & excludat potentiam objectivam conceptus Attributorum Dei & divinarum Relationum, alia verò eam removeat conceptus Naturæ Divinæ, sub ratione Naturæ, quodlibet enim Attributum & relatio Divina eò excludit posse esse ab alio, ut ab extrinseco principio, quò quodlibet est aliquid Deitatis, licet essentialiter non referat existere à se, sed ut quædam quasi affectio Deitatis emanans quasi per pullulationem logicam ab ipsa Essentia, à qua suum actuale refert, non exigens in sua ratione essentiali existentiam essentialiter imbibitam: Essentia è contra sive Natura Divina sub ratione Naturæ potentialitatem objectivam respuit tanquam radix & principium, cui nimirum prorsus intraneum est esse per se, seu existere illi essentialiter & intrinsecè competit, quodque ita vi sui conceptus ultimi actuale est, ut omnes illius perfectiones ab eo hauriant; quod sint, in quo sensu respuere potentiam objectivam; & esse ens per Essentiam non convenit Attributis & proprietatibus personalibus, proinde licet sub una consideratione, qua concipitur Essentiæ generatim repugnare potentia objectiva abstrahendo ab existentia, sitne de Essentia Dei, nec ne, habetque se identicè solum ad illam, licet, inquam, sic non subeat sub speciali conceptu rationem essentiæ, ut est præcisè intra lineam Naturæ & ut est radix divinorum Attributorum, & ut ab illis distinguitur, sed sub conceptu illo generali potius subeat rationem entis transcendentis increati & communis tam relationibus & attributis quàm Naturæ, ut in objectione dicitur, quatenus tamen intelligitur illi repugnare objectiva illa potentialitas propter oppositam actualitatis necessitatem, seu ut est per se existens essentialiter, id est, ut concipitur conceptu formali ultimæ & completæ actualitatis, sic se habet ut radix & ratio à priori Attributorum & constituitur præcisè intra lineam Naturæ, qua ratione non solum distinguitur à creaturis, sed & suo modo ab ipsis in Attributis.

Quod ut melius intelligas adverte hunc distinguendi ordinem in Deo; nimirum per substantiam Dei intelligitur Deitas solum distingui ab accidente per substantiam completam solum ab incompleta, per spiritualem à corporali, per viventem à non vivente, per singularitatem Deo essentialem ab aliis quidditatibus creatis & hic quasi inchoatur distinctio Dei ab omni creatura, quæ denique completur per existentiam Deo essentialem; quæ est ultimum distinctivum & constitutivum Dei sub conceptu formali ultimæ actualitatis completæ, quia scilicet constituitur intra lineam Naturæ, ut est radix eorum, quæ quasi per logicam emanationem ab illa referunt, quod sunt, consequenter sub hoc conceptu, ut essentialiter involvit ultimam existentiæ actualitatem, non solùm distinguitur perfectè & adæquatè à creatura; etiam in quantum singulari, sed & ab ipsis Attributis; quorum secundum conceptibilitatem aut logicam pullulationem est principium, radix & formalis origo seu ratio à priori. Ex quibus corruit responsio *Gohet* & confirmatio illius. 74

Ordo distinguendi prædicata in Deo.



CONTRO-

CONTROVERSIA DECIMA,

An præter realem Distinctionem personarum alia distinctio & quanta, & inter quæ prædicata in Divinis sit adstruenda?

SUMMARIUM.

1. *An & quomodo Essentia ab Attributis & Relationibus originis, item Attributa inter se distinguantur. q. 1.*
2. *Sitne eadem ratio aliquam non identitatem ex natura rei inter prædicata Dei quidditativa, quæ est de Essentia & Attributis, item de Essentia & Relationibus divinis & de Attributis inter se. q. 2.*
3. *Deturne respectu Dei & creaturæ conceptus entis ex natura rei actualiter ab inferioribus præcisus. q. 2.* in digressione ad Q. metaphysicam à *n. 97.*
4. *Sintne in Deo perfectiones attributales, consequenter eorum inter se & ab Essentia distinctiones infinitæ, ubi an Attributa in tot obeant formalitates, circa quot terminos & objecta versantur. q. 3.*

Permulta jam de hac celeberrima difficultate peregimus Tom. 2. quasi per totum & parte 1. hujus Tomi à *Controv.* 3. usque ad *Controv.* 9. & quidem non solùm quomodo Essentia ab Attributis Divinis & Attributa inter se, sed & quomodo Essentia ab ipsis relationibus originis distinguatur, brevius itaque hoc loco de iis tractandum erit, afferendo ea quæ loco citato non nisi obiter tacta sunt, aut quæ ibi acta sunt, hic per seriem ordinis quasi pertranseuntes ad memoriam revocabimus mittendo Lectorem ad QQ. ubi ex professo de iis disputatum est.

QUAESTIO PRIMA.

An & quomodo Essentia ab Attributis & Relationibus originis: item, Attributa inter se distinguantur?

SUMMARIUM.

1. *Nulla Attributa Dei neque proprietates relativæ ab Essentia divina realiter distinguuntur. 75.*
2. *Attributa Dei non spectant ad Essentiæ divinæ conceptum, nec vicissim. 76.*
3. *Nulla suppetit distinctio in Divinis ad sufferenda contradictoria, præterquam* Scoti *non identitas, seu distinctio ex natura rei formalis. 79. & seqq.*
4. *Quo sensu Scotistæ ab Adversariis intelligendi veniant. 80.*
5. *Effugium ad distinctionem rationis ratiocinatæ occluditur. 84*
6. *Effugium ad distinctionem virtualem non spectata distinctione rationis exploditur. 85.*
7. *Effugium ad Eminentiam divinam reprobatur. 87.*
8. *Effugium ad implicitum & explicitum refellitur. 89.*
9. *Effugium ad modum* significandi, appellandi *&* reduplicandi *proprium & explicitum conceptum per modum velut differentiæ & secundum quod actu exercet distinctionem virtualem ab altero attributo, eique velut opponi concipitur, non subsistit, 191. & seqq.*
10. *Veritas Amico non cedit. 92.*

Ut ea quæ inter Theologos orthodoxos de fide certa & extra Controversiam sunt, secernamus ab hujus Controversiæ incertis, de quibus acerrimè controvertitur in Scholis, præmitto Assertionem sequentem.

* * *
* *

ASSERTIO I.

Nec Attributa Dei nec Relationes originis ab Essentia Divina realiter distinguuntur, sed summa & perfectissima identitate reali identificantur cum illa.

75 *Scotus Catholicè scribit, imposturas destruit.* ITa Scotus ubique locorum 1. *Sentent.* in *Reportatis* in *Quodlibeticis* & alibi ubi attingit hanc materiam non solùm tanquam de fide certam supponit, sed rationibus demonstrat, congruentiis suadet, auctoritatibus firmat Essentiam Divinam in se unicam & simplicissimam, omnis omninò esse compositionis expertem, ita ut, quos non puduit illi affricare oppositum, manifestè convincantur ex injutio cerebro calumniam potius quàm *Scoti* doctrinam scripsisse, aut Catholicissimi Doctoris sensum non percepisse, qui solum ad persuadendam virtutem de SS. Trinitatis Mysterio & ad ostendendam ejus possibilitatem, modestissimè proponit, an detur inter Essentiam & personalitates aliqua distinctio, quæ sit minor in actu distinctione reali, & major distinctione rationis, seu à solo intellectu in sua actualitate dependentis, eo semper salvo, ut identitas Essentia cum Attributis & Relationibus originis, & vicissim, & simplicitas Deum decens in nullo vel minimè lædatur, ut ostenditur Tom. 2. parte 1. per totum, & in hoc Tomo pro re nata diversis in locis.

ASSERTIO II.

Attributa Dei non sunt de essentiali conceptu Deitatis, nec Deitas est de conceptu essentiali Attributorum.

HÆc Assertio in qua comparantur Attributa ad Deitatem & vicissim Deitas ad Attributa non solum tenetur à Scotistis, sed & à plurimis Thomistis, eamque jam olim tutatus est *Capreolus* 1.d,8.q.4.ex modernis eam tuetur *Vasquez* p. p. Tom.2. d, 119. & alii tam antiqui, quàm Neoterici extra Scholam *Scoti*, esto teneant Attributa ab Essentia Divina & inter se ante intellectûs functionem non distingui.

76 *Identitas realis nõ coëssentiat identificata realiter.* Ratio pro Assertione, quæ Franciscum Suarez adduxit ut volitionem Divinam à quidditativa Deitatis constitutione excluserit, quoad primam partem hæc est: illa, quæ dicuntur esse extra quidditatem alterius, esto realiter cum illo identificentur, & quæ secundum nostrum modum concipiendi supponunt alterum adæquatè constitutum ut v.g. animal, licet ante considerationem intellectus à rationali non distingueretur, non est de Essentia illius, quia animal ut potentia quædam metaphysica secundum nostrum modum concipiendi adæquatè præsupponitur ad gradum rationalitatis: *atqui* attributa Dei, esto non distinguerentur ab invicem, & ab Essentia ante intellectum cogitantem, secundum nostrum modum concipiendi Deitatem, adæquatè Essentiam supponunt constitutam secundum singularissimam & individualem Deitatis rationem, *ergo* non sunt de conceptu illius, sed præexigunt Naturam Divinam quidditativè constitutam & condistinctam à tota latitudine entis creabilis, nam adæquatum distinctivum rei est adæquatum constitutivum illius, cui fundamento innixus *Suarez* l. 11. de Trinit c,6.n.17. reddens rationem, cur Spiritus sanctus non sit Filius, rectè asseruit volitionem non pertinere ad quidditativum Deitatis rationem, ut etiam innuimus *Contrav.* præced. q. 4. *Assert.* 3. Ex quo

Probatur Assertio quoad secundam partem: si Deitas esset de conceptu essentiali Attributorum, jam essentialiter imbiberetur in conceptu volitionis & impulsus, sed hoc est falsum: *major* est evidens, *min. prob.* quia tam virtus actionis spirativæ quæ tenderet in terminum sub ratione formali impulsus volitivi attingeret quidditatem Deitatis, ut rationem formalem terminandi, ac proinde terminus actionis spirativæ in supposito producto per se ferret Deitatem, & sic Spiritus sanctus vi productionis esset Filius, Verbum siquidem est Filius, qui vi actionis dictivæ refert Deitatem. 77

Probatur eadem pars secundò ex ratione pro prima parte, nam si Attributa sint extra quidditatem Deitatis, vicissim Deitas erit extra illa, eo ipso enim quo Deitas esset de quidditate suarum proprietatum Attributa esse per essentialem transcendentiam imbiberent, eadem enim, quæ in eodem tertio essentialiter & adæquatè identificantur, sunt quoque essentialiter eadem inter se, cujus oppositum jam patet esse verum, & patebit amplius in Sententia *Scoti* & fundamentis, quæ pro ea afferuntur. 78

ASSER-

ASSERTIO III.

Inter Essentiam & Attributa, inter Essentiam & Relationes, inter ipsa quoque Attributa datur distinctio, quæ tamen respectu Essentiæ & relationum non est distinctio realis inadæquata seu mediante tertio, neque sufficit respectu Essentiæ & relationum ex una parte, & Attributorum ex altera parte, sola distinctio rationis, neque distinctio virtualis extrinseca, id est, distinctio realis indirecta seu per ordinem ad diversa connotata, neque distinctio fundamentalis seu virtualis intrinseca, quæ Thomistica dicitur, neque distinctio virtualis intrinseca Recentiorum, quæ non est actu & è re distinctio, sed fundata in mera virtute & æquivalentia distinctorum, vel sita in perindeitate quadam quasi veræ distinctionis in ordine ad sufferenda prædicata contradictoria, sed omninò necessaria est distinctio seu non identitas formalis ex natura rei, quæ est inter omnes actu & reipsâ possibiles minima, & passim à Scholis, *Scoti* appellatur.

79 *Non est in divinis distinctis mediante tertio.*

ASsertio quoad hoc, quod in Divinis inter dicta prædicata sit distinctio aliqua admittenda, jam ab omnibus admittitur, & suadetur ex contradictoriis de Deo verificabilibus. *Secunda pars*, quod tamen non sit inter Essentiam & Relationes, nec sufficiat distinctio mediante tertio probatur hoc *Tomo*, *parte* 1. *Controv.* 3. à quæst. 2. per totum. *Tertia pars*, quod non suppetat distinctio rationis, probatur prolixè *Controv.* 5. q. 2. & 3. *Quarta pars*, de Distinctione per connotata, probatur *Controv.* 6. q. 4. per extensum. *Quinta pars*, quod similiter non subsistat distinctio virtualis Thomistica, probatur *Controv.* 7. q. 2. *Sexta pars*, quod neque valeat distinctio virtualis Neotericorum, probatur amplè eâdem *Controv.* q. 3. *Septima* denique pars, quod sola distinctio *Scoti* sit admittenda & quidem necessariò, probatur tum per totum *Tomum* 2. & rationibus & auctoritatibus, Conciliis & Patrũ Definitionibus statuentibus inter Essentiam & Relationes, inter Essentiam & Attributa, ac etiam inter ipsa Attributa distinctionem quandam actualẽ, quæ operationem intellectûs præcedat, tam creati, quàm increati, & tamen cum summa reali earum identitate consistentem; cum etiã quia omnes aliæ distinctiones excogitatæ ut ll. cc. exploratũ est, aut nullæ, aut prorsus insufficientes sunt ad salvanda prima principia, & ad excludendã vim contradictoriorum, quæ tamen ex fide, adeoq; per congruã distinctionẽ salvari debent de Divinis, illud autẽ bonum, illa sine contradictione salvandi, ut iisdẽ ll. cc. vidimus, sola habetur à distinctione *Scoti*, & præterea quod nullam dicant imperfectionem, nullũ incommodum totâ parte 1 Tomi 2. tũ clarè ostenditur, ut seposito privato ad suã Scholã affectu, qui veritati omninò præjudicat, & rationibus utriq; indifferenti animo ponderatis, id est, tam Scoti rationibus, quã propriæ opinionis in librã positis quilibet discernere possit, quod revera nulla alia melior, nulla solidior, nulla verior haberi possit, ut non immerito illam nonnulli in *Hypotyposi Philosophia Venetiis* ab Academia suscitatorũ *suscepta* in Domo professa *Societatis Iesu* Anno 1660. apud *Staudenbecht* in præfatione ad lectorẽ *Tract. de Distinct.* censuerint esse *inventum Divinum*, quod titulo facilitatis excludendi cõtradictionem SS. Trinitatis Mysterium sine supernaturalitatis ecclipsi reddit credibilius, ostẽdendo illud est supra, non contra Naturam seu evidentiam luminis naturalis, ut hac sola ratione, præ cæteris, quæ id non præstant, suspicienda sit & amplectenda, & quantumvis ad id probandũ opus non est aliâ, quàm tritissima *hisce Tomis* probationis via ex contradictoriis irrefragabiliter petita, ex abundanti tamen unico Scotistarum argumento ex via definitionis deducto, licet apud *Scotistas* commonissimo, ideò maximè, ut videamus, quàm solidè Adversarii ad illud respondeant, stabilire placet.

Nec suppetit distinctis rationis.

Nec virtualis Thomistica, nec Recentiorum.

Scoti distinctis sine supernaturalitatis eclypsi salvat Mysterium SS. Trinitatis.

Non loquimor autem, nec ulli Scotistæ loquuntur in probatione de definitionibus, quæ dantur in ordine ad varias operationes, qua ratione *intellectus* v. g. quatenus per eundem simplicem, ut probabilissimè tenetur, formalitatẽ & virtutẽ est principium simplicis apprehensionis, judicii & discursus, idẽ dicendum est de sensu communi & interno, varias quoq; sortiuntur definitiones, quibus non Essentia & Natura, sed diversa eorũ munera explicantur. Neq; loquimur de definitionibus, quæ subjacẽt inadæquatis nostris, confusis ac imperfectis conceptibus, quales non exprimunt rem, qualis est secundum se & ex natura rei, sed secundum quod intellectui subjicitur, consequenter prout objicitur & relucet in conceptibus nostris objectivis, qui vi cognitionis formantur, juxta quorum plurificationem & plurificantur definitiones, quæ aliam in objecto non arguunt distinctionem, quàm rationis, sed loquimur cum Scotistis de definitionibus essentialibus, quæ de rebus nulli extrinseco involutis, id est, præscindendo ab omni extrinseco secundum se & sua prædicata solum essentialia intellectum 80

Quid Scotistæ intelligant per definitionis objectum.

præcedentia consideratis traduntur, & quatenus prout in definitionem veniunt, sunt objectum, quod est mensura & regula veritatis, ad cujus conformitatem & dependentiam, cum referat rationem causæ veritatis in definitione repertæ, concipitur definitio, addidi: *quatenus sunt objectum* &c. *quod referat causam veritatis* &c. ut vel inde excludas conceptus tuos inadæquatos objectivos, quos Attributa & Relationes in Divinis à nostro habent intellectu, ita ut nec Attributa, nec Relationes, quatenus habent tale esse objectivum, præcedant nostros conceptus, cum enim illud sit quædam denominatio extrinseca à nostris imperfectis conceptibus petita, sicque verum sit indubiè, esse objectivum & definitionem unius Attributi esse extra esse objectivum & definitionem alterius, quia conceptus à quo istud esse objectivum sit, est extra conceptum, à quo fit alterum Attributum in esse objectivo; falsum tamen est, quod tale esse objectivum sit regula & mensura veritatis propositionum aut definitionum, quas de Deo formamus, cum aliàs Theologi non veras ac reales proprietates de Deo assererent aut describerent, sed imaginarias seu à conceptibus nostris conflatitias, quod quantæ sit absurditatis & inconvenientiæ, ostendimus *Controv.* 5. q. 2. art. 2. per totum. Itaque in illa Definitionum diversitate vis ponenda est ad probandam distinctionem inter definita, quæ ideò diversimodè definiuntur, quia diversas dicunt naturas seu formalitates in seipsis, & non quia diversimodè concipiuntur à nobis, & quia exprimunt Naturam rei, prout est ante quamcunque intellectûs operam, & quæ datur per conceptus adæquatos, quibus correspondet totum id, quod est ipsa realis & essentialis quidditas rei definitæ, non aliquod rationis aut extrinsecum illi.

Definitio essentialis varia.

Talium definitionum autem essentialium, quia quæ rem secundum se exprimunt, & dantur per conceptus adæquatos, *Alia est*, quæ traditur per conceptus adæquatos generis & differentiæ, & dicitur in rigore & propriè definitio & convenit solis integris rerum essentiis & rebus duntaxat propriam existentiam habentibus, ita ut ex diversitate talium definitionum inferatur inter definita non solum distinctio ex natura rei formalis, sed essentialis illa, quæ coincidit cum reali, & de hac definitione essentiali etiam non loquuntur Scotistæ in proposito. *Alia est* definitio essentialis, quæ datur quidem per conceptus adæquatos & perfectos, sed qui simplices solùm formalitates metaphysicas, quales explicavimus *Controv.* 7. q. 2. §. 2. earumque naturam exprimit, ut sunt à parte rei, & de hac definitione est sermo Scotistis, his prælibatis pro Assertionis parte ultima ex superabundanti stabilienda.

81 *Arguitur ita*: quæ distinguuntur definitionibus, quas tradimus de realitatibus seu formalitatibus secundum earum naturam consideratis, & non prout nostris substant conceptibus, & consequenter quæ propriis distinguuntur rationibus, illa necesse est distingui ex natura rei formaliter; atqui essentia ex una parte, Relationes & Attributa ex altera parte, & ipsa quoque Attributa inter se comparata propriis definitionibus ita distinguuntur: ergo ex natura rei formaliter: major patet ex dictis; minor quoad Essentiam & Relationes & è contra, probatur p. 1. hujus Tomi *Controv.* 4. q. 4. n. 87. & seqq. *Controv.* 5. q. 3. §. 1. 2. & 3. & *Tom.* 2. non solum *Controv.* 7. & 8. ex PP. Græcorum & Latinorum, sed & *Controv.* 9. ex Conciliorum dictis, quæ vera non essent, nisi minor vera foret, ut iis locis prolixiùs, & alibi, ubi tum ex ratione ostendimus Relationem non esse de conceptu absoluti, quod est ad se, nec è contra absolutum de Essentia Relationis, quæ est ad aliud, non ad se, tum quia quidquid est de ratione Essentiæ, est ratione singularum Personarum, sed Relationes non sunt de conceptu singularum Personarum, alias Pater secundum aliquid non differret à Filio contra fidem, quæ docet, quod differat, secundum id, quod non est in Filio: ergo illud non includitur in Essentia, in qua convenit cum Filio, nam secundum quod differt, certè non convenit, illud autem est Relatio; cum etiam, quia Relatio producitur, Relatio multiplicat Trinitatem, quæ non cadunt in Essentiam, vide de veritate hac auctoritates rationibus fulcitas *Tom.* 2. *Controv.* 7. speciatim q. 3. art. 1. q. 4. per totum. q. 5. art. 1. q. 6. n. 348. & seqq. q. 7. n. 354. q. 9. per totum. q. 11. per totum, & *Controv.* 8. ejusdem *secundi Tomi* q. 1. n. 390. & seqq. q. 2. art. 1. per totum. q. 3. à n. 425. usque 432. q. 4. n. 442. q. 5. ex *S. Thoma*, & denique q. 6. ex *S. Bonav.* quasi per totum.

Attributa Dei nō concurrunt ad quasi metaphysicā Dei constitutionē.

Eadem minor Argumenti principalis, quoad aliam partem, quod nec Essentia includat in essentiali suo conceptu Attributa probatur similiter *Tom.* 2. *Controv.* 7. q. 3. art. 2. q. 5. art. 2. q. 8. n. 361. & seqq. q. 11. per totum. q. 12. n. 377. q. 13. per totum, & *Controv.* 8. q. 1. n. 391. & seqq. q. 2. art. 2. prolixè. q. 3. n. 432. q. 5. ex *D. Thoma*, quibus locis videre est, quod Sancti PP. velint, non omnia quæ in Deo sunt, vocari substantiam Dei, Essentiam Dei, Naturam Dei, sed aliqua vocentur Attributa, quæ velut perfectiones talem Naturam Dei circumstant, nihilque faciunt ad quasi metaphysicam & essentialem Dei constitutionem, sed sic supponunt illam, jam pro aliquo priori constitutum, ideoque ad illam quasi affectiones & proprietates consequuntur, unde & à Theologis appellantur prædicata, non ad primum, sed secundum modum dicendi per se attinentia, quatenus scilicet sunt quid quasi secundarium ad differentiam prædicatorum ejus quidditativorum, quæ sunt ens, substantia, spiritus, vita intellectualis &c. quæ dicuntur perfectiones primariæ, hanc ergo Divinæ Essentiæ constitutionem in esse primario Sancti PP. per prædicata quidditativa, & in esse secundariò per Attributa lia ita declarant, ut Attributa sint ejus perfectiones, quæ non sint de conceptu Essentiæ, neque Essentiam de conceptu Attributorum, de quo amplius & specialiter disputatum pro Scoto vide Tom. 2. Controv. 1. q. 2. & 3. art. 4. § 4. & alibi

alibi frequenter. Item Controv. 2. q. 4: art, 2. rectè ad propositum præsens.

83 Eadem porrò minor, quoad tertiam partem de Attributis Divinis inter se comparatis, quod propriis rationibus & definitionibus distinguantur, probatur parte 1. hujus Tomi primi, Controv. 5. q. 3. n. 119. & seqq. ex productione Verbi & processione Spiritus sancti, nimirum si intellectus esset de conceptu essentiali voluntatis & è contra, ut non realiter duntaxat & identicè, sed formaliter & quidditativè intellectus sit voluntas & è contra, ita quoque à parte rei formaliter vera sit hæc propositio: *Verbum producitur per voluntatem*, & hæc: *Spiritus sanctus procedit per intellectum*, quod damnant CC. & PP. illud unicè constituentes discrimen inter utriusque productionem, quod verbum per intellectum, non per voluntatem, Spiritus sanctus per voluntatem procedat, non per intellectum.

Præterea unum Attributum ab alio distingui auctoritatibus probatur *Tom. 2. Controv.* & qq. cit. & videri potest specialiter Controv. 7. q. 3. prolixè. q. 2. art. 1. per totum. q. 5. n. 338. & seqq. q. 6. n. 346. & seqq. q. 10. q. 13. per totum, & Controv. 8. q. 2. n. 414. & seqq. q. 3. n. 432. quibus locis & aliis passim in isto opere SS. PP. Attributis assignant proprias rationes inter se distinctas, & quidem Theologi nonnullis rationes disparatas v. g. omnipotentiæ ad justitiam relatæ, & intellectui ad voluntatem comparatæ; ne, ut dixi, cogamur admittere, quod intellectus amet, voluntas intelligat, aliis è contra assignant rationes inclinationis in objecta opposita, quomodo dicimus Deum per justitiam punire, non per misericordiam, sed parcere & misereri, quasi exprimendo justitiæ & misericordiæ terminationem & inclinationem oppositam in objectum, nam affectus justitiæ refert essentialem negationem objecti affectus misericordiæ, aut è contra; quod non esset verum, si justitiæ & misericordiæ eadem esset inclinatio, eademque perfectio actus unius, etiam prout apprehenditur, ut actus alterius, sed quidquid sit de istis virtutibus Dei intellectualibus & moralibus importantibus hanc quasi oppositam terminationem & quasi inclinationem in objecta, aliis saltem Attributis in Deo secundum se, proprias rationes easque formaliter distinctas deferendas esse, probatur insuper ex ipsis responsis Adversariorum, qualia generatim vel speciatim ad Argumenta adducta reponere solent.

Responsio prima per effugium ad distinctionem rationis, non spectata ex parte rei pluralitate virtuali exploditur.

84 PRimò recurrunt ad distinctionem rationis ratiocinatæ, non spectata distinctione virtuali, quasi sola distinctio ex nostris conceptibus orta nullo distinctionis fundamento, quod in Deo reperiatur, attento sufficiat ad distinctas definitiones, quæ dantur de rebus, non absolutè secundum quod sunt à parte rei, sed secundum quid intellectui subjiciuntur, sed frustra; nam esto illis hoc demus in aliquo sensu de definitionibus traditis per conceptus objectivos inadæquatos, falsum tamen est de definitione tradita in sensu supra sub n. 80. explicato, per conceptum objectivum adæquatum, cui correspondet à parte rei tota realitas tum attributalis, tum relationis &c. per ipsum adæquatè expressibilis, adeoque licet talis definitio non possit subterfugere quin fiat per actum intellectus, necessariò enim traditur per conceptum objectivum adæquatum, non ideo sequitur, quod loco illius, quod est à parte rei, & extra intellectum, exprimat & explicet, & quasi intrudat & substituat aliquid intentionale, quis enim dicet, hanc definitionem, homo est animal rationale, Divina sapientia est vita Dei quasi in actu secundo, Natura Dei est essentialiter existens, item alias quascunque propositiones v. g. paries est albus, Æthiops est niger, esto fiant per intellectum, usque adeo satiscere, ut non enuncient id, quod animæ nostræ objiciunt exprimuntque? de quibus latè actum Tomo hoc *Controv.* 5. q. 2. *art.* 1. ubi perfugia vide præclusa art. 2. §. 1. num. 100. & §. 2. num. 15. & seqq. & alibi frequenter.

Respondent & dicunt tales definitiones per conceptus adæquatos non posse haberi de Divinis quibus correspondent à parte rei adæquata aliqua perfectio vel realitas sed inadæquata solum, & ut in conceptibus elocent.

Contra primò. Sic totum nostrum speculari, totum nostrum negotiari circa Deum non est circa Deum sed circa conceptus nostros de Deo, quod est loco Dei aliquod ab eo diversum substituere, consequenter Deum totaliter ignorare, quod est absurdum, de quibus vide *Cont.* 5. q. 2. v. 2. usque ad q. 3.

Secundò, ut currat instantia, licet non concedimus, ultrò gratis demus *Adversariis* repugnare de Divinis alias tradi definitiones seu descriptiones, quàm secundum quod quasi per partes intellectui subjiciuntur, adeò ut necessariò concipiantur per plures actus inadæquatos intellectus imperfectè concipientis rem simplicissimam per rationem in plura distinguentis; sit ita: sed probatur per hoc non solvi argumentum.

Non obstante, quod pro hoc statu immersionis ad phantasmata, repugnet Deum aliter intelligi, quàm per modum corporis, adhuc tamen via remotionis pro certo intelligimus Deum non esse corporeum, licet per extrinsecam aliquam denominationem, quæ Deo à nostris conceptibus accedit ita conceptus dicatur; ergo à simili, licet pro hoc statu ex imbecillitate nostri intellectus perfectiones divinas

 concep-

conceptibus inadæquatis juxta conceptuum pluralitatem, plurificemus, procedendo tamen per negationem, seu viâ, ut aiunt, remotionis, potest pluralitas & distinctio illa à Deo tolli, cum enim duæ proprietates, quæ extra conceptiones nostras, ut existunt à parte rei sint una simplicissima conceptibilitas, certè non repugnat extrinsecam illam pluralitatem ex nostris inadæquatis conceptibus in illa resultantem removere, removeas ergo, & sic nostro modo concipiendi correcto illa concipias quasi in intellectu intuitivo videres; quod secundum se sint una & eadem formalitas, neque id potest ab Adversariis negari, atqui eo ipso nulla est distinctio actualis inter intellectum v. g. & voluntatem, licet ergo falsum sit Filium generari per voluntatem, ut à nobis conceptum, quia ut sic distinctionem refert ab intellectu, nullatenus tamen repugnabit, imò sequitur evidenter remotâ illâ distinctione, quæ solùm est denominatio extrinseca, generari Filium per Divinam voluntatem, seu productum intellectus, in re esse productum voluntatis, cum ex natura rei non sit principium aliud & aliud, sed una eademque formalitas. Perfugia quæ iterum ad hoc habent, firmiter occlusimus cit. *Controv. 5. hujus Tomi*, q. 3. §. 1. n. 112. 113 & seqq. ubi idem de Essentia & Paternitate ad hominem & ex eorum principiis deductum est. Itaque progrediamur:

Responsio secunda per effugium ad distinctionem virtualem, non spectata distinctione rationis, seu quæ non actuetur & compleatur per rationis distinctionem, explosa.

85 Alii putant se satisfacere argumento per distinctionem virtualem, nimirum sicut illa sufficiens præstat fundamentum ad hoc, ut unam perfectionem concipiamus non concepta altera, ita & sufficiens fundamentum præstat, ut uni definitionem unam tribuamus, non tribuendo ei definitionem aliam, quomodo in creatis eadem illa distinctio inter animalitatem & rationalitatem confert fundamentum gradibus metaphysicis ut animal definibile sit velut ratio convenientiæ, rationale, ut ratio differentiæ, sine ulla actuali discretione, ergo ad hoc opus non est distinctione ex natura rei formali: quæ responsio æque urget comparata ad distinctionem virtualem Recentiorum in Divinis assertam, quæ non est actu verè distinctio, sed mera virtus & æquivalentia distinctorum, ita ut in ordine ad recipienda contradictoria, ut loquuntur, perinde se habeat, ac si esset vera distinctio realis, eaque ex parte Dei ita se habet, ut quocunque respectu secluso ad creaturas ita se gerant intellectus & Divina voluntas, quasi multa forent, & ut multa definiri aut describi possunt. Verùm hasce virtuales distinctiones, tam quæ est Thomistica, & quæ constituitur tam ex parte creaturarum, ut & ex parte Dei, quàm Recentiorum, quæ nulli creaturæ tribuitur, sed soli Deo, *Contrav. 7. q. 2.* & 3. diversis & perspicuis rationibus ostendimus, arbitrarias esse & nullas, insuper hic ostenditur neutram illarum sufficientem esse, ut diversas definitiones, sive per conceptus inadæquatos datas aliquibus sic distinctis tribuamus, sive datas per conceptus adæquatos, quod probatur: quia tales conceptus, sive inadæquati, sive adæquati, consequenter definitiones inde conceptæ, quatenus dicuntur, abstrahendo ab occasione extrinsecâ objecto, desumi præcisè & formari à virtuali distinctione, vel potius à virtualiter distinctis, sunt impossibiles. *Assumptum* ostenditur ex mente *Adversariorum*: secundum ipsos in objecto illo virtuali est summa identitas actualis, sed non potest negationi identitatis sibi contradictoriè opposita, nec consequenter ad tales conceptus fundamentum præstare, quin potius fundando modum loquendi in natura talis objecti, debent concipi fundamentaliter idem, quàm distincta: ergo. Min. prob. distincta virtualiter exuta ab omni distinctione rationis, nullum conceptum determinatum & explicitum referunt, sed coincidunt omninò in ipsam conceptibilitatem intrinsecam Deitatis, ergo aliunde in tua opinione ad formandos diversos divinatum perfectionum conceptus intellectum oportet habere occasionem desumptam scilicet à diversitate perfectionum creatarum, ut divinas ad instar creatarum diversis conceptibus intelligas, ita ut distinctio Attributorum ab Essentia à solis connotatis extrinsecis trahatur, per hoc autem, ut perspicuè patet, non magis sufficiens est distinctio virtualis, ut ratione sui, & ut objecto inesse fingitur, distinctas perfectionibus divinis tribuamus definitiones, quàm ut dicamus esse tres Deos, eo quod intellectus noster habeat occasionem concipiendi triplicem Deitatem in tribus Personis ex hoc, quod earum qualibet est Deus.

Rejicitur distinctio virtualis qualiscunque.

86 Ex quibus iterùm contra datam responsionem sic arguitur: quando concipitur sapientia, ut perfectio attributalis Deitatis ab illa virtualiter præcisè, id est, non spectata distinctione rationis, distincta, non potest fieri, nisi repetitio ejusdem conceptus expliciti, sub diversa tantum habitudine formæ & subjecti, adeò ut Deitas sub conceptu explicito Essentiæ apprehendatur instar subjecti & qualificabilis à sapientia, & eadem Deitas sub eodem conceptu explicito Essentiæ, concipiatur ut forma constitutiva Dei in esse sapientis, alia vis enim in distinctione virtuali inesse non apparet, quàm ut ratio explicita sapientiæ & Deitatis idem est de aliis prædicatis per quandam repetitionem ejusdem & ejusdem Essentiæ sub alia & alia habitudine formæ & subjecti spectanda veniat, adeo-

Vis distinctionis virtualis, quæ sit?

In eodem formaliter indiſtincto nõ dantur termini primi principii.

adeoque ibi inter ſapientiam & Deitatem diſtinctio virtualis proſcribitur ac quaſi in ſpongiam acta, aut nolla, ſicut eſt, cenſetur, cum non eſſet major diſtinctio ibi quàm rationis ratiocinantis, qualis v. g. eſt inter Petrum & ſeipſum, quando de ſeipſo enunciatur, ſicut enim eadem Petreitas reperitur ſub habitudine alia ut ſubjecti, alia ut prædicati, ita & Deitas & ſapientia, quæ etiam non inferunt diſtinctas rationes objectivas, ſeu formalitatem aliam & aliam, ſed omninò eandem formalitatem. *Aſſumptum* prob. quia implicat in eodem penitùs actualiter & formaliter indiſtincto dari terminos primi principii ſeu contradictorios, quales in iſtis imbibuntur conceptibus; de quibus & aliis, quæ huic opinioni oppoſita ſunt, vide *Contrsv.* 7. q. 2. n. 160. & ſeqq. amplè,

Tertia reſponſio exploſa.

Eſſentia divina omnes perfectiones, trabit in identitatẽ realem, non formalem.

Quid ſit Eſſentiã Dei eſſe pelagus infinitũ.

87 QUa diſtinguunt majorem argumenti principalis, negandò illam eſſe veram de diverſis definitionibus conrentis in eminentiori ratione, in qua adunantur & amittunt limitationem & contractionem, quam habent in inferioribus, adeoque in Deo ceu pelago infinito amittunt omnem prorsùs diverſitatem, quam habent in creatis, exploſa, inquam, quia huic reſponſo, quod ſpecioſè & ſub diverſis exemplis propoſitum eſt *Tom.* 2. *Contrsv.* 7. q. 1. art. 4. n. 297. latè ibidem à n. 298, uſque ad n. 30r. cum non ſpernenda eruditione eſt ſatisfactum, nec eſt quidquam hîc ſuperaddendum, niſi quod, quando Divina Eſſentia dicitur pelagus infinitum omnium perfectionum & veluti totius entis, intelligendum non ſit, quod illas identificet per infinitatem & trahat in identitatem formalem, tum primò ad hominem: quia ſic illas quoque in identitatem contraheret formalem rationis ablegando omnem rationis diſtinctionem, ſi concipiatur enim v.g. ſapientia Dei, haud dubiè concipitur cum infinitate, ſine illa enim non eſſet Divina, jam ſubterfugere non potes, quin in tali conceptu includatur non implicitè ſolùm, ſed etiam explicitè ipſa juſtitia Dei, miſericordia Dei &c. per infinitatem illa explicitè includentem, nam ſecundum te de ratione infinitatis eſt, ut includat omnem omninò perfectionem ſimpliciter, adeoque contra rationem infinitatis, ut quod ipſa explicitè includit vel per rationem excludatur. *Si dicas* ſufficere, quod includat ex natura rei formaliter, quocum ſtat diſtinctio rationis, cur non ſufficiet, ſi dicamus cum SS. PP. quod includat omnem identicè & realiter, cum qua identitate reali ſtet diſtinctio ex natura rei formalis, ut notavit benè *Maſtrius* diſp. 2. de Attrib. Divin. q. 2. n. 54. *Tum ſecundò*, quia, ut alibi actum, ſuppoſito quod divinæ perfectiones in Deo maneant ſecundum proprias ſuas rationes formales, talis contractio in identitatem formalem, quæ proprias earum rationes in unicam abſorberet realitatem, eſt impoſſibilis, ſicut itaque pelagus creatum dicitur illa ſolum ſubſiſtens aquarum Matrix, ex qua fluunt & in quam refluunt univerſa flumina mundi, ita Eſſentia Divina eſt omnium perfectionum pelagus, ut ſpectatur quaſi omnium perfectionum Matrix, ut ſic loquar, ſecundum ſolam ſuam formalem & quidditativam rationem, ſive quatenus præſcindit tam ab Attributalibus proprietatibus, quàm relativis, ut talis enim habet infinitatem nedum proprium & à ſe, & ex ſe primam & fontalem, adeoque ut talis eſt non ſolum formaliter infinita, ſed & radicaliter & fundamentaliter, id eſt, ſub ea ratione, qua dixi, eſſe verum pelagus habens omnem plenitudinem omnis entitatis, non in aliquo certo genere, ſed per modum totalitatis ſimpliciter & in tota latitudine entis, ex qua fluunt dimanant omnes perfectiones ſimpliciter, ecce pelagus divinum: ſed hoc eodem modo de Attributis dici nequit, quæ in certo quaſi genere duntaxat infinitatem, eamque ab Eſſentia ſortiuntur, unde iterum elucet, falſum eſſe, quod Attributa cum Eſſentia coaleſcant in identitatem formalem, ita ut unum in ſua ratione formali tranſcendat rationem formalem & quidditativam alterius propter infinitatem, quæ non conſiſtit in hoc, quod quælibet perfectio Dei tranſcendat limites propriæ rationis formalis, ut v. g. ſapientia formaliter ſit Eſſentia, omnipotentia, id enim gratis aſſumitur, nec ſolidè probari poteſt, quin potiùs certum eſt, quod *Doctor Subt.* 1. d. 8. q. 4. §. *Ita tamen*, aſſerit, Divinas perfectiones & proprietates relativas in Divina Natura repetiri à parte rei actualiter & ſecundum ſuas rationes proprias, ſecundum quas dicunt perfectionem ſimpliciter, quælibet autem perfectio ſimpliciter ſit actu & formaliter in Deo, non ſolum eminenter vel virtualiter tantum, cùm denominent Deum formaliter, ſapientia quod ſit v. g. ſapiens, omnipotentia quod ſit omnipotens, juſtitia & Bonitas, quod ſit juſtus, Bonus &c. quod fieri non poſſet niſi ibi eſſent ſecundum ſuas proprias rationes, & unius ratio formalis diſtincta à ratione formali alterius.

Vide *Tom.* 2. Cont. 1. q. 2. n. 32. & per totam illam *quaſt.*

*****

Quarta

Quarta & vulgaris responsio de explicito & implicito convellitur.

19 SCholæ Thomisticæ hæc responsio de implicito & explicito est valdè familiaris, unde, si, inquiunt, illæ definitiones, per quas divinæ perfectiones definiuntur, sint solum quoad esse explicitum diversæ & distinctæ, ita ut una tamen implicitè alteram contineat ex parte conceptus objectivi, ut fit in proposito, negant. Si autem sint formaliter ita diversæ, ut una alteram excludat, concedunt, de facto autem intellectus intuitivus cognoscens v. g. definitionem sapientiæ, implicitè cognoscit etiam definitiones Essentiæ & aliorum Attributorum, eo prorsus modo quo explicitè cognoscendo unum Attributum, cognoscit implicitè quoque omnia alia quæ in Deo sunt, quia licet in uno Attributo non reluceant explicitè alia, relucent tamen & continentur in eo implicitè.

Quid valeat positive implicitum & explicitum.

Sed nec hâc respondendi viâ effugiunt vim argumenti, quin potius crescit ex hoc ipso vis illius, si enim in eadem re definita est intrinsecè aliquid, quod in definitione alterius implicitè contineatur, adeoque aliquid quod reali & explicitâ cognitione attingatur, & aliquid quod non attingatur reali & explicitâ definitione: ergo est aliqua distinctio in eadem re, quoad rationes & objicibilitates quasdam definibiles ipsi objecto intrinsecas. Consequentia patet, ubi est cognoscibilitas diversa, ut sese secundum rationem explicitam excludant, & non fit illa cognoscibilitas à solo modo concipiendi, sed ab eo quod in objecto explicitè & revera attingitur, & illo quod in eodem attingitur solum implicitè, ibi una ratio est alia; atqui sic est in dato responso: ergo id nostram potiùs roborat doctrinam.

Si dicas unum contineri implicitè in alio perinde esse, ac includi formaliter in alio, malè quod dixeris probatur: tum quia idipsum est in Controversia, proinde non debet assumi, sed probari; cum etiam quia id propriæ eorum repugnat doctrinæ, cum enim distinctio penes explicitum & implicitum nullam importet diversitatem in objecto à parte rei, vel ab eminentia illius mutuatam; sed tantum à diversitate modi concipiendi, qualis versatur in esse cognoscibili inter concretum & abstractum, inter definitionem & definitum, in quorum uno implicitè attingitur & formaliter includitur alterum, citra diversitatem aliquam ab eminentia rei, hoc ipso evacuant & tollunt distinctionem rationis ratiocinatæ aliàs ibi à se, & in sua Schola admissam, sequela probatur, quia distinctio rationis ratiocinatæ dicit diversitatem aliquam non in solo modo concipiendi sitam per rationem ratiocinantem, sed ex parte objecti, seu fundatum in eminentia rei, ut aiunt. Tum denique & tertiò si progressum faciamus ab explicito ad implicitum manifestè & directè contra responsum ejusque instantiam deprehenditur implicitè in alio contineri, nullatenus importare continentiam formalem, sed identitatem & continentiam duntaxat realem, & sensum purè materialem, qualem concedunt Scotistæ. *Assumptum prob.* continentia illa implicita, qua dicitur in conceptu explicito Essentiæ includi implicitè relationes & omnia Attributa, item in conceptu explicito unius Attributi implicitè aliud, non explicatur per hoc, quod in conceptu Essentiæ intellectui repræsentetur & manifestetur Relatio aut Attributum secundum aliquid sui, quia sic non implicitè attingeretur, in tali conceptu siquidem explicitè per illum explicatur: ergo edisserant per quid explicent implicitam istam continentiam formalem. Duæ illis supersunt respondendi viæ. Primò quod illa continentia clarè elucescat in modo, quo per cognitionem animalis explicitam in hominis definitione attinguntur implicitè gradus superiores v. g. entis, substantiæ, corporis. *Secundò* explicari potest, ideò in altero implicitè contineri unum v. g. Attributum in alio, quia si intimiùs penetraretur illud Attributum, ibi eo ipso & alterum cognosceretur, sed neuter respondendi modus explicat continentiam impliciti formalem, qua unum includeretur formaliter in alio: *non primus*, ut ex ipso liquet exemplo, quia licet si cognoscatur in Deo v. g. Existentia Dei, dicatur attingi implicitè vita intellectualis, spiritus, substantia Divina, Ens Divinum, quia isti sunt gradus superiores pertinentes ad Essentiam Deitatis essentialiter contenti in Divina Existentia, & similiter quando cognoscitur animal etiam attingatur implicitè corpus, substantia, ens, qui sunt gradus superiores constituentes quidditativè animal, & in illo essentialiter contenti sese per formalem transcendentiam mutuò inferentes; secùs est de Essentia & Relationibus, de Essentia & Attributis, de Attributo ad Attributum, quæ ne quidem in sententia Adversariorum respiciunt Essentiam tanquam gradus Essentiales, neque essentialem inferunt transcendentiam, sed identicam solum conjunctionem & continentiam materialem ratione identitatis realis per infinitatem illis debitæ seu convenientis: perspicuum ergo est non dari hac via ullam inter illa continentiam formalem implicitam, proinde falsum est unum contineri in alio idem esse ac includi formaliter in alio. Denique secundus respondendi modus, ex eo quod certum sit unum Attributum esse realiter idem cum altero, adeoque eo ipso, quod unum intimiùs intelligatur vel comprehendatur, debeant etiam alia cognosci cum ipso realiter identificata, non arguit aliam continentiam Attributorum in Essentia implicitè contentorum, quàm identicam & realem, ratione identificationis realis, & quatenus ratione illius cognitio intimior vel comprehensiva penetrat & attingit quidquid cum

Qui explicatur esse explicitum & implicitum.

altero

altero realiter identificatur sive in primo, sive in secundo modo dicendi per se, id quod potest ostendi hac ratione: si continentia implicita sit necessariò formalis, quâ unum formaliter includitur in alio, jam quando explicitè cognosco v. g. Essentiam Divinam & in ea sapientiam Divinam implicitè; aut vicissim in sapientia Divina explicitè cognita cognosco implicitè Essentiam, mea cognitio vel se tenet ex parte objecti, vel ex parte modi concipiendi, nun ex parte secundi, ut statim supra, ergo ex parte objecti, secundum te autem cum ibi sit formaliter unum in alio, ut omnia sint idem formaliter indivisibile ac unica indistincta & impartibilis realitas seu perfectio simpliciter simplex, in nullas plures formalitates propriam cognoscibilitatem habentes resolubilis, jam intelligendo aliquid illius necessariò totum totaliter, quod in illa realitate est, intelligo, si non, jam totum totaliter ignoro, & loco illius aliquod diversum substituo, ubi tamen adverte; quod non loquatur argumentum de tali toto, cujus partes vel quasi partes & gradus essentiales se mutuò essentialiter transcendunt, vel quæ non habent nisi unam cognoscibilitatem & definitionem quidditativam apud intellectum illud totum adæquatè & perfectè concipientem, adeoque per formalem continentiam implicitè, in aliquo explicitè cognito contineri possunt quomodo ut dicemus q. seq. *Assert.* 2. v. g. Existentia Dei implicitè per continentiam formalem omnes claudit gradus Deitatis essentiales, qui apud intellectum intuitivum unicò adæquato actu exprimi possunt, etsi non ab inadæquatè & imperfectè concipiente; ideoque respectu illius in grado explicitè cognito cæteri implicitè attinguntur, esto secundum se non sint nisi unica simplicissima realitas; sed loquitur argumentum de illo toto objecto simplici; cujus gradus vel quasi partes propriam cognoscibilitatem & definitionem sortiuntur apud intellectum adæquatè & perfectè intelligentem: ergo ne alterutrum supra insinuatum absurdum admittamus, probabiliùs est, imò necessarium, quando agitur de secundo respondendi modo, seu de continentia, qua Essentia implicitè continet Relationem vel Attributa, item unum Attributum aliud, adeoque quod in uno explicitè cognito contineatur implicitè aliud, quod non sit ibi alia continentia, quàm realis & materialis. Vide de hoc argumento dicta *Controv.* 7. q. 2. n. 171. & 172.

Adde finaliter cum Mastrio d. 2. de Attrib. Divin. q. 2. n. 58. per illud, si unum intimiùs penetretur, posse deveniri in cognitionem alterius, non argui infallibilem continentiam; quæ sit explicita vel implicita; nam genus differentiam perfectè excludit; ita ut differentia actû nec implicitè nec explicitè contineatur in genere; & tamen si animal in homine penetrativè prorsùs cognoscatur, ut attingatur quidquid est realiter cum animali identificatum, certum est tandem etiam cognosci rationalitatem, ergo per intimiùs cognosci, cognoscere & alterum illi realiter identificatum, non arguit semper continentiam, minus arguit semper formalem. 90

Refellitur responsio quinta; quæ est sub aliis verbis quasi continuatio prioris, specialiter data contra argumentum de Attributis factum; de modo significandi, appellandi & reduplicandi proprium & explicitum conceptum per modum velut differentiæ; seu secundum quid actu exercet distinctionem virtualem ab altero Attributo; eique veluti opponitur.

91 COntra modum significandi quo distinguont prædicata Divina satis superque actum est *Controv.* 5. q 2. §. 2. n. 106. & alibi. De modo appellandi, reduplicandi, quæ omnia in idem recidunt, ita loquuntur, quod hæ propositiones: *Intellectus Dei est formaliter voluntas Dei*, & è contra. Item misericordia Dei est justitia Dei & similes veræ sint, nedum in sensu identico & reali, sed etiam verissimæ sint in sensu formali, quando verò inde urgent & inferunt Scotistæ: ergo sequitur has etiam veras esse: Deus intellectu vult, voluntate intelligit, justitia miseretur, misericordia punit &c. negant illas ritè unde deduci; nam hoc idem esset dicere, illud, quod intellectus exprimit per modum differentiæ, & illud, quod ei convenit, ut contradistinguitur & velut opponitur voluntati, convenire quoque & quadrare per modum differentiæ ipsi voluntati, quod indubiè falsum est. Ubi observa ab his respondentibus dupliciter in Deo quodvis Attributum concipi, semel enim concipiunt illud, prout appellat & reduplicat proprium & explicitum conceptum velut rationem differentialem, id est, secundum quod actu exercet distinctionem virtualem ab altero Attributo, cui per illam opponitur; semel autem & secundò concipiunt absolutè & secundum omnia quæ implicitè continet: primo modo quatenus concipitur intellectus formaliter secundum quod appellat & reduplicat rationem differentialem, & ut intellectus est, adeoque distinguitur à voluntate accipitur ut dicit ordinem ad suum actum vel proprium terminum, qui sicut soli tribuitur intellectui, non voluntati, ita intellectus sub hoc conceptu de eâ prædicari nequit, benè tamen si secundo modo accipiatur, & ita de reliquis Attributis inquiunt discurrendum, v. g.

quia in his *Deus misericordia punit, justitia miseretur*, reduplicatio tenetur primo modo, quo appelletur & reduplicetur sensus explicitus quo differunt ad invicem, falsæ sunt propositiones, nam nequeunt convenire in eo, in quo differunt; in his è contra: justitia est misericordia, misericordia est justitia, uñ appellatur & reduplicatur sensus tantum implicitus, per quem se invicem includunt, sunt veræ & concedendæ. Hæc est secundum corticem verborum responsio valde speciosa, reipsa tamen non differt à priori seu illa de modo significandi aliàs refutato, ideoque quod hæc responsio non sit solidior aliis, nec consequenter difficultatem evacuet, finaliter ita ostendo: & quidem esto intellectum & voluntatem, justitiam & misericordiam aliaque Attributa Dei distingui penes modum appellandi & reduplicandi conceptum explicitum, qui sit velut ratio eorum differentialis: jam certum est, prout intellectus appellat & reduplicat per modum velut differentiæ proprium & explicitum suum conceptum, ita eum non appellat voluntas & vicissim, cum ut dictum est, nequeant convenire, in quo differunt. Jam peto, utrum hæc appellationum diversitas sit ad nostrum placitum, vel non, sed necessaria; si primum, quod sit ad placitum, admittas; illæ propositiones: Deus voluntate intelligit, intellectu vult, justitia misericors & misericordia justus, erunt falsæ ad placitum nostrum, & veræ, ut contra opponentes inferebant Scotistæ, à parte rei; si *secundum*, scilicet necessitatem admittas; ergo datur in Deo duplex necessitas, altera, quâ intellectus appellat proprium conceptum explicitum, & reduplicat veluti rationem differentialem intellectus, ut intellectus est, & ut à voluntate distinguitur; altera, qua è contrario voluntas appellat & exprimit conceptum proprium formaliter per modum differentiæ, qua ut talis voluntas est, distinguitur ab intellectu, sed una necessitas non est altera, & hoc ante omnem mentis operationem; nam licet iste conceptus explicitus non habeatur ex natura rei, sed pendeat à negotio nostri intellectus, necessitas tamen, quod sic illam appellet intellectus non voluntas, & vicissim, non pendet à nostro intellectu; ergo certò certiùs arguitur, quod intellectus & voluntas taliter aut taliter, tamque differenter non appellent, quia nos sic cogitamus, neque istæ *intellectus* vult, *voluntas intelligit*, in sensu formali falsæ sunt, quia illas cogitamus esse falsas, ergo & ante mentis operationem, & apud intellectum perfectè concipientem, voluntas in sensu formali non est intellectus, ergo sit in sensu identico & reali: ergo

Effugium Recentiorum reipsa coincidit cum jam allatu, est tamen responsio speciosior secundũ verborũ corticem.

Infringitur.

manet primum argumentum, quod definitio unius non sit definitio alterius, illa quippe non exprimit sensum materialem & identicum, sed formalem.

Ex hoc patet quoque ad responsum ab *Amico* 92
datum d. 3. sect. 7. is quidem concedit illas propositiones: *intellectus vult, voluntas intelligit* esse falsas à parte rei, non quod intellectus & voluntas aliquo modo distinguatur, sed etiamsi intellectus & voluntas se mutuò includant, vel potius sint una & eadem simplicissima formalitas, ideò præcisè, quia ut Dialectici docent, verba adjectiva addita substantivis appellant principium, à quo proximè fluunt, hoc est applicant explicitum significatum prædicati supra explicitum prædicatum subjecti, & ideò intellectus intelligit, voluntas vult, redduntque sensum formalem explicitum, non è contra, eâ itaque ratione falsum est, principium ex quo proximè & explicitè est actus intelligendi & gignendi Verbum Divinum esse voluntatem, & illud à quo proximè & explicitè est actus volendi & spirandi Spiritum sanctum esse intellectum. Quæro enim ut supra, vel illa appellant principium à quo fluunt, necessariò vel ad placitum: si ad placitum, ergo actus gignendi Verbum & spirandi Spiritum sanctum, consequenter Mysterium SS. Trinitatis erit ad placitum: si necessariò, jam habetur intentum, quod hæc: *intellectus intelligit*, reddat sensum formalem explicitum, quem non reddat hæc: *intellectus vult*, quia intelligere necessariò est à principio intellectus, qui non sit voluntas formaliter, & vicissim illa: *voluntas vult*, reddat sensum formalem explicitum, quem non reddit ista, *intellectus vult*, quia velle necessariò est à voluntate, non ab intellectu, vides itaque causam esse quod verbum adjectivum *intelligere* non possit appellare for[illegible]aliter voluntatem, ut suum principium est, quia illa non est formaliter intellectus, & quod verbum adjectivum *velle* non possit appellare intellectum, ut suum principium est, quia intellectus non est formaliter intellectus, & certè non est verisimile, quomodo alias si intellectus & voluntas sint una & eadem simplicissima formalitas, adjectiva ista non magis appellent unum pro proximo sui principio, quàm alterum, adeoque posset dici, intellectus vult, voluntas intelligit: sequela est in aperto, quia non habetur à parte rei per Adversarios occasio proxima cur intelligere appellet pro proximo suo principio distinctivo intellectum potiùs, quàm voluntatem, si illa formaliter sit iste, & iste sit formaliter illa.

Amicus non admittitur, sed refutatur.

****

QVÆSTIO

QUAESTIO II.

Sitne eadem ratio admittendi aliquam non identitatem ex natura rei inter prædicata Dei quidditativa, quæ est de Essentia & Attributis, item de Essentia & Relationibus Divinis & de Attributis inter se.

SUMMARIUM.

1. *Opinio affirmant auctoritate fulcitur & ratione.* 93.
2. *Opinio negans statuitur ut verior sive Auctoritatem spectes, sive rationes* 95. *& seqq.*
3. *Conceptus entis transcendentis respectu Dei & creatura non fundatur in aliqua realitate communi, qua sit formaliter ab inferioribus ex natura rei distincta.* 98. *& seqq.*
4. *Examinantur & discutiuntur melius* Scoti *Auctoritates* 100. *& seqq.*
5. *Spectando rationem opinio negans ens in Deo ex natura rei distinctum, pravalet.* 104. *& seqq.*
6. *Baro nihil suffragatur opposito assertionis nostra,* eodem.
7. Poncii *doctrina, quod esset quid in Deo, prius Deo, repudiatur.* 107. *sicut & dari aliquid, quod nec sit participatum, nec imparticipatum* 110.
8. *Nova rationes in oppositum proponuntur & diluuntur.* 111. *& seqq.*
9. *Deus eò formaliter est Deus, quo est formaliter ens, & quò est ens est substantia, quò est substantia est Spiritus, ac in eodem sensu, quo est Spiritus est vita, intellectualitas, singularitas, existentia & tota actualitas &c.* 115. *& seqq.*
10. *Diluuntur argumenta ab initio Quastionis sub numero* 93. *&* 94 *adducta pro opinione affirmativa.* 118. *& seqq.*

§. I.

Affertur auctoritas Scoti *& rationes pro sententia affirmativa.*

93 PRo affirmativa inter Scotistas, nec desunt rationes, nec auctoritas pro hac quidem primò stat ipse *Scotus* 1. d. 8. q. 4. 9. *Ad quastionem.* n. 17. ubi ex eo probat Attributa formaliter distingui, quia *si infinita sapientia esset formaliter infinita Bonitas, tunc sapientia in communi esset formaliter Bonitas in communi, infinitas enim non destruit formaliter rationem illius, cui additur,* atqui hæc ratio, si quid concludat, à paritate concludit etiam de prædicatis quidditativis, scilicet si ens infinitum esset formaliter substantia infinita, tunc ratio entis in communi esset formaliter ratio substantiæ in communi, infinitas quippe addita non variat rationem formalem rei cui additur.

Fundamenta pro eadem opinione à rationibus deprompta.

94 NEc desunt similiter rationes pro eadem, quia ex eo Scotistæ probant distingui Attributa Dei, eaque esse in Deo secundum proprias suas rationes formales, quia quælibet earum dicit perfectionem simpliciter simplicem; sed indubiè substantia Dei, spiritus, vita intellectualis &c. sunt perfectiones simpliciter simplices, & formaliter Deum denominant subsistentem, immaterialem, viventem, intellectualem: ergo si inde infertur inter Attributa distinctio aliqua actualis, illa, cum sit suppar ratio, inter prædicata quidditativa negari non debet. *Adde* non minus posse propria descriptione definiri substantiam, spiritum & vitam intellectualem in Deo, quàm Attributa: sed illa ex hoc probantur inter se distincta, ut q. *præced.* visum est, ergo in proposito idem tenendum. Sit

§. II.

Statuitur opinio negans eaque verior.

ASSERTIO

Ratio, quæ eſt de Eſſentia & Attributis & aliis proprietatibus in Deo inter ſe vel ad Eſſentiam comparatis, quo ad diſtinctionem ex natura rei formalem nullatenus eadem eſt, quoad prædicata Dei quidditativa.

95 *In Divinis aliter identificantur inter ſe prædicata eſſentialia, aliter attributalia.*

QUidditativa Dei prædicata, ut Controv. præced. vidimus, ſunt ens, ſubſtantia, ſpiritus, vita intellectualis, ſingularitas, exiſtentia &c. de quibus Aſſertio generatim propoſita probatur ex *Scoto* q. 1. quodlib. n. 10. verſu: *nam contradictio videtur*, ubi conceptis verbis docet Attributa non eâdem identitate ſibi identificari, ſicut prædicata eſſentialia. *Nunc autem*, inquit, *intellectualitas, ſive vita intellectualis eſt idem eſſentialiter Eſſentia Divina, ſic intelligendo, quod non tantum eſt idem realiter ipſi Eſſentia, & hoc identitate ſimplici, ſicut fortè quodcunque Attributum ponitur idem ipſi Eſſentia: ſed hoc modo eſt idem ſibi, quod ſi ipſa Eſſentia Divina definiretur, vita intellectualis ſive intellectualitas, non eſſet extra definitionem, ſicut ſapiens vel bonum.* Manifeſtum autem eſt penes Scotiſtas quod Attributa tantum ſint idem inter ſe realiter, & quod poſſint propria definitione deſcribi, ita ut unius definitio alteri non poſſit tribui, ergo non eſt eadem ratio de prædicatis quidditativis, quoad diſtinctionem, quæ de Attributis. Probari poteſt ſecundò Quodl. 6. §. *Contra iſta arguitur.* num. 10. *ſic ergo concedo, quod eſt idem Deo eſſe, quod magnum eſſe, & aliquo modo, ſi licet dicere, magis intrinſece quàm Deo juſtum eſſe, vel ſapientem eſſe, quia non ita dicit magnum proprietatem vel attributum ſicut juſtum vel ſapiens.* Ubi Doctor expreſſe vult modum intrinſecum infinitatis in Deo ſeu magnitudinis non diſtingui ea diſtinctione ab Eſſentia, quâ diſtinguantur Attributa: ergo id multò magis ſentit de ipſis rationibus Dei quidditativis Eſſentiam divinam conſtituentibus, de qua prædicantur in primo modo dicendi per ſe & in primo gradu primi modi, modi autem intrinſeci ſolum in ſecundo gradu, ut dictum *Controv.* 9. q. 4 n. 30. & ſeqq.

96

Quantum ad quidditativa Dei prædicata in particulari v. g. quantum ad abſtractiſſimum entis prædicatum, an Deus eò ſit eſſentialiter Ens, quò Deus, vel Deus eò eſſentialiter Deus, quo Ens, comprobanda eſt ex quæſtione metaphyſica, an ens, *ut ſic*, importet realitatem communem ex natura rei præciſam a Deo & creatura, ita ut conceptus entis reſpectu Dei & creaturæ fundetur in aliqua communi realitate ex natura rei formaliter ab inferioribus diſtincta, quâ de re *Maſtrius* fuſiſſimè diſputat in *Met.* d. 2. q. 4. art. 1. & 2. nos propter multas difficultates paſſim hic & alibi obvias in eandem inquiremus quæſtionem, unde ad principale quæſitum propius accedere liceat. Sit itaque

Digreſſio ad quæſtionem metaphyſicam propoſitæ difficultati conterminam, videlicet:

Num detur reſpectu Dei & creaturæ conceptus entis ex natura rei actualiter ab inferioribus præciſus?

§. I.

Poßitne illud oſtendi ex Auctoritate Scoti?

97 *Scotiſtæ pro opinione affirmante, qui ſint pro negante vide ſub n. 99.*

QUod ſic nemo inficias ire deberet, dicent Anton. Andr. 1. *Metaph.* q. 1. art. 3. Canon. 1. *Phyſ.* q. 3. Faber *Theremate* 94. Poncius p. 3. ſui *Curſus Philoſoph.* d. 69. n. 11. & in *additione* ad q. 2. ibidem Bonet 1. l. *ſuæ Met.* c. 2. Magiſter *formalitatum art.* 2. Meuriſſe l. 1. *ſua Metaph.* q. 7. Saxius in ſua *Cataſtrofi* d. 10. q. 3. art. 3. aliique, nam *primò* Doctor 2. d. 3. q. docet univerſim dari naturas à parte rei præciſas ab inferioribus & contrahentibus: ergo idem dicendum de ente aliiſque conceptibus tranſcendentibus; conſeq. probatur iiſdem rationibus, quibus Doctor 2. d. 3. q. 1. probat neceſſitatem naturarum communium in rebus: ſic §. *contra iſtud*, aſſumit objectum in quantum objectum, eſſe prius naturaliter ipſo actu intelligendi, ac ideò ſi eſt de ſe ſingulare, intellectus intelligens illud ſub ratione univerſalis, intelligeret illud ſub ratione oppoſita ſuæ conditioni, ergo ſi ſecundum nos quidquid eſt in Deo eſt ſingulare, & de ſe hoc, non poterit Deus intelligi ſub iſto conceptu entis communi, quia intelligerètur ſub ratione oppoſita ſuæ conditioni, ergo dabitur in Deo ratio aliqua quæ ſit communis & enti correſpondens, prout Deo & creaturæ convenit, ut l. c. pluribus oſtendit. *Scotus,*

Secundò 1. d. 8. q. 3. num. 26. in reſponſo ad illud, per quid contrahatur conceptus com-

munis

munis Deo & creaturæ, habet hæc verba: *Isti etiam conceptus contrahentes*, subaudi illum conceptum entis. de illo enim est ibi sermo: *Dicunt modum intrinsecum ipsius contracti*
Saxius. *& non aliquam realitatem perficientem illam.* Tò *illam*, inquit Saxius l. c. ad quid refertur, nisi ad realitatem contracti? deinde mox n. 27. movendo dubium, *quomodo potest conceptus communis Deo & creaturæ realis accipi, nisi ab*
Scotus. *aliqua realitate ejusdem generis*, in responso ait: *Requiritur igitur distinctio inter illud, à quo accipitur conceptus proprius*, non ut *distinctio realitatis & realitatis, sed ut distinctio realitatis, & modi proprii & intrinseci ejusdem, quæ distinctio sufficit ad habendum communem perfectum conceptum vel imperfectum de eodem, quorum imperfectus sit communis, & perfectus sit proprius.* Quibus verbis Doctor videtutapertè dicere, quod conceptus entis sumitur à realitate communi, quæ cùm per modos contrahatur, conceptus format particulares.

Tertiò 1. d. 3 q 2. § *Secundò non asserendo* n. 8. probans, quod Deus cognosci possit non tantum in conceptu analogo, sed in conceptu univoco Deo & creaturæ in secunda ratione principali sic habet: *Nullus conceptus realis causatur in intellectu viatoris naturaliter, nisi ab his, quæ sunt naturaliter motiva intellectus nostri: sed illa sunt phantasmata, vel objectum relucens in phantasmate, & intellectus agens: ergo nullus conceptus simplex fit modo naturaliter in intellectu nostro, nisi qui potest fieri vir-*
Scotus. *tute istorum: sed conceptus, qui non esset univocus alicui objecto relucenti in phantasmate, sed omninò alius & prior, ad quem iste haberet Analogiam, non posset fieri virtute intellectus agentis & phantasmatis, ut probabo; ergo talis conceptus alius analogus, qui ponitur naturaliter in intellectu viatoris.* Quæ auctoritas, si benè ponderetur, præsupponit conceptum entis, quam intendit
Saxius. probare esse univocam esse realem, alioqui argumentum quod procedit à simili de conceptu causato ab intellectu viatoris, nihil valeret, esset enim à simili sine similitudine, hunc locum urget *Saxius Tom.* 1. d. 10. q. 3. art. 3. num. 64. & mox subdit alium Doctoris locum ejusdem dist. q. 3. n. 8. §. *Quantum ad secundum.* Et ita patet, *quod ens habet primitatem communitatis ad prima intelligibilia, hoc est, ad conceptus quidditativos generum specierum individuorum, & partium essentialium omnium istorum, & entis increati, & habet primitatem virtualitatis ad intelligibilia inclusa in primis intelligibilibus, hoc est, ad conceptus qualificativos differentiarum ultimarum & passionum propriarum.* Quomodo autem, inquit *Saxius*, posset habere hujusmodi primitatem, atque virtualitatem ad tales conceptus reales, nisi esset quid reale? & præsertim cum continentia virtualis in ente rationis esse non possit, continentia enim virtualis ad aures *Doctoris Subtilis* pertinet ad dependentiam causæ & causati, quod quidem enti rationis minimè convenire potest. Ita noster *Saxius*, atque in iis tantam vim ait invenisse Viguerium & Bargium, ut in respondendo ad hæc loca dicat illos denique incidisse in suam sententiam, sive *si bene*, inquit, *res perspiceretur, parum distant à sententia, quam sequimur, & fortè nihil*, ita ille: his tamen non obstantibus

Dico primo. Quod sit eadem ratio & mens 98
Doctoris Subt. de ente aliisque transcendentibus, quoad conceptus, quasi essent suis rationibus adæquati & fundati in una realitate communi formaliter ex natura rei à suis inferioribus præcisa, qualis est de naturis genericis & specificis intra seriem prædicamentalem, ex nullo loco nullavè Doctoris auctoritate solidè probari potest, quin potius oppositum à Thomistis & quibusdam Scotistis Doctori divinando magis, quàm rectè illam interpretando attribui videtur.

Sensus conclusionis est, quod si ens comparetur ad substantiam & accidens in decem prædicamennis contenta, importet quidem conceptum ex natura rei actualiter præcisum à suis inferioribus & contrahentibus, seu quod in idem redit, fundatur quidem in aliqua natura seu realitate communi à parte rei inventa in substantia & accidente, & ex natura rei formaliter actualiter distincta à particularibus eorum rationibus, nullatenus tamen conceptus entis transcendentis respectu Dei & creaturæ, qui non fundatur in aliqua realitate communi, quæ sit formaliter ex natura rei distincta à contrahentibus, neque sunt conceptus adæquati, sed inadæquati, quibus non unica, sed plures correspondent realitates, in quibus Deus & creatura, quantum ad gradum essendi sunt primo diversa.

Hanc conclusionem præstantissimi & pluri- 99
mi defendunt *Scotistæ*, tam moderni quàm antiqui, ut *Tataret.* 1. Met. q. 1. art. 1. *Vallon.* Tract. formalit. declarans communitatem entis. *Lychetus* 1. d. 2. q. 1. solvendo argumenta Ockami & d. 3. q. 2. & 3. & d. 8. q. 3. & 1. d. 25. & 26. *Smising* de Deo uno Tract. 1. d. 2. num. 63. ubi expressè docet conceptus entis, substantiæ & similes, prout à nobis abstracti à Deo & creatura non habeat perfectam unitatem & univocationem, sed solùm imperfectam, quoad nostrum intelligendi modum, quo etiam à primò diversis abstrahere solemus rationem communem. Idem docet Tract. 2. d. 2. q. 1. num. 31. *ad quartum* & Tract. 3. d. 1. q. 1. num. 10. in fine, citatque ibi *Scotum* 1. d. 8. q. 3. ad 1 *Viguerius* 1. d. 8. q. 3. in solutione *ad primum principale*. *Bargius* ibidem & d. 26. *Trombeta* 4 Metaph. quæstione secunda, ad secundum principale. Item in suis formalit. p. 2. art. 2. & cap. de identitate & distinct ex natura rei. *Herrera* 1. disp. 79. quæst. prima ad 2. *Vulpes* Tom. 1.

p. 1. d. 10. art. 1. n. 2. quos omnes *Scotistas* citat & sequitur *Mastrius* l. c. quibus adde *Herincx* d. 1. de Existentia & Essentia Dei q. 4. dub. 2. n. 45. *Baro* in Metaph. *Apolog.* 2. Act. 4. n. 1. *Sichen* in Metaph. d. 2. de natura entis. q. 1. n. 13. quarè immeritò *Poncius* hanc doctrinam à *Mastris* propositam *disp. Curs. Phil 69. q. 2. in additione* ait in uno loco, esse contra omnia *Scoti* principia, in alio appellat insulsam, & quæ nullam habeat apparentiam nisi destructa universim distinctione formali *Scoti*. Sed tenendum censeo potius cum *Mastris* & aliis supra cit. Scotistis, nam

100 *Primo* quod nec ratio eadem sit, & *Scotus* primo loco addicto discurrat de conceptibus adæquatis & prædicamentalibus à parte rei in una natura communi repertis in inferioribus, non de transcendentibus prob. ex dictis *Contrav.* præced. q. 6. quia omnia prædicata Essentiæ Divinæ constitutiva ex mente *Doctoris* sunt de se singularia, id est, imbibunt in essentiali suo conceptu & intrinsecè singularitatem: atqui prædicatum entis est unum ex constitutivis Divinæ Essentiæ: ergo nequit esse commune, seu perfectionem convenientem habere cum creaturis, consequenter ob oppositam rationem, quia gradus prædicamentales perfectam à parte rei dicunt convenientiam, cum non sint primo diversa; sicut Deus & creatura, non est eodem modo discurrendum de ente aliisque conceptibus inadæquatis transcendentium, sicut de conceptibus prædicamentalibus, suisque realitatibus, quas important, adæquatis, de quibus solùm concludit *Doctor* 2. d. 3. q. 1. quod illud, quod est ex se singulare adæquato conceptu intelligibile nequeat concipi sub conceptu universalis, cujus contrarium, quod possit concipi sub ratione universalis loquendo de conceptu inadæquato, quo concipimus ens, habet expresè 1. d. 3. q. 20. n. 20. in responso ad *Henricum* in fine. Quomodo autem intellectus tunc non conciperet objectum singulare sub ratione opposita & repugnante, sive qualiter primo diversa in realitate concipi possint, convenire in conceptu dicemus §. seq.

Confirmatur ex dictis *Contrav.* cit. q. 6. §. 2. in prob. *Assert.* 3. & §. 4. in responso ad secundam rationem. Quibus adde non posse, si prædicatum entis in Deo non esset de se hoc, diceretque realitatem Dei & creaturæ communem, evitari compositionem in Deo, cum talis realitas esset potentialis ad actum, neque obstat, ut vult *Tychetus*; quod non ab aliquo extrinseco, sed à semetipso & ex necessitate naturæ quasi determinetur à semetipso, si enim per impossibile ex necessitate naturæ materia à seipso sine extrinseco uniretur formæ vel anima corpori adhuc materiæ æqualis ac modo cum forma & animæ cum corpore obtineretur compositio. *ergo* pro illo priori saltem, quo illa realitas non conciperetur, ut finita vel infinita, idem esset in proposito, sed de hoc actum est *Tom 2. Contrav. 3. q. 1. & 2.*

Quod neque ex altero *Scoti* loco quidquam habeatur contra Assertionem, & quidem non ex illo quem urget *Saxius* l. c. patet ex dictis *Contrav.* præced. q. 4. ad ultimum *Instabis* contra primam *Assertionem* & q. 6. §. 3. & *Tom. 2.* cit. *Controv.* 3. q. 2. n. 142. quibus locis diximus ens non dividi primò in infinitum & finitum, nisi ex nostro modo intelligendi; sicut enim conceptus entis revera non est prior ex natura rei Deo & creatura, quia ut quid posterius abstrahitur ab illis jam in suo esse constitutis; ita contractio entis, quæ fit per finitum & infinitum censeri debet contractio à posteriori facta per intellectum cum fundamento in re, non à priori, nec aliud ibi intendit *Scotus*, ex cujus contextu, quantum ad sequentia colligitur clarè, illum non loqui ibi de aliqua realitate, quæ dicat præcisè conceptum entis, sed ibi distinguit de duplici realitate perfecta & imperfecta, quodque perfecta sit ipsa realitas sumpta cum suo modo intrinseco, imperfecta sumpta sine tali modo; loquitur de propria realitate Dei præcisè spectata & sine suo modo considerata, sicut enim, quando illa realitas perfectè concipitur, id est cum suo modo ibi non esset conceptus solius entis & modi intrinseci, sed propriæ realitatis ex omnibus Dei quidditativis & modo suo intrinseco constitutæ, quæ uno adæquato conceptu intelligitur, Deus siquidem sumptus cum suo modo intrinseco est tantum unum objectum formale terminativum cognitionis intuitivæ, ut implicantiam dicat, aliquem intellectum intuitivè cognoscere Deitatem & non ipsum gradum intrinsecum Deitatis; ita quando concipitur illa realitas imperfectè & sine modo, ibi non esset nudus conceptus entis, sed propriæ realitatis Dei, quæ constet prædicatis suis constitutivis, etsi imperfecto conceptu intellectæ.

Contractio & divisio entis qualis sit.

Denique irritò conatu contra Assertionem *Saxius* l. c. interpretatur Doctorem 1. d. 3. q. 1 & q. 3. de conceptu entis, qui præ se ferat realitatem communem & præcisam ex natura rei ab inferioribus, nam licet innuat ibi conceptum entis esse realem, nullatenus tamen realis est, in sensu objicientis, ut dicat distinctam realitatem, qui autem talis conceptus & communis sit Deo & creaturæ, & simul realis sine realitate communi explicabitur §. seq. nihil ergo obtinent *Adversarii* ex ll. cc. *Doctoris Subtilis*.

Saxius male trahit Scotum.

Jam directè probatur *Assertio* ex Doctore 1. d. 8. q. 3. diversis locis & quidem primò ex iis quæ pro extra signantur, & pro *additione*, videlicet num. 17. & num. 28. in prima additione quæ est sub num. 17. dicitur: *Intentioni generis correspondet propria realitas, non sic alii intentioni communi*, quæ *additio* inde auctoritatem habet, quod addatur ibidem, *sic dicetur infra, quando respondebitur ad dubium contra solutionem primi argumenti principalis,* 101

Scotus.

quibus

quibus verbis Doctor promittit, se eadem q. suum dictum, quod illis, quæ habeant rationem generis, correspondeat propria realitas, non autem alii intentioni communiori, quales sunt conceptus transcendentes, velle stabilire infra, quod & præstatur cit. n. 28. ubi contra datam solutionem in corpore fit instantia: *& si dicas saltem conceptus communis est indeterminatus & potentialis ad specialem conceptum* &c. puta si nimirum ille conceptus communis accipiatur ab aliqua realitate, quæ sit perfectibilis &c. cui respondetur extra ibidem hoc modo: cum dicitur *Deus est ens, tunc solum est compositio conceptuum, quæ compositio est signum identitatis significatorum*, quia idipsum in re, quod significatur per conceptum Dei, est id, quod significatur per conceptum entis; *respondes*, inquit, *Deus est illud, quod per hoc signum ens, ut per signum commune significatur, & ideò apud intellectum hæc compositio vera est: Deus est ens*, quibus innuit, quod *ens* in Deo & *Deitas* una sint eademque realitas, esto per conceptum Dei distinctè, per conceptum entis verò indistinctè significetur. Ergo *Doctor* vult conceptum entis non accipi ab aliqua una realitate ex natura rei à Deitate præcisa, ut amplius in corpore extra illam *additionem*, urget conceptis verbis, versu: *sed si arguas*, statuens duplicem conceptum: unum, qui accipitur à realitate perfecta, eique est adæquatus, qualis competit intellectui rem intuitivè & perfectè intelligenti, ut Doctor ibidem in corpore: alium, qui accipitur diminutè & inadæquatè, ut conceptus de Deo, quo intellectus cognitione solum abstractiva & imperfecta concipit Dei realitatem, non considerando gradum intrinsecum realitatis, à quâ accipitur conceptus entis. Manet proinde quod secundum *Scotum* entis conceptus non habeatur ab aliqua realitate perfecta & de se præcisa ab inferioribus, sed ab intellectu illam imperfectè concipiente.

102 *Scotus.* *Iam probatur* Assertio ex eadem dist. & qq. cit. n. 11. in fine, ubi illam positivè probat, nimirum ibi ut & declaratur in Summario, convenit *Scotus* cum *Henrico*, quod Deus non sit in genere, sed improbat *Henrici* fundamentum, qui negabat entis univocationem ad Deum & creaturam, dicitque ad nostrum propositum: *Ad secundum patebit secundo articulo, quod Deus & creatura non sunt primò diversa in conceptibus, tamen sunt primò diversa in realitate, quia in nulla realitate conveniunt, & quomodo possit esse conceptus communis sine convenientia in re vel realitate, in sequenti dicetur.* Quæ litera perspicuè indigitat Doctoris mentem esse, quod ens in Deo sit primo diversum ab ente creato in realitate, esto non in conceptu, qui illis communis est, loquendo de communitate conceptus transcendentis, & in quo univocè conveniunt, & de quo ibi ad confutandum *Henricum* sermo fuit, non de prædicamentali, quia certum erat, tam secundum *Scotum* quàm *Henricum* Deum non poni in genere, seu non convenire cum creatura in conceptu solùm prædicamentali, ut frustra Scotistæ opponentes hunc locum explicare conantur.

Tertiò idipsum *Mastrius* & alii nonnulli 103
nostræ opinionis Scotistæ probant ex 1. d. 3. q. 2. §. *Quintò dico*, n. 20. in fine, ubi Doctor ait: *cum arguit*, subaudi Henricus, *quod Deus non potest intelligi in aliquo conceptu universali communi univoco sibi & creaturis, quia est singularitas quadam. Respondeo*, inquit, *consequentia non valet*, Socrates enim *in quantum Socrates est singularis, & tamen à Socrate plura possunt abstrahi prædicata, & ideo singularitas alicuius non impedit, quin ab eo, quod singulare est, possit abstrahi aliquis conceptus communis, & licet quidquid est ibi in re sit singulare ex se existendo, ita quod nihil contrahat aliud ibi ad singularitatem, tamen illud idem potest concipi ut hoc in re vel quodammodo indistinctè & ita ut singulare, vel ut commune.*

Verum ex illo loco non videtur colligi quasi *Objectio*
conceptus univocus Deo & creatis sit desumptus præcisè ab intellectu imperfectè concipiente, & cui à parte rei non correspondeat vera aliqua realitas ab inferioribus præcisa, cum sicut in Socrate, à quo *Scotus* trahit similitudinem non obstante sua singularitate conceptui hominis, animalis, correspondeat naturæ communes ab illo abstrahibiles, ut concedunt omnes Scotistæ: ergo dicendum est ad mentem Doctoris, quod conceptus entis communis Deo & creaturæ sit desumptus ab aliqua realitate communi ex natura rei à Deo & creatura præcisa, & ita apud *Mastrium* l. c. *Faber* illam *Scoti* auctoritatem vertit in suam opinionem; reverà tamen non satis attendit ad mentem *Solutio*
Doctoris, qui ibi non solum concesserat *Henrici* propositionem, in qua assumebatur, non esse in Deo plures realitates, quarum una esset communis, altera contrahens illam ad singularitatem, cujus oppositum, ut liquet, est in Socrate, ideoque verissimum sit, quod conceptibus hominis animalis & entis respondent à parte rei realitates communes & per aliud individuabiles; sed insuper expressè addit, quidquid est in Deo sit ex se singulare, nota illud, *in re est singulare ex se in existendo*, ex se, inquit, non per aliquid distinctum, ut contingit in Socrate, argumentum proinde, quod in Deo nulla detur realitatum pluralitas, qualis ob rationem oppositam reperitur in Socrate; stat in suo valore, consequenter quod non sit suppar ratio graduum prædicamentalium & conceptuum transcendentalium, de quibus ibi Doctori sermo est.

Confirmari hæc possunt ex dictis *Controv.* 9. q. 6. §. 3. ubi ostendimus qualiter ex mente Doctoris valeat abstrahi conceptus communis & aliquo modo realis, cum tamen à parte rei nulla sit realitas communis

correspondens, sed quod sint rationes primò diversæ, uti & sunt Deus & creatura à quibus utique abstrahitur conceptus communis entis, ut dicetur §. seq.

§. II.

Positnè ex ratione ostendi quod ens importet realitatem communem ex natura rei præcisam à Deo & creatura?

D*Ico secundò. Spectando rationem nullo modo convincitur, quod ens importet adæquatam realitatem Deo & creaturæ communem, ac ex natura rei ab illis præcisam; sed potiùs quod dicat simplicissimum conceptum mediante intellectu à* Baro. *particularibus & primò diversis rationibus Dei & creaturæ abstractum.*

104 *Prima pars* patet ex dictis supra, si enim Deus secundum omnes rationes à parte rei in Deo repertas, sit essentialiter singularis, & de se *hoc esse*, uti *Contrav.* præced. q 6. & hic satis superque probatum est, jam evidenter certum est, Mastrius. quod realitas entis ut sic, sit de se hæc & essentialiter singularis; ergo non communis. Quare nostro Baronio l. c. non obstante, quod responsiones ad hanc rationem tam Poncii quàm propriam ibi vereatur esse insufficientes, immeritò displicet, quod dicamus conceptum entis non fundari in aliquo communi sed immediatè abstrahi à particularibus rationibus Dei & creaturæ inadæquatè conceptis, nam, quæro, inquit, quare tunc debeat natura inadæquatè concipi, nisi quia includit aliquid ultra ens? cum intellectus abstrahit à Deo ens, vel relinquit ei aliquid, vel nihil. Si nihil, tunc certè non inadæquatè, sed adæquatè & plenè eam concepit. Si aliquid, ergo jam ens perfectè distinguitur ab aliis contentis in Deo, verùm responsio est in promptu, quia intellectus, qui efficit hanc abstractionem, eandem indivisibilem rem cui juxta diversas conceptibilitates & definitiones, diversæ quadrant præcisiones in diversos conceptus secare potest, ut fit dum inadæquatè concipit rationes particulares Dei & creaturæ, & nisi hoc admittat Baro, cum nihil aliud, dum ad quæstionem, *utrum ens sit univocum Deo & creaturæ* dicit l. c. concluditque non dari realitatem aliquam entis univocam Deo & creaturæ, dicere convincitur quàm Deum & creaturam in rationibus suis particularibus non esse univoca, de quo nemo unquam dubitavit, proinde extrahit quæstionem ad alium sensum, quam doctores intendunt, accipiendo realitatem, non pro aliqua formalitate entis ut sic, sed pro ipsa re adæquatè accepta, quæ non spectat ad quæstionem & difficultatem, circa quam versatur quæstio, cum indubiè Deus & creatura in suis rationibus particularibus primò diversa inter se æquivoca sunt.

105 *Secundò* probat *Mastrius* & alii Scotistæ hoc argumento: omnis realitas constituens, est prior suo constituto, cum in ordine ad constitutum habeat rationem partis, consequenter quia totum constitutum est dependens à partibus constituentibus, sequeretur quod ens in Deo, quod spectet ad prædicata Divinitatis constituentia sit & quid prius & quid independentiùs ipso Deo, quæ sunt falsitates manifestè absurdæ.

106 Poncius. Huic argumento occurrit *Poncius* in suo cursu Philosoph. *disp. 69. q. 2. in additione* negando *sequelam*, quod possit esse quid independentius & in sensu intento prius Deo: cum enim ille conceptus entis non possit esse, ut neque in Deo neque in creatura sit, sic nec potest nisi absurdissimè concipi, quod possit esse independentius Deo. Quantum autem ad primum quod esset quid prius Deo, *distinguo*, inquit, *esset prius Deo, quatenus posset concipi sine eo, quod concipiatur Deus, & posset etiam reperiri in aliquo, quod non sit Deus, concedo consequentiam: esset alio modo prius Deo, sic, ut possit existere realiter sine Deo, aut ut Deus dependeat tanquam à causa realiter distincta à Deo; nego.* Probationem similiter distinguo: realitas constituens est prior constituto, *quantum ad hoc, quod possit intelligi non intellecto constituto*, non verò è contra, transeat: quantum ad hoc ut possit esse à parte rei sine constituto universaliter nego, & eodem modo distinguo quantum ad secundam partem de dependentia constituti à constituentibus. Ita ille.

107 Hoc responsum non evacuat vim argumenti, nam falsum est imprimis, quod ideò possit dici prius, *quatenus posset reperiri in aliquo, quod non est Deus*, illud enim haud dubiè erit creatura, à qua certè ens, quod est in Deo, nullam sortiri potest prioritatem; ut patet consideranti.

Secundò, nec potest dici ens esse prius Deo, *quatenus possit concipi sine eo, quod concipiatur Deus, ergo* non valet solutio. Prob. *Anteced:* ideò juxta *Pontium* absurdissimè conciperetur esse independentius Deo, quia ille conceptus entis non potest esse neque in Deo, neque in creatura sine Deo, ergo similiter absurdissimè conciperetur esse prius Deo, in quocunque sensu concipiatur, quia ens in Deo, quatenus posset concipi sine eo, quod concipiatur Deus, ita ut ille conceptus prioritatem arguat entis à Deo, necessario vel conciperetur sine eo, vel cum Deo quidem, sed cum ordine præsuppositionis & exigentiæ, per quam ens præbet intellectui fundamentum concipiendi illud cum tali ordine prioritatis & posterioritatis, nihil enim conceptibile ut prius, nisi aut prioritate originis,

Inter ens & Deum nulla datur prioritas præsuppositionis aut originis.

nis. qualis non est in proposito inter ens & Deum, a n prioritate *in qua intelligendi*, quæ prioritas, cum ens ex mente hujus Auctoris propriam importet realitatem ex natura rei in Deo & creatura distinctam, fundatur in distinctione, ibi enim, ubi est ordo cum distinctione rerum aut formalitatum, inter quas est ordo, ibi est prius & posterius ex natura rei, adeoque præsuppositionis & exigentiæ: *atqui* utraque prioritas in Deo inter ens & Deum est absurda. *De prima* si conciperetur sine Deo patet ex concessis: *De secunda* probatur, quia prioritas *in qua concipiendi* nulla alia, nisi cum ordine præsuppositionis aut præexigentiæ actualiter reperitur in Divinis quomodo Doctor *Quodl.* 1. §. *De secundo*: docet Essentialia in Divinis esse priora notionalibus, absoluta respectivis, Essentiam Attributis, & inter absoluta quidditativa saltem per rationem communiora minus communibus, ut ratio substantiæ immaterialitati & hæc intellectualitati, & hæc iterum appetitivitati, intellectio denique volitioni, idque ex natura rei per ordinem præsuppositionis cum distinctione formali intellectionis à volitione, sed non reperitur talis prioritas inter ens in Deo & ipsum Deum, alia, si originis excludas, quam dici non esse ad propositum, in Deo non est assignabilis, ergo ens formaliter distinctum in Deo; non ideò diceretur prius Deo, eo quod possit concipi sine eo, quod concipiatur Deus, vel si dicatur prius, erit prius Deo prioritate præsuppositionis, & Deus posterius, quod est absurdum. *Major* est certa, minor perspicuè patet, quia nihil præcisè exinde dicitur alio prius; quod possit intelligi sine illo, alioquin quod est posterius posset fieri prius, posterius enim potest concipi sine eo, quod concipiatur prius; ergo revera prioritas illa entis, si importet propriam in Deo realitatem, per aliud explicari non potest, cum una erit ex realitatibus quidditativis Dei; quàm quod ens Deo dicatur prius; quatenus Deus habet esse suum, cum intrinseca dependentia ab ente per causalitatem metaphysicam, & sic non effugitur argumentum supra à *Mastrio* oppositum, quod non agit de prioritate durationis, ut supponitur in responso; sed intrinsecæ dependentiæ, si enim admittenda sit aliqua concipiendi prioritas inter ens in Deo & Deum ut integrè constitutum, & illa non sit prioritas originis, nec prioritas præsuppositionis sicut revera non est, qua Essentia dicitur Natura prior Attributis &c. qualis illa erit? & esto Essentia non dicatur prior Attributis, ideo præcisè, quod ex illa ut radice fluant Attributa, nec ideo diceretur ens prius Deo, quatenus Deus non ab ente esset ut radice, attamen sicut Essentia dicetur saltem natura prior ideò, quia existit independenter ab illa & non è contra, ita quia ens propriam dicens realitatem à Deo formaliter distinctam, quæ sit illius constitutiva, possit intelligi non logicè solum, sed revera quoque modo non ficto prius non intellecto constituto, erit quia illud natum est intelligi secundum se & secundum suam rationem formalem, ut talis cognitio, qualis terminatur ad ipsum ut prius, non necessariò debeat terminari ad constitutum ut posterius, prius enim ut prius, seu in quantum est ex natura sua, intelligi potest sine dependentia aliqua aut necessitate illius posterioris, non è converso, implicat enim constitutum intelligi sine intrinseca aliqua præexigentia sui constituentis, ergo secundum illam opinionem manet, ideò ens in Deo concipi sine Deo, ut constituto, quia constitutum intrinsecè dependet ut posterius à constituente, non è contra. Consequenter ut primum urget argumentum sequitur & manet; Deo dari quid prius & independentius.

Quare Essentia dicatur prior Attributis & non econtra.

Exemplum quod addit *Poncius* de Personalitatibus Divinis, quibus Divinæ constituuntur Personæ, non est ad rem, quia ut supra ex *Scoto* diximus essentialia sunt priora relationibus, consequenter cum Persona Divina nihil sit quàm Essentia Divina, ut determinata à relatione tali vel tali, non dant esse Essentiæ, sed Essentia Relationibus, ac ita non est suppar ratio de ente, quod non ab Essentia, sed illa ab ente suo accipit esse, cum se habeat, maximè in opinione *Poncii* admittentis in Deo compositionem, ut constitutum ex ente, ens ut quidditativè constituens.

Porrò nec aliorum, qui tenent cum *Poncio*, 108
quod ens dicat realitatem conceptui adæquatam, verè & à parte rei Deo & creaturæ communem, valet perfugium ad realitatem sive objectivam sive subjectivam, nec per recursum ad prioritatem, non quidem in essendo, sed prioritatem in prædicando, quæ dici solet, à qua non convertitur subsistendi consequentia; evitare possunt: non per primum, nam voces, ut velis, illam realitatem, si illa sit à parte rei natura sua prior Deo, tenet argumentum. Non etiam per recursum ad prioritatem in prædicando, quia esto id verum sit in opinione, quæ non concedit nobiscum realitatem aliquam Deo & creaturæ communem à parte rei; falsum tamen est in opinione asserente contrarium, sicut enim animal v.g. præcedit hominem constiturum per ipsum, non tantum prioritate prædicationis seu non convertentiæ, sed & prioritate naturæ, quàm per intrinsecam independentiam explicamus, ita si realitas entis verè constituit, & à parte rei sit præcisa ex natura rei à Deo, non tantum prioritate logica & in prædicando, sed revera prioritate naturali & in essendo, ipsum Deum præcedet, consequenter cum realitas taliter communis quantum est de se non appetit magis esse in hoc, quàm illo inferiori. Hûc veniunt & reviviscunt omnia argumenta, quæ adducta sunt *Controv.* 9. q. 6. in probatione *Assertionis*, ex quâ & dictis statim etiam patet non subsistere, quod affert *Poncius* ad confirmationem de subsistendi consequentia.

Tertia ratio communiter à Scotistis adduci 109
solita, qui nostræ opinionis sunt, à *Mastrio* prolixè hæc affertur: ratio entis quæ reperitur in creatura intrinsecè & essentialiter est esse participatum seu ab alio, & è contra ratio entis,

 quæ

quæ reperitur in Deo essentialiter est esse existens imparticipatum & à se: ergo repugnans est quod illa ratio entia sit à parte rei communia Deo & creaturæ, esset enim aliquid participatum in Deo & quid imparticipatum in creatura. Hæc ratio censetur opinione quorundam frivola, eo quod ratio entis præscindat à participato & imparticipato, ita ut neutrum sit formaliter, utrumque permissivè, eo modo quo animal ex se neque est rationale neque irrationale substantia ut sic neque corporea neque incorporea, sed abstrahit ab utroque. *At veriori* judicio videtur inexpugnabilis: quod probatur ab iisdem hoc modo: repugnat dari aliquid in rerum natura, quod non sit vel creatura, vel in creatura, vel sit Deus, aut realiter in Deo: si ratio illa entis est creatura, vel in creatura, ergo necessè est ut sit ab alio, seu ratio participata; si Deus vel in Deo: ergo est necesse esse & imparticipatum. Prob. conseq. quoad primum totum quod est in creatura est intrinsecè participatum à Deo, non solum categorematicè, sed etiam syncategorematicè, ita ut esse participatum adæquat totum esse creaturæ secundum omnem ejus formalitatem, tam quoad supremam & universalissimam rationem entis, quàm infimam, quæ enim esset illa formalitas in creatura, quæ non sit à Deo? si potes, assigna, per rationem entis constituitur in esse reali, annè aliquid esse reale suum, *ut sic*, habet à se? sane sicut totum quod est in Deo & à se, ita quod est in creatura, est intrinsecè participatum à Deo. Quæro itaque per quid illi tuæ realitati entia à cæteris ex natura rei præcisè v. g. in homine competit esse participatum & causatum, non dices quod secundum aliquid ab ente distinctum, quia quærimus de ipso ente an ipsum secundum se secundum formalitatè entis præcisè fundet rationem dependentiæ, adeoque æque sit ratio participata, quàm quæcunque

Quidquid est, vel Deus est, vel creatura. alia realitas in homine. *Prob. conseq.* quoad secundam partem, nam si ratio illa entis sit Deus, vel realiter in Deo, est à se & essentialiter independens non solùm identicè, sed formaliter, quælibet enim realitas in Deo, quæ est realiter eadem Deo, ut *Scotus* 1. d. 8. q. 3. propriam & formalem suam habet infinitatem, & ea ratione, ut alibi dicemus, excludit omnem compositionem à Divinis: ergò à primo ad ultimum, manet ens, quod convenit creaturæ, involvere intrinsecè esse participatum, & è contra imparticipatum & independens intrinsecè involvi in ratione entis, quod est in Deo.

110 *Poncius.* Iterum respondet *Poncius* l. c. quod creaturæ quidem producantur secundum omnem earum formalitatem, adeoque à Deo participent rationem entis, sed distinguit ita: *Creatura secundum rationem entis producitur à Deo, ita ut ipsa ratio entis producatur, concedo,* inquit, *ita ut ipsa sit ratio formalis sola ob quam produci possit, nego. Sed potius ratio illa est finitas vel contractivam entis ad esse creatura.* In hoc responso, si benè consideretur, *Pontius* totum concedit, quod intenditur, quia nihil aliud urget nostrum argumentum, quàm quod à Deo producatur ratio entia in creatura, quando autem dicit, *quod sit ratio formalis ob quam producatur, nego.* *Si sensus sit*, quod productio non competat enti, quà ens est, est contradictio in terminis, quia ratio entis produceretur à Deo, ut conceditur, & tamen non produceretur secundum rationem entis, seu secundum seipsum, quod est contradictorium concesso; *si autem sensus sit*, quod quidem producatur secundum realitatem entis, sed *productum* esse illi non conveniat quà ens, sed quia finitati conjungitur, vel idem est dicere, quod enti conveniat productum esse, quia conjungitur producto esse, quod idem est, quod ens sit productum, quia est productum, finitas enim importat in realitate entis modum intrinsecum, sine quo illa realitas entia perfecta ut est à parte rei implicat concipi; *vel* idem erit dicere, & hic Auctor intendere videtur, quod res habet *esse productum* & denominetur producta, quia est finita, sed hoc est falsum, potiùs enim res est finita, quia producta, sicut quia Deus est à se, ideò est infinitus, infinitas enim ut expressè Doctor *Quodl.* 1. art. 1. Quodl. 3. & 7. de Deo probatur per esse à se, quia, inquit, Deus est prima omnium entitas à se in toto ordine entium, ideò est ens illimitatum & infinitum, nam quod habet à se aliquid, habet illud à tota plenitudine, quæ sibi competere potest: ergo similiter esse finitum & limitatum demonstratur à contrario per esse productum, seu per esse ab alio, consequenter perperam ait *Poncius* & non ad mentem *Scoti* quod esse productum sit ob esse finitum, nam nihil, ait *Doctor* l. c. habetur limitatè in aliquo, nisi habeatur ab aliquo agente illud determinante ad certum gradum, itaque esse limitatum & finitum præsupponit à producente extrinseco esse determinatum ad certum finitatis gradum, adeoque via causalitatis prius esse productum ab alio extrinseco, quàm esse in termino finitatis. *Infinitas probatur per esse à se, & per esse ab alio finitas.*

Probatur quartò ostendendo nullitatem rationum pro opposito, suntque tales: talis realitas ex natura rei extra intellectum ac ab inferioribus præcisa, præsupponitur actui intellectua: *ergo. Anteced.* prob. quia ens est adæquatum & primum intellectus objectum. *Secundò* nisi responderet conceptui entis dicta realitas, ille non esset realis sed rationis. *Tertiò* de quidditate Dei & creaturæ prædicatur ens in quid: ergo illud non dependet à nostro intellectu, neque ens rationis prædicatur essentialiter & in quid de ente reali? ita arguunt *Anton. And.* & *Can.* 2. *Quartò* opponit *Mearisse.* conceptus qui ex natura sua dicit pauciora, quàm alter, est ex natura rei præcisus & distinctus ab eo, sed conceptus entis ex natura sua pauciora dicit, quam conceptus inferiorum, quia conceptus entis dicit solum gradum essendi & simpliciter simplicem non ulterius resolubilem, at conceptus inferiorum addunt determinatum modum essendi seu compositum ex esse & determinato modo essendi, ergo est alius à quolibet inferiori quia implicat eundem conceptum esse simpliciter simplicem, & non simpliciter simplicem. *Quintò* idem arguit ex *Objectiones conglobantur.*

Scoto

Scoto v. g. intellectus potest esse certus de aliquo, quod est ens, & dubius, an sit tale vel tale finitum vel infinitum: ergo conceptus entis, de quo est certus, ex natura rei est alius ab illo qui parit dubitationem.

Sed nulla harum oppositionum quidquam probat contra Assertionem. *Non prima*, falsum enim est ens reale, ut statuitur objectum adæquatum nostri intellectus sumi debere strictim, ut supponit simpliciter pro illo solum conceptu abstracto entis ut sic, sed accipiendum est ut supponit simpliciter tam pro ratione generali entis sic abstracta, quam pro specificis & particularibus particularium entium, unde licet hisce rationibus deferendum sit, quod præsupponantur omni actui intellectui, idcirco non sequitur idem dicendum de generali conceptu & abstracto entis ut sic, nihil enim præsupponitur intellectui, quod per illum originatur, sicut conceptus entis *ut sic* ad inferiora communis originatur per intellectum, neque enim illa primitas qua dicimus ens esse primum objectum intellectus, intelligitur de primitate originis, quam describimus enti secundum rationes suas particulares & specificas, nam hoc suppositio certum est repugnare, ut esset illa ratio entis abstracta per intellectum, sed de primitate adæquationis, cui non inconvenit talem rationem entis ut sic esse per intellectum abstractam.

Solvitur prima.

Unde dicatur ens tu onceptus esse realis.

Non etiam secunda, quia absolute negatur conceptum entis non esse realem, etiamsi non correspondeat illi realitas à parte rei habens unitatem aliquam ex natura rei ab inferioribus præcisam, non enim est realis, quia fundetur in natura quæ sit taliter una & communis Deo & creaturæ, sed quia vere abstrahitur per intellectum à realitatibus Dei & creaturæ, quæ in tali conceptu exprimuntur in toto ordine sine comparatione ad Attributum rationis, sed sicut sunt à parte rei, licet inadæquatè & confusè, habentque esse repræsentatum in specie intelligibili ab intellectu agente, quam intelligatur ab intellectu possibili, & sic potest dici, rationem conceptibilem entis, ut est indifferens ad Deum & creaturam, habere aliquam unitatem ex natura rei, quia habet illam ante actum intelligendi, esto non est extra intellectum omnino, sed originativè per actus intellectus agentis & abstrahentis eam rationem à suis inferioribus, adeoque quia habet in intellectu agente prius esse objectivè & repræsentativè, Vide *Trombetam* Tract. formal. p. 2. art. 2.

Solvitur secunda.

Instabis, universalitas logica pro fundamento requirit realitatem ex natura rei præcisam ab inferioribus & pluribus communem ut habet *Doctor* 2. d. 3. q. 1. in initio dicens universalitatem fundari supra communitatem Naturæ, & tenent communiter *Scotistæ*, ergo à potiori talis requiritur ab universalitate transcendenti. Conseq. prob. quia alias logica potius esset scientia realis, quam metaphysica quæ non haberet pro fundamento talem realitatem ex natura rei in inferioribus, sed solum in con eptu nostro repertam.

Respondeo conced. anteced. quod universalia logica v. g. genus & species fundentur supra unitatem alicujus naturæ communis, sed quia præ se ferunt & important secundas intentiones, quibus explicantur res extra suum ordinem in aliquo Attributo rationis, hinc de illis non est nisi scientia rationis, conceptus verò transcendentalis entis ut sic explicat res, ut statim dixi, secundum gradum essendi & in suo ordine, & ideo metaphysica, quæ agit de ente & aliis transcendentibus est scientia realis.

Solvitur tertia.

Sed nec officit Assertioni tertia in contrarium adducta, utcum jam liquet ex dictis conceptus entis dicitur quidditativus & prædicari in quid de Deo & creatura, non quod dicat realitatem ex natura rei præcisam in Deo & creatura; adeoque ambobus à parte rei unam & communem, sed quia à pura quidditate Dei & creatura natus est abstrahi omnibus seclusis, quæ sunt extra quidditatem ipsorum.

Instabis ergo prædicatio in quid de transcendentibus non fit per id, quod importatur à parte rei integrè & adæquatè, sed per præcisiones objectivas factas ab intellectu inadæquatè concipiente. *Resp.* conced. instantiam, nulla enim fieri potest prædicatio omninò ex natura rei sine intellectus abstrahentis opera, esto res quæ prædicatur ex natura rei exprimatur in illa; quatenus secundum se ex natura rei est regula & mensura veritatis per prædicationem assertæ, itaque prædicatio transcendentis vel superioris de inferioribus non exigit semper ut superius & à posteriori transcendens importet realitatem à parte rei à gradu inferiori distinctam.

Si dicas ergo talis prædicatio est ejusdem de seipso: Respondeo cum *Bargio* 1. d. 8. q. 3. ad primum principale apud *Mastrium* l. c. in hoc passu idem imperfectè conceptum prædicari de seipso perfectè concepto quod sufficit ad evitandam prædicationem identicam, in quo idem de seipso prædicatur eodem modo conceptum; cum dicimus Petrus est Petrus, animal est animal, substantia est substantia &c.

Ex his patet, quid sit de quarta ratione quæ locum habet in conceptibus ejusmodi, quibus correspondent in inferioribus propriæ & adæquatæ realitatis per eos importatæ, quales sunt conceptus prædicamentales, qui ex natura sua pauciora dicunt, quam conceptus inferiorum, qui dicunt unam in pluribus realitatem seu naturam communem, & præterea dicunt determinatum modum essendi in hac vel alia specie, in hoc vel illo individuo; secus est de conceptu transcendenti entis, qui sola vi intellectus abstrahentis & inadæquatè concipientis pauciora dicit, quam conceptus inferiorum, & qui non distinguitur à parte rei in Deo ab illo, quod addit esse divinum, nec in creatis ab illo, quod est esse creatum. Ex quo patet, non implicare unum conceptum, qui est perfectè per rationem præcisus à conceptibus inferiorum dicere pauciora & posse cum sola distinctione rationis ratiocinatæ esse simpliciter simplicem,

Solvitur quarta.

Non

non alterum, qui realiter distincta imò & primò diversa importat.

Solvitur quinta objectis. Ad ultimum denique concedo rationem *Stoti*, qua ille solum probare intendit perfectam præcisionem conceptus entis ab inferioribus abstrahendo ibi sitne illa præcisio ex natura rei, vel ab intellectu, ubi autem de hoc concludendum fuit, conclusit pro Assertione, ut vidimus supra §. præcedenti.

112 *Secunda pars* dicti principalis, quod negata communi realitate entis in Deo & creatura ex natura rei præcisa adhuc convenire queant in conceptu entis inadæquato, eget potiùs explicatione, quàm probatione, scilicet quomodo una realitas, quæ à parte nequest exprimi pluribus conceptibus adæquatis, benè tamen pluribus inadæquatis, vel uno adæquato & perfecto & reliquis inadæquatis & imperfectis seu abstractivis, & quidem ex 5. *Metaph.* quia similitudo & convenienria fundetur super unitate, distinctio & diversitas supra multitudinem, videtur impossibile aliqua plura secundum unam & eandem tsrionem posse convenire & simul differre, ergo & impossibile est quod Deus & creatura realiter conveniant in conceptu communi entis, cum & realiter differrent rationibus propriis ab ente ex natura rei indistinctis, verùm oppositum hujus vide deductum Controv. 9. q. 6. in exemplis de ultimis differentiis & Relationibus Divinis, & apud Scotum de Relationibus Divinis 1. d. 26. q. unicâ, de differentiis ultimis verò 1. d. 3 q. 3. ubi tales docet in nulla realitate convenire, & tamen d. 23. q. *unica*, ea diversitate non obstante vult ab illis modo suo conceptum aliquem esse abstrahibilem,

An & qualiter primò diversa intelligibiliter in unum coëant conceptum.

113 Restat proinde, ut explicemus qualiter primò diversa Deus & creatura intelligibiliter in unum coëant conceptum, & unde unitas intelligibilis hujus conceptus primo diversorum sumat fundamentum & convenientiam seu realem in ratione essendi similitudinem, à quo intellectus illum conceptum entis exprimat, & sub unitate quadam intelligibili singulis ut communem aptet, pro quo *Tromb.* 4. Metaph. q. 2. ad 1. princip. apud *Mastrium* l. c. scitè dixit similitudinem istam inter Deum & creaturam, quæ est fundamentum, unde intellectus communem conceptum entis abstrahat in ratione essendi, ante abstractionem conceptus non esse actualem & positivam, quæ præ se ferat relationem realem, tunc enim necessariò Deo & creaturæ à parte rei inesset communis quædam realitas, super cujus realitate relatio illa fundaretur, sed est tantum ait Tromb. cit. convenientia & similitudo inchoata & aptitudinalis, quæ præsupponit fundamentum in aptitudine non in actu quatenus apud intellectum inadæquatè concipientem Deus & creatura nata sunt causare conceptum ambobus unum, eo quod unum cum altero habeat convenienriam aliquam in re & similitudinem qualemcunque, id est, saltem inchoatam, ut ab intellectu inadæquatè concipiente possit in signo quodam communi concipi & super illo abstrahi una ratio communis, in qua ea sic similia secundum illam rationem indistinctè concipist, quo pacto autem illa ratio communis entis non sit rationis tantum, sed realis, jam dictum est supra.

Dices: Deus non potest inadæquatè rem abstrahere, ergo si ens dicat conceptum solum inadæquatum in intellectu divino non reponetur univocatio entis. Respondeo: sicut divino intellectui repugnat cognitio abstractiva, ita & illi repugnat talis univocatio entis immediata, imò & mediata, si per impossibile nulla creatura aut nullus intellectus esset possibilis, de facto tamen mediatè illam habet, & in nostro cognoscit intellectu, quatenus Deus cognoscit nostros conceptus formales, quibus concipimus inadæquatè ens & convenientiam, quam in isto conceptu nobiscum habet; hiscè ponderatis redeamus ad quæsitum principale, & sit 114

In Deo repugnat concipere entis univocationem.

***
**

ASSER-

ASSERTIO II.

Probabilius est Deum eo formaliter esse Deum quo est formaliter ens, ac in eodem sensu, quo est ens, esse substantiam, quo est substantia, esse & spiritum, quo spiritus, esse & vitam, intellectualitatem, singularitatem & existentiam, adeo ut tota actualitas divina nescia sit distinctionis ex natura rei formalis inter prædicata quidditativa, quæ se mutuò transcendunt, ut unum formaliter includatur in conceptu alterius.

115 HAnc tenent Scotistæ haud ignobiles superiùs citati, citatque *Veken* d. 5. de Deo. c. 3. num. 12. pro ea ex Scotistis nostrum *Vulpes* Tom. 1. in 1. p. d. 6. *art. ult.* & deducitur ex dictis quod eadem realitas, quæ correspondet conceptui totius Deitatis metaphysicè spectatæ, correspondeat etiam enti in Deo, & vicissim, loquendo de ente, ut in Deo se habet à parte rei, non ut inadæquatè concepto, omnes enim, quas in contrarium adducunt instantias, appellant seu reduplicant ens supponendo pro illo, quatenus est per rationem objectivè præcisum, cujus causa & radix est, quod necessariò conceptus nostri de ente in Deo formentur per species alienas & inadæquatas, quarum concursu illos abstrahit & sub unitate quadam intelligibili tùm Deo aptat, tùm creaturæ per particulas causales: *Qua, quatenus, quia, in quantum*, & similes, ea enim est vis reduplicationis, ut faciat solùm & præcisè exprimi illam rationem, supra quam cadit, idque *nota* fieri dupliciter, pro duplicis scilicet conditione rationis, quæ appellatur, semel enim esse potest illa ratio formaliter ex natura rei distincta ab alia; semel per solam operam intellectus, adeoque vis reduplicandi non concludit præcisionem ex natura rei formalem, nisi in quantum ei supponitur inter rationes adæquatè conceptibiles, eamque distinctionem fundantes, quarum unam alterâ relictâ appellat reduplicatio, neque è contra præcisionem mediante & cogitante intellectu factam, nisi in quantum ei supponitur in rationibus inadæquatè conceptis, & super quarum una solnm cadit reduplicatio.

Reduplicatio quid operetur.

Ex quo sine difficultate solvuntur instantiæ, quas contra Assertionem quidam *Scotistæ* solent afferre: v. g. quod Deo repugnet finitas ex ratione Deitatis, quæ tamen non repugnet naturæ entis, quia si repugnaret ex ratione formali entis, ut ens est, repugnaret omni enti, adeoque & creaturæ; ubi vides quando dicitur *tamen non repugnat ratione entis, ut ens est*, reduplicationem adhiberi supra rationem entis à solo intellectu præcisam, sic enim & non aliter verum est, cum tam repugnat finitas ratione entis, ut à parte rei est in Deo, quàm ratione Deitatis, eadem quippe realitas correspondet conceptui Dei & entis à parte rei, cujus oppositum perperam argumentum concludit transeundo ab ente in serie transcendentium per conceptus inadæquatos spectato, ad ens cum ordine ad conceptus prædicamentales & adæquatos, quibus distinctæ correspondent realitates à parte rei. hòc modo solvuntur omnes aliæ instantiæ quæ coincidunt cum priori, ut Deus convenit cum creatura, *quatenus ens est*, non quia Deus est; item aliud constitui per rationem entis, *qua ens*, aliud per rationem substantiæ. Deitatis &c. ac proinde Deum non dici ens ab eadem ratione, qua dicitur Deus, substantia, colligi ex diversis effectibus formalibus seu constituti, nam patet falsò dici quod Deus cum creatura actualiter conveniat in ratione entis, estque alia realitas, qua Deus est ens, & alia qua creatura est ens, eadem ratione falsò dicitur aliud constitui per rationem entis in Deo, aliud per rationem substantiæ &c. loquendo de ente ut est à parte rei, si verò loquamur de eo, quod contingit per intellectum, & ut appellat rationem entis à Deitate per illum præcisam, sic verum est Deum non dici Deum & substantiam, ab eadem prorsùs ratione conceptibili, à qua dicitur ens, verum tunc malè concludit argumentum contra *Assertionem*, quæ dicit eandem realitatem in Deo, quæ correspondet omnibus prædicatis divinis, correspondere etiam prædicato entis, ut est ibi à parte rei. Hisce ergo è via remotis difficultatibus

Quomodo solvendæ objectiones Scotistarum quorundam.

Probatur Assertio primò: Non est eadem ratio distinguendi Dei prædicata quidditativa inter se quæ est Attributorum & relationum respectu Deitatis. Prob. *assumptum:* de Attributis & relationibus respectu Deitatis actualiter à parte rei verificantur contradictoria, quæ arguunt distinctionem in extremis suæ naturæ proportionatam, id est ex natura rei formalem: *atqui* nulla talia contradictoria verificantur de prædicatis Dei quidditativis: *ergo*, *maj.* est in confesso, quia, quoad relationem & Essentiam, à parte rei Relatio producitur; Deitas non producitur; Deitas facit unitatem; relatio non facit unitatem, sed unitatem. Quantum ad Attributa, Filius producitur per intellectum; non per voluntatem, Spiritus sanctus per voluntatem non per intellectum: *minor*, quod nulla actualiter à parte rei verificentur contradictoria de quidditativis Dei prædicatis. Probatur ex statim dictis, illa enim essent, quod Deus conveniat cum creatura in ratione entis, non in ratione Deitatis; sed illa nulla sunt, quia ut 116

dictum

dictum est, tam Deus disconvenit in ente, ut à parte rei in Deo talis realitas est, cum creatura, quàm in Deitate, quod autem Deus & creatura realiter conveniant in ratione entis per intellectum præcisa ab inferioribus, & simul differant in rationibus propriis Deitatis & creaturæ, nullam arguit contradictionis inconvenientiam, nihil quippe impedit aliqua plura secundum unam & eandem rationem simul convenire & differre, dummodo non conveniant eodem modo, sed sub diversitate jam dicta, quod conveniant in ente per rationem abstracto, differunt ut est tale in illis à parte rei.

117 *Probatur secundò*: si quidditativa Dei prædicata importent in Deo diversas ex natura rei formalitates, non possent singulæ poni in ultima actualitate, sed necessariò una esset potentialis ad aliam, ac consequenter esset in Deo compositio. *Seq. prob.* ens & substantia tam in communi considerata in esse objectivo quàm in particulari & in esse subjectivo se respiciunt ut superius & inferius & cum reliquis prædicatis velut magis & minus commune, consequenter se habent istæ realitates inter se, ut quid determinabile & determinativum v. g. esse simpliciter seu ratio entis, in Deo erit determinabilis seu contrahibilis per substantiæ realitatem à se distinctam ad tale esse substantiale, & sic consequenter usque ad infimum gradum, sed hoc est absurdum. *Seq. maj.* prob. quia nulla alia via inter se possent identificari & coire in unam quidditatem. Prob. *anteced.* non enim ratione infinitatis, quæ sola eorum identificationi superesse posset: *ergo via* compositionis. *Prob. anteced.* ex iis, quæ diximus supra de partibus constituentibus & constituto, quo illæ concipe rentur priores, proinde non conciperentur ut infinitæ, cum ipsa Essentia, quæ esset constitutum, sit radix & principium omnis infinitatis in Divinis, utpote solùm illud Divinæ pelagus Essentiæ est omnis infinitudinis ac omnium scaturigo perfectionum, nisi velis dicere perfectiones illas primarias præ se ferre infinitatem ex se, & dare illam Essentiæ, quod est falsissimum.

Hæc ratio denuò ostendit differentiam inter quidditativa Deitatis prædicata & Divina Attributa, quibus ratio superioris & inferioris non convenit, sed se habent ut perfectiones disparatæ, quarum qualibet est in ultima actualitate ad invicem [illegible]tione infinitatis sibi realiter identificatæ, nulla adeoque potest subordinari alteri, cujus oppositum de rationibus quidditativis, supposito, quod præ se ferant proprias realitates, est manifestum ex conditione naturæ earundem, qua nequeunt constitui in ultima actualitate, eo quod sibi subordinentur ut formalitates magis & minus communes.

Satisfit Argumentis quæ in principio Quæstionis adducta sunt.

118 *Ad auctoritatem Scoti responsio.* AD *primum* quidem jam est satisfactum in supradictis, quod argumentum *Scoti* efficaciter concludat de Attributis, secus de prædicatis quidditativis ex data ratione, quia rectè ex ratione formali Bonitatis & sapientiæ in communi deducitur eadem distinctio infinitæ Bonitatis cum infinita sapientia, Bonitas siquidem & sapientia in communi ita se habent, ut neutra perfectio absorbeat, transcendat vel includat alteram, possitque qualibet earum distinctè conceptu adæquato, velut realitas disparata ab altera, quarum una nullatenus subordinatur alteri, concipi, ac proinde ut in Deo sunt, cum infinitas non mutet rationem earum formalem, nec aseitas ut gratis & sine probatione asserit *Vecken* d. 5. de Deo. c. 3 n. 15. nihil impedit illas tunc constitui in ultima actualitate, cum etiam, quod excludendo omne periculum compositionis sint perfectissima identitate reali sibi identificatæ per infinitatem ab Essentia mutuatam sine obstaculo prioritatis alicujus ante illam, quia non præconcipiuntur Essentiæ, sed sequuntur illam. Aliud porrò est de ente & substantia &c. quæ quantumcunque in communi sumantur se respiciunt semper ut inferius & superius, seu ut magis & minus commune, quorum unum includit alterum, consequenter falsò assumitur, quod ens & substantia in communi adæquatè inter se distinguuntur & perfectis concipi possunt conceptibus, uti *Doctor* ostendit de Bonitate & sapientia, falsò item, quod aliâ viâ, quàm compositionis in unam quidditatem coalescere possunt, cum enim essent priores Esseotia à se constituta, ac proinde pro tali priori non essent infinitæ, nec per infinitatem identificabiles, ut patet.

Ex his intelligitur immeritò rejici à *Mastris* d. 2. de Deo. q. 2. n. 104. responsum *Angeli Vulpes* datum ab ipso p. 1. Tom. 1. d. 6. art. ult. tanquam insufficiens, eo quod dicat, si prædicatum quidditativum præ se ferret propriam realitatem distinctam à realitate alterius, ejusmodi realitas, quia non involveret totam quidditatis Dei perfectionem, non esset formaliter infinita, proindeque esset potentialis comparatione alterius, quia isthæc responsio reipsa coincidit cum responso, quod nos & ipse dedit *Mastrius*, indubiè enim, quia supposuit in tali casu unam realitatem se habere respectu alterius, ut contrahibile ad contractivum, ideò nimirùm statim subjungit, quod comparatione alterius esset potentialis; similiter supposuit, quod se haberent ut superius & inferius & ut partes ad unam quidditatem constituendam subordinatas, & quia tales præcedunt Esseotiam constitutam ut pars, rectè dixit quod non involveret totam Dei perfectionem quidditativam pro illo priori quo constitutum præcedant & infinitatem non habent, quia responsio in sub- 119 *Vulpes defenditur.*

stantia

stantia non differt à nostra & *Mastrii* ll. cc.

120 *Ad rationes* ad primam respondeo *neg.* illud duntaxat fundamentum asserendi distinctionem formalem, quod Attributa sint in Deo secundum proprias rationes formales imperfecto solùm & inadæquato conceptu conceptibiles, sed quia ita sunt ibi secundùm proprias rationes formales, ut quælibet earum sint disparati ordinis non coëuntes in unam naturam vel Essentiam metaphysicè spectatam, & neutra alteri subordinata, singulæ item sint adæquatè conceptibiles, una non includatur in ratione alterius, cujus contrarium est in prædicatis quidditativis, quarum una includitur in alia, ut ens in substantia, hæc in vivente intellectuali &c. *Responditur ad rationes.* *Ad primam.*

Dices: ergo saltem non erit distinctio ex natura rei inter Essentiam & Relationes, quia Essentia Divina comparatur ad Relationes etiam in abstracto sumptas, tanquam quid superius, & ut forma communis & contra relationes comparatur ad Divinam Naturam, ut species illam quidditativè includentes: *ergo* secundum hoc responsum Essentia Divina includetur formaliter in conceptu Relationis. *Respondeo* neg. *anteced.* & probationem illius, licet enim Essentia sit communis Relationibus originis, non tamen per logicam superioritatem, sed solum per identitatem, unde potiùs comparantur ad Naturam Divinam ut rationem eam determinantes præcisâ omni pluralitatis imperfectione ad tres Personas, determinans autem, & id quod determinatur ita condistinguuntur, ut neutrum in suo conceptu includat alterum. Sed de hoc alibi.

Ad secundam, responsum est in superioribus, videlicet non qualemcunque descriptionem definitionum arguere distinctionem ex natura rei formalem, sed solùm earum quæ dantur per adæquatos conceptus. Vide quæ diximus q. 1. hujus Controv. fusè sub num. 80. *Ad secundam.*

QUAESTIO III.

Sintne in Deo perfectiones Attributales consequenter eorum inter se & ab Essentia distinctiones numero infinitæ, ubi an ipsa Attributa in tot concidantur formalitates, circa quot terminos & objecta versantur.

SUMMARIUM.

1. *Perperam dicitur Deum nihil esse nisi cumulum infinitarum perfectionum.* 122. *idque Scoto attribuere impostura est.* 124.
2. *Attributa divina non veniunt distinguenda in alia pro infinita objectorum multitudine, & multiplici tendentia ad illa quasi in infinitum.*

121 Apud *Vasquez* 1. p. d. 10. num. 28. & d. 25. art. 1. *Anonymos* quosdam, qui opinionem affirmativam tutantur, videre licet, quibus & favet *Occam* 4. q. 1. art. 1. l. 8 *Ferrariensis* ad 3. D. *Thomæ* contra Gentes, c. 56. §. *quantum ad secundum*, & ratio esse potest, tum quia infinitum est impertransibile, tum etiam, quia infinita Dei perfectio non videtur posse subsistere, sine perfectionibus numero infinitis, esto beati illas in infinita Essentia unitè & simpliciter contentas, omnes distinctè videre non possint, sed cernunt illas ut quid unum, quomodo *S. Bernardus* videtur distinguere perfectiones Dei easque esse infinitas, licèt reipsa unum sint: *Multa*, inquit, *dicuntur, esse in Deo & quidem sanè catholicèque, sed multa unum; alioquin si diversa putamus, non quaternitatem habemus, sed centenitatem,* quasi dicat multa numero infinita.

*****

ASSERTIO

Præterquam valdè probabile ſit virtutes intellectuales & morales in Deo non diſtingui ab intellectu & voluntate Divina, dicendum quod perfectiones Attributales Divinæ ſpectatæ ſecundum eſſe ſuum abſolutum non ſint numero infinitæ, conſequenter frivolè abſque ullo fundamento renunciatur diſtinctio Scotica inter illas in infinitum numero aut infinities in extenſum multiplicata, quaſi Deus phyſicè ſpectatus nihil foret niſi cumulus infinitarum perfectionum ex natura rei formaliter extenſivè in infinitum diſtinctarum.

122 PRima pars probabitur ſuo loco infra Controv. propria & ex profeſſo de hoc inſtituenda. Quoad ſecundam partem inſinuat *Scotus* 4. d. 13. q. 1. ad ſecundum, verſu: *Dico ergo*, & probatur, quia oppoſitum nulla convincit, nec fingi poteſt, quæ ſint aliæ perfectiones Divinæ, præter infinita Attributa, quæ dicuntur tranſcendentalia, ſcilicet: *unitas*, *veritas*, *bonitas*, aliaque nobis revelata, ut *infinitus intellectus*, *illimitata voluntas*, *immenſurabiles virtutes*, *ad intellectum & voluntatem pertinentes*, *omniſcia cognitio*, *volitio*, incomprehenſibiliter & in infinitum alta & profunda, *omnipotentia* interminabilis, & ſi quæ alia ſint, quæ tamen oſtendi nequeunt, ſaltem non ſunt numero infinita, & probat optimè *Smiſing* Tract. 2. de Deo. d. 1. q. 1. num. 9. cum *Vaſq.* ſupra, & *Suarez* ad 1. p. l. 2. de Attrib. c. 22. num. 25. quia nec ex Scriptura, nec ex traditione hujuſmodi perfectionum multitudo colligi poteſt, niſi otioſè dicas Spiritum ſanctum hoc nobis occultaſſe potiùs, quàm alia Myſteria fidei, quod non putamus eſſe verum, tum quia infinitas, quæ nobis manifeſta eſt per revelationem vel lumine naturali agnita ſufficienter explicatur per infinitatem intenſivam tum Eſſentiæ cum aliarum perfectionum, de qua vide *Tom. 2. Controv.* 7. q. 1. art. 4. n. 300. ubi oſtendimus quomodo qualibet perfectio Dei ſit in infinitum perfecta, *intellige*, realiter quidem in omni genere, quatenus realiter ſibi habet identificata omnia Attributa & omnes perfectiones Dei quidditativas; formaliter verò in ſuo genere determinato, ut ſapientia in genere ſapientiæ, juſtitia in genere juſtitiæ, & ſic de aliis perfectionibus Divinis.

Smiſing. *Vaſquez.* *Suarez.*

Qualiter verò per *S. Bernardi* teſtimonium opinioni oppoſitæ nihil accedit roboris, vide ſimiliter *Tom. 2. Controv.* 4. q. 2. art. 1. 2. & 3. *Controv.* 8. q. 4. ubi patet cur ita ſit locutus contra *Gilbertum*, contra quem ibi diſputat dicens quaſi per exceſſum, *alioquin ſi diverſa putamus, non quaternitatem haberemus, ſed centenitatem.* 123

Probatur Aſſertio *ſecundò* per concluſionem ſequentem. *Tertiò* quoad ultimum probatur per dicta Controv. 9. q. 4. in digreſſione conſectaria ſub Aſſertione tertia, ubi docuimus falsò imputari *Scoto* & ſuæ Scholæ, quaſi teneat collectionem omnium perfectionum conſtituere Deum metaphyſicè ſpectatum. 124

* * *
* *

ASSERTIO

ASSERTIO II.

Attributa Divina quæ perfectionem aliquam important, ſpectata penes multiplicem tendentiam & habitudinem ad varia objecta nequaquam pro infinita multitudine eorum, circa quæ verſantur in Attributa quaſi partialia & numero infinita ſubdividenda aut diſtinguenda veniunt.

125 P*Robatur:* quia non unus intellectus, una voluntas & una daretur in Deo omnipotentis, & ſic de cæteris perfectionibus divinis, ſed numero infinita forent, quod eſt abſurdum. *Anteced.* patet, quia illæ perfectiones infinitas dicunt tendentias ad creaturas poſſibiles, intellectus infinitas haberet ſcientias; quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ circa infinitos verſatur terminos, & quatenus per ſcientiam viſionis terminatur ad creaturas actuales, eſſet Attributum partiale contingens, utpote contingenter Deo competens, voluntas Divina in infinitum eſſet multiplicata, quia infinitas habet complacentias, omnipotentia ut eſt principium Angeli alia eſſet ut eſt principium muſcæ, immenſitas Dei eſſet ſubdiſtinguenda ſemel in formalitatem qua coëxiſtit terræ, in aliam quo coëxiſtit mari, aliam qua coëxiſtit cœlo, & iterum in aliam, qua ſe extra orbem porrigit, & ſingulæ formalitates eſſent contingenter ſe habentes, quia Deus non neceſſariò neceſſitate abſoluta illis coëxiſtit, ſed liberè & contingenter, in tot proinde immenſitas divina partiretur formalitates contingentes, quot creaturæ reſpondent ſcientiæ viſionis, ſeu quot divina immenſitas particularibus ſuperexpanditur creaturis, quas *S. Auguſtinus* reſpectu divinæ immenſitatis comparat ſpongiæ, quia illas intimè ubique penetrat & pervadit, imò ipſa Divina Eſſentia, quà dicitur pelagus omnium perfectionum non eſſet una, ſed tot, quot habitudines referret ad operationes divinas, quales juxta id *Cyrilli Ieroſolymitani* Catecheſi 6. *ipſe unus exiſtens millenas emittit*, ac ſi diceret infinitas, ſicque millies differens eſſet à ſe ipſâ, de qua auctoritate exactè explicata adeas *Tom. 2. Controv.* 7. q. 3. art. 3. num. 320. & 324. & inſuper quatenus per eandem formalitatem, ut vidimus q. *præced.* diverſas terminat inadæquatos conceptus entis, ſubſtantiæ, viventis &c. eſſet ſubdiſtinguenda à ſeipſâ, quod eſt abſurdiſſimum, ergo & abſurdum erit, Attributum aliquod propter diverſas rationis habitudinis ſubdiſtingui in Attributa partialia, ut videtur innuere *Herincx* citans alios ſuppreſſo nomine d. 2. *de Attrib. Divin.* q. 1. num. 4. qui tamen loqui videtur generatim de omnibus Dei prædicatis, ſive perfectionem importent, ſive non, ſed negationem vel reſpectus rationis, qui perfectiones non ſunt, ad creaturas actuales & poſſibiles, talia verum eſt eſſe infinita, ſed non eſt ad propoſitum. *Herincx.*





TOMI PRIMI PARS SECUNDA.

SERIES ET ORDO

Doctrinæ de Divinis Attributis in particulari.

126 N superioribus Controversiis hujus secundæ partis de Essentia & quidditate Naturæ Divinæ, sicut & de distinctione illius ab Attributis & Relationibus & Attributorum inter se generatim actum est, nunc ad alias Controversias de iisdem Attributis & eorum distinctione in specie progressum facimus, sunt autem, ut innuimus supra, *Vnitas, Veritas, Bonitas, intellectus, voluntas, virtutes intellectuales* & *morales*, intellectum & voluntatem concomitantes, *actus intelligendi, volendi* & *potentia*; primò igitur de Attributis transcendentalibus agendum, quæ Deo deferuntur, quatenus cum creaturis convenit in abstractissimo entis conceptu, scilicet de unitate, veritate & Bonitate, quæ in quolibet ente passionum instar sociantur, quia tamen plus philosophicæ, quàm Theologicæ considerationis habent, breviorem instituimus de illis hic Controversiam, reliqua ad Metaphysicos & suum locum in meo Unilabio de Distinctionibus in creatis, ubi de passionibus entis recurrit Quæstio, duximus remittenda. Sit ergo

---

CONTROVERSIA UNDECIMA,

DE

Attributis Dei transcendentalibus. An & quomodo ab ente distinguantur, consequenter à Deo, quatenus includit rationem entis?

SUMMARIUM.

1. *De unitate entis, & quomodo explicetur?* q. 1.
2. *Quid veritas entis ut sic?* q. 2.
3. *De bonitate entis ut sic.* q. 3.
4. *De tribus entis passionibus, quatenus Deum contingunt.* q. 4.
5. *Resolutio ad quæsitum principale de Distinctione Attributorum Dei transcendentium ab Essentia Divina.* q. 5.

QUÆSTIO

QUAESTIO I.

De unitate entis, & quomodo explicetur?

SUMMARIUM.

1. *Unitas quæ eſt paſſio non rectè deſcribitur per fugam incluſionis plurium per ſe non unitorum. n. 127.*
2. *Unitati fundamentali nihil deeſſe, quo minus ſit unitas & paſſio formalis, non conſonat* Scoto. *ibidem.*
3. *Unitas radicalis cur non ſit paſſio entis dicenda. ibid.*
4. *Aptior deſcriptio unitatis, ut eſt paſſio. numero 128.*

PUnctus quæſtionis pendet ab eo, quid ſinguli Auctores ſtatuant de natura paſſionis entis, an ſcilicet dicant quid poſitivum vel negativum, de quo aliqui fusè, alii breviter tractant, nos ſupponendo cum noſtro *Alenſi* 1. p. q. 3. num. 1. & 2. *Alb.* in ſumma Tract. 6. q. 24. num. 2. & 3. *D. Bonav.* 1. d. 24. a. 1. q. 1. *Scoto* 2. d. 3. q. 2. & alibi, & cum Scotiſtis *Smiſing*, *Maſtrio*, & aliis plurimis, quod unitas addat enti quod poſitivum. Sit

ASSERTIO

Suppoſito quod unitas tranſcendentalis, quæ eſt paſſio entis, aliquid poſitivum enti ex natura rei ſuperaddat, non rectè deſcribitur eſſe per quam refugit ens incluſionem plurium per ſe non unitorum, ſeu quæ opponitur multitudini plurium non unitorum unione per ſe.

127 RAtio eſt, quia unitas ſic deſcripta, non eſt quid ex natura rei ſuperadditum conceptui eſſentiali entis contra ſuppoſitum Aſſertionis, *ergo*. Prob. *Anteced.* quia quodlibet ens vi eſſentialis conſtitutionis ſuæ, ſecluſa quacunque ratione ex natura rei illi ſuperaddita de ſe tali opponitur multitudini plurium unione per ſe non unitorum: *ergo* abſque eo quod enti ſuperaſtruitur quid ſuperadditum, illud jam eſt formaliter unum. *Anteced.* patet manifeſtè, quælibet enim res compoſita ſecundum ſe [de re ſimplici non eſt dubium] poſtulat formaliſſimè opponi tali multitudini & abigere à ſe diviſionem partium, quæ deſtrueret eſſentialem conſtitutionem illius, ut amplius ſuperſtes eſſe non poſſet; in eo autem juxta datam deſcriptionem formaliter conſiſtit unitas.

Siben. Ex quo colligitur datam deſcriptionem unitatis tranſcendentalis à *Siben* diſp. 3. Metaph. q. 2. num. 7. aſſignatam *Scotiſtis* ſuppoſita ſententia ipſorum, quod paſſiones entis ex natura rei ab ente ſint formaliter diſtinctæ, non ſolum inutilem eſſe ad ſuæ ſententiæ probabilitatem, ſed & eorundem doctrinæ directè oppoſitam: quia vult unitatem non eſſe quid enti ſuperadditum, quo res conſtituitur in eſſe proximi & immediati fundamenti duplicis negationis, per quam unitas explicatur, ſed eſſe ipſum ens, quatenus explicabile per repugnantiam incluſionis plurium unione per ſe non unitorum, id eſt, quatenus illi ex ſua ratione eſſentiali repugnat multitudo & diviſio in ſe, quæ opinio, ſi loquamur de unitate radicali vera eſt, eadem quippe ſunt principia conſtitutiva & diſtinctiva rei, adeoque quælibet entitas vi ſua dicit indiſtinctionem in ſe, & diſtinctionem à quolibet alio radicaliter & originativè, ut mox infra innuetur, eique conſentit Doctor ab ipſo cit. 1. d. 11. q. 2. §. *Contra iſtam opinionem.* n. 6. dicens: *Quocunque aliquid formaliter conſtituitur in eſſe, eodem diſtinguitur, quia eadem eſt aliquid ens & unum unitate conveniente tali entitati:* Verùm ſi ſermo ſit, ſed unitate formali illa opinio non ſubſiſtit, nec favet illi *Scotus*, qui alibi formalem effectum unitatis, qui eſt reddere rem formaliter in ſe ipſa indiſtinctam, & à quocunque alio diſtinctam, ſatis diſtinctè attribuit Attributo unitatis, ut eſt quid enti ſuperadditum, vide ipſum 1. d.

Unitas formalis cum radicali ſymbolizat, non radicientificat.

1. d. 3. q. 3. §. *Ad quæstionem igitur.* n. 7. & d. 8. q. 4. alias 3. n. 7. & loco jam citato 1. d. 11. q. 2. num. 6. ad textum modò productum immediatè addit: *& si unum*, subaudi, unitate formali, quæ sit passio entis, *igitur est in se indistinctum & ab aliis distinctum.* Ad quid amplius ibi diceret *Doctor*, postquam asseruerat aliquid esse eodem distinctivum quo constitutivum, seu quare insuper subderet cum particula conditionali, *& si unum, igitur est in se indistinctum*, quod certè superfluum esset, nisi innueret positis principiis constitutivis & distinctivis rei, illam positivè consequi unitatem formalem, quæ faciat non originativè & radicaliter, sed si illis positis unum jam sit formaliter in se indistinctum & ab omni quod non est ipsum, distinctum, quare cum omnibus illis, quæ *Suben* in oppositum affert, ut quod passiones important necessariò ens formaliter non realiter & identicè solum, de quo alibi agendum ex professo, non satisfaciunt, potestque ex Scoto retorqueri contra ipsum, quia unum non includit ens præcisè, esset enim idem passio suiipsius: ergo includit ens & aliquid aliud. Si illud aliud A, illud ille ait esse formaliter ens; ergo unum bis includit ens, imò ter, quater, quinquies, sexies usque in infinitum, nam semel dato, quod additum passionis supra ens imbibat rationem entis, redibit disquisitio de illo addito, an exprimat rationem entis, quod est substratum talis proprietatis sine ullo addito supra conceptum explicitum entis, & tunc non erit passio, quia passio non refert rationem substrati; vel si addat aliquid supra ens, de addito redit processus, an sit ens usque in infinitum. Videatur *Scotus* l. c. §. 3.

Deinde dum dicit unitati fundamentali nihil deesse, quo minus sit & dicatur formalis, æquè parum satisfacit, deest enim quod ratio essendi absolutè, non sit formaliter ratio essendi unum vel plura, à quibus abstrahit, ideoque unitas formalis, ratione cujus convenit enti negatio, est alia ratio, nempe radix proxima talis negationis, quæ immediatè opponitur multitudini, non ens seu ratio essendi, quæ non habet immediatam oppositionem cum multitudine vel divisione, cum tam reperitur in uno, quàm in multitudine, sed cum non ente, multò minus interpretatur rectè *Subtilem* 2. d. 16. quæst. unica, ubi licet expressè teneat inter ens & passiones dari distinctionem formalem, per id non intelligi tamen distinctionem intrinsecam, sed fundamentalem & potentialem, eò quod ibi n. 18. statuat inter illa distinctionem rationis, quia nusquam *Doctor* distinctionem suam formalem miscet vel confundit cum distinctione fundamentali aut potentiali, imò loquendo de objecto fundamentaliter in illa opinione potius ibi est identitas, quàm distinctio, cum velint naturam entis & passionis esse fundamentaliter idem, quæ autem sunt fundamentaliter idem, ut rectè conciperemur, deberent concipi ut idem fundamentaliter, non ut fundamentaliter distincta. Quomodo autem *Doctor*, dum statuit distinctionem rationis inter ens & unitatem, ne sibi contradicere videatur, intelligendus veniat, accipiendo distinctionem rationis pro ratione conceptibili, vel definitione, vide actum *Tom. 2. Controv.* 4. q. 2. art. 3 n 187. & seqq. & alibi frequenter.

Scotus contra seipsum Scotum non est interpretandus.

ASSERTIO II.

Vnitas entis, supposito, quòd sit quid superadditum, & à nobis per negationem multitudinis & divisionis explicatur, quod videlicet sit illud, quod est indivisum in se, scilicet quod non includat plura separata, & divisum à quolibet alio, rectius describitur, quod sit, quæ positivè opponitur multitudini & divisioni, non quæ tollit & destruit unitatem entis radicalem, seu quæ contradicit enti in primo modo dicendi per se, sed quæ primariò & essentialiter opponitur divisioni & multitudini, quatenus illa divisio & multitudo contradicit unitati formali & in secundo modo dicendi per se.

128 RAtio est, quia in hoc sensu dicta unitas transcendentalis est solùm passio entis, importans essentialiter quid positivum enti superadditum, nimirû quod à negatione illâ divisionis, quæ est non esse formæ repugnantis suo substrato, essentialiter supponitur, cum enim negatio divisionis removeat & excludat quid repugnans enti, oportet ut illud positivum unitatis formalis necessariò præmittat. De quo vide *Scotum* 2. d. 3. q. 2. n. 1. § *Est ergo intellectus quæstionis.*

QVÆSTIO

QUAESTIO II.

De veritate entis ut sic. &c.

SUMMARIUM.

1. *Pugna sententiarum ostenditur. n.* 129.
2. *Intelligibilitas aptitudinalis ex mente Scotistarum non consistit in mera non repugnantia. n.* 130.
3. *Vindicantur Scotistæ à paralogismo & circulo vitioso.* Ibidem.
4. *In quo sit ratio ideæ? n.* 136.
5. *Conformitas ad ideas Divinas quo sensu sit & non sit veritas. n* 137. *& seqq.*
6. *Dependentia ad ideas contradicit Deo. n.* 140. *&* 141.
7. *Deus & creatura univocè conveniunt in ratione veri, & cur?* Ibidem.
8. *Verum esse objectum intellectus in quo sensu verum falsumvè sit? n.* 131.
9. *Veritas transcendentalis nec absoluta de se, nec respectiva est. n.* 133. *& seqq.*
10. *Veritas sumi nequit ab ideis, sive loquamur de illa cognoscenda à priori & per causam, sive à posteriori. n.* 142.
11. *Attributum entis, nequit haberi per conformitatem ad sua principia. n.* 145. *& seqq.*
12. *Explicatur in quo consistat veritas, ut est passio entis ut sic. n.* 147. *& seqq. ad finem quæstionis.*

29 *Aureolus.* QUinam in hac materia de veritate veritatem attigerint, dijudicare est difficillimum, nimirum adeò diffident Auctores in indaganda veritatis transcendentalis ratione, ut si singulorum expendatur opinio cum singulis, etiam omittendo illos, qui veritatem ponunt in negativo, pro qua sententia citatur *Aureolus* noster 1. d. 19. num. 2. prop. 2. *Vasquez.* fol. 492. asserens veritatem consistere essentialiter in segregatione entis ab omni sibi extraneo, lectori caligo potius, quàm lux suboriri videatur, & quidem una est opinio *Gabrielis Vasquez* autumantis res non esse formaliter & intrinsecè veras veritate se tenente ex parte ipsarum rerum, sed per quandam entis affectionem à veritate judicii, quomodo medicina, quæ non est formaliter & intrinsecè sana, quia causat sanitatem, sed extrinsecè solum; ita res dici veras denominativè & ab extrinseco à veritate intellectus; eo quod causet veram cognitionem in intellectu, in hanc sententiam iverunt nonnulli ex Recentioribus, etsi in hoc à *Vasquez* diffidere videntur, quod denominationem non constituant analogicè à veritate judicii, sed à tendentia actuali vel aptitudinali cognitionis censent in objectum trahi.

Huic proxima est opinio *Suarez* contendens veritatem nihil dicere supra explicatam *Suarez.* rationem entis præter connotationem intellectus. aliæ è contra ab his remotiores & veritati proximiores sunt, quæ veritatem renunciant esse quoddam intrinsecum rei, & veram entis passionem, sic *prima* constituit veritatem in conformitate ad ideas divinas vel ipsam Essentiam Dei velut legem æternam cuique rei sua determinata prædicata essentialia præscribentem, pro qua citatur *Scotus* 1. d. 3. q. 4. §. *Circa quatuor*, & quodl. 18. num. 15. *Secunda* in conformitate ad sua principia intrinseca ut apud *Mastrium*, *Meurisse* in sua Metaphysica l. 2. c. 3. Concl. 4. *Tertia* in conformitate saltem aptitudinali ad intellectum actualem vel possibilem. *Quarta* in formalitate transcendentaliter respectiva. Ita *Poncius* d. 70. q. 3. num. 20. & prolixè in additione ad eandem quæstionem.

ARTICULUS I.

An veritas ut est passio entis statuenda sit in conformitate aliqua ad intellectum actualem possibilem?

ASSERTIO

Veritas transcendentalis, Quæ est Passio entis non consistit in conformitate aptitudinali, seu intelligibilitate, sed est formaliter in rebus absque ordine & respectu ad intellectum actualem vel possibilem, divinum vel humanum, ac immeritò oppositum attribuitur Scoto.

130 *Sichen.* A*ssertionem*, quoad primam partem tenet & probat noster *Sichen* d. 3. Metaph. q. 4. n. 52. *Primò* quia veritas cujuslibet entis Prior est ejusdem intelligibilitate, & per consequens ejusdem Conformabilitate ad intellectum, quæ cum intelligibilitate coincidit, vel eam subsequitur, ideo enim quodlibet est intelligibile, quia verum est, non è contra. Sed hæc ratio est impertinens contra *Scotistas* quibus oppositum attribuitur, perspicuum enim est, quod illi non loquuntur de Conformabilitate & intelligibilitate aptitudinali, quæ habetur per meram non repugnantiam ad intelligi & denominationem extrinsecam desumptam à cognitione possibili, sed de conformabilitate, quæ consistit in intrinseca formalitate enti superaddita, & quæ præcisè attendenda venit penes intrinsecam ejus naturam, quæ sit principium, unde illa dimanet, ut ejus passio, ut de cæteris passionibus asserunt *Scotistæ*, falsum autem est, quod talis intelligibilitas entis reddens ens actu verum, sive intrinseca aptitudo, quam habet ens, ut possit terminare aut sui causare cognitionem, sit posterior veritate, quam in hac secunda cognoscibilitate constituunt isti *Scotistæ*, non in prima. Itaque ut ratio contra illos valeret, intelligibilitas uniformiter sumenda fuisset ad mentem Scotistarum & sic patet non esse ad rem contra illos, qui oppositum tenere censentur.

Intelligibilitas aptitudinalis, de qua Scotistæ agunt, non consistit in pura & puta non repugnantia.

Secundò probat idem Auctor l. c. *Assertionem* ita: veritas intellectus cognoscentis consistit in conformitate actus cum objecto, ut omnes fatentur: ergo veritas objectiva in conformitate rei cum actu intellectus statui non potest sine vitioso circulo & petitione principii. Sed neque hæc ratio est subsistens; tum quia ibi *Scotistæ* non ab eodem, eodem modo cognito, redeunt ad idem eodem modo cognitum, statuendo idem per idem, sed applicando illis conceptum explicativum veritatis abstractim sumptæ, & utrique veritati analogicè, seu uni extrinsecè, solum, alteri intrinsecè communem, explicant utramque in particulari, talis autem explicandi modus, quo non provenit, quod ita sit, sed quod non possit declarari, nisi per ea, quæ ipsum circumstant, eo quod forte nomen veritatis prius impositum est ad significandam veritatem cognitionis & inde extensum ad significandam veritatem rerum, non est circulus vitiosus. Tum quia facilis est responsio, quam nemo inficiari potest, scilicet veritatem posse declarari & explicari quidem per conformitatem ad intellectum, sed inde non sequi illos *Scotistas* velle, quod illa sit prima Ratio veritatis, ita ut conformitas illa sit ratio formalis veritatis, cum possit esse secundaria ab effectu desumpta supponens ipsam veritatem & res jam constitutas in esse vero, adeoque licet veritas intellectus cognoscentis, eo quod veritas repræsentativa fundetur in cognitione actuali, consistat in conformitate actus cum objecto, à quo illa cognitio formalem veritatem sumit velut à sui mensura, non tamen idem est de veritate in essendo, quam ideo solum in intelligibilitate seu conformitate ad intellectum possibilem constituunt, quia explicari potest per ordinem ad cognitionem possibilem, non ut ad mensuram ipsius, sed potius tanquam ad mensuratam vel mensurabilem per ipsum proinde, cum explicatio rei supponit id, quod explicatur, loquuntur duntaxat de veritate, quantum ad id, per quod explicari solet à nobis, non quantum ad id, quod dicit à parte rei circa ens & supra ens.

Vindicatur ratio Scotistarum à vitioso circulo.

Tertiò probat idem Auctor, quia veritas secundum omnes est objectum intellectus omnia sub ratione veri intelligentis, conformitas autem cum intellectu, quæ cum intelligibilitate coincidit, non est objectum intellectus. Verum infirmitas hujus rationis etiam patet, quia procedit ex supposito non supponente, præterquam falsum sit, quod veritas secundum omnes sit objectum intellectus, cum potius illius oppositum asserant Scotistæ cum *Scoto* l. 6. *Metaph.* q. 3. & q. 20. de *anima*, & 1. d. 3. q. 3. §. *his visis*. Statuendo ens objectum intellectus sub ratione ipsa entis adæquatè, non sub ratione veri, subjectum videlicet per prius cognoscitur quam sua passio, qualis est veritas, esto in congruo sensu quatenus intellectus non tendit in objectum secundum ullam rationem, quæ non sit vera, sive quatenus intellectus non percipit suum objectum, nisi quatenus assimilatur illi sicuti est, dici soleat, quod feratur in objectum sub ratione veri, ut infra pluribus explicabitur.

Ens, objectum intellectus.

Has itaque rationes relinquendo, Assertio 131
quo ad primam & secundam partem aliter probatur ex ipso *Scoto* 6. *Metaph.* q. 3. sub Scholio secundo num. 5. *Si nullus*, inquit, *esset Intellectus adhuc qualibet res secundum gradum suæ entitatis esset nata se manifestare, & hæc notitia est, qua res dicitur nota natura*, id est, intellectui, quæ per modum naturæ operatur, & cui soli notitia competit: *non*, pergit Doctor, *quia natura cognoscat illum, sed quia propter manifestationem majorem vel minorem nata esset, quantum est de se, perfectius vel minus perfectè cognosci.* Ita *Doctor.* Ergo sentit veritatem rerum non esse essentialiter talem conformitatem aut ordinem necessarium dicere ad cognitionem vel intellectum possibilem. Ex quo talis ratio formari potest: Illud non pertinet ad rationem veritatis, quo remoto remanet integra veritas in rebus: *sed* amoto illo ordine & conformabilitate ad intellectum secundum *Scotum* res esset vera: *ergo* veritas non petitur in ordine ad intellectum.

Scotus.

Probatur secundò removendo objectionem, quæ pendet unicè ad hac difficultate, 132
quomodo res secundum suam veritatem conformentur cum cognitione saltem possibili, & quatenus veræ sunt, intelligantur, seu quatenus per hoc præcisè sint intelligibiles, sicuti sunt, non tamen per hoc constituuntur formaliter in esse vero, ita ut conformitas saltem aptitudinalis per ordinem ad intellectum vel cognitionem possibilem, non obstante, quod tantam habeat veritas connexionem cum illa, adhuc non sit ratio formalis veritatis.

Ad

Ad hanc difficultatem & similes, quæ urgent rationem veri necessarium dicere respectum aptitudinalem ad cognitionem possibilem, adeoque constitui in tali esse per relationem transcendentalem ad illam, imo quod implicet concipere objectum, ut potens formaliter concurrere ad actum cognitionis, nisi simul concipiatur ipsa cognitio, ut possibilis. Facilè occurritur per solam explicationem; quomodo veritas transcendentalis necessariò habeat ordinem ad intellectum, & quomodo, cum illum ordinem habere non possit, nisi in quantum est objectum intellectus, sit aut dici debeat objectum intellectus, supposito quod sententia *Scoti* teneat ens non sub ratione veri, sed sub ratione entis esse adæquatum intellectus objectum.

133 *Conciliantur diversi modi explicandi veritatem.* Ad reconciliandas has sententias, ut nulli sua adimatur veritas, dicendum verum esse objectum intellectus, non per se & per propriam suam rationem, sed consecutivè vel concomitanter & per denominationem, quatenus intellectus non potest percipere suum objectum, nisi quatenus est assimilabile & conformabile illi, possitque solum sub illa conformitate, adeoque sub ratione veritatis attingere suum objectum, sicuti est, hoc autem est esse objectum non per se, sed per denominationem & consecutivè ex proportione & conformitate inter objectum & potentiam, seu quatenus intellectus assimilatur objecto sicuti est, illud denominatur verum, adeoque verum ut dicitur objectum intellectus, nihil aliud est, quàm dicere extrinsecam quandam conformitatem ad intellectum vel intellectionem, ideo, quia intellectus non intelligit verè, nisi in quantum est conformis vel conformabilis objecto, sicuti est. Vides ergo, cum verum non sit objectum intellectus, nisi ex conditione consequenti vel concomitante objectum intellectus, quod scilicet est ens sub ratione entis, non in esse vires objectioni prætactæ, quod veritas transcendentalis necessario habeat ordinem ad intellectum, hunc enim resolvitur duntaxat habere, non quod ens sit objectum intellectus, ut veritas est, si abstractum ita de hoc in mea Schola loqui liceat, sed modo jam explicato, quam ob rem ut supra innuebam, veritas transcendentalis à nobis quidem per respectum conformitatis ad intellectum benè explicari potest, non essentiari quantum ad id, quod dicit à parte rei circa vel supra ens, & ut est ad quidditatem objecti seu ad naturam entis quid consequens, sic enim prius est veritatem transcendentalem habere suam rationem formalem, quam posse ipsi deferre respectum ad intellectum.

134 *Bara.* *Probatur prima pars Tertiæ, & secunda pars primæ.* Quod opposita doctrina perperam Scoto, de quo *Bara* in sua *Met. Apol. 3. actione 5. n. 2.* statuens secundam entis passionem in intelligibilitate ait: hanc non legi in Subtilis sive sententiis, sive quodlibetis, licet præbeat ei fundamentum comparans veritatem ad intellectum. *Smising.* *Smising* de Deo uno *Tract. 3. d. 1. q. 2. n. 40.* Esto ibi *Cond. 5.* statuat veritatem transcendentalem in conformitate cum intellectione, scilicet ex modo nostro illam intelligendi vel explicandi, absolutè tamen asserit illam passionem ex sua præcisa ratione nec esse absolutam nec relativam, sed in ente absoluto erit absoluta, in relativo erit relativa, idem ibi insinuat de unitate, prima entis proprietate. *Mastrius* Disp. 5. est. n. 161. concludat veritatem entis bene explicari per conformitatem ad intellectum, denique tamen & ipse ex modo nostro capiendi veritatem entis & explicandi illam, n. 165. in conformitate constituit, se ipsum, quod per conformitatis respectum solum nobis veritatem explanari, non ideo essentiari velit, conceptis explicat verbis. l. c. n. 168. & antecedenter n. 146. citans *Mayronium* 1. d. 24. & 25. q. 2. cond. 4. dicens: quod si sermo est de veritate juxta id per quid solet à nobis explicari, utique dicit formalitatem relativam, si sermo sit secundum id, quod à parte rei importat, nec absoluta nec relativa est formaliter loquendo, licet sit utrumque permissivè. Unde patet perperam hunc Auct. citari à *Sichen* l. c. in contrarium, sicut & *Suarez*, qui ut patet ex sua opinione producta ad initium quæstionis supra & allatis ex ipso apud *Mastrium*. l. c. n. 163. prorsus docent oppositum, ut & de *Mastris* videri potest apud *Poncium*. d. 71. in Metaph. Qu. 3. n. 20. & in prolixa additione ad eandem q. instituta contra *Mastrium* à §. *His tamen non obstantibus.*

135 *Veritas entis abstrahit tam à relativis, quàm ab absoluto.* *Probatur Assertio quarta.* Veritas entis ut sic, de se abstrahit tam à respectivo, quam ab absoluto, ergo necessariò non consistit in relatione. Antecedens probatur, tum quia veritas non dicitur ad aliud, tum etiam quod convenit enti in tota sua latitudine, ut est nec relativum nec absolutum, id nequit constitui in relatione. Sed veritas ita convenit enti, quia convenit illi antequam contrahatur ad esse respectivum. Major probatur: quia nullus respectus potest esse prior, quàm sit ens respectivum ut sic, ad quam contrahitur ratio entis per rationem oppositam enti absoluto. Ob hanc rationem amplè deductam apud *Mastrium*, quen. vide. l. c. n. 146. *Poncius* l. c. n. 20. esto ipse oppositam teneat opinionem, nostram censet non esse improbabilem, addens ibi in fine, cum non possit veritas entis à nobis explicari, nisi per modum relationis, quam ut inquit *Smising* l. c. n. 42. in hoc, quod sit ad alterum imitatur posse dici respectum secundum *dici*, non secundum *esse*.

Respondet tamen concedendo quidem, quod ens ut sic abstrahat ab absoluto & relativo etiam transcendentali, eo quod formalitas ejus nec sit absoluta nec relativa transcendentaliter, id negat tamen de veritate entis, putans se evidenter demonstrare veritatem, etsi sit passio adæquata entis & ejusdem latitudinis cum ipso, non tamen propterea illam esse ejusdem abstractionis cum Ente, ita ut debeat abstrahi ab omni illo, à quo ipsum ens ut sic ex se formaliter abstrahit, ens quippe ex sua ratione formali abstrahit ab ipsamet veritate, in quocunque illa collocetur, veritas autem non abstrahit à se ipsa

ipsa: Ergo veritas abstractim sumpta, & idem est de cæteris passionibus Entis, non est tantæ abstractionis, quantæ est ipsum Ens. Sed hoc responso non evacuatur Argumentum, quo dicebatur nullum respectum posse esse priorem, quam sit ens respectivum ut sic, non enim obstat, quod veritas non possit abstrahere à seipsa, quia nec ipsum ens abstrahit à seipso, sicut tamen bene illud abstrahit ab absoluto & respectivo & ipsa veritate, ita vicissim veritas abstrahit & præscindit ab ente respectivo & absoluto & ab ipso Ente in sano sensu, quod scilicet passio Entis non sit formaliter Ens, esto nequeat concipi realiter sine ente. Probatur antecedens ex ipso *Poncio*, qui ibi ita arguit ex nostris principiis, quod si dentur respectus transcendentales, illi realiter identificabuntur entibus absolutis, & rectè: Sed Dico, ergo similiter, si veritas entis ut sic talis sit respectus, identificabitur realiter enti ut sic, consequenter cum non sit formaliter ipsum ens, & distinctio formalis ex alibi dictis mutua sit etiam hic suo modo, tam benè veritas in aliquo sensu, esto nequeat concipi realiter sine ente, abstrahit & præscindit juxta sui exigentiam ab ente, id est intellectus tam concipit passionem entis, non esse formaliter ens, quam ens non esse formaliter suam passionem à se abstractam vel potius ex natura rei præcisam, talis præcisio seu talis abstractio sufficit ad nostrum intentum, esto neutrum abstrahat à se ipso, ergo sunt quo ad intentum æqualis abstractionis, proinde sicut ens ut sic de se abstrahit à respectivo & absoluto, ita & veritas passio illius. Deinde ex communi opinione Ens ut sic non est absolutum, nec respectivum, sed utrumque permissivè, sed id esset falsum, nam sicut daretur ens ut sic realiter verum, ita daretur ens ut sic respectivum, priusquam ens contraheretur ad esse respectivum, essetque adæquatum enti universalissime accepto, seu æquè latè parens esset inferius, cum ratio entis respectivi ut sic, jam continet sub se & respicit ens respectivum realiter, quam formaliter tale.

Instantia. Instat *Poncius* malè negari Veritatem in relatione Conformitatis consistere, quamvis explicetur per Conformitatem, id enim ait, vel contradictionem involvit, vel nullum sensum habet: nam quando explicamus veritatem per conformitatem dicendo non esse veram ex eo, quod sit conformis; aut hoc est verum à parte rei, aut non est verum; si est verum, ergo veritas à parte rei dicit conformitatem, & consequenter si conformitas sit respectus, veritas erit respectus. Si non est verum: malè & falsò dicimus rem esse veram ex eo, quod sit conformis & consequenter pessimè ita explicamus verum aut veritatem. Quod & confirmat quod non sit conceptibile, quod veritas explicetur à parte rei per conformitatem formaliter, nisi quatenus diceret à parte rei conformitatem formaliter, aut quatenus conformitas à parte rei aliquo modo dicatur ad convertentiam cum ipsa, quodcunque autem horum dicatur, inde evidenter convincitur Doctrinam nostram esse falsam. Ita in addicione cit. Contra *Mastrium*.

Solutio. Verum doctrina nostra, quam hæc instantia impetit, qua per conformitatem dicit veritatem à nobis explicari debere, ad quam addo, esse à parte rei verum, quod debeat à nobis explicari per illam conformitatem, nec involvit malum sensum, ut statim, nec contradictionem, quia damus verum esse, quod non sit veritas ideo de se, quia conformis est, si autem de malo sensu agitur, ille potius sequitur ex ipsa instantia, quia committit fallaciam figuræ dictionis, mutando terminum *quo* in *quod*, Scotistæ veritatem per relationes conformitatis ot per medium *quo* concipi possit, explicant, Instantia sumit illam pro ipsa re explicita, quod scilicet sit inconceptibile, quod veritas possit explicari per conformitatem, nisi veritas formaliter dicat conformitatem, quod falsum potius evidenter convincitur, ut in sexcentis Exemplis, ostendere obviam esset, si opus foret.

ARTICULUS II.

Consistatne Veritas, quæ est Passio entis, in ea, quod res quævis naturam suam, secundùm quam diceretur vera, sic participet, sicut participare debet secundùm præscriptum æternæ & incommutabilis omnium essentiarum legis, & quid de hoc *Doctor Subtilis*?

156 Quæsitum hujus Articuli re ipsa non differt ab aliorum quæstione, consistatne veritas transcendentalis in Conformitate ad ideas divinas, id est, ad ipsam Deitatem, quæ est Lex æterna dictans & præscribens cuicunque rei sua determinata prædicata essentialia, seu ad illud, cui congruit ratio Ideæ, sive ponas pro ea Essentiam divinam esse Ideam sub ratione speciei expressæ seu verbi Creaturarum, sive Essentiam propriè dictam, sive esse in mente divina ipsas creaturas à Deo præconceptas ut factibiles, adeoque objectivè tantum contineantur in divina Intelligentia, sintque conceptus reales objectivi, sive, quia Ideæ in divino Intellectu practicæ non sint, sed speculativæ, regulam & legem Essentiarum ponas ipsam voluntatem divinam, quæ est omnipoten-

Idea ratio in qua consistat posit.

potentia & causa rerum ad extra quo ad esse Essentiæ & Existentiæ, quidquid dixeris, Essentia divina semper est illa Lex æterna rerum, & ad propositum perinde est, quod talis sit, ut dicitur, sive ut est ad extra duntaxat agendo-rum ostensiva, sive ut Creatrix est.

ASSERTIO

Licet conformitas ea, Quæ enti creato inest, ad ideas opificis veritas appellari queat, ac proinde una ex veri acceptionibus ea sit, quæ refert conformitatem ad divinas ideas aut mensurabilitatem ad præscriptum legis æternæ Essentiarum, eamque Scotus approbat in rebus creatis, nullatenus in ea fuit sententia ut veritatem quæ est adæquata entis affectio, in hujusmodi conformitate constituerit.

137 Assertio quo ad Primam partem probatur ex *Scoto 6. Metaph.* q. 3. sub Scholio 2. num. 5. dicens: *Primo modo dicitur Veritas absolutè conformitas producti ad producens, aut determinatè conformitas talis secundum adæquationem, aut determinatè conformitas secundum imitationem. Et licet primus istorum trium modorum videatur esse communis secundo & tertio, tamen si nomen veri imponatur ad significandum quodcunque trium prædicatorum secundum propriam rationem, erit æquivocum.* Ita Doctor, quod idem asserit. q. 4. §. *in ista quæstione*, n. 4. ubi vult nos cognoscere syncetam veritatem non aspiciendo ad exemplar à re per sensum acceptum, sed aspiciendo ad exemplar increatum, & q 18. quodlibet. §. *Contra ista.* n. 15. Si dicas, ait, quod veritas non convenit alicui extra intellectum, sed tantum actui intellectus, vel objecto ut est in intellectu, potest negari, quia si intellectus aliquis sit Regula intellecti, sicut est de intellectu divino exemplante & regulante creaturam, illud potest dici verum, non tantum ut est actu cognitum, sed etiam ut est in se, quia secundum esse suum, in se est exemplatum & conforme exemplari. Ex quibus & ex ratione sequenti de mente *Scoti* quod cognoverit, approbaritque eam acceptionem veritatis ad divinas Ideas nullus est relictus ambigendi locus, sicut nec quod Essentiæ creatæ se habeant ad intellectum divinum, sicut artificatum ad artificem, si enim certo dicitur arca aliqua vera, eò quod imitetur arcæ Ideam, quæ est in mente artificis, sitque dicendus verus amicus, qui est secundum leges præstitutas amicitiæ, verus Christianus, verus Franciscanus, qui non deficit à regulis à Christo & S. Francisco datis, & si veram dicimus seu verè expressam imaginem, quæ suum æquat prototypon seu respondet exemplari & Ideæ in mente pictoris existenti; Ergo cum Ideæ divinæ, seu Essentia creatrix ex Idea est ars & mensura rerum omnium creatarum, quia Deus agit per intellectum, certum est, dum communicat rebus veritatem suam simul & quidditatem & naturam, quod regulet earum esse, ut conformia sint Ideæ divinæ, secundum quam operatur: Ergo & in aliquo sensu verum est,

Scotus.

creaturas ita constitui veras per conformitatem ad divinas Ideas, seu per relationem mensurati ad mensuram. Dico in aliquo sensu, quo scilicet non est passio communissima Entis, ut habet pars secunda. Itaque

Probatur Assertio quo ad secundam partem Primo. Si per impossibile essentiæ nulli essent conformes exemplari aut essentiales res citra ullius legis præscriptum, sed vel à se vel casu & fortuito, æque essent veræ ac modo. *Sequela* probatur, quia eandem intelligibilitatem & conformabilitatem haberent ad intellectum divinum aut creatum, quam habent de facto. *Antecedens* probatur. Sicut si per impossibile omnis intellectus tàm divinus quàm creatus cessaret ab intellectione alicujus entis, illud æque benè esset verum Ens, ut est de facto solum præcisè ex eo, quod est conformabile intellectui, nam veritatem explicamus per conformabilitatem ut supra, quæ in isto casu non cessaret, esto cessaret intellectus ab illius intellectione, quod extendi potest, etiamsi nullus intellectus actu extaret, ergo similiter, si per impossibile Essentiæ rerum non essent exemplatæ ad præscriptum legis æternæ, sed à se illæ eandem entis obtinerent seu in essendo veritatem, qualem modo habent. Ex quo fundamento rectè arguunt *Scotistæ* veritatem entis addendam esse potius per ordinem ad intellectum speculativum, quàm practicum. 138

Si per impossibile essentia rerum non essent exemplata ad præscriptum legis æterna, adhuc esset earum veritas in essendo.

Confirmatur. Essentia divina est ens à se, nullam legem habens extra se ipsam, nec intrinsecè ad se ipsam, cui Idealiter, ut sit, conformari & ad quam exemplari valeat, cùm sit ens à se, & illa aseitate non obstante ipsi vel maximè competit veritas in essendo; Ergo esse ab alio & Ideatum ad præscriptum legis non est formaliter esse verum, estque ipsissima Doctrina magistri nostri l. c. 6. *Metaph.* q. 3. docentis veritatem in rebus desumptam per comparationem ad cognoscentem esse omninò distinctam ab alio veritatis modo, nimirum, qui attenditur per comparationem ad producentem, dicitque conceptis verbis, eò quòd sit alia habitudo ad producentem, alia ad intelligentem, licet idem sit intelligens & producens, si per impossibile Deus esset intelligens creaturas *Scotus.*

non

non producens, esset veritas rerum eadem, qualis est de facto. Ergo ex mente *Scoti* veritas entis ut sic non attenditur penes ordinem ad præscriptum legis æternæ &c.

139 *Probatur* eadem pars *secunda*. Doctor. 1. d. 3. q. 2. §. secundo non asserendo n. 6. apertè contra *Henricum* asserit Deum & creaturas univocè dici ad rationem entis, ergo ex mente *Scoti*, seu ex doctrinæ suæ consequentia oportet ut idem dicamus de proprietatibus entis, quod Deus & creatura univocè conveniant in ratione veri, sicut in ratione entis: atqui si veritas consisteret in conformitate ad præscriptum rationum æternarum divinæ essentiæ, non posset Deus & creatura trahi vel colligi in unam rationem objectivam veri, sicut ad unam rationem entis, tum quia si illa conformitas sit respectus realis, talis non datur in Deo, tum quia divinæ veritati ita contradicit talis dependentia & conformitas ad rationes æternas sive præscriptum formarum Idealium, ut ne quidem per rationem apprehendi valeat ad præscriptum alicujus legis æternæ, hinc & expressè *Doctor* supra cit. 6. *Met.* ait: *Si nomen veri imponatur, ad significandum quodcunque trium prædictorum, id est, per comparationem ad producentem & per comparationem ad intelligentem &c. erit æquivocum.* Veritas enim dicta per comparationem ad cognoscentem sive intelligentem indifferenter competit tam Deo quàm creaturæ, at veritas dicta per comparationem ad producentem secundum imitationem Exemplaris competit soli creaturæ, qua creatura est, non qua ens est.

140 *Ex quo probatur Tertiò* & confirmatur præcedens ratio: Veritas transcendens quæ est passio entis debet omni enti convenire, cùm ens in tota latitudine sua adæquet: atqui conformitas ad præscriptum æternæ & incommutabilis Essentiarum legis non convenit omni enti. Major est in confesso. Minor probatur ex dictis, quia talis non convenit, sed contradicit Deo, nam certum est Deum non participare Essentiam suam secundum tale præscriptum, cùm tale non habeat, ne quidem conceptum sui ipsius objectivum in mente divina, qui dici queat æterna Lex, Idea vel exemplar illius secundum quod, suam participat Deitatem, de illo enim disputamus, unde esto divina veritas spectaretur penes conceptum sui ipsius objectivum in mente divina, quia tamen non quilibet conceptus objectivus dici potest exemplar seu lex & Regula essentiarum, sed tantum earum rerum quæ sunt factibiles aut producibiles ad extra, consequenter quia Deus secundum præscriptum conceptus objectivi, qui in mente divina relucet, non participat essentiam suam cum dependentia ad illum conceptum, sequitur veritatem acceptam ex eo quod participent suam naturam res secundum præscriptum legis æternæ, non congruere enti in tota latitudine entis, consequenter necesse passionem enti tàm increato, quam creato communem, quia non convenit Deo.

Veritas adæquat ens in tota sua amplitudine acceptum.

141 *Confirmatur secundò*: Sicut relatio conformitatis artificiati ad Ideam artificis directivam operis non est distincta à respectu, quem exprimit artificiatum ad agens, ita conformitas entis creati ad præscriptum æternæ Ideæ in mente divina non differt à relatione creaturæ ad Deum, ut ad causam efficientem, ergo & sicut artificiatum exprimit relationem ad suum exemplar, quod quasi specificat opus & ad ipsum agens, quod efficit illud, ita quodlibet ens creatum ad Ideas divinas & Deus ad intellectum divinum seu conceptum objectivum sui ipsius: Sed relatio in quolibet ente creato ad Ideam ad cujus similitudinem effectum est, est realis, sicut & artificiatum quodpiam ad suum exemplar realiter refertur, in Deo verò relatio, quæ versatur inter Deitatem & intellectum divinum comprehendentem adæquatam actualitatem Dei, est Relatio rationis; quæ univocari nequit cum relatione reali, utpote quæ est realis passio entis realis, cùm nullā inter se habeat convenientiam, qualis requiritur ad fundandam univocationem & unitatem conceptus debitam passioni enti realis ut sic.

Non datur realis relatio inter Deitatē & intellectū comprehensivum Dei.

Quartò quidquid sit de adæquatione veritatis cum ente tàm creato quam increato seu de veritate Dei & convenientia illius cum veritate entis creati, probatur *Assertio* assumendo Doctrinam *Sichen* l. c. n. 59. ubi conformiter suæ opinioni concedit, quod nulla veritas possit naturaliter à nobis indagari, eo quod ignotum sit, qualem conformitatem quælibet res cum præscripto Regulæ divinæ habeat, ideo ibi dicit cujuslibet rei conformitatem ad divinæ Ideæ præscriptum à nobis pro hoc statu non nisi arguitivè cognosci ex proprietatibus, quas aliunde novimus, isti rei cujus veritatem inquirimus competere, ergo jam concedit sine respectu ad ideas divinas rem cognosci ut veram: In illo enim ordine & conformitate non consistit veritas, sine qua habetur jam & apprehenditur veritas: Sed aurifaber v. g. esto ignoret ideas divinas, neque recurrere potest ad illas, ut judicet, an sit lapis pretiosus, an aurum arte chimica effectum sit verum aurum, examinans tamen illud ad lapidem heraclium seu lydium, probat esse aurum, quia habet colorem & fulgorem auri: Jam quæro, vel approbat aurum arte chimica confectum esse verum aurum, quia extrinsecus tanquam verum cognoscit; vel ad conformitatem talis & talis auri v. g. mineralis & ex visceribus terræ producti, quatenus illi inest vis & facultas ad exprimendam veri imaginem, qualis inest auro minerali. *Primum* non dixeris, quia jam veritas auri dependeret à regula nostri intellectus & apertè confunderetur Judicium de re vera cum re ipsa vera, cum nimis certum sit, prius esse rem veram quam judicari talem. *Si secundum*: ergo potius metienda est veritas ab ipsa vi & facultate, quæ inest auro ad manifestandum se, sicuti est, & sic certum est veritatem non consistere in illo ordine ad præscriptionem primæ & æternæ essentiarum legis, sive loquamur de illa cognoscenda à priori per causam ut patet, sive à posteriori, quatenus usu & experientia cognoscendo rem aliquam esse veram aurifaber, & alius efformat sibi certam ejus 142

Idæam

Ideam primordiali auri Ideæ conformem, ad cujus posteà trutinam examinat veritatem illius rei, tum quia ut dictum est, id non est ad Ideam ut regulam veri, cum prima veritatis cognitio fit ante formationem Ideæ, sicut ipsa res vera, tam etiam, quia ut ait *Doctor* 1. d. 3. q. 4. §. in ista quæstione est opinio n. 3. non habetur sincera veritas de aliqua re, ut comparatur ad exemplar creatum, idque tribus ibi rationibus probat, & ideo non possumus scire nos habere Ideam prototypo suo conformem; ergo non habetur præcisè veritas ex eo, quod participet res naturam suam juxta præscriptionem Ideæ divinæ, sed ab ipsa vi, quæ auro inest ad se manifestandum, ut infra.

Confirmantur hactenus dicta à *Mastrio* l. c. n. 157. per Argumentum ad hominem contra Vulpes & alios quosdam Scotistas, qui approbant modum explicandi veritatem Entis per conformitatem ad divina Exemplaria eamque naturis communibus & gradibus metaphysicis perpetàm attribuunt, & tamen non assignant proprias Ideas, nisi singularibus & individuis, quæ possint esse termini Creationis & solitariè existere, sed facilè respondebunt dicendo, quod sicut illa in singularibus unica existentia existunt, ita unica veritate vera sint, neque veritas competat, nisi iis, quæ sunt formaliter ens, nec quæ sunt ens realiter solùm, cùm alioqui daretur etiam veritas veritatis, & sic in infinitum, concludet hæc ratio Mastrii contra Thomistas, qui dicunt materiam primam esse formaliter verum Ens, & cum hoc volunt illam non habere propriam Ideam in Deo, quæ evidenter sibi contradicunt, ut patet consideranti.

ARTICULUS III.

Consistatne veritas in Conformitate ejusdem rei ad sua principia?

Videtur ita dicendum, idque firmat communis loquendi usus, ut verum dicatur, quod est tale, quale debet esse conformiter suis principiis, ut v. g. verum Christi corpus dicitur in Eucharistia, quia habet principia veri corporis, scilicet veram materiam & formam corporeitatis, ita dicimus esse verum Deum, quia habet naturam, per quam constituitur Deus. Sit

ASSERTIO.

Non videtur veritas quæ est attributum entis ritè explicari per conformitatem ad sua principia intrinseca, id est, ad cujusvis rei veram & solidam naturam.

145 Ratio est, quia talis conformitas ad suam & principia nil importat præter respectum rationis: atqui passio entis realis non consistit in ente rationis: Ergo: minor patet, Major probatur, quia unius & ejusdem ad se ipsum non potest esse respectus realis, & ex hoc consequenter.

146 Probatur secundo: non explicatur per hanc opinionem aliqua vera entis proprietas, sed ipsa rei quidditas; nam habere propriam conformitatem ad sua principia intrinseca est dicere, quod res habeat veram naturam sibi competentem, per quam scilicet constituitur in esse talis Entis, quod est quidem explicare aliquam veritatem, sed non transcendentalem illam omni Enti, sed specificam cujusvis rei usitato quodam & familiari loquendi modo convenientem, quomodo v. g. dicimus tunc aurum verum esse, quia videmus illud ingerere cuivis intellectui vera auri principia, adeoque habere veram auri naturam; Aurichalcum econtra falsum aurum esse, quia non veram possidet auri naturam, sed apparentem solum; ita similiter dicimus verum corpus Christi esse in Sacramento Eucharistiæ, quia supposito hujus Sacramenti institutione habet ibi vera & omnia Corporis principia, verumque dicimus Deum, quia vera Deitatis habet principia, quæ locutiones usuales sunt doctis & indoctis, ast philosophico modo, prout veritas est secundùm attributum Entis, aliter accipitur fundaturque in priori acceptione, cum enim in priori acceptione veritas ipsam importet rei quidditatem, in posteriori proprietatem, perspicuum est, hanc procedere ab illa, tanquam fundamento, à quo Veritas formalis causalitate emanativa deduci necesse est, nec est in hoc alia difficultas, quàm de nomine veritatis. Unde quando noster *Martinus Meurisse*, qui tenet oppositum assertionis, conformiter ad suam opinionem veritatem reducit in sua Metaphys. l. 2. c. 3. q. 3. Conclus. 4. ad conformitatem rei ad principia intrinseca, illam non ut est Entis attributum, sed ipsam potius explicat rei quidditatem, & veritatem solùm fundamentalem & materialiter acceptam, de qua non agimus.

Usualis loquendi modus de veritate notioni philosophica dissymbolus est.

ARTICULUS IV.

Authoris ſententia ſtatuitur.

ASSERTIO I.

Veritas, quæ eſt Paſſio entis, & communiter explicatur per conformitatem ad intellectum non actualem, ſed aptitudinalem, ideoque vocatur intelligibilitas, non quæ ſit in ente pura non repugnantia ad intelligi, & attendenda penes agens ſeu cognoſcitivum extrinſecum; ſed quæ ſit quidpiam intrinſecum potius attendendum penes illud, quod intrinſecè & neceſſariò dimanet ab ente, eſt illa ipſa vis, ratio & facultas, qua res immediatè ſine explicito ordine conformitatis ad immutabilem ſuæ Eſſentiæ Regulam ſeu legem potis eſt manifeſtare ſeipſam ſicuti eſt, cuicunq; intellectui eam manifeſtationem attingere valenti.

147 EXplicatur & probatur *Aſſertio*: dicitur veritatem explicari per conformitatem ad intellectum & cætera, & vocari intelligibilitatem, ſubaudi ſenſum Articulo primo explicatum, non quod illa intelligibilitas ſeu aptitudo ad cognoſci ponat denominationem ſolum extrinſecam ab intellectu deſumptam, ſeu ex eo præcisè, quod cognitio ſit apta ut terminetur ad objectum, & objectum ſit aptum, ut terminet cognitionem, cui cavetur in aſſertione exprimente, quod illa aptitudo ad cognoſci ſeu intelligibilitas amplius dicat, quam puram non repugnantiam, ſed ſicut v. g. eſto lapis habet non repugnantiam ad eſſe ſurſum, eo quod illa non repugnantia attendatur penes agens extrinſecum potens illum projicere ſurſum, habet tamen aptitudinem veram & inclinationem ad eſſe deorſum, quæ aptitudo attenditur penes intrinſecam ejus naturam, quæ eſt principium talis Inclinationis ad eſſe deorſum, ita eſto in ſuo ſenſu deſumatur cognoſcibilitas extrinſeca ab objecto, ut eſt aptum ad determinandam cognitionem, & à cognitione ut eſt apta terminari ab objecto, quomodo eſſe actu cognitum adæquatè deſumitur à cognitione actuali & actu terminata ad objectum, ſitque in iſto ſenſu intelligibilitas denominatio extrinſeca convertibilis cum pura non repugnantia ad cognoſci & intelligi, at falſum eſt de cognoſcibilitate intrinſeca, quæ dimanat ab ipſa objecti eſſentia, ut ejus paſſio, qua ratione per illud in aſſertione, ſed quæ ſit quidpiam intrinſecum penes illud attendendum quod neceſſario dimanat ab Ente, illa denominatio à ratione veritatis excluſa manet, ſicut & opinio *Vaſquez* volentis, quod veritas conſiſtat in affectione analogica modo explicato ſupra, opinio item *Suarez* docentis veritatem nihil ſuperaddere ipſi enti ſupra explicatam rationem entis præter connotationem intellectus, & noſtri multo magis *Aureoli* doctrina, quæ vult veritatem conſiſtere in ſegregatione entis ab omni ſibi extraneo, & univerſim omnis conceptus illam formaliter in negativo conſtituens, & ſi illam fundet, tanquam quid præſuppoſitum ad quod dicta negatio admixtionis, ab omni extraneo ſequi neceſſe eſt.

Congrua aſſertioni expreſſio.

Opinio Vaſquez Suarez & Aureoli de veritate tranſcendentali.

Dicitur eſt ipſa vis & facultas qua res immediatè ſine explicito ordine conformitatis ad immutabilem ſuæ Eſſentiæ legem potis eſt manifeſtare & cætera. Quo rejicitur doctrina *Sichen* dicentis l. c. n 55. Ens prout ſubeſt huic nomini Ens non importare explicitè conformitatem ad immutabilem ſuæ Eſſentiæ legem, *veritas* autem inquit, *importat dictam veritatem explicitè; indeque arripit intellectus noſter occaſionem concipiendi veritatem per modum alicujus attributi*, quod idem eſt, ac ſi diceres concipiendo paſſionem, intellectui noſtro dari occaſionem concipiendi paſſionem, & ad quid intellectus noſter, ſi veritas explicitè dicat talem conformitatem, occaſionem arriperet concipiendi veritatem per modum attributi, cùm paſſiones (conſequenter veritas) quæ enti attribuuntur habent eſſe in ſeipſis, atque in ſe ipſis ſunt cognoſcibiles, nec ad intelligibile eſſe indigent ope intellectus, nam id habent independenter ab intellectu, & abſque eo, quod aliquid intellectus arripiat? deinde arreptum illud ab intellectu ſe non tenet ex parte objecti, ſed ex parte actus, ut fatetur l. c. num. 67. proinde cum, ut habet ibidem, veritas ut paſſio Entis, idem ſit à parte rei ac Ens, ſeu nullatenus inter illam & ens detur diſtinctio ex parte objecti, quomodo ſtant quæ dicebat ſupra, *quod paſſio Entis ſcilicet ſuperaddat aliquid Enti? & n. 56. quod veritas tranſcendentalis conſiſtat in ratione aliqua poſitiva, quam Ens, ut ſubeſt huic nomini Ens non importet explicitè? ſi dicas ad hoc ſufficere, ſi eatenus inter ens & verum præſcindatur ex parte actus, quatenus idem objectum *Perfugium.*

prius

prius apprehenditur in ordine ad se, sub qua consideratione dicitur ens, & posterius in ordine ad cognitionem explicitam veri, sub qua consideratione dicitur verum, & quasi quid superadditum sibi ipsi, cùm non differant ens & verum nisi ex parte actus per modum expliciti & impliciti.

Exploditur. *Contra primò.* Dictus Author veritatem transcendentalem in eo ponit, quod res quævis naturam sive Essentiam secundum quam dicitur vera, sic participet, sicut participare debet secundum præscriptum æternæ omnium Essentiarum legis quæ est ipsa essentia divina: Cum itaque eo quod nihil possit subterfugere legem sibi ab æterno ad sic assendum præstitutam, ut subest huic nomini Ens & priori considerationi necessario participat suam naturam, juxta suæ legis & Regulæ præscriptum, ergo jam tum competet illi Ratio veri, sed hæc implicat citra conceptum explicitum veritatis, major prob. quia est in eo instanti & priori cognoscibilitate sibi constans est secundum suam naturam & statum purissimæ quidditatis sibi ex lege æternæ debitæ, ergo pro eo instanti ibi esset veritas: *mi.* prob. etiam: quia implicat concipi veritatem, sine eo, quod importat veritatem; sed pro instanti, quo concipitur ens ut subest, huic nomini entis non importat veritatem, *ergo*; deinde quod ex parte actus differant per modum expliciti & impliciti, inde non habetur passio Entis, nam in hoc sensu definitio & definitum differunt penes explicitum & implicitum ex parte actus, & tamen definitio non est passio definiti: ergo explicitum & implicitum ex parte actus non sufficiunt ad passionem.

Contra secundò. Esto passio & subjectum penes explicitum & implicitum differrent, id esset ex parte objecti. Probatur sequela, quia cum passio Entis investigatur, ea tantummodo formalissimè ratio expenditur, quæ secundo modo perseitatis de Ente & inferioribus Entis enunciatur, quo fit, ut sub ea tantum præcisa ratione veritas sit affectio Entis, sub qua intelligibiliter separat explicitum conceptum illius prædicati, seu gradus essendi, qui enunciatur in quid de inferioribus subjecti talis proprietatis, sed hoc est ex parte objecti secundum secundarium rei conceptum, seu qui pertinet ad secundum modum dicendi per se, nisi velis passionem esse de sui subjecti quidditate & contra subjectum de explicito conceptu suæ proprietatis: Consequenter subjectum ut contradistinctum ab attributo dicere attributum: Ergo frustra dicis inter ens & ejus passiones nullâ dari distinctionem ex parte objecti, sed tantùm ex parte actus.

Contra tertiò. Ad quid dicitur Enti in priori consideratione superaddi explicitè Conformitatem ad Ideam in Essentia divina, si ex parte objecti nullus sit ordo inter Ens & passiones, nisi qui ex solo actu intellectus se teneat, ex parte autem objecti veritas nihil sit aliud, quàm quædam quasi simoltas rei & conformitatis illius ad Ideas divinas: ex eo enim potius sequeretur, quod conceptus objectivus veritatis sit simpliciter Ens per accidens etiam in ratione scibilis, proinde proprietas non esset de illa scientificè demonstrabilis? sequela probatur: quia secundum te ratio objectiva veritatis non refert essentialiter solam explicitam rationem entis, & rectè, nam Ens ut Ens nequit esse proprietas sui ipsius, sed refert & quidem principaliter explicitam conformitatem ad immutabilem suæ Essentiæ Regulam, ita ut conceptus veritatis præter conceptum Entis quoque talem conformitatem imbibat ut compartem suam essentialem, sive proinde dicas talem conformitatem enti superaddere habitudinem realem, sive rationis, sive quidquid aliud, quod non sit purum nihil, cùm secundum te veritas & Ens unum sint, non tamen unum realiter per identitatem, nec per unionem per se, qualis non competit objecto & actui intellectus versanti circa illud, erit merum Ens per accidens.

Dicitur tertiò, cuicunque intellectui eam manifestationem attingere valenti, quo innuitur, quod veritas transcendentalis adæquatè accepta debeat sumi & explicari tam in ordine ad intellectum creatum, quàm ad intellectum divinum, uterque enim potest cognoscere res sicuti sunt, & licet intellectus creatus possit falli, & sæpius fallatur in rerum cognitione, frequentius tamen verè cognoscit, aut saltem potest verè cognoscere, ita ut posse verè cognoscere illi non convenit per accidens, sed sit intellectui creato realiter & necessariò identificatum, dicunturque res veræ etiã respectu illius, quamvis illi non sint conformes cum decipitur, adhoc enim satis est, quod sint illi conformabiles, ea quippe ratione dicimus cũ *Philosopho* ex 3. *de anima*, quod intellectus noster sit totius Entis.

Probatur Asserrio & apptime explicatur secundo ex nostro *Alensi* l. 6. *Metaph.* propè finem his verbis: debemus enim imaginari suo modo, quod veritas ad Essentiam eo modo se habeat, quo visibilitas ad colorem. Visibilitas supra colorem non addit aliam rationem, nisi rationem declarativi & apprehensibilis à visu; similiter veritas addit super rationem Entis rationem apprehensibilis ab intellectu, ita quod sic imaginemur; quod Ens movet intellectum & æquat sibi eum & assimilat. Ita quod in eo est ratio æquativi, motivi, & declarativi, & ab ista ratione imponitur nomen veritatis; ita *Alensis* volens quod sicut se habet visibilitas ad colorem in tota sua latitudine, ita veritas ad rem in tota sua abstractione, consequenter quemadmodum objectum, secundùm se nec est visibile nec non visibile, magis quam audibile, sed visibile est in quantum illi inest visibilitas, ita ens de se nec sit declarabile nec sit non declarabile, sed declarabile est in quantum illi inest veritas, adeo ut ratio veritatis supra ens addat rationem declarativi, nec aliter quidpiam natum est se manifestare formaliter, quam per veritatem per habitudinem ad intellectum potius aptitudinalem quàm actualem, tam creatum quam divinum explicabilis, quia ut supra ex *Scoto* declaratum fuit, si nullus esset intellectus intelligens, adhuc quodlibet ens esset verum seque manifestare natum. 148

QUAESTIO III.

De Bonitate Entis.

SUMMARIUM.

1. *Bonum quod est ex integra causa diversos admittit sensus. n. 14.*
2. *Bonitas absoluta per ordinem ad essentialia non est Passis entis. n. 150.*
3. *Bonitas qua dicit convenientiam unius cum alio, non est dicenda passis entis. 152.*
4. *Bonitas coincidens cum appetibilitate statuitur passis entis. n. 154.*

149 OMnes omnino res à primo instanti sui esse, domesticam sibi & intrinsecam bonitatem obtinere ex ipsa patet Scriptura *Gen.* 1. ubi rerum opifex *Deus vidit cuncta qua fecerat, & erant valde bona*, scilicet quæcunque res secundùm proprium bonitatis gradum, & *Sap.* 7. *Omnia numero, pondere & mensura fecisti*, qua ratione quia omnia Deus in his tribus disposuit ad determinatum gradum perfectionis, quo entia inter se ordinantur, bonum frequenter confunditur cum integro & perfecto quantum ad omnia quæ essentiale rei constituunt complementum, idque vel quo ad rei constitutionem intrinsecam quoad omnes partes essentiales, vel quoad partes integrales & accidentia ipsi connaturalia ex ratione sua specifica, vel denique quoad quantitatem virtutis seu rei perfectionem, secundum quam una res dicitur perfectior altera, quamvis utraque sit bona & perfecta æqualiter duobus primis modis, quià quælibet earum est in sua entitate integra & perfecta, consequenter bona, quia bonum est ex integra causa, sitne autem vel non sit aliqua bonitas ex his principiis Scotistæ scholæ passio entis ut sic, ex mente Magistri est expendendum.

Bonitas intrinseca omni creaturæ congenita.

150 Itaque notandum ex *Scoto* q. 18. quodl. §. *De primo bonitas moralis.* n. 3. ubi ad intelligendam mentem suam hæc nobis suppeditat. Sicut bonitas primaria Entis, quæ dicitur bonitas essentialis, quæ est integritas vel perfectio Entis, in se importat positivè negationem imperfectionis, per quod excluditur imperfectio & diminutio; sic bonitas entis secundaria quæ est accidentalis, sive superveniens entitati, est integritas convenientiæ, vel integra convenientia ejus alteri, cui debet convenire, vel alterius sibi. Ita Doctor disertè statuens duplicem bonitatem, unam absolutam, quam vocat primariam & essentialem, alteram accidentalem seu respectivam, quam vocat secundariam, ut quæ consistit in connotatione alterius entis, cui res sit conveniens bonitate relata, seu convenientia ad alteram. Cùm autem bonitas primaria, quæ indubiè adæquet Ens in tota sua communitate, cùm nullum detur ens nec reale nec objectivum, quod in entitatis suæ gradu non referat integritatem essendi sibi debitam seu perfectionem entitativam, adeoque quod non essentialiter dicat negationem diminutionis illius prædicati, seu gradus essendi spectans ad suum esse entitativum, dubitari potest an sit passio Entis ut sic.

Scotus duplicem statuit entis bonitatem.

ASSERTIO I.

Bonitas absoluta, quæ desumitur per ordinem ad Prædicata Essentialia, estque illa rei integritas, vi cujus ponitur, sub eo statu, sub quo ipsi nihil deest ex illis quæ ad perfectionem essentialem requiruntur, non est Passio entis.

151 ASsertio est contra quosdam Scotistas, & novissimè contra *Sieben* d. 3. Metaph. q. 5. num. 62. probatur auctoritate *Scoti*, Quodl. 6. §. Contra ista arguitur. n. 10. ubi ad illa verba S. Augustini c. 6. de Trinit. c. 5. *Idem esse majus esse in Deo quod melius esse.* Doctor subdit, bonitas enim essentialis, quam postmodum quodl. 18. cit. *primariam* appellat, scilicet qua una species est melior altera, non est res addita Essentiæ, quod est dicere bonitatem, quæ vi suæ quidditativæ rationis infert negationem imperfectionis seu diminutionis eorum prædicatorum, quibus res sub tali coordinatione entis rediguntur in eum integritatis statum, ut ipsis nihil desit ex illis, quæ ad eorum perfectionem essentialem coeunt, enunciari de subjecto, non ut res addita essentiæ in secundo modo perseitatis, sed in primo modo dicendi per se; consequenter nequit esse passio, quæ est de secundo modo dicendi.

Prima bonitas non est passio entis.

Confirmatur: per bonitatem essentialem unaquæque res Constituitur in certo gradu entis, & per eam inter se distinguuntur & ordinantur entia, ita ut secundùm illam essentialem bonitatem præcisè ens distinguatur in finitum

& in-

& infinitum, sicque ea ratione una species melior altera, sed nulla secundum essentialem bonitatem dicitur melior altera per proprietatem vel aliqoid accidentarium ipsis posterius, ut in terminis habet Doctor l. c quod l. 6. dicens: *Respondeo & dico quod omni proprietate per possibile vel impossibile proscripta ab essentia divina, ipsa habet suam magnitudinem*, scilicet propriam infinitatem, habet enim gradum intrinsecum, sicut res finita habet propriam finitatem: ergo bonitas illa essentialis, quâ res sic ordinantur, ut sint æquales vel inæquales, & diversæ in magnitudine essentiali, non est ipsa proprietas seu attributum entis.

ASSERTIO II.

Bonitas, quam Scotus supra secundariam vocat & accidentalem & consistit in convenientia unius rei cum alia re, seu bonitas relata, qua res est conveniens alteri, non est Passio entis.

152 Ratio est, quia ut colligitur ex *Scoto* l. c. quod l. 18. ex suo loquendi modo non oritur ex ratione intrinseca entis ut sic velut passio ejus adæquata, sed ex supervenientε differentia, quatenus est bonitas & convenientia fundata, non in ente ut sic, sed in uno certo ente, quod dicitur alteri conveniens, quomodo ut ait ibi Doctor, sanitas dicitur bona homini, quia sibi conveniens, & cibus dicitur bonus, quia habet saporem sibi convenientem, & facies dicitur bona, quæ est dimensa pariliter, & affecta hilariter & luculenter colorata, & universim accidentia subjectis suis connaturalia dicuntur bona, ut calor igni, frigus aquæ, qualis bonitas præcisè fundatur in ente determinato, quod habet rationem acquisibilis respectu alterius.

Neque secunda est passio.

Confirmatur. Illa perfectio & bonitas, esto non in se, respectu alterius, tamen est bonitas rei conveniens solum denominativè, unde Doctor illam vocat bonitatem accidentariam, concomitantur proindè ad essentialem integritatem hujus bonitatis plura ut plura, nempè bonitas in se & qua superveniens ad alterum addendo connotationem adeoque concomitantiam plurium ut plurium, sed bonitas in hac acceptione nec est enti intrinseca & realiter identificata, sicut passio solet identificari subjecto nec plura ut plura bonitatis illius completiva possunt esse simplex passio, de qua hic agimus, entis ut sic, sed sunt ens per accidens ut patet: Ergo & cætera. 153

ASSERTIO III.

Bonitas prout coincidit cum appetibilitate, non quod à parte rei consistat in relatione, quia sic ab absoluto & respectivo præscindit, velut ens cujus est Passio, sed prout à nobis explicatur per convenientiam ad appetitum aptitudinalem & transcendentalem, est Passio entis.

154 Hanc cum aliis Scotistis novissimè tenet *Mastrius* d. 5. Metaph. q. 10. num. 265. ratio est, quia virtus illa intrinseca rei seu proportio, quam habet res ad movendum & terminandum appetitum, & prout opponitur appetibilitati pro denominatione extrinseca ab appetitu desumptæ, eodem modo cum proportione dicenda est passio entis, quo supra dictum est de veritate, passione entis secunda quòd consistat in vi & virtute intrinseca movendi Intellectum; sicut enim verum se habet ad intellectum divinum vel creatum, ita bonum ad appetitum, ideoque quæ de veritate diximus supra cum proportione de bonitate transcendentali dicimus à nobis intelligi per convenientiam & proportionem rei cum appetitu, si autem bonitas illa transcendentalis extendenda ad quemcunque appetitum sive innatum, qui est ipsa rei propensio sive animatæ, quo grave dicitur tendere deorsum, leve sursum, sive ad appetitum solum elicitum sensitivum vel intellectivum, vide apud *Mast.* l. c. num. 266. quantum ad scopum nostrum satis superque de his actum ut respondere possimus ad quæsitum principale totius hujus *Controversiæ*. Sit itaque

De bonitate differendum sicut de veritate.

***
**

QUAESTIO IV.

De Vnitate, veritate & bonitate, quatenus Deo, ut includit rationem Entis, præcisè attribuuntur.

SUMMARIUM.

1. *Transcendentalis unitas non est in Deo prædicatum quidditativum.* 155.
2. *Deus in numerum non venit. n.* 156.
3. *Veritas transcendentalis in Deo est prædicatum secundi modi. n.* 158.
4. *Deus bonus est non solum bonitate quidditativa sed transcendentali.* 159.

ARTICULUS I.

De Vnitate Dei.

Certum est apud omnes, quod propter infinitatem & supereminentem essendi rationem speciatim Deus summam sibi vendicet entis unitatem, quam SS. PP. colligunt ex summa Dei simplicitate, & S. Dionysius c. 1. de divin. Nomin. ad initium capitis Deum appellat unitatem, quæ unitatem omnem facit unam, & S. Maximus in Scholiis ad c. 7. de cœlestia Hierarchia: *Deus monas est & unitas trisubsistens*, de quâ unitate Dei fusè disputant Theologi demonstrantes ex validissimis rationibus ac Argumentis unum Deum esse, non plures, potestque cum non sit nostri propositi de unitate naturæ seu quasi specifica tractare videri *Smising* Tract. 3. d. 1. q. 1, n. 14. & seqq. & alii passim.

ASSERTIO I.

Vnitas transcendentalis non est in Deo prædicatum quidditativum, sed proprietas Essentiam Dei consequens.

155 Ratio patet ex supradictis & amplius perspicua fiet q. sequenti, potest autem ex eo breviter probari, quia Essentia divina concipi potest conceptu perfectè quidditativo & sub ratione entis infiniti non concepta divina unitate, consequenter unitas non habet rationem prædicati Essentiæ divinæ constitutivi. Solum difficultas exurgit ex dictis *Controv.* 9. q. 6. num. 61. & seqq. ubi expressè docuimus singularitatem esse de conceptu Dei quidditativo. Vnitas autem est de conceptu singularitatis, singularitas enim est indivisibilitas, & hæc est unitas, sed facilis est responsio *Solutio objectionis.* quia ibi loquimur de singularitate seu unitate singulari pro fundamento seu natura Dei quidditativè spectata, quia essentia divina ex suo præcisè conceptu talis est, ut eam sequatur indivisibilitas in plura inferiora, de qua ut statim dixi, indivisibilitate seu unitate non agimus, sed de transcendentali, quæ convenit Deo præcisè ut includit rationem entis. Si tamen quis instantiam faciat ex iis, quæ dicuntur infra q. seq. num. 161. adhuc non evincet, quod unitas transcendentalis sit determinata ad unitatem naturæ communis, quare alia est quæstio de unitate conveniente Divinæ naturæ præcisè sumptæ, quærendo an sit specifica seu pluribus communis, an singularis, & alia de unitate transcendentali, quærendo an sit indivisa in se & in quovis alio, ut patet consideranti, pro superfluo tamen de alia unitate addo Assertionem sequentem.

* * *
* *

ASSERTIO II.

Deus licèt sit summè unus, tamen nequit venire in numerum, adeo ut unus numero dici nec debeat nec possit.

156 ITa *Scotus* 1. d. 24. quæst. unica. *S. Bonav.* ibidem. 2. 1. q. 1. *S. Basilius* epist. 143. referens calumniam quorundam, qui trium Deorum dogma tenuerunt, ait: Deum non esse unum numero, sed tantum unum Natura, nam quidquid, inquit, unum numero dicitur, hoc non unum est revera, neque natura simplex. Deus autem omnium confessione simplex est, & compositionis expers. Non est igitur unus numero Deus. *Doctor Subtilis* l. c. probat Deum non posse sive ad intra sive ad extra numerari propter tria, quæ ad numerum requiruntur, quorum duo Deo non quadrant, Primum est, quod unitates, quæ sunt partes seu principium numeri, sint cujusdam unius rationis, non enim numerando dicimus primus homo, secundus Leo, tertius lapis, sed prima substantia homo, secunda Leo, tertia lapis, vel primus homo, secundus homo, tertius homo, & cætera. Secundum est, quod una sint condistincta sive nullum numeratorum includatur in altero: Tertium, quod unitas ordinentur ad invicem id est, quod in unitatibus sit potentialitas partis in totum, si enim quævis unitas sibi vendicaret actualitatem & perfectionem totius, etiam sibi vendicaret actualitatem; perfectio namque alterius unitatis contentæ in toto, & sic licèt essent plures secundum formales suas rationes eminenter concurrerent in uno adeoque non omni modo numerum constituerent. Ita *Subtilis Scotus* ostendens propter defectum primæ & tertiæ conditionis Deum nullatenus esse numerabilem, ita ut nec Essentia divina cum tribus personis divinis, nec ipsæ personæ, nec Deus cum creatura numerum simpliciter constituunt, quoniam cum Deus omnia eminenter contineat, nullam potentialitatem, nec proinde numerabilitatem habere potest, nec ulla ratio simpliciter his potest esse communis; cum ut fusè actum Controv. superiori, ne quidem in ente conveniunt, quia ens in Deo & creatura non dicit unam rationem simpliciter & adæquatè conceptibilem, sed solum imperfectè & inadæquatè.

Doctor Subtilis rationem dat, cur Deus non sit numerabilis.

Hisce non obstat quod tres personæ ternarium faciant, qui ille talis est absque ordine gradus & imperfectionis, & ut ait. *S. Bernardus* l. 5. de cons. c. 7. *absque numero numerus*, & *S. Augustinus* tract. 39. in Joannem, quod verbis explicari non possit, *quid numerus sit & non sit*, & mox: *Si quæris, quid tres, non est numerus*, & iterum *Bernardus* l. c. *Personas numero inquit, quæ non sint illa una Natura; illa una Essentia, illa una substantia; illa una Divinitas, Catholicus & minime hoc dabit;* Constat ergo Deum excludere perfectum numerum. 157

ARTICVLVS II.

De veritate Dei.

DEum verum de Deo vero laudare magis, quam de veritate illius scribere oportet, ille enim totus est veritas, quæ est & Divinitatis caracter & quidditas juxta proprium Dei oraculum: *Ego sum qui sum.* Loquendo de veritate essentiali quantum ad veritatem Dei transcendentalem & formalem, quia fusè de illa actum supra q. 2. brevissimè fit.

ASSERTIO VNICA.

Transcendentalis Dei veritas non est ejus prædicatum Essentiale & quidditativum, sed attributum consequens ad Essentiam divinam.

158 HÆc patet ex dictis art. 1. nec eget alia probatione, præter ea, quæ ibi dicta, & ad quæ ibi fit remissio, eodem namque modo servata proportione de Dei veritate sicut de unitate illius, loquendum est, cum enim Deus sit quoddam ens, imo eo modo, quo est, sit maximè ens, est maximè & excellentissimè verum ens, quia veritas sui esse sumitur ad proprium intellectum, quorum identificatur ob summam ejus simplicitatem & actualitatem, & ita non habet veritatem suam ab aliquo ut principio, nec in aliquo ut subjecto, nec in ordine ad aliud ut mensuram, sed absolutissimè, unde in abstracto sine habitudine ad alteram dicitur Deus est veritas. Qua ratione S Dionysius c. 5. de Divin. Nomin. ait: quod Deus sit non solum ὑπερτελὴς super perfectus, sed etiam αὐτοτελὴς, id est, per se, & à se perfectus, adeoque per se & à se verus & veritas actualissima.

ARTICULUS III.

De Bonitate Dei.

159 Deum esse bonum essentialiter & formaliter omnes omnino gentes & populi qui aliquam Divinitatis notionem habuerunt, unanimi consensu & una voce profitentur, imo apud quosdam populos, Dei & boni nomina synonima sunt, sic Germani & Anoli aliique populi, qui affine idioma cum Germanis usurpant, Deum vocant Gott id est Gut, quod ab ipso Christo Domino nostro comprobatur, dum enim compellaretur hisce vocibus: Magister bone. Luc. 18. Respondit, ut doceret se Deum esse, quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus, quasi diceret, inquit, *Augustinus* in Psalm. 117. si me bonum vis appellare, intellige & Deum.

Solus Deus noster bonus est.

ASSERTIO.

Deus est bonus non solùm bonitate quidditativa, sed & transcendentali & in bonitate perfectissimus.

160 Ratio est, Deus enim nedum est bonus sibi habens omnem perfectionem sibi maximè convenientem, & necessariò amabilem à se, sed est etiam bonus omnibus creaturis ut causa & finis earum, est bonus & amabilis Justis, ut amicus, juxta id: *Quàm bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde.* Psalm. 72. Beatis est bonus, ut eorum summa felicitas, quæ est ultimum bonum visionis & fruitionis æternæ; pœnitentibus bonus est ut Author remissionis gratia, secundum illud *Threnorum* 3. *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum*; & illud psalmi; *Mihi adhærere Deo bonum est.* Unde rectè *S. Bernardus serm. de miseria hum.* Quid ergo quæris extra Deum, quid desideras præter illum? quid tibi placet sine ipso? ipse fecit omnia, ipse est omnia, quodcunque bonum cupis, quodcunque pulchrum quæris, totum in ipso invenies & ipso perfrueris. Cùm ergo per omnia Deus noster sit tibi bonus, sit nobis & omni creaturæ bonus, sit benedictus in æternum & ultra, laudetur ab omnibus bonis, & superexaltetur ab omni creatura in æternum & ultra.

QUAESTIO V.

Quid resolvendum ad quæsitum principale de distinctione attributorum Dei transcendentium ab Essentia divina.

SUMMARIUM.

1. *Notabile discrimen inter proprietates entis ut sic, & entis in determinato genere.* 161.
2. *Passiones entis distinguuntur ab ente ut sic formaliter ex natura rei.* 162.
3. *Modus prædicandi in primo & secundo modo diversa infert prædicata.* 163.
4. *Passiones entis cur dicant ens & aliquid aliud vide q. 3. hujus Contr. n.* 127. *& hic: n.* 164.
5. *Ens & unum diversos terminos oppositum, & quales sortiantur.* 165.
6. *Aliter Deus concipit ens unum quam ens bonum,* Ibidem.

ASSERTIO I.

Tenendo probabilissimam Scotistarum opinionem, quod unum verum bonum, sint veræ & reales Passiones entis, quæ addanr aliquid positivum supra ens, illæ ab ente divino sive ab essentia Dei, distinguunrur non solum ratione ratiocinata, sed ex natura rei formaliter ante omne opus intellectus.

161 Ante probationem ut melius constet, quomodo distinctio Entis à suis passionibus statuenda sit ex natura rei, & quæ omnem intellectum cogitantem antevertat. Recolenda sunt quæ egimus de ente ut sic *Contrev.* 10. q. 2. in digressione ad quæstionem 5. r. & 2 a. o. 97. usque ad 114. scilicet quod ens ut sic non præferat realitatem adæquatam & à parte

parte rei communem Dei & Creaturis, sed tantum conceptus inadæquatos, unde ne quempiam propter notabile discrimen, quod versatur inter proprietates Entis ut sic, & aliorum entium in determinato genere, hallucinari contingat, ratio præsentis quæsiti, an unum verum bonum addat enti aliquam rationem positivam, seu realitatem ex natura rei distin-
Notanda doctrina. ctam à realitate entis, sensus non est, an unitas v. g. transcendentalis, idem est de veritate & bonitate, addat enti aliquam realitatem ex natura rei distinctam, & fluentem à natura subjecti per metaphysicam causalitatem sicut asserunt Scotistæ de proprietatibus alicujus certi entis in determinato genere, quomodo v. g. risibilitas fluit ab humanitate, sensibilitas ab animalitate, id quod nullatenus hic intendimur, quia ut dixi & abundè constat ex dictis *Controv.* 10. l. c. nec ens, nec passiones illius unam realitatem communem ex natura rei præcisam à rationibus particularibus præsciunt, sed sicut passionum earum commune subjectum, quod est ens. sumitur à pluribus realitatibus particularium Entium, quatenus in uno conceptu confuso & inadæquato concipitur, quod certè distinctionem ex natura rei fundare nequit, ita quoque est de passionibus ejusdem, Sensus ergo quæstionis est, an unitas veritas, bonitas transcendentalis superaddant aliquam veram realitatem positivam ex natura rei distincta in suis fundamentis seu rationibus particularibus à quibus abstrahuntur & ipsæ & subjectum earundem, loquendo namque de conceptibus inadæquatis entis & passionem à suis inferioribus, perspicuum est, quod citra præcisionem intellectus nullam fundare distinctionem valeant. His prænotatis.

162 Probatur generatim Assertio primò. Tum quia distinctio rationis non sufficit inter ens & passiones entis, cùm alioquin non essent passiones reales, sed fictæ vel factæ ab intellectu inter ea, quæ ex natura sunt, aut supponuntur esse omnino idem; tum etiam, quia non possunt de ente demonstrari, quia si nulla ex natura rei inter constitutivum rei, à qua modo dicto sumimus passiones entis distinctio sit & ipsas ipsius passiones, idem demonstraretur per idem & de se ipso, licet videatur nobis demonstrari per aliquid distinctum, neque demonstratio esset per veram causam essendi vereque à priori, sed per idem factum ab intellectu, modo ut causa, modo ut effectus, vel passio à causa promanans.

163 Probatur secundò secundùm *Philosophum*, Passio prædicatur de ente in secundo modo per se de subjecto, qui modus non solum dicit diversam rationem prædicandi à primo, sed etiam diversa prædicata, unde & ens, quod est ejus subjectum ponitur in definitione passionis ut diversum & additum 7. Metaph. c. 5. & 6. ergo passio est quid distinctum ex natura rei ab ente.

Probatur 3. ratione *Doctoris* t. d. 3 5 ad quæstionem igitur respondeo. Si Passiones entis 164
includant ens, saltem dici nequit, quod includant præcisè ens, quia idem esset passio sui ipsius sub eadem præcisè ratione: itaque ut supra arguebatur q. 1. num. 127. dicetur, quod includat ens & aliquid aliud, de quo alio redit quæstio, an includat ens vel non: si sic, jam unum bis & iterum includit ens, & erit processus in infinitum; Si vero dicatur, quod illud aliud ens non includat formaliter, sed sit ens identicè solum & realiter, ergo stabilitur in aliquo non includente ens & per se consequente ens, id autem omni jure debet ab initio dici de primo illo alio entis superaddito, quod erit indubiè transcendens passio entis ex natura rei formaliter distincta ab ipso ente.

Confirmatur ex conditione Scientiæ Realis: Ens habet dictas passiones, in quantum est 165
objectum scientiæ realis scilicet Metaphysicæ: ergo & ipsæ sunt reales: tum quia ens & unum habent diversos terminos suæ oppositionis, ens siquidem opponitur non enti, unum divisioni & multitudini, tum quia intellectus divinus reverà cognoscit ens unum, verum, bonum, & tursus unum distinguit à multis, ens verum à ficto, & bonum à malo, & tamen non potest procedere per conceptus inadæquatos, nec quidquid potest intellectus divinus concipere convenire enti, quod ei verè non convenit, aut distinguere quæ non sunt distincta. Quod autem Deus verè concipiat passiones entis aliter concipiendo ens unum, quam bonum & verum, patet, quia ens unum concipit tanquam indivisum in se, id est prorsus absolutè sine ordine ad intellectum aut appetitum, Ens verum autem concipit tanquam conforme intellectui, bonum tanquam conveniens voluntati, & tamen & optimè Smising Tract. 3. d. 1. q. 1. n. 9. non aliter & aliter concipit præcisam rationem entis, ergo concipit unum verum bonum ut aliquid præter præcisam rationem entis.

Dices illa ratio Unitatis enti superaddita est 166
per se ipsam una seu est unitas sui ipsius, ergo *Objectio.*
non repugnat entitas, quæ per se ipsam est una: ergo potius hujusmodi est ipsum ens, quod sic unum & non aliter intelligit intellectus divinus: *Respondetur* in hoc argumento committi *Diluitur.*
fallaciam figuræ dictionis, mutando quo in quod, quia assumitur, quod nos non asserimus, scilicet unitatem dicere realem entitatem per formalem inclusionem entis, quod est falsum, & ideo duntaxat unum est principium quo formaliter ens est unum, quod non potest dici propriè unum, quia sic habebit rationem quod, proinde negato antecedente, consequens patet esse falsum, quibus, cum de his in nostro Unilabio sermo recurret, non est quòd illis diutius immoremur.

CONTRO-

CONTROVERSIA DUODECIMA,

DE

Intellectu Divino, quatenus est potentia operativa,

ubi

De Attributis, quæ ad intellectualem Dei Naturam spectant,

scilicet

De intellectu, voluntate & distinctione eorundem ab Essentia Divina, item eorundem inter se & ab actibus suis, & de ratione & distinctione habituum in Deo intellectualium & moralium de specie, objecto specificativo scientiæ Divinæ.

SUMMARIUM.

1. *An intellectus, ut est facultas intellectiva, & voluntas ut est facultas impulsiva naturæ intellectualis ad metaphysicam illius attineat constitutionem? q. 1.*
2. *An intellectus & voluntas divina habeant rationem potentiæ sive actus primi respectu divinæ intellectionis & volitionis. q. 2.*
3. *Resolvitur altera pars principalis hujus Controversiæ, qualiter inter se distinguantur potentia intellectiva ab intellectione, volitiva à volitione. q. 3.*
4. *An dentur in Deo virtutes intellectuales & morales per modum habitûs & qualiter ab intellectu & voluntate distinguantur? q. 4.*
5. *Quodnam sit objectum Divini intellectus primarium? q. 5.*
6. *An Deus possit seipsum cognoscere in creaturis? q. 6.*
7. *De objecto Dei secundario. q. 7.*

QUAESTIO I.

An intellectus ut est facultas intellectiva, & voluntas ut est facultas impulsiva naturæ intellectualis ad metaphysicam illius attineant constitutionem?

SUMMARIUM.

1. Lychetus *&* Tataretus *qualiter Doctorem Subtilem interpretentur. n. 167.*
2. *Intellectus & voluntas divina unde à nonnullis Scotistis censeantur spectare ad quidditatem divinam? n. 168. & seq.*
3. *Increatarum perfectionum notitia unde trahatur? n. 169.*
4. *Cur potentia in Deo intellectiva (idem est de impulsiva) intimior concipiatur Deitati, quàm intellectio & volitio? n. 170.*
5. *Intellectus & voluntas non spectant ad primum essendi gradum in Deo. n. 171 & seqq.*
6. *Ex quibus effectibus principiorum cognoscitur distinctio. n. 174.*
7. *Germana* Scoti *explicatio. n. 175. & 177. scilicet, quid Doctor velit dicendo (intellectum & voluntatem præintelligi omni quantitati & quasi qualitati.*
8. *In quo sensu intellectus & voluntas non subeant rationẽ perfectionũ attributalium. n. 176. & 177.*

9. Es-

9. *Essentia Dei est essentialiter intellectiva & essentialiter volitiva, in quo intellectu verum. n. 177.*
10. *Continentia unitiva includit distinctionem.* *Ibidem circa finem* numeri.
11. *Objectiones diluuntur. n. 178.*
12. *Diversitas principiandi in Deo cur nullam dicat imperfectionem. n. 178.*

167 *Lychetus* Sicut in interpretando Scotum, ita & in concludendo Scotistæ discordes sunt, *Lychetus* è præcipuis Scoti commentatoribus unus 1. d. 8. q. 3. alias 4. textum mox afferendum ita intellexit, ut putet Doctorem negasse intellectum & voluntatem esse Attributa Essentiæ Divinæ, sed esse modos in natura Dei imbibitos, quando autem subinde Attributa vocat, id non fecisse ex mente propria, sed aliorum, contra quos ibi arguebat. Similiter Petrus *Tataretus* haud ignobilis interpres *Scoti* 1. d. 2. q. 7. sub §. *Contra ista instatur* n. 24. illum textum Doctoris: *Pater est formaliter memoria, Pater formaliter est intelligentia, Pater formaliter est voluntas*, uno modo capit ibi Tò *formaliter* quod dicat vitam intellectualem in primo modo dicendi per se, ita ut tàm *Lychetus* quàm *Tataretus* eam transcendentiam Deitatis cum intellectu & voluntate videantur hausisse ex conceptu vitæ omnem prorsùs imbibente vitalem conatum, tàm intellectivum, quàm appetitivum.

Tataretus.

ARTICVLVS I.

Prædicatum intellectus & voluntatis spectare ad quidditativam Dei constitutionem & Auctoritate munitur & ratione.

168 Auctoritas quidem depromitur ex ipso *Doctore Subtili* 1. d. 26. q. unica. §. *Ad ista ad primum dico.* n. 55. ubi sic habet: *Ad „ista.* Ad primum dico, quod si in substantia „creata, potentia, sive illud quod est princi- „pium propriæ operationis convenientis tali „naturæ, non est aliquid pertinens ad genus „qualitatis, sed vel est merè ipsa substantia, „cui competit operatio, vel est aliqua perfectio „identicè contenta in substantia, & hoc perti- „nens ad ipsam substantiam, quomodo esset „ponendum de potentiis animæ, ponendo „aliquam distinctionem realem inter ipsas, & „tamen ipsas non esse accidentia: multò ma- „gis essentia divina circumscripto omni eo, „quod est quasi qualitas, habet in se, ut essentia „est, illa quæ sunt principia propriæ operatio- „nis convenientis Deo, hujusmodi sint intelli- „gere, & velle.

Scotus 1. Sent.

„Concedo igitur, quod propriè vocando „Attributa illa sola, quæ quasi qualitates per- „ficiunt in esse secundo, rem præsuppositam „in perfecto esse primo, scilicet quantum ad „omnem perfectionem, quæ convenit, ut est „substantia; hoc modo intellectus, & volun- „tas non sunt attributa, imò sunt quædam „perfectiones intrinsecæ in Essentia, ut præin- „telligitur omni quantitati, & quasi qualitati. „Istud declaratur, quia sicut ab aliquibus con- „ceditur, quod vita vel vivere non sit attribu- „tum, quia dicit tale esse non talitate quasi ac- „cidentali, sed quasi per se contrahente rem: „sicut homo est animal tale, quia est rationale: „eodem modo cum intellectus sit quædam vi- „ta, & voluntas quædam vita, non erunt pro- „priè attributa. *Vel aliter declaratur & melius,* „quia hæc essentia, ut hæc essentia, præcedens „omnem quasi qualitatem, est intellectualis, „& volitiva essentia: ita quod sicut rationalitas non est attributum homini, sic nec intel- „lectualitas huic essentiæ. „

Istud patet per simile, de infinito, quod, „aliàs negavi esse proprium attributum, quia „dicit modum intrinsecum cujuslibet in Deo, „tam substantiæ, quam cujuslibet attributi: ita „intellectualitas dicit modum intrinsecum hu- „jus essentiæ, propriè autem attributa sunt sa „pientia, & charitas, & alio modo transcen „dentia, puta veritas & bonitas. „

Secundò ex *Quodlib.* 1. n. 10. Nam contradictio, inquit, videtur esse quod aliquid sit realiter actu, & quod illud quod est idem sibi es- „sentialiter, hoc modo, vel illo, non sit reali- „ter in actu. Nunc autem intellectualitas, sive „vita intellectiva, vel intellectualis est idem „essentialiter Essentiæ divinæ, sic intelligendo, „quod non tantum est idem realiter ipsi Essen- „tiæ, & hoc identitate simplici: sicut fortè „quodcumque attributum ponitur idem ipsi „Essentiæ; sed hoc modo est idem sibi, quod „si ipsa Essentia divina definiretur, vita intelle- „ctualis sive intellectualitas, non esset extra, „ejus definitionem, sicut sapiens vel bonum. „

Scotus. Quodl.

Hæc doctrina Doctoris nostri pro quiddita- 169 tiva inclusione intellectus & voluntatis in Deitate apparentet videtur solidè urgere, nimirum quod tam intranea sit Deitati vitalitas intellectus & voluntatis, sicut homini est quidditativa rationalitas, quod per rationem potissimum in Divinis confirmatur, quia quod in creaturis intellectum distinguimus ex natura rei ab intellectuali essentia, id fit propter limitationem illius ut quæ ita est principium variarum operationum universale, ut sublevati petat principiis particularibus, quibus ad hanc illamvè determinetur operationem vitalem, talis autem dependentia ab alia virtute determinante ad intellectualiter operandum prout est à natura intel-

Scoti auctoritas ratione fulcitur.

intellectuali illimitatæ virtutis, quæ necessariò includit quidquid perfectionis simpliciter invenibile est in aliqua virtute intellectualiter operativa, intellectus consequenter (idem est de voluntate) includitur in vi infinita intelligendi, qualis est essentia intellectualis infinita in Deo, eamque sequelam expresse innuunt ea verba Doctoris supra: *Intellectus & voluntas non sunt attributa, sed perfectiones intrinseca in Essentia, ut præintelligitur omni quantitati & quasi qualitati*, quid est præintelligi, *omni quantitati*, nisi quod intellectus & voluntas, anteeat in Deo omnia attributa secundum proximitatem infinitatis, non quæ in Essentia est, sed quæ est in attributis Divinis? quid est præintelligi *omni quasi qualitati*, nisi quod intellectus & voluntas sint magis intraneæ naturæ Divinæ, quàm scientia & sapientia, v. g. quæ pertinent ad intellectum quasi qualitates, & quàm charitas, bonitas & cæt. quæ sic spectant ad voluntatem, & dicuntur proprietates attributales ex natura rei diffidentes ab Essentia Divina, nullatenus intellectus & voluntas. Accedit auctoritas *Lychets* & discursus *Tatareti* supra sub n. 167. relatus, sed & *Hugonis Cavelli*, qui in eundem locum Doctoris 1. d. 2. q. 7. §. *Contra ista instatur*: num. 24. dicentis: *Ad primum dico, quod Pater formaliter est memoria* & cæt. sic marginavit: *Si intelligatur, quod Pater est formaliter quidditativè intelligentia, hæc non erit attributum, sed idem ac vita intellectualis.* Sit nihilominus

ARTICVLVS II.

in quo

Statuitur intellectum & voluntatem Essentiæ realiter identificata, inter se & ab Essentia distingui ex natura rei formaliter.

Quæsitum præsens satis constat ex supradictis hac parte secundâ hujus *Tomi* & *parte 2. Tomi secundi* quid tenendum, quidque sit resolvendum, ut necesse non sit scrutari amplius in hanc veritatem, sola auctoritas Scoti adducta in speciem reluctans remanet exploranda, sit itaque

ASSERTIO I.

Esto secundùm analogicam concipiendi rationem à facultate intelligendi & vi appetendi entis creati petitam intellectus & voluntas Divina Deitati intimiora & quasi conjunctiora censeantur quàm prædicata, quæ per modum qualitatis, & respectu vis intellectivæ & volitivæ in actu primo, velut actus secundus inesse Deo considerantur, nequaquam tamen in ipsam Deitatis Essentiam metaphysicè acceptam transferri aut resolvi possunt, nec usquam *Doctor Subtilis* solidè & verè trahi potest in oppositum, quin statuit potius illa distingui tam ab Essentia quàm inter se ex natura rei formaliter, esseque proprietates divinas realiter solùm identificatas sibi & Essentiæ Divinæ.

170 Ante hujus asserti probationem, rumina, quæ ex Subtili Doctore didicisti in lib. de Anima q. de potentiis animæ, nimirumque quas juxta quosdam Thomistas *D. Thomas* asserit esse ens prædicamentale & realiter distinctas ab anima, *Scotus* cum suis vult accidens solum prædicabile & formalitates solùm ex natura rei à quidditate animæ diffitas, licet illi conjungantur per realem & physicam identitatem, sic ergo sive *Thomista* sis, sive *Scotista*, necesse est, ut increatarum perfectionum notitiam haurias ex proprietatibus creatis, eò fit ut Scotista juxta sua principia, & *Scotis* doctrinam supra sub n. 168. allatam in analogica concipiendi ratione intimiora Deitati censeat illa prædicata quæ in vivente intellectuali creato viciniora & proximiora sunt substantiæ ejus, illa verò quæ in creaturis ad quidditatem spectant, si in ea præcisione communitatis sumi queant, ut Deo etiam congruant, illi tribuenda sint ut quidditativa & non quasi realiter solùm cohærentia, id est, ut proprietates & attributa. Cùm itaque apud *Scotum* intellectus & voluntas suppositi intellectualis creati non sint qualitates, sed sint veræ facultates substantiales intellectuali viventi realiter identificatæ & formaliter

Increatarum perfectionum notitia unde trahatur.

Actus primus in Deo substantia quasi intimior concipitur, quam actus secundus.

ter ex natura rei distitæ, contingit ut etiam in Deo creaturarum instar ac analogicè conceptò intellectum divinum & voluntatem divinam judicemus non per modum qualitatum, sed per modum facultatum substantialium quæ sint quasi intimiora Deitati & conjunctiora quàm intellectio & volitio, quæ uti in creatis velut qualitates concipiuntur, in hunc sensum ipse *Scotus* 1.d.2.q.2.§. *Nunc ulterius*. n.22. ita habet paulò ante n. 23. *Velle intelligitur quasi posterius voluntate, si ergo velle est idem illi naturæ, multò magis voluntas*, & mox in fine istius numeri 22. *Ratio intelligendi se, quasi præintelligitur ipsi intelligere.* Ecce, ut Doctor ibi ipsam intelligendi & volendi vim quasi proximiorem substantiæ intellectuali concipi asserit, quàm ipsum intelligere & velle, esto illa æque ex natura rei ab illa differat, sicut ipsi actus intelligendi & volendi, & in hac conceptus differentia comparando unum quod Essentiæ intimius est, cum illo, quod illi inest per modum qualitatis, Doctor supra, ut propius ad rem accedamus, dicit: *Concedo igitur quod propriè vocando attributa illa sola, quæ quasi qualitates perficiunt in esse secundo rem præsuppositam in perfectò esse primo scilicet quantum ad omnem perfectionem quæ conveniunt rei, ut est substantia; hoc modo intellectus & voluntas non sunt attributa.* Quasi diceret: si attributa Dei per modum qualitatum sicut intellectio & volitio in creatis concipienda sunt, intellectus & voluntas attributa non sunt; puta quia non debent concipi ut qualitates, igitur si concipiantur in creatis ut facultates substantiales, multò magis in Divinis. *Hoc supposito*

171 Clarissimè patet *Assertio* quoad primam partem. *Secunda pars* probatur *primò* ex Doctore eadem dist. 2. q. 7. §. *Dico tunc ad quæstionem*, ubi sub n. 18. & 19. ubi docet duas processiones in Divinis exigere duo principia ex natura rei distincta & sibi opposita.

Secundò probatur ex d. 13. q. unicâ. *Utrum Spiritus sanctus sit genitus?* §. *Ad quæstionem respondeo.* Versu *Respondeo*; *differentia specifica &c.* n. 19. paulò ante medium docens Personas & productiones divinas esse formaliter distinctas seipsis, *& tamen sicut*, inquit, *principiata sunt, ita principiativè seu originativè distinguuntur à suis principiis, intellectu scilicet & voluntate, quæ non tantum distinguuntur ratione, sicut argutum est contra penultimam opinionem; sed intellectus formaliter non est voluntas ex natura rei. Et cùm infinitas addita alicui non variat rationem unius formalem, intellectus infinitus non est formaliter voluntas infinita. Et licet non necesse sit distinctionem illam formalem reducere ad aliam, in quantum est formalis; tamen quod est formale in principiatis, reducitur ad istam distinctionem principiorum.*

Ex quo loco manifestè sequitur, nec voluntatem nec intellectum esse de quidditativa ratione Deitatis, *sequela* patet, quia alioqui non essent ex natura rei duo inter se distincta principia, sed unica formalitas, certum enim est, quod quæ identificantur adæquatè in aliquo tertio formali, necesse quoque identificari formaliter inter se, seque mutuo per essentialem transcendentiam imbibere, ut conceptus intellectus formalissimè dicat conceptum voluntatis, ut patet consideranti.

Tertiò militat pro hac doctrina, alia Doctoris auctoritas desumpta ex 4. Sentent. d. 13. q. 1. art. 2 versu: *Ex hoc sequitur --* ubi expresè tenet Deum non esse Beatum, in sua Essentia, quia est simpliciter Beatus in operationibus intellectus & voluntatis suæ, quæ consecutio non valeret, si operationes intellectus & voluntatis, adeoque & intellectus & ipsa voluntas essent de ratione quidditativa Dei, sed & sicut statim supra dixit, quod *intellectus infinitus non est formaliter voluntas infinita*, ita mox infra, versu: *Dico ergo*: docet voluntatem divinam non includere formaliter in se omnes perfectiones intrinsecas Dei, proinde nec intellectum, aut vicissim, quia nec Essentia, nec aliquid aliud eatenus omnes illas includat: Ergo ex mente *Doctoris* statuendum intellectum divinum (idem est de voluntate) non attinere ad metaphysicam Deitatis constitutionem. 172

Deus est beatus in operationibus suis ad intra.

Potest Assertio breviter probari ratione primo intellectus emanatione metaphysicè ab Essentia velut ex fonte & radice sua secundum nostrum concipiendi modum effluere censetur; atqui talis concipiendi modus fundatur in distinctione quadam non rationis, quæ dicitur ratiocinantis, ut plerique Thomistæ concedunt, neque in ea, quæ dicitur rationis ratiocinatæ, sed eadem distinctione, qua distinguuntur inter se; sed inter se ut statim, distinguuntur ex natura rei formaliter, sicut & cætera attributa Dei, quia eadem prorsus ratio est de intellectu & voluntate, ac de aliis attributis, quæ propterea non sunt de Essentia Dei, quia supponuntur esse perfectiones, quæ ex sua ratione formali exigunt emanare ab aliqua realitate quasi principaliori ut radice sua, qua ratione unum sine alio non solum non concipi potest, sed & ex quidditativa ratione sua unum consecutivè exprimit negationem alterius, adeoque distinctionem formaliter ex natura rei inter se & ab Essentia ut radice illis identicè & realiter eadem. 173

Distinctio intellectus & voluntatis divinæ unde metienda.

Secunda ratio accipi potest ex diverso modo principiandi Verbum & Spiritum sanctum, seu quod duplex processio in divinis duplex exigat principium, nimirum intellectum & voluntatem ex natura rei distincta, quorum unum agat per modum naturæ, aliud per modum impulsus & inclinationis volitivæ, cùm aliàs intelligi non posset, quare una processio sit potius processio *Verbi* quàm *Amoris* aut vicissim, cui rationi, non est ut hoc loci immoremur, cum non solum alibi, ubi aut generatim aut occasionaliter & gratia materiæ de hac difficultate egimus, recurrat; sed infra de hoc instituemus Controversiam ex professo, isthæc interim ratio, licet sit probatissima apud Theologos, ac in nostra 174

Schola receptissima, eam tamen inficiatur *Sichen* in physica Tract. 6. disp. 4 q. 1. num. 2. §. *Probatur tertio*: volens ex diverso principiandi modo nedum nullum distinctionis realis indicium per se concludi posse inter intellectum & animam, item voluntatem & animam, aut inter principia quo ad se, sed neque argui exinde distinctionem posse ex natura rei formalem, ne alioquin, inquit, in ipso intellectu prout est elicitivus assensus, & iterum ut est elicitivus dissensus admitti debeat, & quia aliunde, inquit, non appareat ratio, quare diversus operandi modus in eadem indivisibili formalitate repetiri nequeat. Verum meritò Schola *Scoti* placitum illud, quatenus indifferenter removet distinctionem formalem cum extensione ad diversum principiandi modum inter animam & potentias & inter ipsum intellectum & voluntatem, improbat cum Subtili Doctore 1. d. 13. q. un. §. *Alia est opinio*, & aliis plurimis locis primi Sentent, vide d. 8. q. 4. alias 3. §. *Ista tamen positio*, & Quodl. 2. §. *Ad primum triplex est via*.

Doctrina Sichen à schola Scoti non admittitur.

Improbat item cum Subtili 4. d. 46. q. 3. §: *Ad quaestionem* num. 3. qui in priori sub num. 13. expressè sustinet ex diversitate operandi liberè & operandi naturaliter sive per modum naturæ intellectum Dei distingui à voluntate Dei ex natura rei vel dari processum in infinitum. Item Essentiam ut indistinctam non esse principium duarum emanationum, quod alioquin essent quatuor Personæ productæ; in posteriori autem, id est in 4. d. 46. cit. sub num. 3. cit. & prosequitur in *seq.* non posse quorundam effectuum diversitatem salvari nisi per diversitatem saltem ex natura rei in eorum principiis, non verò per diversitatem rationis, puta quia tales effectus sunt de hujusmodi, qui non petunt solum diversis ad unum principium reducibilibus modis produci sicut assensus & dissensus, nolitio & volitio, aliique ab eodem principio illimitato producibiles, vel de istiusmodi, qui habentur non per productionem, sed simplicem emanationem, ut est Essentia respectu diversarum passionum & Essentia Divina respectu attributorum v. g. intellectus & voluntatis etiam ut considerantur pro statu distinctionis formalis, quia tales exigunt eodem modo emanare ex propria ratione naturæ intellectualis se habentis ut principium universale ac illimitatum, quod potest se extendere ad plura; sed quia sunt de ejusmodi, qui exigunt produci modis inter se incompossibilibus id est irreducibilibus ad unum principium, qua ratione unum principium, quia potest habere aliquem actum distinctæ rationis ab omni actu, quem potest habere alterum principium dicitur distinctæ speciei ab illo altero principio; itaque licet ex eo quod intellectus & voluntas ab eadem indivisibili fluant Essentia in Divinis, ab eadem indivisibili anima in creatis, assensus item & dissensus ab eodem intellectu, nolitio & volitio ab eadem voluntate, hic teneat consequentia hæc: *Ergo diversus principiandi modus in una eadem indivisibili formalitate inveniri potest*; nemo enim jam dubitat, quin ab una potentia principientur actus aut numero aut specie diversi, etiam tales, ut quilibet sit adæquatus in suo ordine; secus tamen est, si illi actus & principiandi modi sint distinctæ rationis ab omni actu, quem alterum principium habere potest, ut nec hujus actus ad illud, nec alterius actus ad alterum reduci valeant, & hæc doctrina est *Scoti* communa.

Quando ex diversis principiis argui possint diversa principia.

ARTICULUS III.

in quo

Disquiritur amplius mens Doctoris Subtilis, & expediuntur ea quæ ex ipso in oppositum sunt allata.

175 ET quidem si legatur *Scotus* oculis propriis, non alienis, & tunc non truncatò & mutilè; sed integrè, patebit manifestè quod textus ad textum collatus, adeoque totus contextus clamet pro distinctione formali ex natura rei inter intellectum & voluntatem divinam & ab Essentia l. c. namque num. 54. ipse *Doctor* contra hæc quod dixerat in responso ibidem dato scilicet Essentiam prius intelligi esse rationem communicandi ita & operandi, adeoque illam ut est intellectus, esse & præintelligi principium operativum intellectionis & productivum notitiæ genitæ, ut item est voluntas prius esse principium operativum Amoris essentialis & productivum Spiritus sancti, priusquam intelligatur Essentia illa quanta aut qualis, sibi ipsi objicit primo, quod ex ista responsione sequeretur, quod intellectus & voluntas non sunt attributa, quia attributum quasi perficit in esse secundo aliquid quasi præsuppositum in esse primo: ergo nihil quod pertinet ad Essentiam prius, quam intelligatur quanta vel qualis est attributum.

Doctor Subtilis exercet propriam doctrinā.

Secundo objicit, sequi ex isto responso, quod intellectus & voluntas non distinguantur ibi ex natura rei. Consequentia est contra dicta dist. 13. consequentia probatur, quia quod in Deo præcedit rationem quantitatis & qualitatis & tantum quid: quid autem ut quid non distinguitur in Deo ex natura rei: quia tunc 176

non

non esset quid ejus simplex. *Ita Doctor*. Ad quid si de mente sua fuisset intellectum & voluntatem ad quidditativam Deitatis constitutionem attinere, nullave ab Essentia & inter se distinctione ex natura rei differe, ad quid, inquam, contra datum responsum tales contra seipsum sequelas, nimirum quæ data d. 13. doctrinæ adversarentur struxisset, sane intellectum & voluntatem non esse attributa, eaque saltem non esse distincta ex natura rei si censuerit illa esse ex natura rei formaliter idem cum Essentia, extra controversiam fuisset, & frustra tam operosè ad binas illas respondisset objectiunculas, ad quarum primam auctoritas *Scoti* sub num. 168. est ipsum responsum ostendens in quo sensu intellectus & voluntas salvâ distinctione eorum ex natura rei formaliter non sint attributa & refertur clare explicata & soluta supra sub Assert. num. 170. quem adeas, ex eo autem quod Doctor ibi assertivè dicat: *Hoc modo intellectus & voluntas non sunt attributa*, & ex illis, quæ subnectit nequit statim deduci, quod intellectus & voluntas sint de quidditate Dei, quin potius considerando rem ex analogia ad creata, qua ibi Doctor seipsum explanat, emergit oppositum, sic ut ostendat illas facultates non esse attributa per modum qualitatum, *sunt*, inquit, *perfectiones intrinsecæ in Essentia, ut præintelligitur omni quantitati & quasi qualitati*, puta conformiter ad dicta in suo responso sub

Scotus. num. cit. contextuali 54. immediatè præcedente ut Essentia est cum intellectu principium operativum intellectionis & productivum notitiæ genitæ, & ut Essentia cum voluntate, seu ut est realiter voluntas est principium operativum amoris essentialis & productivum Spiritus sancti, adeoque ut præintelligitur Essentia ut realiter est intellectus & voluntas anteeundo non quantitatem vel infinitatem Deitatis radicalem, quasi fiat comparatio intellectus & voluntatis ad quantitatem seu infinitatem ipsiusmet formalissimæ Deitatis, sic enim malè Doctor apposuisset

Intellectus in actu primo præintelligitur actui secundo. illas particulas, *& quasi qualitati*, quasi qualitas enim nulla reperitur in Deitate formalissimè accepta, imò nec in Essentia alicujus substantiæ creatæ, à qua tamen Doctor analogiam sumpsit ita loquendi, sed fit comparatio Essentiæ ut realiter intellectus & realiter voluntas est ad quantitatem illius, quod se gerit in Deo respectu earum facultatum ad instar actus secundi, ita ut *Scotus* intendat illa principia operandi in Deo ut talia seu in actu primo antevenire quantitatem & quasi qualitatem sibi competentem in actu secundo, certum enim est infinitatem intellectus & voluntatis in actu primo præintelligi infinitati exercitæ intellectionis & volitionis, consequenter dum concipiuntur ad instar qualitatum, sicut in creatis, præintelligi easdem facultates seu principia quasi qualitati, in quo sensu optimè procedit *Doctoris* responsio ad suam objectionem concedendo intellectum & voluntatem non esse attributa propriè vocando illa, quæ rem perficiunt in esse secundo per modum qualitatis & ut quid quasi posterius, sed esse in Deo quid quasi prius, non illa prioritate radicali, quæ competit primæ rationi essendi simpliciter, estque simpliciter prima & absoluta, sed prioritate respectiva ad propriè dicta attributa Dei, id quod eruitur manifestè ex verbis Scoti; *sunt*, inquit, puta intellectus & voluntas, *perfectiones intrinsecæ in Essentia*, sive ut habet *Quodl.* 1. num. 2. In entitate Divina, quæ non præexigat aliquam priorem, si enim quælibet exigeret priorem, nulla esset prima, & per consequens nulla esset posterior, illa igitur prima ratio essendi *rationaliter*, inquit ibidem n. 3. *à sanctis* vocatur, in illa sunt intellectus & voluntas, ut intrinsecæ perfectiones, non sunt illa Essentia formaliter, id est, non insunt illi in primo modo *dicendi per se*, sed sicut habet 1. d. 8. q. 3. de Attributis & Quodl. 1. cit. nu. 4. & habetur ibi in additione identicè solum & unitivè, eo semper salvo, ut præintelligantur omnibus attributis propriè dictis seu omni quasi qualitati eorumque in sensu explicato infinitati, Quod ut magis inculcemus, esto opus non sit, patet enim facultates substantiales non esse de essentia Dei regrediamur tamen ad verba Magistri.

Responsio Scoti ad 2. objectiunculas suas.

Istud declaratur, inquit, puta, quomodo intellectus & voluntas non sunt propriè dicta attributa, sed perfectiones intrinsecæ in Essentia, declarat autem duplici similitudine: primò *sicut ab aliquibus conceditur, quod vita vel vivere non sit attributum, quia dicit tale esse, non talitate quasi accidentali, sed quasi per se contrahente rem*: Et iterum: *Sicut homo est animal tale, quia est rationale; eodem modo quia intellectus est quadam vita, & voluntas quadam vita, non erunt propriè attributa.*

Hic audis, oculisque cernis particulam similitudinariam iteratam *sicut sicut* adhiberi non ad inferendam formalem identitatem inter essentiam & suum intellectum voluntatemque, illa enim non erat ad propositum objectionis, cui ibi respondet, sed sicut vita vel vivere non est attributum, quia dicit substantiam, non qualitatem, iterum sicut rationale non est attributum, qui etiam dicit substantiam, non qualitatem, eodem modo cum intellectus sit quædam vita & voluntas quædam vita, adeoque dicunt substantiam quandam non qualitatem, ideo illa etiam non sunt attributa, quid clarius? qui ergo argumentatur à similitudine, qua intellectus & voluntas ut distinguuntur contra quasi qualitatem & attributa propriè dicta, substantia dicuntur ad modum, quo vivere & rationalitas, non dicuntur attributa, quia substantia sunt, non qualitates, quod similiter sicut illa à quibus similitudo trahitur sint de per se primo modo dicendi, ita illas facultates esse de primo modo dicendi per se, seu de essentiali conceptu Essentiæ Divinæ, manifestè committit fallaciam figuræ dictionis mutando quasi quale quid in hoc aliquid seu vertendo proportionem similitudinariam, id est, sicuitatem in identitatem, quasi 177

Fallacia figuræ dictionis quomodo committatur?

quasi vero per prædicata substantiæ essentialia & quidditativa aliud prædicatum substantiæ esto non sit quidditativum, sed facultas substantialis de secundo modo, declarari non posset contra qualitatem, distingui etiam quia quid substantiale est, nisi talis facultas sit etiam de primo modo dicendi per se, cum ipse Doctor l.c. dicat: *Vel aliter declaratur & melius, quia hæc Essentia, ut hæc Essentia, præcedens omnem quasi qualitatem est intellectualis & volitiva Essentia, ita quod sicut rationalitas non est attributum homini, sic nec intellectualitas huic Essentiæ*, in eo ponens vim aliquid non esse attributum alicujus & quasi qualitatem, quia est præcedens omnem quasi qualitatem, ad quod declarandum aptissimè trahebantur exempla à substantiis & primis essendi modis (ut & Doctor quando ibi elucidat seipsum, dicit *aliter declaratur & melius*) ut quasi palpabile faceret, illa non esse attributa dicenda, quæ ad modum illorum omnem quasi qualitatem præcederet, unde meritò *Scotistæ* arguunt illos, qui in iis verbis Doctoris: *Sicut rationalitas non est attributum homini, sic nec intellectualitas huic Essentiæ* non attendunt quid declaret & declaratione sua intendat, sed aliud quod non erat ad scopum ibi intentum, quarè licet ibi ut iidem Scotistæ ultro & libenter concedunt quod Doctor Deitatem essentialiter volitivam & intellectualem pronunciet ea ratione, quâ homo enunciatur essentialiter rationalis, ac proinde in hoc sensu sicut rationalitas non est attributum homini, sic nec intellectualitas huic Essentiæ accipiendo intellectualitatem & volitivam facultatem non pro facultate intellectiva & appetitiva, quæ quasi logicè aut intelligibiliter à Deitate emanare concipiuntur, sed pro radice, quæ est Essentia quo modo intellectualitatem accipit etiam *Quodl.1.c.* ut apertè constat ex textu sub n. 168. allato, & ex iis quæ statim subdit clarissimè ostendens, quod sicut *intellectualitas, qua per se intelligitur per rationale* (NB non per *intellectum* sed per *rationale*, quæ est prima ratio essendi & differentia specifica humanæ speciei) est idem homini essentialiter, imò ut actualissimum & completissimum in Essentia: & mox: *Ergo cum Deus verissimè sit intellectualis, ejus intellectualitas erit idem essentialiter ejus Essentiæ*. Vides itaque quod non loquatur de intellectualitate, quæ sit *intellectus* pro proxima ratione intelligendi sumptus, impertinenter alias ad suum intentum respondendi duntaxat ad objectionem comparasset illam cum rationalitate hominis, quam constat esse de quidditate, quare ne quis forte libere occasione talis comparationis inferret intellectualitatem per omnia ita esse de essentia ad modum differentiæ specificæ sicut rationalitas est de Essentia hominis, illam tam in *Quodl.1.c.* quam 1.d.26.q.1. n.55. cc. vocat *modum intrinsecum hujus Essentiæ*, non quod sit propriè modus ad instar infinitatis, ut benè ostendit noster *Smising* Tract.3.d.2.q.1.n.14. Sed prout distinguitur contra attributa & illa prædicata, quæ aliquo modo qualitercunque id sit ad adæquatum concurrunt rei conceptum, dummodo non concurrunt, velut attributa, idque consequenter ad à se superius dicta, quod illa prædicata, quæ creaturis insunt quidditativè, si illa Deo congruant, multò magis quidditativa & non accidentalia essent, eò ergo intellectualitatem de quidditate Dei censet, q; ò est intellectualitas & rationalitas homini, & *sicut utraque intellectualitas* omnem de se anteverrit qualitatem, adeoque attributa esse non possent, *eadem ratione, ab hoc enim*, quia paritas est, philosophandi & declarandi doctrinam suam exemplum accipit, quod quia intellectus & voluntas divina omnem quasi qualitatem antecedant, nec illa propriè dicta attributa dici posse, non quod intellectus esset de Essentia Deitatis, sicut ipsi intellectualitas radicalis, quia hoc ibi dicere non erat Doctoris intentum, sed ut dixi respondere ad objectionem, non ergo verum habet, quod *Sichen* l.c.n.3. affert, quod illud verbum *intellectualitas*, ut per se sonat, denotet ipsum intellectum, & non aliquid ipso prius, & multò magis à mente *Scoti* alienum addit: *Ut ipse quoque totus Scoti contextus clamat, indifferenter nominibus* intellectus, voluntas & intellectualitas *adhibitis* huic Essentiæ, imò Doctor contradictorium illius exprimit sub num. immediatè seq. 56. respondendo ad secundam suam objectionem supra ex ipso transcriptam: *Ad secundum, inquit, respondeo, quod* Quid *Dei simplex, non est punctualiter simplex, quasi unicam solam perfectionem in se continens, sed hæc essentia est simplex & illimitate non tantum intensivè in una ratione, sed in omnibus, qua sunt principia propriarum operationum Dei: sicut natura creata est quodammodo illimitata, quia identice est quodlibet principium talis operandi*, ubi Doctor apertè innuit, & amplius *Quodl.* 1. num.4.5. *Contra ista, qua dicta sunt* innuitur, & in additione ibidem, quod Essentia Divina non comprehendat omnes perfectiones per transcendentiam quidditativam, quasi omnes à parte rei unica solum essent perfectio in Essentia Divina, ac ideo esset, quod hisce negat *quasi unicam solum perfectionem in se continens*, sed plures unitivè, id est, plures non sine omni distinctione, seu ut Doctor 4.d. 46.q.3. n.4 (quia hoc vocabulum *unitivè* includit aliquam distinctionem) plures realiter & identicè, ideoque statim subdit: *Cum hac tamen illimitatione Essentia Divina quasi extensiva*, stat simplicitas, qua cautelâ & moderatione opus non esset, si hi termini *intellectus voluntas* & *intellectualitas* eandem & indistinctam ex natura rei exprimerent perfectionem, nec fuisset caussatus Scoliastes vel alius *Scoti* marginista ibi apponere hoc lemma directivum: *Simplicitati Dei non obstat distinctio ex natura rei*, nisi ut dixi in initio hujus articuli pro illa distinctione totus conclamat textus ad contextum ritè collatus, alioqui si non in vetustis *Scoti* codicibus, saltem in nostri temporis, id est, novissimâ *Scoti* editione, tam doctâ Scotistarum, quæ modo viget, caterva dictum lemma velut glossema seu rubricum textui impropor-

Sichen alludit à Scoto.

portionatam, imò ut vult reapse *Sichen* supra, *oppositam textui*, jam dudum emarginasset, aut si noviter & nuper fuisset accrustatam moderni & numerosi scriptores Scotistæ doctissimi aut spongiam adhibuissent, aut calamum vindicando textui sui Magistri intra ipsa viscera phyletæ & folii inquilini ad sensum adulteratum eluxato.

178 Manifestum est igitur quid dicendum de auctoritate allata art. 1. quod nullatenus faveat pro quidditativa inclusione intellectus & voluntatis, sicut homini est quidditativa rationalitas, similiter quid dicendum ad *confirmationem*, quatenus discurrit ex locis auctoritatis, jam enim explicatum est, quare intellectus & voluntas non sint attributa, & quo in sensu præintelligantur omni quantitati & quasi qualitati, sintque magis intranea & immediata naturæ Divinæ, quàm scientia & sapientia cæteraque Divina Attributa, quod attinet auctoritatem *Lycheti* vide *Smising* l. c. n. 14.

Deus est formaliter intelligens & amans notitia & amore improducta.

Quid ad locum *Scoti* 1. d. 2. q. 7. §. *Contra ista instatur.* num. 24. ubi ait: *Quod pater formaliter est memoria, intelligentia & voluntas*, dicendum sit, relicto glossemate *Tatareti* & *Cavelli*, patet etiam, nam ibi non vult *Scotus* ad elucidanda pronunciata *Augustini*, quòd memoria, intelligentia & voluntas sit de quidditate Patris, quia tunc *Scotus* falsò diceret, quod verbum non producatur per intelligentiam ut alibi, sed ut habet *Comment.* sub l. B. vult ibidem, quod Pater in se formaliter habeat talia prædicata, quæ eadem sint in Filio & Spiritu sancto, non enim, ut quidem referente *Augustino* somniabant, Pater intelligit per Filium, diligit per Spiritum sanctum, quasi Filius formaliter sit intellectio Patris, & Spiritus sanctus formaliter amor Patris, sed intelligat per intelligentiam formaliter sibi inexistentem, quæ non est notitia genita seu verbum, ametque per amorem sibi formaliter inexistentem, qui non est formaliter Spiritus sanctus, quod contra absurditatem aliorum, qui sentiebant contrarium, ibi probat per auctoritatem *Augustini*.

Portò ad confirmationem quatenus per rationem procedit non dari in Deo principium universale, quod exigat principiis particularibus responsio, liquet ex dictis art. 2. num. 172. & sequent. nimium quod diversitas principiandi & principiorum, quorum unum sit universale, alterum particulare in natura intellectuali referenda non sit ad imperfectionem aut ad limitationem & dependentiam virtutis universalis à particulari, sic enim argumentum nimium probaret, scilicet in Deo principium quasi universale generandi & spirandi, quale est Divina illius Essentia, esse limitatæ virtutis & quasi dependens à principiis generandi & spirandi particularibus, putà intellectu aut voluntate, aut quod ipsamet Essentia dici possit immediatum principium personarum Divinarum, sicque verbum immediatè non autem mediante intellectu, & Spiritus sancti immediatè non mediante voluntate procederet à natura, quod constat esse falsum. Itaque sicut quod in Deo sit quoddam principium universale generandi & spirandi, & aliud particulare, adeoque principia generandi & spirandi diversa non sit ex limitatione aut dependentia principii universalis à principio particulari, sed ex ratione principii generandi & spirandi ut sic ita diversitas principiorum intelligendi & volendi refunditur in rationem principii intelligendi & appetendi ut sic, quia sic & non aliter, id est, non per coincidentiam aut transcendentiam quidditativam principiorum competit naturæ intellectuali suas facere operationes, nec ratio infiniti exigit omnem perfectionem in Deo repertam sibi identificare formaliter sed realiter solum, ut satis ostensum est alibi, & videri potest *Smising* de hoc, Tract. 3. de Deo uno. disp. 2. q. 1. n. 17.

QUAESTIO II.

An intellectus & voluntas Divina habeant rationem potentiæ sive actus primi respectu Divinæ intellectionis & volitionis?

SUMMARIUM.

1. *Potentia logica quid importet? quid physica?* n. 179.
2. *Asseritur in Deo dari potentiam logicam ad intelligendum & volendum.* n. 180.
3. *Physica è converso à Deo est releganda.* n. 182.
4. *Etiam depurata ab omni imperfectione, si talis sit possibilis.* n. 183.
5. *Distinctio virtualis* Neotericorum *nil suffragatur ad constituendam in Deo potentiam physicam.* n. 185.
6. *Etiam potentia physica conditione à Deo excludenda.* n. 187 *& seqq.*
7. *Quandonam utiliter inutiliterve arguatur ab hypothesi impossibili?* n. 188.
8. Scoti *distinctio non tutatur in Deo potentiam physicam.* n. 190.
9. *Intellectus & intellectio, voluntas & volitio, non sunt termini synonimi.* n. 193. *& seqq.*
10. *Quid dicat, esse in Deo id, quod Deus intelligit, & id, quo formaliter redditur intelligens?* n. 196.

11. *Sublata distinctione ex natura rei formali inter intellectum & intellectionem, inter voluntatem & volitionem, probabiliter non datur inter illa distinctio virtualis intrinseca, seu rationis ratiocinata cum fundamento in re n. 201. & seqq.*

12. *Objectiones & instantia in oppositum retunduntur. n. 203. 204. 205.*

179 In præsenti disquisitione apud illos Auctores, qui omnem negant distinctionem inter potentiam & actum certatur plus de nomine quam de re, ubi ut clarè procedatur, hoc nomen *potentia* & differentes illius acceptiones præexigunt declarari:

Potentia Logica & physica quid & quotuplex. Nota dum itaque ex *Scoto* 1. d. 7. q. un. §. *Ad quæstionem igitur* n. 7. nomine potentiæ intelligi posse vel physicam vel logicam. Potentia logica, nihil aliud est, quàm possibilitas rerum vel non repugnantia prædicatorum, id est, repugnantiæ in sui existentia exclusio, in quo sensu datur logica possibilitas, v. g. hujus prædicati generare vel vis generandi cum Deitate in supposito Patris, non verò in supposito Filii aut Spiritus S.

Physica potentia dupliciter intelligitur, *semel* strictè & simpliciter & propriè physica, quatenus dicit vel principium vel receptivum alicujus actus, quale est in materia respectu formæ vel principium operativum, qua ratione dicitur etiam actus primus, quale est in forma respectu suarum operationum, qui sunt quasi actus secundi, ita ut potentia physica respectu sui actus prioritatem habeat. *Secundò* sumitur potentia largè pro eo principio, cui non physica convenit prioritas respectu actus secundi, sed prioritas cum addito formalis ex natura rei, vel ut alii loquuntur, virtualis præscindens quidem ex natura rei formaliter à sua ratione essentiali & objectiva tendentiam exercitam actualis intellectionis aut volitionis, nequaquam realem continentiam eorum ad Essentiam & ad se, sed ipsum intelligere & velle Dei sit ipse intellectus & voluntas Dei saltem identicè, ex quibus ceu radice non physicâ procedunt productione, sed processione & quasi metaphysica egressione profluere ac emanare censentur. Sit

ARTICULUS I.

An detur in Deo potentia logica?

ASSERTIO I.

Potentialitas logica, quæ non trahitur à non repugnantia terminorum, & non à principio extrinseco datur in Deo ad omnem intellectionem & volitionem Divinam.

180 Est expressè *Scoti* l. c. ajentis. *Et si hoc modo quaratur de potentia, putà logica, in Divinis; dico quod ipsa est possibilis, comparando generationem ad quemcunque actum non repugnantem generationi. Et tunc possibilitas est Patris vel Dei ad hoc prædicatum, quod est generare, quia isti termini non repugnant; impossibilitas autem est, quod Filius vel Spiritus sanctus generent, quia isti termini repugnant.*

Datur in Deo potentia Logica. *Et si quæratur, quid est potentia Divina generandi in Divinis isto modo? Respondeo, non potest dare aliquod principium, quo aliquis sit potens generare, sufficit enim sola non repugnantia terminorum;* quibus Doctor noster astruit assertum, & quidem ut probet desumendam esse potentiam logicam ab intrinseca terminorum non repugnantia, expresse docet non esse investigandum aliquod principium quasi physicum, à quo ista non repugnantia facultatis generativæ in parte trahenda sit, sed relegata qualibet habitudine ad tale principium, à quo talis non repugnantia pendeat, debeat hi termini generare & Deitas à seipsis, ut sunt in supposito Patris sibi non esse repugnantes, & quod exemplificat ibi in creatura mundi, ut si per impossibile non existeret Deus, qui produceret mundum, adhuc mundus à se formaliter esset possibilis, eo quod illi ab intrinseco non repugnaret existentia, ergo id à potiori erit dicendum de Divinis, alioquin Pater, cui talis non repugnantia congruit, esset productus, quod est contra Sacram Scripturam & sanctam nostram fidem.

Probatur assertum ratione, quia à quovis actu cujusvis rei & cujuscunque prædicati existentia ad potentiam logicam valere consequentiam dubitari a nullo cordato potest, quin est logicis vulgarissimum idioma, ergo nulla est intellectio divina, quin sit possibilis, seu habeat ab intrinseco non repugnantiam essendi cum potentia intellectiva, ut mutua inter se complexiunem adire queant, quod solum æstimatur per potentiam logicam, quam ex Scoto communiter sic accipiunt Theologi & intelligunt Logici. 181

ARTICULUS II.

An in Deo potentia intellectiva, idem est de volitiva, physicam referat potentiam respectu intellectionis, & qualem?

ASSERTIO II.

Potentiam physicam, ut supra descripta est, quæ apprehenditur per modum actus primi physicè divisi contra actum secundum ita à Deo relegandam esse, adeò perspicuum est, ut hæreticus sit, qui dicit oppositum.

182 HÆc est conclusio catholica, id est apud omnes omninò omnium Scholarum Theologos indubitata & expressè Scoti l. c. ajentis: *Alio modo dicitur potentia divisa contra actum, ista non est in Deo.* Probatur ratione. Nulla potentia imperfectioni admixta Deo est deferenda, sed potentia physica est potentia imperfectioni admixta, ergo: *minor*, quæ sola probationem desiderat, facilè ostenditur, tum quia in seipsa ut principio, quod ratione dictionis suæ intelligibilis reducitur de potentia ad actum, infert potentialitatem seu indigentiam & receptibilitatem formæ, per quam actualiter intelligat objectum, tum quia infert realem causalitatem & physicam respectu sui actus prioritatem, atque adeò distinctionem realem: atqui hæc sunt imperfectionis, imò subvertunt Mysterium Trinitatis, adeoque hæreticus esset, qui vellet sustinere contrarium: ergo physica potentia à Deo manet releganda.

ASSERTIO III.

Esto daretur potentia physica à supradictis imperfectionibus expurgata, talis adhuc propriè non esset in Deo respectu intellectionis & amoris essentialis.

183 HÆc Assertio procedit contra illos, qui putant posse dari physicam potentiam ab imperfectionibus eliciendi & recipiendi abstractam, quod quamvis impossibile sit, eo quod allatis rationibus potentialitatis & receptivitatis à potentia essentialis destruatur illius conceptus, desinatque esse principium operandi ut contendit *Veken* disp. 16. de Deo c. 2. n. 8. sed quidquid sit de hoc, gratis concesso, talem potentiam, quæ dictis imperfectionibus obnoxia non sit, esse probabilem, adhuc probatur assertio ex ratione: nulla datur potentia physica ad producendum realiter seipsum: atqui intellectio & volitio sunt realiter intellectus & voluntas: ergo; maj. patet: potentia physica intellectiva & volitiva ad intellectionem & volitionem necessariò nihil comparatur ad realiter seipsum velut terminum à se physicè productum, de cujus ratione est esse distinctum à principio: ergo repugnat productio physica à se ipso aut ejusdem ad seipsum; *Anteced.* patet: potentia refertur ad actum: sed implicat idem referri ad seipsum: ergo &c.

184 *Dices*: Datur potentia activa physica sive principium activum notionale respectu actus notionalis. ergo in Divinis non contradicit dari potentiam physicam intellectivam & volitivam intellectionis scilicet & amoris. *Respondeo* conced. *Anteced.* negando *conseq.* disparitas enim est, quia terminus productus potentiæ notionalis realiter distinguitur a producente, secus est de termino intellectionis & volitionis, adeoque deficit à ratione potentiæ physicæ, cujus est referri ad actum ut ad quid realiter distinctum à producente, qua ratione Sancti PP. convicerunt *Sabellium*: Patrem esse personam a Filio distinctam; item Patrem & Filium esse distinctas duas Personas a Persona Spiritus sancti,

* * *
* *

ASSERTIO IV.

Nulla salvari potest in Deo potentia proprie physica intellectiva aut volitiva respectu intellectionis & amoris essentialis per distinctionem virtualem, seu ut loquuntur, virtualiter realem, multo minus per distinctionem vel per operam intellectus inter principium & actum ejus causatum.

185 *Productio ad improductū non minus repugnat, quā distinctio cum indistinctū.* PRobatur Assertio ex dictis *Tractat.* prælimin. *Controv.* 7. q. 2. & 3tia. Ubi ostendimus non dari talem distinctionem in Deo, ergo nequit in eo reperiri istius ordinis & distinctionis realis activitas unius respectu alterius. *Secundò* implicat productionem alicujus componi cum ejusdem improductione: atqui hic componeretur productio, ut supponitur, cum improductione ejusdem, ut etiam supponitur: ergo: maj. patet; non minus enim repugnat productio cum improductione, quàm distinctio alicujus cum identitate ejusdem: atqui ut l. c. deduximus, illa distinctio virtualis infert distinctionem cum identitate; ergo sicut illa ibi ostendimus repugnare, ita & hic cæteris paribus dicendum de productione physica ad physicè improductum, alioqui quid obstabit, quin adminiculo hujus distinctionis à nobis concessa ratione principii physici *Sabelliani* defendant realem personarum identitatem? similiter quid obstabit, quod dicatur præter verbum notionale in Deo reperiri verbum essentiale, adeoque esse duo verba in Deo, quod est contra communem Theologorum & S. Augustini sententiam.

Dices: Voluntas Divina prævià cognitione objecti verè & realiter movetur; implicat autem id, ad quod aliquid verè & realiter movetur ab eo, quod ad ipsum movetur vere & realiter non pendere atque produci. *Resp.* negando *consequentiam*, & dico hoc argumentum posse servire Sabellianis, ideoque nimium probare, quod isti actus realiter absolutè & simpliciter physicè produci possunt, quia sicut voluntas non movetur solum virtualiter, sed verè & realiter, ita si quid valet illa ratio actus simpliciter physicè produceretur. Plura de hoc infra Assert. 8. 186

ASSERTIO V.

Nulla datur in Deo potentia physica conditionata, quæ actu fundetur in hoc sensu peculiari: potentia intellectiva Dei, (idem est de volitiva) ejusmodi in se est, ut si a sua intellectione distingueretur re ipsa, re etiam ipsam illam produceret.

187 PRobatur Assertum contra *Arrubalem* 1. p. d. 28. c. 4. & d. 47. c. [illegible] & *Recentiores Complutenses*, quia ille modus loquendi de potentia physica per particulam conditionalem. *Si & cæt.* extrahit statum quæstionis, An detur de facto vera talis potentia, ad statum qui imbibit impossibilitatem purificationis conditionis, ergò licet dato illo impossibili ita loquendum esset, de facto tamen talem dari eandem implicantiam dicit quam dicit intellectum divinum esse realiter distinctum ab intellectione stante identitate reali unius ad alium. *Secundò* data illa suppositione impossibili vel maneret potentia intellectiva, quæ modò est eadem intrinsecè in omni ratione, vel secus: Si *hoc secundum*: ergo alia esset in ratione potentiæ ab ea, quæ nunc est, & sic non infertur potentiam intellectivam Dei, quæ nunc est, esse physicè productivam suæ intellectionis etiam data conditione, quod ab intellectione realiter distingueretur: Si *primum* dicas: jam non esset physicè activa, quandoquidem illa secundum te modù nullam imbibit activitatem physicam, quin potius cum habeat imbibitam identitatem cum intellectione dicit repugnantiam & impossibilitatem purificationis conditionis, puta distinctionis realis, sub qua adversariis activa dicitur; ergo nullo modo ibi esset potentia physica.

188 *Dices*: Hanc opinionem, quia continet hypothesin impossibilem, non magis posse redargui quàm illa, an Spiritus Sanctus non procederet a Filio distingueretur realiter ab illo, quia positio & conditio, qua ponitur illum non procedere a Filio, est etiam impossibilis, ergo si illa admitti possit & non destruat hypothesin quæstionis, neque altera &c. Sed

Quæstio utrum hypotheses impossibiles. *Respondeo* cum *Scoto* Quæstionem de Spiritu sancto utiliter a Doctoribus excitatam esse, quia positio quæ statim ex intellectu suo non includit implicantiam, sed solum per consequentiam accidentalem vel locum extrinsecum rectè potest admitti, secus est in proposito, ubi conditio impossibilis per necessariam condi-

conditionem sine qua non, aut per consequentiam essentialem infert implicantiam, nimirum quia impossibilis illa hypothesis repugnansque subjecto cui adhibetur est de essentia vel intellectu prædicati, vel necessaria saltem conditio sine qua non, prædicatum affirmari valeat adeoque per consequentiam essentialem vel necessariam reddit resolutionem inutilem & affirmationem nugatoriam, inutilissimè enim quæritur in hypothesi an prædicatum conveniat, quod constat non posse convenire, nisi purificata conditione, quam constat purificari non posse; certum itaque est de illo negatoriè prædicatum affirmari.

189 *Scotus.* *Dices secundò*: Scotus 1.d.2.q.7.§. *Et tunc ad illud.* num. 23. ita habet: sic enim illud quod non producitur, esset realiter distinctum à producente: igitur quod modo sine productione insit, tamen virtute principii, quod esset productivum ejus, si posset distingui & pro tanto dicatur quasi productum, non variat formaliter actum ab illo, quo produceretur, si esset producibile. Ergo videtur *Scotus* admittere in Deo potentiam conditionalem. *Respondeo* negando *consequentiam*, quia Doctor ibi non statuit potentiam physicam in sensu prætenso, sed vult jam æque in Deo reperiri actum primum & secundum, esto hic physicè non producatur, quia sicut quasi producere & producere possunt dici actus ejusdem rationis, ita quasi productum & productum, quod nihil facit ad rem.

ASSERTIO VI.

Nulla quoque in Deo salvari potest potentia propriè physica per distinctionem Scoti seu ex natura rei formalem, ita ut detur physica activitas potentiæ intellectivæ Divinæ respectu suæ intellectionis dicta formalis ex natura rei.

190 *Effectu impossibili principium est impossibile.* PRobatur Assertio. Ex distinctione *Scoti* ad similem productionem nulla datur consequentia: prob. assumpt. tum ex suprad. quia nulla datur vera activitas aut productio physica ad realiter seipsum velut terminum, tum quia est repugnantia in terminis, quod detur potentia activa non fictæ & purè rationis, sed verè & realiter talis, quæ nullius actionis & termini alterius ab ipsa egredientis productiva sit, seu nihil omninò producere queat quid aliud enim est potentia physicè activa, quàm virtus agendi & alicujus termini productiva? ergo ubi est impossibilis actio & impossibilis terminus producendus, ibi est impossibilis potentia.

191 Probatur secundò ex dictis Tom. 2. Controv.5.q.4.art.2. & Controv.9.art.4.& passim inibi, quod distinctio extremorum non reddat potentiam physicè activam, sed aliunde hujusmodi activitas illi competat, necesse sit.

Dices: Esto distinctio formalis ex natura rei nullam conferat activitatem potentiæ intellectivæ, facit tamen ut possit per analogiam ad potentiam strictè physicam, quæ à termino suo realiter distinguitur concipi ut potentia physica largè sumpta. *Respondetur* neg. conseq. Angelus siquidem non ex analogia corporis, ad cujus modum concipitur, dicendus est corporeus, cum sit essentialiter Spiritus; ita nequit intellectus in Deo analogicè concipi, ut potentia etiam largè seu non præsè physica, quia id, sine quo potentia physica concipi nequit, essentialiter ipsi repugnat scilicet esse productivum termini à se physicè distincti; unde perperam *Quieros* apud *Ortegam* Controv. 2. *De Scientia Dei.* q.3. Certam.1.n.3. pro opposito hujus provocat ad nostrum *Smising* Tract. 3. de Deo d.2. q.1. n.13. aliosque *Scotistas*, qui tuentur distinctionem ex natura rei formalem, cum illi nihil aliud cum suo Magistro adsonent, quàm quod intellectio & volitio divina metaphysicè solum profluunt ab Essentia tanquam prima radice & ratione, eo quod à priori ipsum intelligere & velle Dei sit quid ex natura rei, vel saltem secundum nostrum modum concipiendi ipsis rationibus intelligendi & volendi posterius ex eo autem nequit inferri, nec à Scotistis infertur physica potentia, quæ activè eliciat causetvè illos actus, quibus repugnat esse terminos productiones physicâ causatos.

Analogia non salvat Alvarezetam.

192 *Corollarium.* *Ex dictis* sequitur nequidem per rationem physicam potentiam propriè dictam in Deo confingi debere, consequenter non rationis distinctionem aut prioritatem physicam actus primi à secundo sustinendam, ita ut si teneat ex parte rei conceptæ talem potentiam positivè tribuendo & quasi prædicatum intrinsecum separans à sua ratione intrinseca intellectionem & volitionem actualem; ratio est: tum quia primo omnis potentia physicè activa ac elicitiva etiam per rationem distingueretur per rationem non solùm præcisiva, sed exclusiva distinctione ab actu, cum aliter nullum prædicatum concipi queat ut potentia physica sui ipsius productiva in genere causæ efficientis, unde licet quis rudi primo & impolito conceptu intellectum divinum ita distingueret, talis lucidiori & philosophica ratione castigandus esset, & tum secundo quia eo ipso conciperetur actus secundus ut productus & physicè causatus, quod est repugnans prædicatis divinis: adeoque sine errore & falsitate ita concipi non potest.

ARTICV-

ARTICVLVS III.

Sententia Auctoris, dari in Deo rationem actus primi & potentiæ intellectivæ & volitivæ, respectu intellectionis & volitionis Divinæ.

N*ota*: Posse dari & assignari actum primum, qui referat rationem potentiæ respectu actus secundi, inde tamen inferri non posse actum primum distingui ex natura rei formaliter à secundo, ut infra ostendetur: Sit

ASSERTIO VII.

Intellectus & intellectio, voluntas & volitio in Deo ex proprietate sermonis non sunt conceptus synonymi, sed diversum habent significatum proprium, quod menti & audienti objiciunt ut diversa prædicata, quorum unum refert propriè actum primum, aliud propriè actum secundum.

193 P*robatur* Assertio. Ex modo loquendi SS. PP. & Conciliorum, quatenus duas in Christo constituunt voluntates & diversas earundem operationes, ut *Synodo* sexta sæpè & in Epist. *Agathonis* a. 4. duplex docetur operatio, divina scilicet & humana. Ac *Iustinus* Martyr aliique distinguunt voluntatem ab actu volendi in Deo, ut videre est *Tom. 2. Controv. 7*, q a de S. *Iustino* instituta art. 1.

194 *Probatur secundò*, ex Scriptura: ex illo ad Ephesеos: *Secundum propositum voluntatis suæ*, ubi propositum, significat Dei volitionem, hæc enim dicitur esse voluntatis divinæ nisi abusivè, & contra proprietatem Sermonis, quis dictum velit ab Apostolo propositum propositi, ut si diceres, gladius ensis, quod non credimus.

195 *Probatur* ex Scriptura & ratione in scripturis fundata Danielis c. 6. v. 21. & 26. c. 12. v. 7. c. 14. v. 4. 5. 24. Oseæ 1. v. 10. & alibi absolutè clamat Deum esse vivens intellectuale, atqui hoc nequit intelligi de vita solum radicali, quasi otiosa sine actu intelligendi, ne ut *Aristoteles* 10. *Ethicorum* ad c. 8. infra referendum num. 199. vivens intellectuale & quidem perfectissimum cui omnia alia vivunt, seu à cujus providentia pendent reliqua viventia, dormiens videatur, ergo de ratione viventis vita intellectuali & ex proprietate sermonis est quod sit potentia operans. *Subsumo*: ast licet denominari possit, nequit constitui potentia essentialiter operans per ipsam operationem intellectionis, volitionis: ergo ex modo & proprietate locutionis *Scripturæ*, præter hæc prædicata, dari debet aliud, quod sit potentia. *Conseq.* patet, *anteced.* prob. tum quia operatio in linea intellectionis in Deo est ipsa beatitudo Dei, sed beatitudo non est ipsa potentia beata, ut patet; tum etiam quia operatio in nulla linea salvari potest, sine habitudine quadam saltem rationis ad potentiam sui quasi principium; sed operatio ne quidem per rationem dicit habitudinem ad seipsum, ut ad potentiam. m. prob. nihil potest per rationem dici ad seipsum seipso prius & posterius, quod tamen esset dicendum: ergo eo ipso quo est Deus operans vita intellectuali, actum secundum vitæ in ipso admittere oportet.

Deus est necessario operans intellectualiter.

Probatur Assertio auctoritate *Scoti* 3. d. 32. Q. un. in fine quæstionis in responsione ad primum, ubi expresè adstruit habitum in Deo ab omni imperfectione depuratum, ajens: *Dico quod habitus habet aliquid perfectionis, & quo ad hoc ponitur in Deo; quod autem requirit imperfectionem in perfectibili, hoc est per accidens, & sic non est ibi, unde in Deo est per identitatem cum potentia, cum quodlibet sit infinitum.* Sed habitus spectat ad actum primum, imò ut infra suo loco est formaliter ipse actus primus, habitus enim superadditus excluditur à principio intelligendi & volendi, quod ex se sufficiens est infinitum ad intelligendum & volendum: ergo.

Probatur ratione & est confirmatio priorum: 196
Dantur in Deo prædicata, quæ proprietate sermonis spectant ad actus primos intelligendi & volendi: ergo nequit in Deo actus primus negari. *Conseq.* patet, quia illa prædicata ad actum primum se habent ut effectus formalis ad formam, sed patet, quod non possit adesse alius effectus formalis, aut esse concretum sine forma. *Anteced.* prob. Deus proprietate sermonis verè & propriè est potens intelligere, ergo propriè habet potentiam intellectivam, & sicut habet potentiam intellectivam, ita propriè est intelligens: ergo est in Deo id, quo Deus intelligit, & id, quo formaliter redditur intelligens,

In Deo esse, quo intelligit & quo formaliter denominatur intelligens diversa sunt.

gens, scilicet intellectio: sed hæc respectu potentiæ intellectivæ se habet per modum actus secundi, & potentia respectu hujus ut actus primus, *ergo*: *assumpt.* prob. de formalitate intellectionis est esse repræsentationem formalem sui objecti, de ratione potentiæ intellectivæ autem ulterius requiritur, ut sit radix & principium à quo intellectionem metaphysicè vel secundùm nostrum modum concipiendi quasi perpetim scaturire & per habitudinem & egressionem quandam ab illo principio in esse operationis constitutam censeamus, id enim nomine potentiæ intellectivæ contendimus, quod sit prædicatum & ratio quædam, quæ in Deo sit & intellectionis radix; *ergo* dicendum, quod dentur in Deo actus primus & secundus.

197 Probatur *sextò*: Actus primus seu potentia intelligendi, dummodo non sit aut esse possit conjuncta cum privatione actus, est perfectio sine imperfectione: ergo datur in Deo realiter, non minus quàm sapientia, omnipotentia, & aliæ hujusmodi perfectiones simpliciter. *Antecedens*, quod solum probatione eget, *probatur*: tota imperfectio actus primi est, quod brat possit esse conjuncta cum privatione actus & judicari *esse in potentia*, possitque doceri, quod sit assignabilis perfectio, quæ sit melior ipso actu primo, & incompossibilis cum illo: hoc non, quod prob. vel enim hoc ideo esset, quia dicit repugnantiam dari actum primum sine privatione actus secundi, cùm enim actus primus comparetur ad secundum, ut potentia ad actum, ut via ad terminum, implicantiam dicit; quod idem respectu ejusdem sit in potentia & in actu, via & in termino, consequenter implicantiam dicit, idem habere perfectionem actus primi & secundi, proinde perfectio actus secundi est incompossibilis cum actu primo, & perfectio actus secundi cum sit perfectio ultima & magis actualis erit melior actu primo & sic insuper est perfectio cum imperfectione, verum hujus, quod est præcipuum *adversariorum* fundamentum, expedita est solutio ex supradictis, negando scilicet potentiam intellectivam in Deo. (idem est de volitiva) dicere essentialiter physicam ad suum actum, quod in argumento supponitur, efficientiam & distinctionem, unde sequitur esse repugnantiam, quin sit aut saltem possit esse conjuncta potentia cum privatione actus, ex quo nostra ratio roboratur, nam etsi possit concipi intellectio & vita actualis pro aliquo posteriori sine potentia & vicissim hæc pro aliquo priori sine intellectione realiter tamen ac identicè per suam infinitatem sibi sunt identificata, ut implicet admitti Deum esse in potentia ad intelligendum, ita ut sit primò intelligens & actu volens, & postmodum actu intelligat & velit, sed semper est actu intelligens & actu volens ut ibi non sit via ad terminum, via enim realis ac non ficta ejusdem ad seipsum concipi nequit, sed semper potentia actui realiter conjuncta, sicut enim tunc maximè res est, cum est, tunc maximè causare potest, cùm causat, tunc potentia maximè producere potest, cum producit, ita maximè est potentia & actus, quando semper potentia est in actu, ad quam nunquam fuit in potentia.

Actus primus in Deo est perfectio sine imperfectione.

ASSERTIO VIII.

Potentia intellectiva (idem esto de volitiva) quæ asseritur actus primus intelligendi in Deo non est pura potentia logica seu non repugnantia terminorum, sed potentia physica, quatenus contradistinguitur à potentia purè logica, non ut importat activitatem physicam, quæ in actum physicè distinctum exerceatur, & quæ ad producendum aliquid physicè denuò est quid diversum à se ipso, sed potentia physica largè sumpta pro vera potentia realiter per actum perceptiva objecti, circa quod versatur, ita ut illud ad se repræsentatione formali seu cognitione sibi realiter identificata trahere, eique motione objectiva non effectiva vel quasi effectiva assimilari potens sit.

198 HOc Assertum, si distinctè potentiæ physicæ largè acceptæ à potentia physica præcisè sumpta benè penetretur non habet difficultatem:

Prima part prob. ex dictis *art.* 1. de *potentia logica*, quæ nullatenus est perfectio diversa ab existentia rei, qualis nulla est, ut diximus l. c. aut esse potest, quin sit possibilis, habeatque non repugnantiam essendi, cùm nihil aliud, quàm illa non repugnantia terminorum, seu potentia, non operandi sed essendi in se illud ipsum cujus est potentia logica sive possibilitas est, qua ratione potentia logica non competit solum potentiæ intellectivæ sed & ipsius operationi. quod nequit dici, ut patet, sumendo potentiam in proprietate sermonis.

Quamobrem impertinenter discurrunt, qui volunt potentiam intelligendi & volendi, quæ *Potentia logica* tor-

eum physica largè sumpta, nequit confundi. concipitur in essentia metaphysica Dei ad intellectionem & volitionem esse ipsam potentiam logicam, qua explicetur sufficienter Deus *potens intelligere*, manifestum enim est, intellectionem ipsam è sua possibilitate non posse dici potentiam intellectivam, neque ab illa constitui proprietate sermonis potens intelligere, alioquin cum idem esset de nostra intellectione, tam in Deo quam in nobis, duplicem intellectivam potentiam ac duplicem etiam voluntatem haberemus, quod boni philosophi auris nec audire volet.

Secunda pars, quod potentia in Deo non importet activitatem physicam ulteriori, præter ea quæ dicta sunt art. 2. probatione non eget.

199 *An potentia intellectiva Dei verè aliquam intentionalē prioritatem sortiatur respectu sua intellectionis.* *Tertia* itaque *pars probatur primò* ex infinitate divini intellectus, qui pro objecto habet & percipit omne intelligibile, quantum absque imperfectione intelligentis percipi potest, cum alioquin Deus non viveret vita actuali, nequit enim actu vivere, nisi percipiat actualiter ea, circa quæ versatur: atqui de conceptu vitæ actualis universim sumptæ est immaneus operatio, & de ratione immanentis operationis est habere principium objecti perceptivum in vivente seu in intellectualiter operante in eo genere, quo vivens vivit; ergo Deus vivens in genere vitæ intellectualis verè habet verum principium vitæ ad vitaliter objectum percipiendum, & hoc cognovit ipse *Aristoteles* 1. *Ethic. c. 8. vivere Deos universi putant, quare & operari, non enim oportet eos dormientes fingere, ut Endymionem, viventi igitur ei* (Deo) *cui actio & multo magis effectio adimitur, quod præter contemplationem relinquitur?* quare Dei operatio cum beatitudine præcellat, contemplativa erit, ubi malè pro *effectio* apud quosdam Auctores legitur *affectio*, legitur enim - - - τῷ πράττειν quod agere significat, ἢ ποιεῖν *& c. ar.* id est *effectio, efficere* &c. agnovit itaque *Philosophus* veram & realem operationem in Deo, quæ physica actio aut effectio non fit, cùm autem implicet esse veram operationem in aliquo genere, quin in eodem sit potentia operationis perceptiva, indubiè talis erit vis intellectiva & volitiva. *Aristoteles.*

200 *Probatur* eadem pars *secundò* ex Doctore *Subtili* variis locis, quibus ostendit Essentiam Divinam esse primum divini intellectus objectum, signanter *Quodl.* 14 art 2. §. *Hic intelligendum est*: docet, quomodo Essentia Divina intellectum Divinum primò moveat ad cognitionem ipsius Essentiæ, & quomodo ad cognitionem aliorum, v.g lapidis in eadem Essentia, quod ibi subtiliter prosequitur, & communiter idem tenetur ab aliis Theologis: sed Essentia Divina movet intellectum intentionali quadam & objectiva motione, quia ut habet Doctor 1. d. 3. q. 3. §. *Alia est opinio*, versu: *præterea certum est, Essentia Divina ideò est primum objectum intellectus divini, quia ipsa sola movet intellectum Divinum & ad cognoscendum se, & omnia alia cognoscibilia ab ipso intellectu*, quod certè fieri non posset, nisi intellectus esset potentia realiter per actum perceptiva, aut tendens perceptivè in objectum: ergo licet ipse non producat physicè & effectivè operationem intellectionis, vitaliter tamen per illam objectum apprehendit & intelligit, & per omnia objectum ad se intellectuali vitalitate trahendo percipit, percipiens fœcundatur, adeoque illi perfectissimè assimilatur, nec potest in hoc, ubi non discepatur de nomine, esse difficultas ulla, eò quod potentia operativa realiter perceptivè solum, id est, non effectivè operationis & physicè productiva excludat omnem distinctionem realem potentiæ ad operationem, omnemque causalitatem, quæ potentialitatem vel contrahibilitatem aliamvè involvat imperfectionem. *Scotus.* *Perceptio vitalis non arguit effectionem physicam actus.*

Dices: quando concipimus in Deo potentiam ut actualiter perceptivè solùm operantem, non autem realiter activè producentem, apprehendimus actum primum seu potentiam & actum secundum, non ut conceptus connexos in ratione principii & principiati, sed quasi disparatè & inordinatè velut alia attributa, v. g. liberalitatis & justitiæ, quæ nullam de se dicunt connexionem potentiæ ad actum: *ergo* &c. *Anteced.* prob. illa quæ quoad nostrum modum concipiendi nullum inter se referunt activitatis & productionis ordinem, nequeunt apprehendi in ratione principii & principiati; atqui sic esset in proposito. 201

Respondetur disting. *anteced.* quod si, quantum ad nostrum modum concipiendi, intelligantur jam absque ulla emanatione & connexione metaphysicæ productionis ac prioritatis, quam absque productione & prioritate physica, tunc non concipiantur in ratione principii & principiati, *concedo*, quæ alterutro modo apprehenduntur, nego *anteced.* certum est autem, quod facultas intellectiva & volitiva in Deo & earum actuale exercitium intelligendi & volendi cum ea connexionis habitudine apprehendi possint vi emanativæ productionis & metaphysicæ prioritatis, ut diversos quidem dicant conceptus, sed in ratione principii & principiati inter se connexos. Simili quippe ratione ex communi doctrina *Scotistarum*, esto nulla intercedat causalitas & prioritas realis inter immutabilitatem & æternitatem, nihilominus immutabilitatem ut principium æternitatis concipimus, quia talis inter utrumque prædicatum est connexionis ratio, quæ præstat ad metaphoricam emanationem æternitatis ab immutabilitate, ac si inter ea attributa dari posset distinctio.

* * *
* *

ARTICU-

ARTICULUS IV.

An ſublata diſtinctione formali ex natura rei, nihilominus ad conſtituendum in Deo actum primum & ſecundum inter potentiam intellectivam & intellectionem, inter voluntatem & volitionem, ſuppetat diſtinctio rationis?

ASSERTIO IX.

Advocata hypotheſi, quod in ſententia Scoti inter intellectum in actu primo & intellectionem; item voluntatem in actu primo & volitionem non eſſet diſtinctio formalis ex natura rei, ſed quidditativa eorum tranſcendentia potius aſtruenda ſit, poſſet quidem doctrina data ſuperius defendi per analogiam ad creata connotata, quatenus adhuc per diſtinctionem virtualem extrinſecam inadæquato conceptu apprehendi poſſent ut actus primus & ſecundus, probabilius non poſſet per emanationem quaſi logicam & rationis, quæ ſe tenent ex parte rei conceptæ, ita ut non ſit ibi conſtituenda diſtinctio virtualis intrinſeca ſeu rationis ratiocinatæ cum fundamento ab ipſa repetito.

202 Probatur prima pars: quia concipi intellectum & voluntatem per modum actus primi ſecundum emanationem extrinſecam ad principium ſuppoſiti creati & intellectionem per modum actus ſecundi per ordinem ad principiatam intellectionem creatam nullam intrinſecam dicit imperfectionem in Deo potentialitatis & receptibilitatis intra illum conceptum: *ergo* Deo deferri poteſt. *Anteced.* patet: quia hujuſmodi conceptus ſe tenet ex parte modi cognoſcendi, non ex parte objecti cogniti: ergo nec ipſa emanatio & diſtinctio ſe tenet ex parte objecti: ergo nullam in illud inducit imperfectionem.

203 Probatur ſecunda pars: quia data hypotheſi, quod non detur diſtinctio *Scoti* voluntatem inter & intellectionem, ſed ut vult *Aureolus* abſolutè & *Brinzenno* probabiliter, de quo art. ſeq. quod actus primus eſſentialiter tranſcendit actum ſecundum & exercitum, ita ut intellectus & voluntas divina per tranſcendentiam quidditativam imbibant ipſam tendentiam exercitam, jam intrinſecè repugnat illa concipi poſitivè & intrinſecè ut duo prædicata ſeu cum fundamento rei quaſi intelligibiliter diſcreta. Anteced. *prob.* quia conciperetur modo ſibi intrinſecè contradictorio ſuique deſtructivo, nempe quod unum & indiviſibile eſt velut diſtinctum & diviſibile à ſeipſo uno ſub affectionibus entis oppoſitis.

Nec intellectus noſter Deo deferre poteſt prædicatum actus primi ſine incluſione formali actus ſecundi.

Dices: Nulla eſt implicantia intellectum concipi ut quid intrinſecè prius reſpectu ſuæ intellectionis etiam ſecundum logicam vel conceptibilem emanationem, ſed talis emanatio involvit diſtinctionem & pluralitatem cum fundamento intrinſeco ſive per æquivalentiam ex natura rei conceptæ inter intellectum ſcilicet & intellectionem: *ergo*: *maj.* patet, *min.* prob. non enim magis repugnat emanatio iſta logica intellectui reſpectu intellectionis, & voluntati reſpectu volitionis, quam Eſſentiæ Divinæ reſpectu attributorum logicè ſaltem emanantium ab Eſſentia, imò de facto intellectus idem eſt de voluntate pro aliquo priori rationis concipitur ut principium reſpectu ſui actus, ſed hoc eſt concipi per modum actus primi, nempè pro aliquo ſigno antequam concipiatur emanatio actus intellectionis aut volitionis à tali potentia. 204 *Objectio.*

Reſpondeo neg. maj. ad cujus probationem nego paritatem, quia eſto Attributa ab Eſſentia Divina ante mentis operam non diſtinguerentur, adhuc non eſſent de conceptu Deitatis, quam illa tunc ſaltem ſecundum noſtrum modum concipiendi ſupponunt adæquatè conſtitutam, intellectus verò & voluntas in illa hypotheſi per quidditativam incluſionem ſe mutuò tranſcendunt ac imbibunt, unde licet non repug- *Solutio.*

I net,

net, ut benè instantia probat, illa concipi per modum actus primi ob logicam emanationem intellectionis & volitionis, verum ut dixi, hujusmodi emanatio & distinctio nequit peti ex parte rei seu cum fundamento in re, eo quod conceptus intellectus per modum actus primi excludat conceptum actus secundi, qui scilicet in illa hypothesi mutuæ imbibentiæ quidditativæ intrinsecè contradicit actus transcendentiæ.

205 *Instabis*: Si daretur distinctio Scoti inter potentiam & intellectionem vel distinctio realis, teneret distinctio virtualis intrinseca sive rationis ratiocinatæ cum fundamento in re: ergo & de facto: anteced. patet ex data doctrina; conseq. prob. ex Scoto 1.d.2.q.7. §. *Et tunc ad illud.* n.23. ita inquit: *Si enim illud quod non producitur, esset realiter distinctum à producente, esset verè productum à producente: igitur quod modo sine productione sit, tamen virtute principii, quod esset productivum ejus, si posset distingui & pro tanto dicatur quasi productum, non variat formaliter actum ab illo, quo produceretur, si esset producibile.*

Respond. conced. *anteced.* neg. *conseq.* ad cujus probationem nihil servit ille locus *Scoti*, alioqui etiam exinde obtineretur vel distinctio ex natura rei contra hypothesin, vel realis, contra veritatem; vult ergo solum *Doctor*, quod sicut quasi producere & producere possint aliqua ratione dici actus ejusdem rationis, ita quasi productum & productum, in hoc scilicet sensu, quod sicut producere ad productum, secundum nostrum modum concipiendi non quasi disparatè inter se comparantur, sed connexè in ratione principii & principiati, ita cum simili connexionis habitudine apprehendi debeat quasi productum ad quasi producere, quatenus si realis distinctio inter hujusmodi conceptus interesset, sicut intercedit in creatis, posset etiam illud realiter & physicè producere, ubi Doctor loquitur de actu improducto per analogiam ad creata, quo titulo magis facit pro nostra doctrina, quàm pro opposita.

Instantia nil obtinet.

206 *Instabis* secundò. Doctor expressè 1. d.2. q.2. §. Nunc ulterius. nu. 22. ita habet: *Velle igitur quasi posterius voluntate; si igitur velle est idem illi natura, multo magis voluntas.* & mox: *Sequitur quod ipsa ratio intelligendi se sit eadem sibi, quia necessè est rationem intelligendi esse ex se necesse esse, ratio enim intelligendi se quasi præintelligitur ipsi intelligere.* Ex quo textu, si non obtineatur distinctio ex natura rei, ut putant aliqui Scotistæ, saltem habebitur distinctio virtualis intrinseca, seu rationis ratiocinatæ cum fundamento ab ipsa re petito. Sequela patet; quia inde Scotus probat intellectum & voluntatem realiter identificari cum Deitate, quia intellectio & volitio illi realiter identificantur, quæ secundum nostrum concipiendi modum sunt quid posterius, unde Doctor, *ratio intelligendi se quasi præintelligitur ipsi intelligere*, quæ sane præsuppositio se tenet ex parte objecti. *Respondeo* ad inferendum, quod *Scotus* ibi intendit, sufficere distinctionem per analogiam ad creata, sicut enim in creatis intellectus est intimior substantiæ intellectuali, à qua non distinguitur realiter, quàm intellectio, quæ realiter distinguitur ab illo, ita proportionatè si in Divinis intellectio sit idem realiter Divinæ Essentiæ, multo magis ipse intellectus, quæ deductio per dictam ex creatis, analogiam optimè stat & cohæret menti Subtilis, absque eo quod admittatur in dicta hypothesi distinctio rationis, quæ se teneat ex parte rei.

Dices: Etiam data hypothesi, quod se mutuò transcendant & quidditativè imbibant intellectus & intellectio, voluntas & volitio adhuc nihil obstat inter illa concipi distinctionem, quæ se teneat ex parte rei conceptæ: ergo: anteced. prob. Paternitas de facto subit rationem *hypostasis*, *dictionis* & *relationis* cum transcendentia formali horum prædicatorum ex natura rei, sed ibi in paternitate ut *dictione* & *habitudine* ad genitum obtinetur distinctio intrinseca virtualis seu rationis ratiocinatæ cum fundamento in re ipsa invento: ergo idem est de intellectu & intellectione, voluntate & volitione, esto se mutuò transcendant. *Respondeo* hoc argumentum opinioni huic hypotheticæ videri posse satis molestum, *respondetur* tamen negando *antecedens*, ad cujus probationem hic breviter *dico*, non esse ob datam rationem supra sub n. 202 eandem rationem inter intellectum & intellectionem, & paternitatem ut gerit munus dictionis & inter eandem ut gerit munus relationis; intellectus siquidem & intellectio, deinde si distinguerentur virtualiter intrinsecè, id est, distinctione rationis ratiocinatæ sive cum fundamento petito à re ipsa seu ab intrinseca rei proprietate facerent inter se (non quidem quasi distinctio sit convertibilis cum positione) sed ex particulari ratione perfectibilis & perfectivi compositionem rationis in Deo, qualem esse explodendam à Divinis ostensum est Tom. 2. Controv. 3. q. 3. secus est de paternitate ut gerit munus dictionis & habitudinis realis ad terminum productum, ubi virtualis distinctio non tam à Paternitate secundum suam entitatem intrinsecè spectata, quam propter diversa munia, quæ obit, concipitur quasi distingui à seipsa, sed de hoc qualiter philosophandum, redibit sermo suo loco. 207

* * *
* *

QUÆSTIO

QUAESTIO III.

Resolvitur altera pars principalis hujus Controversiæ, qualiter inter se distinguantur potentia intellectiva ab intellectione, volitiva à volitione?

SUMMARIUM.

1. *Rejiciuntur quædam argumenta tanquam infirma ad probandam assertionem. n.208.*
2. Doctor Subtilis *explicatur ad meliorem intellectum n.209.*
3. *Deo inesse honorabile, qui accipiendum venit? ibid.*
4. *Realis extensio actus primi in Deo ad actum secundum constituitur in adæquatione transcendentia actus primi cum secundo, n. 210.*
5. *Ostenditur expressius cur intellectus & intellectio, voluntas & volitio non sint formaliter ex natura rei diversa? ibid.*
6. Scotus *in oppositum allegatus interpretationem admittit. n. 211.*
7. *Probabilius asseritur distinctio formalis ex natura rei inter intellectum & intellectionem, item inter voluntatem & volitionem.*

EMinentissimus *Aureolus* noster, cui adhærent multi Recentiores & ex Scotistis *Brinzenno* probabiliter *Tom.* 2. de Deo. *Contrprincipal.* 11. *art.* 1. num. 9. & d. *l.* in ejusdem Controversiæ *Appendice* art. 1. num. 27. & seqq. de actualitate voluntatis divinæ, nedum vult distinctionem ex natura rei, sed & factam operâ rationis, quæ se tenent ex parte rei conceptæ ab intellectiva & volitiva prorsus removendam potentia, ita ut statuat attributum voluntatis adæquatè positum in actuali exercitio ac nulla via in conceptum signatum seu actum primum & conceptum exercitum sive secundum resolvi posse.

ASSERTIO,

Probabile est, vim intellectivam, idem esto de volitiva respectu volitionis per essentialem transcendentiam imbibere intellectionem, esto à nobis conceptu inadæquato per analogiam ad creata apprehendatur illa vis ut non exercita & terminata actualiter ad objectum, & ita ponatur per rationem actus primus & secundus in Deo.

207 PRo hac Assertione *Aureolus* apud *Smising* Tract. 3. de Deo. disp. 2 de intellectu Divino. q. 1. n. 12. & apud *Brinzenno* ll. cc. acutissimas adducit rationes, quas videre licet apud illos. Potest autem probari ex S. Scriptura *psal.* 118. ubi Psaltes geminatis vocis exposcit rogans: *Da mihi intellectum*, sed non exposcit facultatem & potentiam intellectivam, ut patet, sed intellectionem, ad cognoscendam & scrutandam legem & mandata Dei, ergo intellectus & intellectio formaliter idem sunt; sed hoc argumentum, etsi ex aliis Scripturæ locis ampliari possit, non urget, quia ut ex aliis ibi colligitur, petit intellectum, id est, potentiam ab erroribus & sæculi vanitatibus & cupiditatibus expeditam ad scrutandam legem & servanda mandata Dei, potentia siquidem vanis irretita mundique illecebris præoccupata ac implicata ad ejusmodi mandata perscrutanda est quasi non esset, quomodo intellectus delirio occupatus est quasi non esset intellectus. Deinde valdè impropriè David petendo intellectionem usurparet nomine intellectus, siquidem illum petit, ut scrutetur & consideraret Dei mandata, intellectio enim esset ipsum scrutiniū &c. *Psal.* 118.

208 *Brinzenno* l. c. probat Assertionem ex verbis *Scoti* 1. d. 7. q. un. n. 7. ajentis: *Alio modo dicitur potentia divisa contra actum, ista non est in Deo*, ubi illa verba *potentia divisa contra actum* amplius exprimunt, quam solam divisionem aut separationem entitativam potentiæ ab actu, cum talis contradicat cuilibet perfectioni divinæ, esto non compareturad suum actum, voluntati enim divinæ repugnat dividi ab intellectu divino ea divisione, quæ destruat identitatem entitativam, quare ea locutio Scoti pressiùs accipienda, ut removeat à summa actualitate intellectus & voluntatis respectu actus sui omnem etiam distinctionem formalem ex natura rei, ita ut intellectus & intellectio inter eandem unius rationis objectivæ contineantur lineam, nec unum transcendat aliud. *Scotus.*

Quod confirmat ex Doctore 1. d. 2 q. 7. n. 25. ita loquente: *Si Pater esset memorialiter noscens, non autem intelligens, non esset perfectus, non obstante identitate memoria ad intelligentiam*, quasi Doctor diceret conformiter ad illa verba: *Non est in Deo potentia divisa contra actum*, etiam data reali identitate memoriam sine intelligentia non esse perfectam intra rationé vel conceptum objecti- *Per quid Deo insit honora-*

bile ex mente Philosophi Scoti. objectivum memoriæ, proinde ab essentiali conceptu memoriæ Doctor non excludit formaliter ex natura rei intelligentiam, potestque iterum confirmari ex *Quodl.* 1. §. *Quantum ratio sumitur.* n. 13. ubi in fine sub n. 14. cum Philosopho 12. *Metaphys.* tenet Deo *per intelligere honorabile inesse*, id est, per actuale exercitum intelligere: igitur formalitas intellectus ut excludentis ex natura rei intellectionem, sicut non est formaliter intelligens vel operans per formam intellectionis, quæ vocatur actio grammaticalis, ita nec honorabile est intra lineam actus primi ut distincti ex natura rei ab actu exercito, per intelligere enim Deo honorabile inest.

209 Verùm has *Brinzenno* rationes, Scotistæ ad tutandam distinctionem formalem inter potentiam & actum facilè explodent, eò quod nimiũ, ac proinde nihil probent in Schola *Scoti*, nam est indubitatum nõ contradicere Deo, nullamvè dicere imperfectionem, quod intellectus & intellectio non spectet ad Deitatem in primo modo dicendi per se, sed sint ex natura rei formaliter distincta, cor ergo contradiceret Deo diversam assignare lineam illimitationis ex natura rei formaliter distinctæ, aliã scilicet intellectus in ratione actus primi, aliam intellectionis in actu secundo, & quod illimitatio, ut attinet ad actum primum à parte rei non imbibat per transcendentem formalem lineam actus se-

Scotus explicatur. cundi, licèt nunquam ob realem identitatem tolli queat realis extensio actus primi ad actum secundum, in quo sensu Doctor solum obtendit, *non dari potentiam divisam contra actum*, prout divisio stante identitate reali removet ab actualitate potentiæ extensionem ad actum, quod & expressè adsonant illa verba secundi loci, *si Pater esset memorialiter noscens, non autem intelligens non esset perfectus*, (puta) quia quod in Deo impossibile est, cessaret ab actu, eò autem, quia necessaria sit talis extensio actus primi ad actum secundum, consequens non est, quod per inclusionem qoidditativam unum transcendat alterum, sed satis est, si formalitas unius in sensu solum præcisivo, non tamen negativè excludat formalitatem alterius, quod non facit distinctio *Scoti* formalis, ut fusè ostenditur *Tom.* 2. *Controvers.* 3. q. 1. *in responsione ad argumenta*, & q. 3. *in responsis* ad rationes *Poncii* & alibi, quod ergo apud *Scotum* ex Aristotele honorabile Dei est Deo per actuale & exercitum intelligere perperam infert *Brinzenno* l. c. n. 106. illud non deesset Deo intra lineam intellectus ut distincti ex natura rei ab actu exercito sive secundo, quia sic nec ipsi Deitati inesset honorabile Dei, quæ utique ex mente Brizenno ex natura rei formaliter distinguitur ab intellectu & intellectione, sicut enim Deitas intra lineam Deitatis non est formaliter ipsum intelligere, nec forma intellectionis, quæ vocatur operatio aut grammaticalis actio, ita Deitati intra suam lineam non inesset honorabile Dei, quod est absurdum, & à *Scotista*, qui supponit non posse non extendi actum primum in Deo ad actum secundum; imò ne quidem intelligibiliter ab illo cessare inconsequenter censetur assertum.

Probatur itaque Assertio nostra *ratione*: Illa 210 ipsa realis extensio actus primi ad secundum non est intelligenda quasi potentia in solo sensu compositionis includeret actum secundum, sed quasi potentia ut quid prius per influxum metaphysicum componeretur actui pro aliquo signo ut quid posterius egredienti, sed est adæquatè posita in quidditativa transcendentia actus primi cum secundo, nullatenus in duas resolubilis formalitates: ergo non est ibi distinctio, formalis ex natura rei. *Anteced.* prob. quia prædicatum intellectus & voluntatis in actu primo, quod asseritur ab aliis Scotistis formaliter *Extensio actus primi ad secundum in Deo consistit in adæquatione transcendentia primi cum secundo.* distinctum ex natura rei ab actu secundo vel exercito est essentialiter illimitatum intra rationem actualitatis exercitii, ita ut à ratione sua essentiali imbibat ipsam ultimam & terminatissimam operationis completionem, ergo adeoque transcendentiam quidditativam. *Anteced.* prob, alioqui potentia intellectiva in Deo, imò ipsa realis extensio actus primi ad secundum minus esset idem cum intelligere Dei exercito, quam intelligere nostrum cum expressione objecti, id est, quàm intellectio cum seipsa, sub hoc videtur repugnans prædicato essentialiter illimitato intra rationem apprehensionis vel impulsus: *maj.* patet, *min.* prob. tam implicat prædicatum virtutis operativæ essentialiter illimitatæ intra conceptum impulsus, ut à ratione sua objectiva & essentiali semovear oltimam terminationem actualem in objectum apprehensionis exercitæ vel impulsus actualis, quam implicat nostrum intelligere removere expressionem objecti; *ergo*: *anteced.* prob. intellectus divinus est actus purus & illimitatus non solum in esse entis aut talis entis intellectivi, sed etiam in esse actualis apprehensionis intra suam lineam ambiens quidquid est actualitatis intra conceptum formæ intelligibilis, ut opus non habeat aliqoo distincto, quo conenir actualiter in objectum, idem est de voluntate quo adesse actuale: ergo æque implicat ipsum actuale intelligere Dei esse distinctum, seu formaliter extra ambitum intellectus divini, quam intellectionem nostram extra expressionem objecti seu extra seipsam.

Confirmatur ex dictis *Controv.* 10. Assert. 1. & 2. quæstionis secundæ, & q. 3. assert. 1. & 2. consultius est non multiplicare formalitates in prædicatis absolutis Dei absque cogente ratione, qualis non videtur esse in proposito, ut videbimus ostendendo qualiter & in quo sensu intellectio divina secundum *Scotum* in Patre non spectet ad principium quo productionis Verbi, ex hoc enim solo oriri posset difficultas, illa ergo sublata incassum distinguimus ex natura rei formaliter in Deo intellectum & intellectionem, voluntatem & volitionem in duas formalitates objectivas.

Objiciunt Scotistæ communiter locum su- 211 pra productum ex Scoto 1. sentent. 2. q. 2. §. *Nunc ulterius*. n. 22. ubi expressè ex ordine, qui est inter intellectum & intelligere, voluntatem & velle probet ordinem inter Essentiam, intellectum & voluntatem dicens: *esse intelligi*

quasi

quasi posterius voluntate. Si ergo velle est idem illi natura, multo magis voluntas, & mox: *ratio intelligendi se quasi præintelligitur ipsi intelligere*. ex quo textu *Smising* l. c. & ex ipso *Frassen* Tract. 2. *de Deo*. d. 1. q. 1. n. 3. putat Doctorem apertè indicare intellectionem & vim intelligendi ex natura rei esse distinctas, & probat *Smising*, quia alioqui *Scotus* peteret principium, si ex ordine, non qui est inter intellectum & intelligere, voluntatem & velle, sed qui fingeretur esse probaret ordinem inter Essentiam & intellectum & voluntatem, nam idem erit hoc, atque probare intellectum & voluntatem realiter identificari Essentiæ, quia intellectus & voluntas (a quibus non verè, sed fictè dicuntur distingui intelligere & velle) realiter identificantur Essentiæ. Ita *Smising*. Verùm supra ostendimus, nequaquam per hunc textum doceri distinctionem ex natura rei, sed rationis per nostram inadæquatam rationem intelligendi ex analogia ad creata, ex quibus cum ipsa potentia intellectiva & volitiva in creatis intimior & vicinior existit intellectuali substantiæ, quàm intellectio, per analogicam comparationem rectè infertur, si in divinis actualis intellectio non differat ab Essentia Dei, multo minus ipsa facultas intelligendi, cum etiam in creatis non ita cohæreat substantiæ creatæ, sicut ipsa vis & facultas intelligendi. imò si rectè attendatur ad phrasin *Scoti*, alia ex illo nequit probari præsuppositio vel anterioritas intellectus ad intelligere, & voluntatis ad velle, quam quæ resultat ex nostro modo concipiendi, ideo enim non absolutè sed similitudinariè astruit illam inter intellectum & intelligere divinum, *sed ratio intelligendi se*, quasi, inquit, præintelligitur ipsi intelligere, similiter *velle intelligitur, quasi*, inquit, *posterius voluntate*. Puta ad modum, quo illa sic in creatis secundùm ordinem præsuppositionis inter se intelliguntur.

ASSERTIO II.

Salva doctrina Scoti 1. d. 2. q. 7. n. 23. quòd in Deo principium productivum, id est memoria divina includens intellectum in actu primo verè condistinguatur à principio operativo, quod est idem intellectus, ut subest operationi, seu ut tale dicitur respectu actus intelligendi ad mentem ejusdem inter intellectum & suam intelligentiam (de voluntate & volitione idem est) distinctio formalis ex natura rei, longè probabilius asseritur, quam alia rationis à nostra fictione & analogia mentis creatæ.

212 HUic Assertioni consonant dicta in *Controv.* superioribus, signanter *Controv. 9.* q. 5. sub *Assert. 1. prob. 3.* Probatur ex *Scoto* l. c. ubi expressè habet: *Neutrum istorum principiorum includit aliquam imperfectionem, non magis in quantum productivum, quàm in quantum operativum; nec unum ad alterum reducetur ut ad prius natura, nec ambo ad tertium propter idem, quia neutrum est imperfectum*: Hic locus non solum interimit hypothesin supra *art. 4.* expressam, adeoque justificat ea quæ de actu primo & secundo seu de potentia in Deo admittenda statuimus *art. 4.* Si enim intellectus in actu primo memoriam constituit in quantum condistinguitur ex natura rei formaliter ab operatione vel actione grammaticali (si enim Doctor appellat intellectionem in quantum respondet creatæ intellectioni dictæ *grammaticalis actio*, esto sit mera qualitas) adeoque intellectio divina non attineat ad memoriam intrinsecè & formaliter cointegratam, extra dubium est dari in Deo rationem actus primi potentiæ intellectivæ art. 3. *Assertione* 7. assertam, & Assert. 8. explicatam, sed & optimè per hunc locum probari præsens assertum sic ostendo: secundum *Scotum* neutrum principium putà productivum & ut condistinctum ab operativo, & vicissim, operativum ut distinctum à productivo, id est, nec intellectus ab intellectione condistinctus, nec intellectus ut intellectioni subest, includit imperfectionem: ergo dantur in Deo formaliter ista principia ut distincta: *anteced.* patet ex textu, *conseq.* similiter, quia utrumque principium simpliciter & absolutè perfectio: ergo Deo deferenda.

Intellectu distingui ab intellectione probabilius asseritur.

Occurrit *Brizenus*, cui oppositum magis placuit l. c. n. 92. licet intellectus divinus sit perfectus & infinitus, in quantum concipitur ut vis ad intelligendum, qua ratione constituit memoriam prout ab intellectione præscindit, non tamen quatenus illam excludit, sed hoc non stringit, quia ut statim supra sub assertione 1. n. 209. & locis citatis ostendi, distinctio *Scoti* stat cum sola præcisione ex natura rei absque exclusione alterius rationis, cujus oppositum de illa distinctione hic Auctor perperam supponit, imò hac ratione ibidem negavimus distinctionem rationis ratiocinatæ, ut quæ à re ipsa fundamentum mutuat non præcisive solùm salvâ rei conceptæ identitate, sed propter nostrum imperfectum concipiendi modum exclusivè inter intrinseca prædicata intellectus & intellectionis distinguendi. 213

Ex his revivíscit robur argumenti quod supra affert *Smising*, nam si hoc loco Doctor duo ista principia non sola ratione, sed ex natura rei 214

Smising.

condistinguat, ut apertè indicant ista verba: *Nec ergo unum ad alterum reducetur ut ad prius natura nec ambo ad tertium propter idem, quia neutrum est imperfectum.* Certum est, quod in altero loco 1.d.q.2.n.22. quando dicit *velle intelligitur quasi posterius voluntate & ratio intelligendi se quasi præintelligitur intelligere*, loquatur de præsuppositione fundata in distinctione ex natura rei formali scilicet conformiter suæ doctrinæ q. 7. in eadem distinct. propositæ, ita ut *Tò quasi* non similitudinariè solum, sed pro absoluta veritate scilicet pro vera non ficta anterioritate usurparit.

Itaque ad stabiliendam hanc Conclusionem ad rationem nostram pro assertione prima productam responderi potest negando antecedens, quod ipsa extensio realis actus primi ad secundum sit adæquatè posita in quidditativa transcendentia actus primi cum secundo. Ad probationem illius nego paritatem, nam expressio objecti & intellectio idem sunt non solum realiter sed formaliter, secus potentia Dei intellectiva cum suo intelligere exercito, unde ergo min. quod tam implicet intellectum à sua ratione formali formaliter ex natura rei præscindere ab intelligere actuali, quàm intellectionem nostram ab expressione objecti, ad cujus probationem, ex eo quod intellectus divinus intra suam lineam sit actus purus, imo est purissimus, cum nullam intra suæ formalitatis lineam sustineat incompletionem & potentialitatem, dico non rectè inferri, quod imbibat per transcendentiam formalem alterius conceptus sive actus secundi & exercitii latitudinem intensivam, hoc enim est id quod adhuc expectabatur probandum, præsertim in schola *Scoti* docentis non esse necesse, quod una perfectio sit omnis perfectio formaliter, sed sufficere si sit realiter omnis perfectio, aut formaliter etiam, sed in linea solum talis perfectionis, sic ergo ad perfectionem infinitam intellectus & voluntatis sufficit, quod includant formaliter omnem perfectionem simpliciter scilicet quæ pertinear ad constituendam potentiam intelligendi & volendi.

Responsio ad argumēta sub n. 210.

Quare ulterius ad confirmationem concedo non esse multiplicandas formalitates in prædicatis Dei absolutis absque cogente ratione, talem autem in doctrina *Scoti* hic subesse fiet manifestum, agendo de principio quo productionis Verbi, quorsum nunc lectorem remitto.

QUAESTIO IV.

An dentur in Deo virtutes intellectuales & morales per modum habitus & qualiter ab intellectu & voluntate distinguantur?

S U M M A R I U M.

1. *Nulli inveniuntur in Deo habitus realiter distincti. n. 215.*
2. *Nulla datur in Deo virtus, quoad habitum ex natura rei, imò nec ratione ratiocinata distinctum à principio infinito abstractè sumpto. n. 216.*
3. Doctor Subtilis *problematicus censetur in hac opinione. ibid. & n. 218.*
4. *Habitus intellectuales excluduntur ab Angelis. n. 217.*
5. *Intellectus & voluntas divina ex sola sua formali & infinita perfectione ad operandum determinantur. n. 218.*
6. *Attamen probabiliter tenetur distingui misericordiam à justitia esto sit probabilius, quod sint prorsus indistinctæ à rectitudine formali ipsiusmet voluntatis. ibidem.*
7. *Esto divinæ virtutes imbibantur quid[illegible] tative in suo principio, distinguuntur tamen ex natura rei ab Essentia. n. 220.*
8. *Corollarium* { *primum* n. 219. / *secundum* n. 22[illegible]. / *tertium* n. 221 }
9. *Non datur in Deo comprincipium aut species impressa. n. 22[illegible]*

REctè *Smising* Tract. 3. d. 4. q. 1. num. 6. ab omnibus supponi, dari in Deo virtutes tùm intellectuales cùm morales, quod & ipse de intellectualibus, quales sunt *ars, scientia, prudentia, sapientia* & *intellectus* sublatis imperfectionibus probat ibidem q. 2. n. 12. & seqq. de moralibus verò, quæ circa actiones liberas versantur, & à quibus substantia intellectualis simpliciter bona & laudabilis denominatur, quæ dentur & quæ non dentur in Deo, disputat prolixè à q. 3. per quatuor extensas quæstiones usque ad Quæst. 5. vide ipsum, nos cum communi supponentes in Deo propriè rationem virtutis reperiri, & ex moralibus *justitiam* & *misericordiam*, sequentes statuimus assertiones.



ASSERTIO I.

Nulla datur virtus in Deo per modum habitus propriè dicti seu realiter distincti.

215 HÆc debet esse extra Controversiam non solùm apud illos, qui habitus intellectualea non distinguunt a speciebus intentionalibus, sed apud omninò omnes orthodoxos.

Ratio, præterquam quod nulla datur distinctio realis in Deo in prædicatis absolutis, cum tale quid nec esset realiter Deus, nec formaliter Deitas, ratio, inquam, est, quia hujusmodi habitus est quid medium inter potentiam & motum importans supplementum potentiæ imperfectæ scilicet vel non habentis facilitatem perfectissimam ad operandum, vel non habentis sufficientem activitatem: atqui tale supplementum alicujus insufficientiæ aut facilitatis expeditè agendi carentia non cadit in intellectum aut voluntatem Dei. ma. p. habitus ex sua ratione formali ita se tenet ex parte potentiæ ut consignificet aut potentiæ melius esse, aut illius facilè posse, aut simpliciter posse, si sit habitus imperfectus, sed talem a Deo habitum relegandum esse, tam certum est, ut in quoscunque in oppositum protervientes cadat illud Davidis: *Dixit insipiens, non est Deus.* *Psal. 13. v. 1.*

ASSERTIO II.

Nulla datur quoque virtus in Deo per modum habitus formaliter aut ratione ratiocinata distincti, sed id quod virtutem appellamus in Deo, est ipsum proximum principium operum intellectuali & morali modo factorum abstractè & præcisè conceptum.

216 ITa in terminis *Herincx* d. 6. de scientia Dei. q. 1. n. 7. uti & *Frassen* Tract. 2. d. 1. de intellectu Dei. art. 1. q. 1. concl. 2. n. 12. *Sporing* eandem Tract. 3. d. 4. q. 1. n. 8. tuetur ut probabiliorem, & absolutè illam tenent omnes illi, qui negant in Deo actum primum Intelligendi, habitus quippe se tenet ex parte actus primi, imò & magis communiter illi qui actum primum astruunt; unde *Feken* d. 16. de Deo. c. 4. n. 20. dicit esse communem, contra paucul os: *Scotum*, quod attinet 4. d. 46. q. 3. n. 2. §. *Ad quæstionem sustinendo primam opinionem*: is dubius fuit aut certè problematicus, unde Scholiastes in Scholio ait Doctorem non decidere utrum justitia & misericordia sint formaliter distincta, adeoque parum aut nihil interesse, utrum teneas in nostra Schola. Non obscurè tamen probat nostram assertionem eâdem dist. q. 4 §. *Ad istam quæstionem probabiliter.* v. *etiam congruentia illa*, asserendo virtutes divinæ voluntati non esse formaliter distinctas à voluntate: *Non enim certum est*, inquit, *quod in voluntate divina possit esse aliqua alicujus virtutis non tantum non distincta re (certum est) sed nec formaliter distincta, quia voluntas ex hoc quod infinita magis sufficit ad omnem rectitudinem actus, quàm aliqua virtus, qualitercunque re vel ratione distincta, superaddita.* Quod est dicere habitus Deo superadditos esse otiosos, ubi principium ad operandum est ex ratione sua formali infinitum, adeoque sufficiens & per se expeditum ad omnem actum intelligendi & volendi: ergo in Deo non datur virtus intellectualis aut moralis, quo ad habitum, consequenter licet ratio virtutis propriè sit in Deo, illa tamen non est aliud, quàm ipsum principium proximum operum intellectuali & morali modo factorum.

Scotus problematicus. *Ipsum principii obtinet rationem virtutis.*

Confirmatur 1. ex *Scoto* 2. d. 3. q. 10. *Ad secundum primæ opinionis.* Ubi excludit ab Angelis habitus intellectualium virtutum, docens virtuosas operationes proximè elici ab intellectu angelico, qui est realiter ipsa substantia Angeli, ergo multo magis de Deo, quatenus ad extra facit opera quædam virtutis tenet intellectum illius divinum ejusque voluntatem absque habitu illi superaddito intellectuali & morali operari, adeoque seipsis esse omnem virtutem moralem & intellectualem. *Anteced.* patet l. c. apud *Scotum*, *conseq.* prob. ex eodem in *Prologo* q. 4. §. *Secundus Articulus quæstionis.* & in fine §. *Præcedentis.* Item 1. d. 38 q. un. §. *Et ex hoc sciendum.* n. 2. obi docet scientiam divinam non esse practicam, nec volitionem divinam esse praxin; & licet, ut dicit in *Prologo*, scientia divina sit volitioni prærequisita tanquam ostensiva objecti volibilis, si tamen per impossibile possit in Deo esse quidpiam volitum, quod non esset præcognitum, volitio divina æquè recta esset, ac est modo. Ergo ex sententia *Scoti* excluditur a Divina voluntate ad agendum omnia virtus illi per modum habitus superaddita, idem est de intellectu, cùm sit suppar ratio, non minus enim intellectus divinus est essentialiter perfectus ac infinitus, quàm divina voluntas. 217

Scotus ab Angelis excludit habitus.

Confirmatur 2. Non dantur habitus in causis summè promptis & naturaliter determinatis sed intellectus divinus ad verum, & voluntas divina ad bonum morale ex sola infinita sua & formali perfectione sine attributali perfectione sufficientissimè determinantur. Ergo: min. 218

I 4 patet,

pater, maj. similiter v.g. in gravi ad cadendum, vel lapide ad motum deorsum, nullus superadditur habitus, ad quid ergo, vel cui rei exacuendæ superadderetur in Deo habitus? principia intelligendi & volendi infinitæ sunt & illimitatæ perfectionis, in quibus nulla potest esse ad operandum difficultas, nulla hebetudo sed omnis promptitudo & facilitas perfectissimè agendi. Quamobrem licet *Scotus* illa q. 3. d. 46. in quartsentent. disputet in utramque partem, assertivè tamen nihil proponit, esto multis videatur magis inclinare in eam sententiam, quæ vult justitiam & misericordiam esse duas virtutes formaliter ex natura rei distinctas, id quod certum est, eatenus verum esse, quatenus illis non repugnat distinctio ex illo principio, quo universim inter divinas perfectiones talis in Deo asseretur, consequenter ita tenent multi Scotistæ, quibuscum conformiter ad hocce principium *Scoti* locuti sumus *Controv.* 10. & passim in hoc Tomo, & Tomo 2. ante hunc Tomum scripto, nam hac distinctione supposità inter misericordiam & justitiam Dei, consequenter utramque per modum habitus reperiri in Deo, valet ratio Scotistarum, quà & nos *ut videre est infra* Controv. 13. *Sequenti de idem q. ultima circa finem velut probabili* usi aliàs fuimus, nimirum hac: justitia requiritur formaliter ad servandum debitum, vel quasi debitum, ut ponat justum respectivè ad merita sive bona sive mala; misericordia verò ex alio motivo & proprio, quod non communicat cum motivo justitiæ quin potius tollit illud, dicente *Scoto* l. c. *justitia divina respicit pro primo objecto bonitatem divinam, misericordia autem respicit aliquid in creatura prætermisso etiam justo, quod potest esse in creatura, scilicet exigentia, quia non est misericordia in Deo, ubi sic justum est in creatura.* Ubi vides, quod voluntas divina inclinetur per affectionem justitiæ in aliud objectum, in quod non fertur per affectionem misericordiæ, quia justitia secundum Doctorem servat modum agendi misericordiæ oppositum, scilicet modum agendi sub opposità ratione justi & non justi attenditur, & hinc causantur *Scotistæ* hanc opinionem tutari per viam contradictionis. Verùm re maturius pensâ judico verius esse, & probabilius teneri, quod nulla sit virtus moralis in Deo quoad habitum, sed sit omninò indistincta à rectitudine formali ipsius voluntatis divinæ, contradictio enim cui innititur ratio in oppositum non est ab intrinseco, qualis requiritur in Deo ad concludendam distinctionem ex natura rei inter divinas perfectiones, ut alibi sæpè, sed ab extrinseco nascitur secundum diversam voluntatis terminationem ad diversa objecta illius absque ulla distinctione in se, ut benè ostendit *Smising* l. c. n. 9.

Nulla in Deo est virtus moralis à rectitudine principii distincta.

219 Itaque ex dictis sequeretur primò in sententia veriori justitiam & misericordiam Dei sese quidditativè transcendere, cujus oppositum erit verum, si distinguerentur formaliter a voluntate, nam sicut juxta principium illud, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, puta identitate proportionata, ita quoque quæ sunt non eadem inter se, non sunt eadem uni tertio, non identitate sibi proportionata, consequenter affectio misericordiæ non obambit in ista opinione formaliter lineam justitiæ, sed cujuslibet actualitas intra conceptum suum est, erit completè perfecta & infinita, cointegrantes tamen per conjunctionem identicam unú divinæ voluntatis attributum, in nostra autem sententia misericordia & infinitudo illius quidditativa transcendentia imbibitur per convenientiam in idem prædicatû in conceptu justitiæ vel melius in ipso conceptu attributi voluntatis divinæ, falsum proinde est ad attributum facultatis volitivæ in Deo cointegrandum, convenire habitus virtutum moralium per dictam conjunctionem earundem.

Corollarium primum.

220 *Sequitur* secundò Divinas virtutes, in sententia eorum qui tenent in Divinis actum primum quidditativè transcendere secundû, esse imbibitas in actibus divini intellectus & voluntatis, distinctas tamen ex natura rei formaliter ab Essentia Divina, nam si virtus intellectualis sit formaliter ipse intellectus & virtus moralis formaliter ipsa divina voluntas ab actibus suis indistincta, jam non potest esse major distinctio earum ab actibus, quàm ipsiusmet principium, quod virtutem appellamus, nec minor distinctio ab Essentia, quàm sit distinctio intellectus & voluntatis ab eadem Essentia: hæc autem est ex natura rei formalis, qualis in opinione ad mentem *Scoti* magis probabili, scilicet intellectum & voluntatem formaliter distingui ab actibus suis, similiter astruenda est virtutem divinâ inter & actus intellectûs voluntatisque. Ratio patet ex nuper dictis, quod quando sunt eadem inter se identitate reali non formali, sequitur per necessariam consequentiam eàdem non identitate, qua unum eorum est non idem alicui tertio, etiam alterum non esse eidem tertio non idem.

Corollarium secundum.

Virtus intellectualis est ipse intellectus: moralis est voluntas divina.

221 *Sequitur tertiò.* Nullum dari in Deo comprincipium, quod subeat rationem speciei impressæ; ratio patet ex dictis, quod absque omni formalitate superaddita sufficiat intellectus cum ipso objecto præsenti & sufficienter proportionato ipsi intellectui, nam ideò requiritur species in intellectu, vel quia objectum est absens, vel quia est improportionatum, vel quia non est sufficienter per se determinativum intellectus ad intelligendum: sed Essentia Divina, quæ est objectum intellectus divini, ut quæst. *seq.* est objectum intimè præsens & sufficientissimè proportionatum intellectui infinitè intellectivo, etiam per se movet immediatè eundem intellectum ad sui cognitionem, quia movere nihil aliud est quàm intellectum determinare ad se cognoscendum ergo nulla specie impressâ indiget ut determinetur & moveatur ad cognitionem objecti divina, quod tantò verius est, quantò differentior Essentia Divina ab angelica, à quâ tamen relegantur hujusmodi species velut intellectui angelico inutiles & non necessariæ.

Corollarium tertium.

Non dari in Deo speciem impressam.

QUÆ-

QUAESTIO V.

Quodnam sit objectum Divini intellectus primarium?

SUMMARIUM.

1. *Primarium intellectus divini objectum est ipsa Essentia Divina. n. 223. Oppositum immeritò tribui* Scoto, Aureolu, Occam. *ibidem.*
2. *In quo sensu divinus intellectus dicatur esse mobilis respectu objecti. n. 224.*
3. *Solam Dei sapientiam esse objectum intellectus divini, nec philosophos latuit. ibid.*
4. *Essentia Divina ut hæc divini intellectus motivum & specificativum est objectum, habetque rationem speciei intelligibilis. n. 225. & 226.*
5. *Transcendentia Essentia cum attributis non excludit attributa ab esse objecti motivi. n. 226.* in confirmat. *& responsione n. 228. ad hominem.*
6. *Intelligibile per Essentiam nequit intelligi secundo per attributa, ubi vide argum. ad hominem. n. 229.*
7. *Essentiam Divinam esse objectum adæquatum intellectus divini docuerunt Sancti PP. n. 233.*
8. *Cognitio Dei est infinita etiam per denegationem termini extrinseci. n. 235. & in aliquo sensu sibi ipsi finita. ibidem.*
9. *In Deo non datur cognitio reflexa virtualiter distincta à directa. n. 237.*

222 Manifestum est, nedum ex ratione naturali, sed juxta id Apostoli 1. ad Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*, ex ipsâ fide, objectum adæquatum intellectus divini esse omne intelligibile sine imperfectione, sicut potentiæ divinæ objectum est omne sine imperfectione factibile, cùm autem in præsenti de objecto speciali agimus, resolvendum est ex philosophia duplex objectum esse, *materiale* scilicet & *formale*, idque vel *primarium* vel *secundarium*, rursùs vel *motivum* vel *terminativum*: primarium iterum est aliud tale primitate *dignitatis*, aliud primitate *virtutis*: primarium primitate dignitatis, quod sit præstantissimum, patet, primarium primitate virtutis est, quod ita primò movet divinum intellectum ad sui cognitionem, ut eundem moveat ad cognoscendom formaliter omnia reliqua, id est, tam ad sui, quàm creaturarum cognitionem movere potens, reliquorum terminorum explicationem hùc non refero, ne mihi, quia Philosophus imò Theologus es, ob jacturam temporis succenseas, movetur autem præsens quæstio de objecto primario divini intellectus. Sit itaque

Acceptio objecti varia.

ASSERTIO I.

Essentia Divina est objectum primarium intellectus divini, non tantum primitate dignitatis, sed etiam primitate virtutis, adeò ut habeat rationem repræsentantis alia, sive rationem medii cogniti, in quo cognoscuntur omnia reliqua.

223 Hæc apud *Scotistas* & *Scotum* est extra Controversiam, licet illi *Suarez* oppositum tribuat apud *Smising* Tract. 3. de Deo. d. 2. q. 2. n. 20. ubi ex variis locis ostendit *Suarez* aberrasse à mente *Scoti*, quam cognoscere licet ex q. 3. Prologi, ubi docet, Essentiam Divinam, *ut hæc est*, esse primum objectum totius Theologiæ, id est, scientiæ Dei, & ex 1. d. 3. q. 3. n. 5. *Sicut prædictum est*, inquit, *in quæstione de subjecto Theologiæ, Essentia Divina ideò est primum objectum intellectus Divini, quin ipsa sola movet intellectum divinum ad cognoscendum se & omnia alia cognoscibilia ab ipso intellectu*: iterum ex *Quodl.* 15. in fine secundi articuli, ait: *Lapidem videri in Essentia Divina ut objectum secundarium in primo objecto movente proprium intellectum*: Ex quibus aliisque locis clarè elucet assertionem nostram esse *Scoto* consentaneam, ut fusè idem ostendit *Smising* l. c. non solum de *Scoto*, sed & de *Aureolo* & *Occam*, quibus ab eodem *Suarez* attribuitur oppositum. Sed

Scotus.

Probatur Assertio quæ conformiter ad dicta superius q. 2. *art.* 3. *Assertione* 8. est intelligenda, quod Essentia Divina sit objectum adæquatè motivum intellectus divini ad cognitionem divinâ eo modo quo potest intellectus divinus habere rationem mobilis, respectu Essentiæ, cùm enim cognitio Dei nō careat principio realiter perceptivo, à quo illa aliquo modo concipitur emanare, principium illod autē non possit percipere objectum sine objecto, quod sit determinativum & motivum principii, certum est illius objecti motionem non esse per physicam causalitatem, cognitio divina enim est improducta, & necesse esse, unde ut dixi ibi, motio quæ dari potest in divinis, est metaphysica solum proportionata concursui metaphysico, quem in opinione, quod intellectus distinguatur 224

ab

ab intellectione, ipse intellectus actui præstat, hoc supposito, sic *argumentor*. Nullum objectũ primo motivum intellectus divini convenientius assignari potest, quam quod est præstantissimum ad omne ens intelligibile seu continens in se aut formaliter aut virtualiter omnium entium intelligibilitatem: sed tale objectum est Essentia Divina: *ergo: majorem* aperta suadet ratio, ideoque nec philosophos latuit, ut videre est apud *Alcinoum* q.c.10. *Platonicorum* sententiam referens, ait: *Quoniam prima mens præstantissima est, necesse est, præstantissimum ei intelligibile propositum esse, nihil autem seipsâ præstantius habet, quare seipsam notionesque suas semper intelligit.* Minor patet, quod Essentia Divina sit præstantissimum ad omne ens intelligibile, quod sit objectum divino intellectui convenientissimum & summè proportionatum, probatur etiam: Ipsa est infinitum intelligibile, ac intellectui infinitæ activitatis & vivacitatis, intimè propositum, ergo per omnia sufficiens ad movendum intellectum ad cognitionem perfectissimam ipsiusmet Essentiæ & aliorum in ipsa, id est natum repræsentare ex natura sua quodcunque intelligibile. *Anteced.* patet, *Conseq.* prob. Essentia radicaliter continet omnes Deitatis perfectiones, quæ ab ipsa metaphysicè vel logicè egredi concipiuntur, estque virtualiter gravida intelligibilitate omnium creaturarum, quæ sunt participationes quædam divinæ entitatis, seu ipsius entia per participationem, ergo Essentia Divina erit objectum determinative & primò motivum divini intellectus, ut seipsum & omnia alia clarè intueatur; unde eleganter *Synesius*: *Deus suiipsius oculus est, quia seipsum & sua omnia per seipsum immediatè intuetur.*

ASSERTIO II.

Objectum divini intellectus formale motivum & specificativum est Divina Essentia non quomodocunque, sed ut *hæc est*, & distincta formaliter à relationibus & Attributis Dei Essentialibus.

225 HAnc cum *Scotistis* plurimi tenent in schola Thomistica & Neutralium, idque supposita eorum sententia, quâ tenent Essentiam Divinam per inclusionem quidditativam transcendere ac importare proprietates attributales, adeoque eodem modo, quo, inquiunt, differentiæ specificæ in suis rationibus specificis transcendunt ac important rationem entis, secundum quam ut sic sunt intelligibiles, ut hæc tamen intelligibilitatis ratio ipsis conveniat formaliter ex ratione entis in se transcendentaliter imbibiti, sic formalitates Dei attributales ac personales esse intelligibiles per transcendentiam Essentiæ Divinæ, id est ita ut ratio objecti ac intelligibilis illis non possit convenire ex propriis ipsarum rationibus, sed ratione Essentiæ Divinæ transcendentaliter in se inclusæ, revera tamen in hac sententia consequenter magis loquuntur, qui pro objecto motivo & specificativo astruunt, non solum Divinam Essentiam, sed omnia Divina prædicata attributalia & personalia, si enim omnium formalitatum in Deo existentium sit per inclusionem quidditativam una simplicissima virtualiter etiam indistincta intelligibilitas, ut Relationes & Attributa non sint intelligibilia, nisi ut sunt etiam formaliter ipsa ratio Essentiæ, seclusa fictione nostri intellectus non apparet, quomodo Essentia, ut *hæc est*, sit objectum, & non ipsæ proprietates attributales, sed quidquid sit de hoc

Ad modũ quo differentiæ includunt ens, ita attributa Essentiam in opinione quorundam.

226 Assertio probatur, & quidem *Gonet* disp. 2. *de Natura Dei. art.* 5. § 3. nu. 103. hanc rationem pro illa adducit: Sola Essentia habet rationem objecti motivi intellectus, quia est species vel gerit vices speciei intelligibilis, & intellectum ad intellectionem movet atquè fœcundat. Huic autem objecto fœcundanti, ut habet ibidem n. 108. ac moventi intellectum sive speciei impressæ per se primo assimilari debet Verbum, quæ est species expressa, non autem assimilatur per se primo in Attributis, & multo minus in Relationibus, aliàs communicaretur Filio Paternitas, sicut natura: ergo Essentia est objectum formale motivum Divini intellectus, in qua Verbum Divinum per se primò assimilatur Patri.

Gonet.

Confirmatur. De facto est aliquod Attributum, scilicet voluntas divina, cui repugnat esse formale motivum intellectus divini: *ergo* sola Essentia ut distincta virtualiter ab Attributis est objectum formale motivum intellectus divini: *Anteced.* patet, *conseq.* prob. voluntas est natura posterior & necessariò supponit intellectionem quasi regulam ostensivam, ergo illi repugnat esse objectum motivum intellectus. Hæc ratio, quam *Gonet* fusius prosequitur, dato quod Essentia Divina per seipsum immediatè obeat munus speciei impressæ, de quo hic disputo, tenet in sententia *Scotistarum* distinguentium Essentiam formaliter ex natura rei ab Attributis, & valida est, non ita in aliorum, penes quos ratio motiva, seu intelligibilitas transcendentaliter ita inest formalitatibus Dei personalibus & attributalibus, ut unica istarum ratio intelligibilitatis propter transcendentiam essentialem non sit alia, nisi Essentia Divina illas quidditativè transcendens, nam eo supposito,

quid

quid impedit, cum distinctio illorum virtualis sit identitas formalis, quin illæ formalitates æquè sint objectum motivum & specificativum actus ac ipsa Essentia? quod sic *ostendo*: Essentia divina, quæ est ratio motiva intellectus divini, nequidem virtualiter distinguitur à ratione speciei intelligibilis, vel vices speciei gerentis vel talis speciei moventis & fœcundantis intellectum Dei Patris: sed attributales & personales proprietates formalissimè sunt illa Essentia, ita ut in illa opinione, transcendentia quidditativa non patiatur horum formalitates ex natura rei objectivè præscindi à ratione Entitatis & Essentiæ Divinæ illas sic transcendentis: ergo cum Essentia ne virtualiter distinguatur à specie vel quasi specie intelligibili movente, neque virtualiter distinguetur ab Attributis & personalibus proprietatibus, consequenter in illa opinione etiam proprietates illæ erunt objectum motivum & specificativum actus. *Maj.* patet, *min.* ab illis docetur, nam Essentia Divina se habet ad rationes proprias attributorum & personalitatum, sicut se habet ratio entis ad differentias specificas substantiarum, sed illæ differentiæ formaliter sunt ipsa ratio entis & substantia, ut licet opera mentis distinctio fingi possit, si tamen de illis à parte rei sermo est, intellectus etiam divinus cognoscendo formalitates personales & attributales ibi non cognoscit aut aliud attingit, quàm ipsam Divinam Essentiam sub ratione Essentiæ, & vicissim cognoscendo Essentiam nil aliud percipit, quàm Essentiam sub ratione transcendentiæ & essentialis imbibentiæ illarum proprietatum Attributalium & personalium essentialiter contentæ intra ambitum seu lineam Essentiæ, adeoque à parte rei omninò indistinctæ à ratione motiva intellectus divini.

Quidditativa transcendentia Essentiæ cũ attributis formalem identitatẽ objecti motivi innuit.

227 *Dices*: Objectum motivum amplius importat, quam esse aliquid per inclusionem quidditativam illi formaliter idem, nam requiritur insuper, ut speciei munus exerceat, & sit quasi intellectui comprincipium actus, in Divinis verò exercere munus speciei & esse præcisâ causalitate physica aut effectiva aliisvè imperfectionibus demptis soli convenit Essentiæ, non Attributis aut Relationibus, sive Essentiæ ut sua Attributa est.

228 *Contra*: Per hoc non impeditur, quin Essentia, ut est sua Attributa, sit objectum motivum intellectus divini. *Probatur*: id est objectum motivum quod resolvitur in lineam Essentiæ Divinæ, ut hæc est; *sed* in ista doctrina, Attributa & relationes, sive propriæ rationes formales illarum in Essentiam essentialiter illas imbibentem resolvi debent, ergo sunt & continentur essentialiter inter ambitum lineæ objecti moventis intellectum divinum, consequenter manet argumentum.

Deinde, esto detur, quod conveniat soli Essentiæ Divinæ respectu intellectus Divini, ut gerat vices seu munus eminentissimæ & universalissimæ speciei intelligibilis, non solum se, sed omnia alia repræsentantis, etiam ipsa Attributa & relationes, quid obstabit, quin insuper pro eodem instanti, quo exerceat munus speciei intelligibilis extendi possit ad principium divinæ intellectionis quasi comprincipium particulare & in ordine ad prædicata attributalia, ita ut illa tum repræsententur ab Essentia, et hæc est, tum ab eadem ut est essentialiter Attributa & Relationes; ergo adhuc non sola Divina Essentia, sed omnia divina etiam prædicata sunt objectum motivum & specificativum intellectionis Divinæ. *Anteced.* prob. necesse est cum cognitio divina sit comprehensiva & infinita per denegationem termini etiam extrinseci, ut pro eodem instanti, quo movet Essentia ad sui intellectionem moveat eadem Essentia ut formaliter est ipsa Attributa & relationes, quia est unicum semper & idem objectum motivum, atqui hoc est Attributa & relationes esse esse objectum motivum intellectus divini & specificativum intellectionis: ergo non solum Divina Essentia, sed omnia Divina prædicata essent ejusdem divinæ intellectionis objectum primarium.

Dices: Repognat, quòd Attributa Divina sint intelligibilia per Essentiam, tanquam per universalissimam speciem, & iterum per aliud fiant intelligibile: ergo repugnat etiam Attributa & alia prædicata relativa esse objectum motivum intellectus divini. 229

Respondeo: Hanc instantiam in *Scotistarum* opinione robor habere, nam ut rectè *Poncius* disp. 5. sui cursus Theologici, de intellectu & scientia Dei. q. 5. n. 57. *Herincx* de eodem d. 6. q. 2. n. 24. Cùm Essentia Divina sit motivum ab Attributis distinctum, cui illa motio potiùs adscribi debeat, jam Attributa non debent posse habere illam virtutem, virtus siquidem quæ in nullo casu possibili possit habere effectum, est otiosa, superflua ac inutilis, ac consequenter non cederet in Dei perfectionem, imò implicat, quia terminaretur ad effectum impossibilem produci. Verùm cùm Adversarii velint prædicata Dei Attributalia esse unicissimam, esse ipsissimam Divinæ Essentiæ ac formaliter indivisibilem formalitatem, non est cur non possint fieri intelligibilia per illa, sic enim non fiunt intelligibilia per aliud præcisè, sed per idem objectum ab illis indistinctum, *semel* ut est hæc Essentia & per nostrum concipiendi modum concipitur ut radix Attributorum, *semel* ut nostra fictione & præcisione mentis præscripta, concipitur ut est ex natura rei, sic enim Attributales & personales proprietates nihil sint nisi ipsissima Essentia; quomodo ergo non erunt etiam motivum & determinativum intellectus divini ad immediatam intellectionem earundem proprietatum, quia tam immediatè attingunt intellectum divinum, quàm ipsa Essentia, in quam illæ resolvuntur, seu qualis illæ sunt?

Secundò probat *Gonet* Assertionem loco citatum. 230

num. 106. objectum motivum est principium *quo* intelligendi: sed Relationes divinæ non sunt principium *quo* intellectionis essentialis: *ergo* ratiooe sui non sunt objectum motivum. *Min.* prob. absoluta sunt priora notionalibus in Deo, consequenter nequeunt ab illis esse ut à principio, nam principium prius est eo, quod est à principio. Hæc ratio similiter firma est in doctrina Scotistarum, in opponentium autem qui omnia prædicata divina extrahunt ab identitate reali ad identitatem formalem, ut omnes in unicissimam abeant formalitatem à parte rei non caret difficultate, nam licet dicant, quod omnia Divina prædicata habeant virtualiter ab Essentia tanquam à primâ radice tum entitatem, tum intelligibilitatem, & per consequens Essentia per intellectum præcisa obtineat à se rationem objecti motivi & specificativi primarii & sic primites virtutis prius Essentiæ deferenda sit, quàm aliis prædicatis Divinis, cur non salvâ identitate formali à parte rei per intellectum cogitantem in eadem linea objecti primarii distingui posset objectum magis principale, quod sit Essentia Divina, & minus principale, quod sint Relationes & Attributa eo prorsus modo, quo opponentes distinguunt in eadem linea objecti secundarii objectum magis & minus principale, vocant enim rationes personales & attributales objecta secundaria magis principalia, creaturas objecta secundaria.

231 *Tertiò* idem *Gonet* num. 107. probat quod totus concursus in ordine ad operationem aliquam ad extra præstetur immediatè ab Essentia, ideoque debeat esse communis toti Trinitati, quod ægrè salvaretur, si divinæ personalitates ad visionem creatam præstarent concursum per seipsas. *Seq.* prob. si enim Paternitas v.g. ut virtualiter distincta ab Essentia, & realiter à filiatione & spiratione passiva haberet rationem motivi ad intellectionem divinam posset gerere vices speciei in intellectiooe creata, v. g. in visione beatifica, sed hoc supposito, Pater haberet aliquem concursum effectivum ad extra sibi proprium, & non communem aliis.

Ad hoc Argumentum responderi posset, non negari per hoc concursum objectivum Personalitatum Divinarum in ordine ad visionem increatam, eo quod illa necessariò eliciatur & ab intra, adeoque nihil absurdi esse, quod Attributa & Relationes exerceant concursum objectivum respectu intellectus divini potius, quàm respectu intellectus nostri, cur autem Divina Essentia esset universalissima species respectu Intellectus nostri, non verò respectu intellectus divini, eò quod cognoscendo se, alia quoque prædicata habeat pro objecto motivo & specificativo, hoc supposito, non esset à nobis inquirendum, & cum sufficeret Divinam Essentiam (non ex insufficientia sed exigentia) habere respectu intellectus proprii rationem speciei universalissimæ cum extensione ad essentialiter imbibita, seu ut quidditativè imbibit & transcendit cuncta prædicata divina; præsertim cum objectum primarium sit infinitæ perfectionis, adeoque ut est continens Divinas relationes & Attributa; verùm quidquid sit de his

Probatur Assertio quartò, tum ex allatis rationibus sub Assertione primâ, tum ex hic 232
dictis, quæ in doctrina Scotistarum non subeunt difficultates jam ventilatas, cum etiam ex responso dato ad instantiam sub num. 229. Insuper & hac ratione, quia Assertio nostra est conformis SS. PP. & nullam dicit imperfectionem, sed summam perfectionem infinitam nempe Divinæ Essentiæ repræsentabilitatem, ratione cujus ipsa non solum in se, sed & cuncta alia in ipsa sint repræsentabilia, ut ideò infinita cognitio Dei necessariò & ex natura sua sit apta nata repræsentare quodcunque intelligibile.

Quod etiam SS. Patribus sit consona pro- 233
bat ex litera S. Augustini l. 83. QQ. q. 46. dicente: *Deum nihil extra se tanquam in causa omnium omnia intueri*, & 5. de Confess. de Gen. ad lit. in id Joannis: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Sic explicat: *In qua vita vidit omnia, quando fecit, & sicut vidit ea, ita fecit: non præter seipsum videns, sed in seipso*, & S. Dionysio de Divinis Nominibus c. 7. ajente: *Divina mens per causam rerum omnium in se omnium rerum scientiam anticipatam habet, ita ut Angelos, antequam fierent, cognosceret: Neque enim ea quæ sunt, ex iis quæ sunt discens, novit divina mens; sed ex se & in se rerum omnium cognitionem anticipatam habet, non quod specie singula consideret, sed quod uno causæ complexu omnia sciat & contineat*, & statim: *Seipsum omnium causam noscens novit omnia.* Moxque concludens nobiscum asserit: *Hæc ergo Deus, ea quæ sunt noscit, non rerum notitia, sed sui.* Certè non apparet, quomodo clarius exprimi posset Assertio à nobis data, ut cum aperta violentia hæc Patrum dicta ad alium sensum eluxentur, ut optimè ostendit *Smising* l. c. num. 25. ad finem.

Sancti Patres consonāt nostræ opinioni.

Objicies. Ex identitate Dei cum propria vir- 23
tute cognoscitiva potius sequitur oppositum *Assertionis*, videlicet, quod Divina Essentia non possit objectum propriæ cognitionis. *Sequela prob.* quia est de Essentia cognitionis distingui à suo objecto propter transcendentalem ordinem, quem dicit ad ipsum, & objectum ad mobile. Huic instantiæ succubuit *Herice* tract. 1. disp. 4. c. 1. certum existimans objectum debere distingui à cognitione, negat proinde Deum esse objectum propriæ cognitionis, esto seipsum cognoscat, verùm in Doctrina *Scotistarum* hoc argumentum non habet difficultatem, si autem quis idem ad identitatem realem extendere vellet, tunc forent recolenda, quæ

Tom. 2. diximus *Controv.* 4. q. 2. *art.* 3. in responso ad objectionem quandam ex S. Bernardo, ubi sicut ostendimus, quòd identitas realis non admittat habitudines hujusmodi correlativas, ita hic negandum est, quòd cognitio divina dicat realem habitudinem transcendentalem ad Essentiam divinam. Deinde, dum quantum ad rem, admittit Deum cognoscere seipsum, certè non apparet, quomodo non possit esse objectum suiipsius, objectum enim & cognitum absque dubio idem sunt. Loquimur autem de objecto motivo, non quòd detur ad motum realem & physicum in Deo, quia tale motivum reverà dicit ordinem essentialem ad mobile, & suprà exclusimus à Deo, sed ad motum metaphoricum seu metaphysicum, id est, qui sit absque ullo principio vel objecto per causalitatem physicam movente, ut liquet abundè ex hactenus dictis, & ex dicendis de hoc ex proposito infra quæst. 7. art. 2. & 3.

Responsio.

ASSERTIO III.

Quomodocunque Essentia divina dicatur objectum motivum, exerceátne immediatè munus speciei impressæ respectu scientiæ increatæ, vel medio Attributo potentiæ, necesse est, ut sua cognitio ad omne terminatur cognoscibile conjunctim & identicè sumptum, ut simpliciter sit comprehensiva & terminativa supra & extra omnem sphæram objectivam infinita, etiam per denegationem termini extrinseci, ut sibi in congruo aliquo sensu dici possit finita.

235 HÆc Assertio est reipsa communis: Ratio est, quia intellectus & scientia Dei, ita circa Essentiam Dei est, ut necessario complexu ex genere suo sit etiam circa omnipotentiam, & alia quæcunque divina prædicata; ergo esto Essentia divina quasi determinet intellectum divinum ad cognitionem ipsius Essentiæ, talis tamen non sistit in Essentia, sed tendit ad quodcunque intelligibile divinum & ad ipsas creaturas. *anteced.* prob. ex maxima perfectione cognitionis Divinæ, quæ est non solum intuitiva, sed & simpliciter comprehensiva, quod est de fide, & lumine fidei certum nihil cognoscibilitatis esse in Deo, cui in eodem virtus cognoscitiva simul non respondeat: ergo terminatur ad omne & quodcunq; cognoscibile conjunctim & identicè sumptum, ut in visione Essentiæ contineatur notitia omnium attributalium proprietatum & omnium creaturarum. *consequentia* probatur: quia alioqui terminatio cognitionis Divinæ se non extenderet ad omne cognoscibile, contra id *Apostoli* 1. Cor. 2. *spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* quod ipse *S. Paulus* ratione ibidem confirmat dicens: *quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est; ita & quæ Dei sunt, nemo novit nisi spiritus Dei.* ac si diceret, sicut spiritus hominis comprehendit ea, quæ sunt hominis, quomodo dicere solemus, *hoc æquè ac meipsum novi.* ergo multo magis novit seipsum Deus & omnia quæ in Deo sunt, unde Deum dicimus omniscium, quia nullius veri & nullius cognoscibilis ignarus.

Divina cognitionis amplitudo infinita.

1. Cor. 2.

Dixi in Assertione: *supra & extra omnem sphæram infinita* &c. ut innuam cognitionem Dei ita comprehensivam & infinitam esse, ut juxta id Augustini l. 83. QQ. *quod comprehendit se finitum est sibi*, Deus sibi ipsi quasi finitus dici possit, quomodo Doctor *subtilis* ait unam Personam Divinam posse dici alteri finitam; intellige cum *S. Thoma* 1. p. q. 14. art. 3. ad 2. secundum quandam similitudinem proportionis, quia sic se habet in non excedendo intellectum finitum. non autem sic dicitur Deus sibi finitus, quod ipse intelligat se esse aliquod finitum, sed infinitum, cum hoc tamen sui quoq; esse comprehensivum.

In quo sensu Deus sit sibi ipsi quasi finitus.

236 *Objicies primò.* Cognitio Dei non terminatur ad seipsam etiam tanquam ad objectum secundarium, & tamen illa est intelligibilis saltem cognitione reflexà saltem virtualiter distincta à directa: ergo non omne intelligibile est objectum terminativum cognitionis Divinæ, imò admissis in Deo cognitionibus reflexis cum sola distinctione virtuali sequitur nullum esse comprehensivum Dei, cùm nulla possit ferri in omnes reflexiones, & tamen quælibet reflexio debeat respicere aliam, quæ respectu ipsius sit cognoscens, non cognita, eo ipso, quo proceditur in infinitum in reflexionibus datur in Deo aliquid non cognitum; adeoq; nulla cognitio ut virtualiter distincta in Deo est comprehensiva Dei.

Objectio.

Respondes ex dictis; & cum nostro Poncio disp. 5. De intellectu & scientia Dei. q. 5. n. 18. neg. maj. nam cognitio quæ est infinita extensivè & intensivè debet seipsam percipere & ad seipsam terminari & cognoscere seipsam absque cognitione formaliter reflexiva, esto posset dici reflexiva virtute super seipsam secundum eandem formalitatem. Unde negatur dari in Deo cognitionem reflexam virtualiter distinctam a directa,

Responsio.

multo minus processus infinitus reflexionum virtute ab invicem distinctarum, ut apertè colligitur ex S. Aug. l. 15. *de Trinit.* c. 14. *sciunt ergo invicem Pater & Filius, sed ille gignendo, ille nascendo; & omnia, quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum Essentia unusquisque eorum simul videt non particulatim aut sigillatim, vel ut alternante conspectu hinc illac & inde huc, & rursus inde vel inde in aliud atque aliud* (ut fieri assolet in reflexionibus, quales in Deo licèt non realiter, saltem formaliter aut virtualiter aliæ & aliæ dicerentur) *ut aliqua videre non possit nisi non videns alia*, v. g. ut si non videret cognitio seipsam, nisi per aliam reflexam: *sed ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est, quod non semper videt.* ita perpulchre S. *Augustinus.* Si tamen aliquis ingredi velit infiniti labyrinthum, tenendo talem processum reflexionum in infinitum, cui ego non adstipulor, adhuc salvaretur cognitio Dei comprehensiva, cum respectu divini intellectus in tota collectione illa infinitarum reflexionum nulla assignabilis esset, cujus ipse esset ignarus.

237 *Objicies secundò*: Cognitio sive scientia Dei terminatur immediatè ad Essentiam divinam, ut est repræsentativa omnium intelligibilium: ergo non est necesse illum terminari ad omne intelligibile conjunctim & identicè sumptum.

Respondeo hìc breviter, quia de hoc recurrit infra *conc.* anteced. *neg. conseq.* eo ipso enim quo est essentia repræsentativa omnium intelligibilium, adæquat omne intelligibile identicè & conjunctim sumptum, in ea siquidem adæquatione consistit comprehensio, sive accipiatur pro visione, *quâ ita res videtur, ut nihil lateat videntem*, sive quâ *res tantum cognoscitur, quantum est cognoscibilis*, unde nil obstat, cognitionem divinam ex se omne intelligibile conjunctim attingere, esto ab omni intelligibili nec genus aut speciem, neque illam determinationem, aliamque rationem sibi intrinsecam trahat: aliud enim est aliquid in Deo videri motivè & specificativè, aliud terminativè sine illa specificatione aut intrinseca determinatione divini actus, de modo autem terminandi aut Intelligendi, an hoc fieri possit respectu omnis intelligibilis à Deo per proprias species, sive terminetur ad ipsum primò & immediatè, ac in seipso vel non, seu mediatè solùm, resolvetur Quæst. 6. & 7. mox sequentibus. *Cognitio divina ab Essentia duntaxat specificationem trahit.*

QVAESTIO VI.

An Deus possit seipsum cognoscere in creaturis?

SVMMARIVM.

1. *Cognosci in alio & ex alio, diversa sunt, & in quo?* n. 238.
2. *Deus seipsum cognoscens omnia cognoscit prædicata divina. ibid.*
3. *Quod Deus cognoscat seipsum in suis creaturis, duplicem loquendi modum admittit pro diverso modo opinandi.* n. 239.
4. *Deus nulla via seipsum cognoscit in creaturis.* n. 240 *& seqq.*
5. *Dei cognitio non est multiplicanda in abstractivam & quidditativam, & cur?* n. 240, 241, 243. *& seqq.*
6. *Deus quidem non cognoscit seipsum* in *creaturis, cognoscit tamen seipsum* cum *creaturis.* n. 242.
7. *Opponentes, dum respondent ad argumenta in oppositum, nostram roborant assertionem* n. 243.
8. *Deus nullatenus potest esse secundarium & indirectum suæ cognitionis objectum in ratione motivi. ibidem.*
9. *Deus seipsum in creaturis in seipso cognitis ita cognoscit, ut divina Essentia unicum sit divinæ cognitionis motivum, quo solo omnia corruunt in oppositum referibilia. ibidem circa finem. & quæstione 7. art. 2. & 3.*

238 QUæsitum ut percipias, observa discrimen inter cognosci aliquid *in* alio, & cognosci aliquid *ex* alio. *In alio* cognosci dicitur, quando directè cognoscitur illud, in quo res ipsa cognoscenda suo modo continetur, quomodo dicunt cognito directè effectu, tanquam medio cognito cognosci causam, ut Deum verb. gratia cognita sua creatura cognitione directè & immediatè terminata ad illam ut effectum, in illa ut medio cognito cognoscere seipsum mediatè & indirectè. *Ex alio* cognosci est, quando unius cognitio gignit cognitionem alterius, quomodo cognitio præmissarum gignit cognitionem conclusionis, quæ sit vel scientia vel opinio, &c. *His prælibatis* nolo hic disputare, an Deus cognoscendo seipsum in seipso cognoscat omnia prædicata divina in seipso, de hoc enim minus esse debet dubium, quàm quòd omnia prædicata divina cognoscat in seipsis. ratio est, quia Deus cognoscendo seipsum in seipso habet sufficiens objectum motivum ac specificativum cognitionis perfectissimæ (ut taceam necessariam habitudinem Essentiæ ad Attributa, Attributorum ad Essentiam) *In & ex alio cognosci, quid?*

ut

ut in & ex sola Essentia cognoscat omnia divina prædicata secundùm omnem perfectionem, prout satis deduximus *quæst. præcedenti*, imò unum prædicatum ex alio, v. g. in & ex intellectu intellectionem, ex immutabilitate æternitatem, & sic de cæteris, quibus non est immorandum. *Quærimus ergo* in præsenti solùm, utrùm & quomodo Deus cognoscat seipsum, seu cognoscendo creaturas.

Opinio quorundam. Sententia quorundam est, Deum non tantùm cognoscere se in seipso, sed cognoscendo creaturas in seipsis, cognoscere etiam seipsum in creaturis tanquam in medio cognito imperfectiori, hinc respectu illius medii, in quo cognitio attingit Deum, mediatè vocatur ab illis cognitio sui, id est Dei abstractiva, etsi realiter indistincta sit ab intellectione quidditativa sui in seipso.

Refertur hujus opinionis principale fundamentum.

239 *Dependẽtia creaturæ ad Deum quid valeat?* DE fide est, Deum cognoscere comprehensivè creaturas, adeoque earundem ad Deum dependentiæ essentialis ordinem transcendentalem: sed non posset Deus creaturas comprehendere, nisi in illis cognosceret seipsum: ergo. maj. patet, min. prob. quia talis dependentia non est cognuscibilis absque termino, quem essentialiter respicit, & à quo specificatur: ergo eo ipso quo cognoscit Deus creaturam essentialiter à se dependentem, cognoscit seipsum in illis velut sui imagine quadam. Hoc argumentum, quo utitur *Franciscus de Lugo* disp. 28. de Deo uno, Tract. 2. n. 7. & *Arriaga* d. 18. sect. 3. n. 52. *Cacheranus* Tract. 1. de Dei intellectu, c. 2. §. 3. nu. 18. & alii, duplicem admittit intellectum: semel ut Deus se cognoscat in creaturis cognitis in seipso tanquam in medio cognito perfectissimo, semel autem cognoscit se in creaturis, & sunt cognitæ in seipsis tanquam medio cognito imperfecto, in primo sensu Deus debet seipsum cognoscere directè, vel supponitur in ipsa rei comprehensione directè ac immediatè cognitus, in secundo sensu cognitio Dei terminatur ad Deum indirectè solùm & mediatè modo superiùs explicato, & directe ad creaturam.

Sit

ASSERTIO I.

Deus essentialem creaturarum à se dependentiam cognoscendo non cognoscit seipsum in illis, sive in seipso cognitis, sive cognitis creaturis in seipsis tanquam in medio cognito.

240 *Deus una solùm cognitione cognoscit.* EST contra Auctores immedialiter citatos, & probatur quoad primam partem: Deus cognoscendo creaturas in seipso tanquam in medio cognito per eandem cognitionis formalitaté cognoscit seipsum ut terminantem habitudiné & dependentiam creaturarum à se: ergo non potest iterum & secundò seipsum cognoscere in creaturis ratione ejusdem habitudinis & dependentiæ; *antecedens* patet, *conseq.* prob. quia hæc secunda cognitio non differret à prima, nisi ad summum virtualiter numero, sed in Deo non dantur cognitiones virtualiter solo numero distinctæ, procederetur enim in hujusmodi virtuali multiplicitate in infinitum; *maj.* prob. quia cognosceret seipsum ut causam creaturarum, & iterum cognosceret in creaturis ita cognitis seipsum, ut causam, id est, cognosceret se in seipso ut causam, creaturas ut effectus, à quibus sic cognitis illi esset regrediendum ad cognoscendum se iterum ut causam, quæ circulatio præterquam nullam dicat perfectionem, omninò Deum dedecet.

241 Ex hoc etiam probatur secunda pars, quòd Deus cognoscendo creaturas in seipsis tanquam in medio cognito non cognoscat seipsum, corruit enim principale fundamentum hoc asserendi, ideo namque volunt Deum seipsum in creaturis cognoscere, quia cognitio unius transcendentaliter relativi ad aliud & essentialiter dependentia ab alio non potest esse perfectissima & comprehensiva, qualis debet esse divina, nisi indirectè & mediatè feratur in aliud, quod est terminus relationis & dependentiæ: sed creatura est transcendentaliter relativa ad Deum, essentialiter dependens à Deo: ergo cognitio divina perfectissima & comprehensiva creaturæ non potest non esse indirectè & mediatè terminata ad Deum: *atqui* inde non potest concludi, quòd Deus cognoscat in creaturis seipsum: *Prob. assumpt.* sic cognoscendo creaturas in seipsis tanquam in medio cognito non cognosceret seipsum, nisi talis cognitio terminaretur mediatè & indirectè ad Deum ut terminum, sed non terminatur ad Deum, ut terminum, nisi quà priùs per quidditativam sui cognitionem cognitus est, *ergo* jam ut primò cognitum in seipso non iterum & secundò cognitum in creaturis quasi distinctâ cognitione cognoscit seipsum: *major* est ipsorum doctrina: *Fundamentum Opponentium non subsistit.*

min.prob. quia licèt ibi sint diversa media, implicat tamen ex parte Dei ibi esse diversos actus etiam virtualiter distinctos, eò quòd unus abstractivus, alter quidditativus esset divinus, sed ipsissima cognitio Dei, quia est suo modo ab Essentia Dei immediatè divinum intellectum movente, & quia cognoscit in se ipso creaturas, est eadem qua cognoscit creaturas in seipsis: ergo non secundo quasi regrediendo à creatis in seipsis ut medio cognito cognitis, cognoscit denuò cognitione abstractiva seipsum. *Anteced. prob.* quia illa abstractiva cognitio in Deo deberet necessariò specificari ab esse intelligibili creaturarum: *atqui* nulla formalitas divina potest specificari ab esse creaturæ. *Seq. majoris* prob intelligere specificatur per suum principale objectum, quod intellectus directè & immediatè intuetur, seu in quod principaliter tendit, sed tendit immediatè & principaliter in creaturas, quas directè intuetur. *min.* patet, *major* prob. quia objectum, in quod directè & immediatè tendit cognitio, est principium determinativum intellectus ad operationem, ab illo enim dependet velut ab objecto primario, quam ideo specificè vocant ab objecto abstractivam Dei cognitionem, non intuitivam, quia id, in quo cognoscitur, habet rationem objecti primarii, ad cujus cognitionem Deus tanquam objectum secondarium cognoscitur.

A quo scientia divina specificationem habeat.

242 *Confirm.* In nulla creatura satiùs cognosceret Deus seipsum, quàm in propria sui imagine, seu in visione & amore Dei creata animæ beatæ, quibus illa directè Deum effigiat in seipsa, ita ut quasi deificetur, & extra se in Deum absorbeatur: sed in illis actibus non aliter cognoscit se Deum, quàm objectum materiale & purè terminativum: ergo Deus essentialem creaturarum dependentiam cognoscendo in sola sua Essentia tanquam motivo formali cognoscit seipsum, in creaturis autem tanquam objecto purè terminativo & materiali, quod solùm evincit ratio in oppositum, & nos non solum ultrò concedimus, sed & *quæst.* præcedenti, *Assertione* tertiâ idipsum statuimus, ut liquet ex responsis ad objectiones, hoc autem non est cognoscere Deom seipsum *in* creaturis, ut medio cognito, sed cognoscere seipsum *cum* creaturis, seu cognoscere creaturam dependentem tanquam objectum secundarium & terminativum solùm, sed in seipso tanquam in medio & in objecto primario motivo & specificativo.

Deus cū creaturis seipsum cognoscit, non in creaturis.

243 *Eadem* secunda pars probatur secundò ex responso Adversariorum ad hoc Argumentum, quòd modus cognoscendi, qui involvit imperfectionem, relegandus sit à Deo, sed modus cognoscendi assertus involvit imperfectionē: tum quia talis cognitio primò sit abstractiva, quia attingit Deum mediatè solùm, & quidem in medio imperfecto. Secundò, quòd non sit quidditativa, utpote attingens duntaxat Deum quoad unitatem, & quoad *an est*, qua ratione solùm Deus relucet in creaturis. Quomodo *S. Thomas* 1.p.q.14.art.6.ad 2.inquit: *Essentia creatura non sufficienter ducit in cognitionem Essentiæ divinæ.* Tertiò, quòd sit præcisiva & non comprehensiva ex dictis, quod attingat Unitatem, non Trinitatem, Existentiam non Essentiam, vel denique quòd cognitio Dei possit esse fallibilis & obscura, sicuti enim potest elici circa Deum actus creatus opinionis, fidei humanæ, fidei Theologicæ, jam si Deus deberet se cognoscere in creaturis, se ipsum in ejusmodi actibus cognosceret se in actu opinionis probabiliter, in actu fidei humanæ fallibiliter, in actu fidei Theologicæ obscurè, *& cæt.* ad omnia hæc respondendo relicto medio cognito creaturarum, in seipsis confugiunt ad consortium & identitatem in eodem intellectu cognitionis divinæ & immediatæ, qua respicit essentiam divinam ut objectum motivum: ergo jam reapse fatentur, quòd Deus cognoscat seipsum in creaturis non ut cognitis in seipsis, sed ut præcognitis in seipso, si enim ut supra Deus cognoscendo seipsum ut terminantem habitudinem & dependentiam creaturarum à se non iterum & secundò seipsum cognoscit in creaturis ratione ejusdem habitudinis & dependentiæ, eò quòd prima cognitio non differat à prima, & quia bis terminaretur ad Deum ut causam, ad quid ergo Deus eadem cognitione comprehensiva, qua in seipso cognoscit seipsum breviter cognoscens, seipsum secundo cognoscendo creaturas in seipsis, quasi verò Deus cognoscens primariò creaturas, cognosceret seipsum in creaturis, secundariò & indirectè? Certè Deum non posse esse secundarium & indirectum suæ cognitionis objectum in ratione motivi, tam certum est, ut nulla solutio, nullum responsum ad hoc ne probabile videatur, consequenter si Dei cognitio pro suo objecto motivo primo & intrinseco necessario habeat ipsum Deum, ita quòd creaturæ non attingantur formaliter propter propriam cognoscibilitatem, tanquam propter rationem motivam, sed materialiter tantùm, & ob quidditativam Dei cognoscibilitatem in nullo, nisi in seipso, seipsum cognitione perfectissima & comprehensiva cognoscere potest.

Recensentur rationes pro Assertione, & quid ad illas respondeant Opponentes.

Ex his obvium est responsum ad fundamentum principale Auctorum sententiæ oppositæ, scilicet Deum ita se cognoscere in creaturis, ut tamen hujus cognitionis divinæ motivum sit unica Dei Essentia, qua continens eminenter species omnium creaturarum, quæ ad illam cognitionem se habent tanquam objectum materiale & purè terminativum, sitque proinde cognitio Dei ad seipsam semper intuitiva, & nullatenus abstractiva, & à mediu imperfectioti desumenda.

Divinæ cognitionis objectum motivum aliud non est, quam divina Essentia.

***
**

QVAESTIO VII.

DE Objecto DEI secundario.

SVMMARIVM.

1. *Oculo Dei omnia etiam minutissima pervia sunt. nu. 245. & seqq.*
2. *S. Hieronymus liberatur à censura* Vasquez. *n. 248. ubi quòd Deus nesciat mala, scientia* approbationis; *alia verò, quæ sunt infra conditionem humanam nesciat scientia, cui annexa sit specialis.*
3. *In Deo non datur cognitio creaturarum, quæ Theologica non sit. n: 250. & seqq.*
4. *Cognitio matutina & vespertina quid sit. n. 251*
5. *Continentia eminentialis tam est secundùm esse intentionale & objectivum, quàm esse physicum. n. 254.*
6. *Medium sufficiens ad cognitionem comprehensivam causæ est sufficiens ad comprehensionem effectus. ibidem.*
7. *Vrgens instantia scitu digna. n. 256.*
8. *Continentia eminentialis in Deo, item vitalis imago divinæ scientiæ nihil dicunt intrinsecum supra absolutam Dei sufficientiam, n. 257 & seqq.*
9. *Ex minus impossibili non sequi impossibilius, subtiliter ostendit* Subtilis Doctor. *n. 258*
10. *Ens absolutum sub ratione absoluti cognosci potest. n. 263.*
11. *Data hypothesi, quod omnium possibilium congeries impossibilis foret, nullatenus imaginis creaturarum expressiva prædicatum ideo deperiret in* Verbo. *n. 264 & seqq.*
12. *Deus tam scientia visionis, quam scientia simplicis intelligentiæ vivit in actu secundo. num. 266. in fine.*
13. *Prædicata Dei intrinsecâ independentiâ sunt à creatura possibili, quâ sublata in nullo imminuitur cognitio Dei comprehensiva. ibidem.*
14. *Creaturæ possibiles ab intellectu divino cognoscuntur non in propria earum cognoscibilitate, sed in essentia divina ut per medium* quod: *n. 267.*
15. *Quòd unio potentiæ cum objecto pariat notitiam, quomodo probetur. n. 269.*
16. *Eximitur* Aureolus *à censurâ* Vekeni: *nu. 273.*

244 VAlentinus Herice apud Brizenno Controv. 11. *disp. 1. art. 2. n. 12.* indignam, ait, viro docto divisionem objecti primarii & secundarii scientiæ Dei, sed perperàm, & viro docto indignum potiùs, totum quasi taxare cœtum Theologorum, qui tritis licet non trivialibus tamen, sed sapientialibus insistunt Antiquorum loquendi modis, si enim propter diversas rationes in objecto cognitas, secundùm quas intra suam sphæram objectivam dividi potest, verisimodè consideratur, illud possit dividi in materiale & formale, in motivum & terminativum, cur non etiam in primarium, quod nonnulli necessarium vocant & secundarium, cùm alia ratione dicatur primarium, nimirum quod est tale, quia consideratur ratione sui præcisè, & alia ratione secundarium, quod considerator ratione connexionis, quam habet cum alio. Sed missa hâc inutili pugnâ, quam solâ Antiquitas decernit, sit

ARTICVLVS I.

Cognoscátne Deus omnes creaturas distinctè & in particulari. ubi vindicatur *S. Hieronymus* à censura quorundam.

OPinio quorundam fuit putantium Deum, eò quòd cognoscat se ut principium essendi rerum omnium cognoscere quidem alia à se, sed solùm sub communi ratione entis, quæ sententia adscribitur *Aristotelis* & Commentatori suo *Averroi*, sed est error manifestus, à quo tamen Aristoteles vel pugnantia dixit, vel excusandus, cùm diversis locis astruat omniscientiam Deo esse tribuendam, de quo mox plura in corpore, sit

ASSERTIO I.

Ex fide constat, & naturæ lumen docet, Deum distinctè & in particulari cognoscere omnes creaturas, sive actu extra causam positas, sive tantùm possibiles qualvis etiam minutissimas, ac ad infimam rerum classem seu novissimum perfectionis gradum in essendo pertinentes.

245 EST communis contra sceleratos illos homines, qui ut suis effrænatis cupiditatibus indulgentius vacarent, omnium rerum mundialium Dei denegarunt cognitionem, abutentes illis Scripturæ locis Jobi 22. ℣. 14. *Circa cœli cardines perambulat, & nostra non considerat.* Et illo psal. 71. *Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso.* contra quos clamat 5. Pagina ab initio Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* quasi per totum usque ad Apocalypsin approbans ubique exactam divini contuitus notitiam, contra impios illos, qui ex *Iob* & *Psal.* sibi ad perniciem adulantur. Lege eundem *Iob* c. 28. v. 3. & v. 10. & c. 31. v. 4. & psal. 49. v. 10, 11. & 138. v. 1. Lege item Ecclesiasticum c. 23. v. 27. & *non intellexit, quoniam videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei, hujusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum, & non cognovit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem*, quod in græcanismo ampliatur: *ὀφθαλμοὶ κυρίου Ιοῦ ὑψίστου μυριοπλασίως ἡλίου φωτεινότεροι εἰσιν.* id est, *infinitis vicibus*, quasi *infinities plus Sole lucidiores.* & c. 39. v. 24. quibus locis depravatos illos homines, qui se impunè, ac ne Deo quidem conscio scelera patrare putant, ideoque liberrimè sese omnium scelerum absurditatibus consecrantes nullum non malum exercere pergunt, arguit & ostendit apertos Dei oculos super ipsorum vivere & agere. Lege item Ecclesi. c. 42. v. 19. & Prov. c. 26. ℣. --- Esther c. 14. v. 15. nobis sufficiat vel unicus Amos 5. v. 12. *Cognovi scelera vestra.* & Apostolus ad *Hebr.* c. 14. v. 13. *& non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.* Huc advocari possent SS.PP. qui & in guttis pluviæ, quas omnes Deus novit, divinæ scientiæ latitudinem explicant, vide S. Cyrill. Hierosol. Catechesi sexta, & S. Irenæum l. 2. c. 45. *Omnia quæ facta sunt*, inquit, *fient & fiunt, ita scire video, ut det illis singulis speciem, habitum, ordinem, numerum, quantitatem.*

Deus omnia videt.

Quocirca *superba & insolentes cogitationes*, ait Hieronymus in Psal. 137. *Deum non fallunt.*

Secunda pars, quod ex ipso lumine naturæ 246
veritas assertionis elucescat, probatur manifestè; evidens est in Deo reperiri omnem perfectionem simpliciter: *atqui* cognitio cujusvis rei distincta & in particulari est perfectio simpliciter: ergo. *maj.* patet, *min.* prob. quia intelligentia perfectissima in natura intellectuali infinita est melior ipsa quàm non ipsa. *atqui* cognitio distincta cujuslibet rei ac in particulari se extendens ad quodcunque etiam minutissimum & ultimi ordinis gradum, & quæ non est dependens ab objecto motivo creato, est intelligentia perfectissima; ergo.

Confirmatur: Deus est Conditor & causa re- 247
rum secundum omnem ipsarum rationem particularem & propriam: rerum Conditor cognoscit res omnes secundum omnem ipsarum particularem & propriam rationem; si enim artifex debet nosse suum opus ad sapienter illud exequendum, maximè Conditor rerum Deus, cujus cognitio est perfectissimè comprehensiva, quo pacto cùm actiones sint circa singularia, ut habet ipse Philosophus 2. *Ethicorum* c. 2. S. Augustinus negat Aristotelem negasse Deo omnium rerum etiam vilissimarum cognitionem, *Non enim*, ait l. 5. de Genesi ad lit. c 13: *opinor quempiam esse tam excordem, ut Deum, quæ non noverat fecisse, arbitretur.* Jure proinde hanc veritatem ipsi Ethnici habuerunt solo lumine naturæ exploratam, qui, ut refert Clemens *Alexand.* l. 5. *stromatum*, ante medium, *aures & oculos ex materia pretiosa fabricantes consecrabant Diis, hoc utique tacite signantes quod Deus omnia videt & audit.*

Sapientia Ethnicorum.

Porro evidentia hujus veritatis magis constabit ex Quæst. sequenti, ubi agetur de modo, quo divina cognitio ad quasvis res clarè & distinctè ac in particulari cognoscendas extenditur.

Vindicatur S. Hieronymus à censura Vasquez.

248 AMbiguis, fateor, verbis & phrasiminus explicata de scientia Dei circa res ad imum perfectionis in essendo gradum spectantes, loquitur sanctus ille Doctor in illa verba Habacuc 1. *Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Absurdum est*, inquit, *ad hoc deducere Dei majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur. quæ cimicum & pulicum, & muscarum sit multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum præda cadere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsi injuriosi simus.* Ita ille. Quæ S. Doctoris verba com-

communiter benignè interpretantur Theologi *Hieronymum* ita locutum fuisse, non ut neget Deo scientiam viliorum illarum rerum & insectorum, sed ut clariùs inculcaret, Deum non habere tam paternam curam & specialem providentiam irrationalium, quàm habet rationalium, Angelorum scilicet & hominum, seu non habere scientiam circa illa, cui sit annexa specialis providentia, verùm soli *Vasquez* non probantur hujusmodi interpretes super hæc verba, non aliam tamen fuisse S. Doctoris mentem, liquet non solùm ex verbis præcedentibus ejusdem textus: *Sicut*, inquit, *in hominibus, etiam per singulos Dei currit providentia: sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem & ordinem cursumq; rerum intelligere possumus, v.g. quomodo nascatur piscium multitudo, & vivat in aquis, quomodo reptilia & quadrupedia oriantur in terra, & quibus alantur cibis*, &c. quibus satis exprimit scientiam de omnibus, sed non æqualiter eandem adhiberi brutis, insectis & inanimis cum illa gratiosissima benevolentia & providentia, quâ singulos curat homines, quos solos & ad beatum finem creavit, & jugiter ad eundem adipiscendum intus dirigit; sed & clarè de scientia Deo tribuenda, circa quæcunque minutissima explicat seipsum in illud Matth. 6. *Si parva*, inquit, *animalia, & vilia absque Deo authore non decidunt, & in omnibus est providentia, & quæ in his peritura sunt, sine voluntate Dei non pereunt; vos qui æterni estis, non debetis timere, quòd absque Dei vivatis providentia.* Ecce, non negat Deo scientiam & omnem providentiam, quâ scist & providet, quot nascantur, quotque moriantur culices, cimices, muscæ, & id genus pullorum *Cyri*, quomodo aliàs *S. Doctor* hoc loco diceret, quòd nec parva animalia & vilia absque Deo authore decidant, quodque talis in omnibus sit providentia, ut nullum ex his periturum sit sine Dei voluntate. Deinde de non in hoc loco duntaxat specialem circa homines astruit, ut vides in ultimis verbis, providentiam, quam negat circa cætera, sed & expressè in priori concludit: *Non simus jam fatui adulatores Dei, ut dum ejus potentiam ad ima detrahimus, in nos ipsi injuriosi simus eandem* (nota) *rationabilium quàm irrationabilium providentiam esse dicentes.* Quid clariùs? imò clarissimè idipsum S. Doctor expressit in illud Matth. 10. *Nonne duo passeres asse veneunt?* Deinde quomodo in nos ipsos injuriosi essemus, nonnè ideò solùm si asseramus eandem esse scientiam circa quævis vilissima animalcula, quæ cum nihilo sui reciprocantur, quæ est circa nos, qui æterni sumus? scis quid dixit ille, qui dixit: *Nunquid de bobus est cura Deo?* ergo *Hieronymus* solùm intendit removere eam scientiam a Deo, quæ est conjuncta cum speciali Dei providentia, imò illo vel simili modo ipsamet S. Scripturæ phrasis explicanda venit, v.g. *Habacuc* 1. v. jam cit. *mundi sunt oculi tui, ne videas malum*, &c. & Matth. 26. *Nescio vos*, quæ loca intelliguntur indubiè de visione & scientia approbationis, vel cui sit annexa complacentia, qua Deus sibi complacet de eo quod cognoscit, sicut ergo hac scientia Deus mala nescit, nec iniquitatem respicit, ira & alia, quæ infra humanam conditionem sunt, ea nescit scientia, cui sit annexa specialis Dei providentia.

Mala cuncta Deus nescit, approbando illa, quæ infra cõditionem humanã sunt, Deus nescit scientia, cui sit annexa providentia specialis.

ARTICVLVS II.

An Essentia divina sit Deo unica ratio ac medium cognoscendi creaturas?

IN hoc Articulo elucidantur ampliùs dicta q. 5. & 6. nam disputando an Deus 249 cognoscat creaturas in seipsis, simul explicatur, an cognoscat illas distinctè & in particulari, item quomodo, & an sint objectum divini intellectus. quæ in præsenti articulo enucleatiùs sunt discutienda, sicut autem in præcedentibus, ita in hoc Auctores in varia abeunt placita, nonnulli volunt Deum cognoscere creaturas in seipsis, non autem in Essentia sua tanquam primario objecto, ita *Occam* cum suis 1. d. 35. qu. 3. quibus alii saltem ex parte accedunt Recentiores concedentes quidem creaturas inspici à Deo in seipso, sed insuper in seipsis à Deo immediatè cognosci posse, ita nominatim *Suarius* ut probabile tenet 1. p. lib. de Attributis positivis Dei, c. 2. n. 13. & constanter *Valentinus Herice* asserit 1. p. *Tract. 1. de Scientia Dei*. c. 4. pro hac sententia uterque *Suarius* cum citato *Herice* allegant *Scotum* 1. d. 35. q. 1, § *Ad ista*, n. 10. *Cacheranus* autem in sua Theolog. Assertiva de objecto necessario scientiæ Dei c. 2. §. 6. illum citat In oppositum, sed quinam horum ex fide, infra, sit

* * *
* *

ASSERTIO II.

Deus cognoscit creaturas in seipso tanquam in objecto priùs cognito, seu medio objectivo & in quo.

250 HAnc *Scoti* esse, non uno videre licet pe-nes ipsum loco & libro, ut eum in fonte non legisse se prodant, qui contrarium illi affingunt, quasi asseruisset Deum cognoscere creaturas solùm in seipsis, non in seipso. Oppositum hujus primò expressè habet in qu. 3 *Prologi Sent.* §. *Ad tertiam quæstionem*, n. 23. *Ideò dico aliter, quòd divina Theologia est de omnibus cognoscibilibus, quia objectum primum Theologiæ suæ facit omnia alia actu cognita in intellectu suo.* Et mox: *Ita in proposito hæc Essentia Dei in intellectu suo facit alias quidditates actu notas. & quasi posterius naturaliter facit veritates illas in istu contentas notas intellectui illi.* Statimque infert, subdens: *Sic ergo Deus de omnibus cognoscibilibus solùm habet cognitionem Theologicam, quia tantùm virtute primi objecti Theologici actuantis intellectum ejus, ita quod Theologia Dei non tantùm de omnibus, sed est etiam omnis perfectio possibilis haberi à Deo de eis.* Ubi apertè innuit, esse in Deo cognitionem creaturarum, sed quæ Theologica sit, id est, quæ respiciat objecta creata, non in seipsis, sed in divina Essentia ut objecto primario, & in illa per motionem Deitatis objecta creata secundariò, aliam verò creaturarum cognitionem, quæ Theologica non sit, & quæ esse creatum immediatè in seipso & non in eminentia Dei, intueatur Deo indignam æstimat.

Scotus.

Cognitio creaturarum in Deo Theologica.

Scotus in 3.

Idem Doctor tenet 3. d. 14. q. 2. n. 8. his verbis. *Potest dici, quod conclusio ista posset poni duobus modis: uno modo, quod anima Christi haberet unam visionem respectu Verbi ut primi objecti, & omnium objectorum relucentium in Verbo, aut secundariorum objectorum, ad quæ objecta secundaria haberet respectus distinctos.* Quæ locutio *Scoti* non valeret, nisi supponeret creaturas relucere in Verbo, quas anima Christi in illo videre posset, adeoque & Ipsum Verbum divinum posse illas videre in seipso, ita ut ratio motiva terminationis divinæ cognitionis sive objectum primarium terminationis divinæ scientiæ in illam creaturarum veritatem participatam sit ipsummet Verbum divinum. *Vide* de his plura in *Libro QQ. Quodlibeticarum*, Quodl. 14. ubi multis probat, divinum intellectum moveri solùm ab Essentia divina tam ad aliorum, quàm sui cognitionem, accipe vel unicum inde ex n. 20. in fine, §. vel versu: *Respondeo, lapis videtur.* Ad objectionem ait: *Essentia sola, & soli suo intellectui repræsentat ante actum intelligendi: sed lapis videtur in Essentia divina ut objectum secundarium in primo objecto, non quidem motivo ad intellectionem secundi, sicut movet intellectum proprium, & sicut intellectum nostrum,* & cæt. ubi sicut & q. 3. *Prologi* cit. n. 23. §. *Sed de intellectibus creatis*, disertè ostendit discrimen inter intellectum divinum & creatum in hoc, quòd divinus sit incapax cognitionis, quæ primò & per se non respiciat pro objectivo motivo Essentiam infinitam; intellectus verò creatus etiam lumine gloriæ illustratus habilis sit, ut notitiam circa objecta creata & finita elicere possit. Hæc loca, ex quibus manifestè constat, falsò *Scotum* citari pro opposito assertionis sufficiant, esto multò plures textus afferri possent. itaque

Probatur Assertio secundò, Auctoritates recolendo, & rationes supra adductas q. 5. sub assertione 2. probatione quartâ.

251 *Probatur etiam ratione.* Quòd modus cognoscendi, qui nullam importat imperfectionem, & qui nobilior est, debet deferri Deo, sed cognoscere creaturas in seipso tanquam in objecto cognito & medio objectivo nullam importat imperfectionem, & est modus illas cognoscendi, nobilior: ergo. major constat, minor prob. quoad primam partem, cognoscere creaturas sic in seipso exprimit eminentiam repræsentativitatis divinæ, vi cujus non solùm sufficientia ad cognoscendum *esse increatum* in Deo, sed & *esse creaturarum* relucet, sed hoc est sine imperfectione, ergo. Probatur etiam minor, quoad secundam partem ex co[gni]tione Beatorum & Angelorum, qui nobiliori modo cognoscunt creaturas in Verbo, quam illas in seipsis, ut liquet ex illo S. *Augustini* l. 5 de *Gene.* ad lit. c. 23. & 24. duplicem distinguente creaturarum cognitionem in mente Angelorum, unam videlicet in *Verbo*, quam *matutinam* vocat, alterum in proprio genere per proprias species & in seipsis, quam *vespertinam* appellat, eò quòd sit minùs perfecta & clara, quàm visio in Verbo. quæ, ut habet l. 11 de Civit. Dei, c. 7 *decoloratior est, quàm cùm in sapientia Dei cognoscitur* atqui infinities nobiliori modo Deus res cognoscit, quàm Angeli: ergo cognitio creaturarum in Verbo, sive in seipso in Deo asserenda est.

Modo perfectiori creaturæ cognoscuntur in Deo, quàm in seipsis.

Cognitio matutina & vespertina quid dicat?

252 *Dices.* Deum cognoscere creaturas in seipso velut in objecto cognito, maximam dicit imperfectionem, ergo prima pars probationis non subsistit. *Anteced.* prob. *Vasquez* 1. p. d. 60. c. 2. n. 8. objectum aliquod priùs cognitum non potest esse medium cognoscendi aliud quidditativo & proprio conceptu, nisi in se contineat omnes rationes illius, & sit omninò illi simile; si enim est ab alio diversum, non potest concipi, quomodo in illo ad instar illius possit aliud quidditativè & comprehensivè cognosci. ergò cùm Deus non contineat formaliter rationes creaturarum, sed sit infinita abs-

militudo inter ipsum & creaturas, & nonnisi analogicè assimilentur divinæ essentiæ, consequens est, non posse illas cognosci in seipso vel verbo, eadem ratione convellitur eadem *minor* quoad secundam partem, & probatio ejusdem ab Angelorum cognitione tracta.

Respondetur, Totum retorqueri posse contra Adversantes, cùm ob eandem causam absimilitudinis creaturæ in seipsis non sint ab intellectu divino immedialiter cognoscibiles, ut licèt cognitio Dei respiciat creaturas, seu objectum creatum, ratio tamen motiva cognitionis divinæ in tale objectum, ut possit attingi ab intellectu divino, est sola visibilitas Dei mediante Essentia illius tanquam objecto per se primario.

253 *Quare Deus non attingat creaturas in se ipsis.* Et ex hoc ante responsionem ad instantiam probatur assertio nostra *secundò*, Ad cognitionem non suppetit solus intellectus, sed requiritur unio objecti cum intellectu, cui per animatam & vitalem repræsentationem assimiletur, in hoc enim cernitur discrimen intellectus à voluntate, quòd ista operetur per modum inclinationis & impulsûs seipsam movendo in objectum, intellectus verò vitaliter assimiletur objecto per speciem intelligibilem realiter illi inexistenti, juxta id vulgatum: *Ex objecto & potentia paritur notitia*: atqui Deo non potest inexistere species intelligibilis, nisi quæ est ipsa essentia divina: ergo per objectum nobis absimilitudinem inter intellectum divinum & creaturas, nulla intelligibilitas creata potest inesse divino intellectui, nisi per speciem increatam, seu per ipsam Essentiam Divinam.

254 *Confirmatur*. Non potest divina voluntas terminare ad bonum creatum tanquam ad objectum formale motivum & primarium, cùm illud solum sit illimitata Dei Bonitas: ergo nec intellectus ad objectum seu verum creatum, ergo non est possibilis in Deo aliqua tendentia intellectiva, quæ non spectat primariò & per se scibilitatem Dei, & secundariò creaturas, prout continentur in eminentia cognoscibilitatis divinæ. *Vides ergo*, quòd ab argumento nobis obtrusù ruboretur potiùs, quàm enervetur Assertio.

Respondetur jam ad illud negando Deum non comprehendere creaturas in seipso tanquam in objecto cognito, ad rationem verò in oppositum, ut in Assertione sequenti statuetur, diximus ut possit aliquid esse medium cognoscendi aliud quidditativo & proprio conceptu debere continere omnes perfectiones illius, & esse illi simile, vel formaliter, vel eminenter, Deus autem est omnibus creaturis eminenter similis, earumque perfectiones, species universas, omnesque participatorum essendi rationes tanquam ex se & in se derivabiles continet eminenter, verùm in hac specierum creatarum & similitudinum, earumque participatarum continentia, non est increabilis ulla realitas, quæ non importet formalissimè rationem increati ob rationem dictam, quòd nihil intelligibilitatis sit unibile intellectui divino, consequenter, nec ut ratio motiva & specificativa attingibile ab illo, nisi secundùm esse divinum & increatum: frustra itaque requirebatur in objectione similitudo formalis, ubi adest eminentialis, signanter quia isthæc continentia non solùm est secundùm esse physicum, sed etiam secundùm esse intentionale & objectivum, incredibile enim est, id, quod est sufficiens medium ad cognitionem comprehensivam causæ, non esse sufficiens ad cognitionem comprehensivam effectuum, evidens autem est, Essentiam divinam esse medium ad comprehendendum seipsum, suam omnipotentiam, omniscientiam, &c. ergo & ad comprehendendum quodcunque verum, seu scibile participatum. *Medium comprehensivum causæ est comprehensivum effectus.*

Urgebis contra hanc doctrinam: Si eminentialis continentia seu virtualitas primæ causæ esset medium cognoscendi creaturas in se virtualiter contentas, jam Deitas esset imago vitalis & essentialiter dependens à creaturis, consequenter non esset magis necessarium esse Deitatis, quàm esse creaturarum, illisque negatis & ablatis per necessariam connexionem scientiæ Dei cum creaturis, & dependentiam ab illis, sequeretur, quòd etiam negaretur atque aufferretur attributum scientiæ tam æquè primò spectantis creaturas, quàm eas inspicientis in eminentiali Dei continentia. *Sequela antecedentis* quoad primam partem patet: quia Deus per hujusmodi scientiam virtualiter attingit objecta creata, ita ut per talem imaginem creaturarum intellectui suo præsentium, Deus constituatur intelligens creaturas in actu secundo. Secunda pars *sequelæ anteced.* quòd esset essentialiter dependens, patet etiam, quia quælibet cognitio pendet ab objecto, à quo speciem haurit: *potestque argumentum amplius stabiliri*. Continentia eminentialis in Deo non solùm consistit in activa virtualitate ad posse repræsentare res possibiles in Essentia Divina, sed in passiva quadam creaturarum participabilitate, & Esse Divini imitabilitate, ex qua sequitur creaturarum non repugnantia, quæ est ipsa earum possibilitas: atqui ablata creaturarum possibilitate, talis aufferretur participabilitas, ergo aufferretur intrinsecum prædicatum in Deo, seu ratio & vis determinata, ex qua necessariò fit consequens illa rerum possibilium non repugnantia. 256 *Instantia urgens.* *In quo consistat continentia eminentialis.*

Hoc argumentum cum sua confirmatione contra scientiam Dei, quam communiter te et Doctorum cœtus in Theologia, apparenter est satis molestum, urgetque magis contra scientiam Dei, quàm aliqui sustinent, attingentem creaturas in seipsis, quæ æquè importat perfectionem imaginis vitalis ab objecto dependenris, cùm nihil minus intueatur talis scientia Dei in objecto creato in seipso viso, quàm scientia Dei attingens creaturas in Verbo, ac proinde tam esse necessarium Esse creaturarum, quàm Esse divinum ad salvandam increatam scientiam respectu creaturarum. Cùm hujus argumenti solutio ex aliis pendeat principiis, quibus impertransitis, pertransiri nequit. *Hoc argumentum premit æquè adversarios.*

Sit

DIGRES-

DIGRESSIO INCIDENTALIS.

An data hypothesi, quòd omnia quæ de facto sunt possibilia, impossibilia forent, adhuc superessent in Deo eminentiales continentia & virtus quævis factibilia præstandi, & vitalis imago divinæ scientiæ eadem quæ modò est?

257 DICO PRIMO *generaliter: Omnes istæ continentiæ non addunt aliquid intrinsecum supra absolutam sufficientiam Dei, ita ut simpliciter etiam sublata omni possibilitate entis creati salvetur independentia Dei ab omni ente creato.*

Hoc assertivum dictum apertè constat esse de mente *Scoti* 1.d.8. q.5. n.17. §. *Istu rationibus cujusdam Doctoris.* Scotum sequuntur alii plures extra scholam suam, quatenus docent comprehensivam intellectus paterni productionem, qua dicit & generat Filium non spectare omnipotentiam essentialiter ut importat habitudinem ad creaturas possibiles, sed ut ab hujusmodi respectu absolvitur. Colligitur item ex *Scoto* 1.d 30.q.2. §. Ad secundam quæst. n. 14. ubi subtiliter ostendit, nullam in Deo dati realem habitudinem vel respectum ad esse creaturæ. *Scotus.*

258 *Probatur* ex Scoti primo loco citato, ubi impugnans opinionem Philosophorum volentium, quod Deus agat necessariò, ostendit subtiliter ens summè necessarium non posse non esse, etiamsi non esset quodcunq; à se realiter distinctum, idq; hoc argumento: quod est necessariò à se & à nullo dependet, sic est necessarium, ut circumscripto alio quocunque à se, à quo non dependet, nec in essendo, nec in necesse esse, impossibile sit ipsum non esse; sed audiamus verba Doctoris: *Ens absolutum, quod est ex se necessarium perfectè quantum potest cogitari aliquid esse necessarium, non potest non esse quocunque alio à se non existente: sed Deus est summè necessarius secundùm illum intellectum praacceptum, ergo quocunque alio à se non existente, non propter hoc sequitur ipsum non esse. majorem proba: quia ex minus impossibili non sequitur impossibilius, sicut nec ex minus falso sequitur falsius.* Hæc Doctoris ratio, ut optimè *Lychetus* hic *super literam* patet in exemplo de necesse esse ut duo, & de necesse esse ut uno, v. g. necessarium ut duo (quod supponamus) indubiè erit impossibile non esse ut duo, quia sicut aliquid est evidens in veritate, ita oppositum erit evidens in falsitate. 1 *Poster.* sic etiam, quando aliquid est necessarium in essendo, tanto est impossibile in non essendo, ex quo similiter cognoscis, quòd dato necessario ut unum, sit impossibile, illud non esse ut unum, quia tanta est impossibilitas non essendi, quanta est necessitas essendi. Jam ad propositum: sit ergo continentia virtualis vel eminentialis, vel quodcunque prædicatum intrinsecum Dei necessarium ut duo, quale indubiè erit respectu creaturæ, quod sit necessarium ut unum, jam si necessarium ut duo, posset non esse ex hoc, quod necessarium ut unum (datâ positione sive possibili, vel impossibili) posset non esse, tunc impossibile non esse ut duo, sequeretur ex impossibili non esse ut unum, & sic impossibile in ista hypothesi posset sequi ex possibili, vel saltem magis impossibile ex minus impossibili, quod probatur; quia si removeatur ab impossibili ut duo, una ratio impossibilitatis, adhuc erit impossibile; si autem ab impossibili ut unum removeatur, ratio impossibilitatis amplius non erit impossibilis: ergo possibile. ergo ex hac suppositione, quòd non esset creatura possibilis, si ideo destruerentur intrinseca Dei prædicata, sequeretur ex minus impossibili magis impossibile, nam impossibilius est, quod non esset Deus, quàm quod non esset ulla creatura. Insuper ex minus falso sequeretur magis falsum: quod eodem modo Doctor probat, quia falsius duplicem habet gradum vel rationem falsitatis, & minus falsum tantùm unicum, cum circumscripta à falsiori una ratione falsitatis, qua excedit minus unicum falsum stante alia, & circumscripta à minus falso illa, quam habet, tunc falsius erit falsum, & minus falsum non erit falsum, quia circumscripta est ratio falsitatis minus falsi: ergo hoc posito falsius erit falsum, & minus falsum erit verum, & tunc ex vero sequitur falsum, vel saltem ex minus falso sequitur magis falsum. ergo à primo ad ultimum, si nunquam magis impossibile posset esse ex minus impossibili, nec magis falsum ex minus falso, falsum erit, quòd sublata creaturarum possibilitate auferatur ipse Deus, vel prædicata intrinseca Dei.

Ex minus impossibili non sequitur impossibilius.

Subtilis Doctoris subtilis discursus.

259 *Dices* contra istam rationem, & objicit Doctor sibi ipsi. Principium destruitur destructâ conclusione ex 1. *Priorum*, & tamen principium ex se videtur esse magis necessariæ veritatis, quàm conclusio, quæ non est necessaria, nisi ex principio, & magis impossibile est, ut non sit verum principium, quàm non sit vera conclusio: ergo quamvis magis necessarius sit Deus, & magis impossibile, quod non esset, quàm ulla creatura, posset tamen sequi, quod non esset, si non esset possibilis creatura. *Objectio Subtilis Doct.*

Respondet Doctor negando *consequentiam* in disparitate fundatam, quamvis enim veritas principii sit major veritate conclusionis, tamen ad non esse veritatis conclusionis sequitur non esse veritatis principii, estque disparitas in hoc, quia veritas conclusionis suo modo est pars veritatis principii, ut non sit simpliciter alia à veritate *Responsio ejusdem.*

ritate principij, ut v. g. veritas hujus principij, *omne animal rationale eſt riſibile*, hanc includit veritatem, quod omnis homo ſit riſibilis, Petrus, Joannes eſt riſibilis &c. ſic quod veritas totalis principij integretur ex veritatibus omnium concluſionum in illo contentarum, idq; Doctor probat ex veritate propoſitionis univerſalis, quæ integratur ex veritatibus omnium ſingularium, quia principium aliquod univerſale æquivalet omnibus concluſionibus particularibus ex ipſo deducibilibus, quod enim verum eſt, omnem hominem eſſe riſibilem, eſt, quia æquivalet omnibus iſtis, hic homo eſt riſibilis, & ſic de aliis ſpeciei humanæ individuis, in quorum uno ſi falleret riſibilitas, principium hoc univerſale: *omnis homo eſt riſibilis*, non magis ſtaret, quàm totum ſine partibus, numerus quaternarius ſine binario, ſenarius ſine ternario, ut in aliis mathematicis exemplis ſubtiliter *Doctor* demonſtrat. In propoſito autem & ratione à Scoto adducta longè aliud eſt, quia ens aliud a Deo neceſſarium, non eſt pars Dei, & conſequenter ſi non eſſet, non deberet ſequi non eſſe Dei. Ergo rectè Scotus l. c. *ſtat probatio majoris quod ex minus impoſſibili non ſequatur impoſſibilius*.

160 Inſtabis itaque. Riſibilitate deſtructâ deſtrueretur rationalitas: ſed illa non eſt pars rationalitatis; ergo deſtructo minus neceſſario, qualis eſt riſibilitas, deſtrueretur magis neceſſarium, quale eſt rationalitas. ergo ex minus impoſſibili, ſequitur magis impoſſibile.

Reſpondeo conced. *majorem*, ad *min.* dico: licèt illa non ſit formaliter pars rationalitatis, æquivalenter tamen eſt ad modum partis realiter inſeparabilis, cùm illi ſit realiter identificata, & proprietas ab illa emanans intelligibiliter minus inſeparabilis ab illa, quàm animalitas, quam non implicat intelligibiliter componi cum irrationalitate, ſecus eſt de riſibilitate, quæ omni & ſoli & ſemper rationalitati propria apta nata eſt ſe deſtructa ſecum trahere deſtructionem rationalitatis, & viciſſim, quod item non currit Deum inter & non repugnantiam creaturæ.

161 *Inſtabis* ſecundò. Continentia leonis v. g. eſt prædicatum formale & intrinſecum Deo, ſed nequit concipi continentia leonis ſine leone, ergo non eſt in Deo imago vitalis leonis ſine leone viſo. *Reſpondeo* conced. *maj.* diſtinguo *min.* ſed nequit concipi continentia leonis ſine leone, quatenus illa continentia eſt abſolutum Dei Attributum, & quatenus importat abſolutam duntaxat ſufficientiam virtutis divinæ: nego *minorem*, nequit concipi continentia leonis ſine leone, quatenus exprimit inſuper habitudinem & reſpectum rationis ad connotatum creatum; concedo *min.* eſt autem manifeſtum, quòd reſpectus rationis nihil ad propoſitum faciat, cùm poſſit continentia eminentialis intelligi citra omnem hujuſmodi reſpectum & habitudinem rationis.

162 *Inſtabis tertiò.* Eſto poſſit iſta continentia concipi ſine iſta habitudine rationis, non tamen ut eſt activa quædam virtualitas, quia ſicut continentia cujuslibet effectus creati eſt intrinſeca cauſæ creatæ, ita & increatæ. *Reſpondes*, continentia virtualis principii creati eſt propter effectum creatum, quæ non exuperat gradum neceſſitatis ſui effectus, unde conſequens eſt, ſi impoſſibilis eſſet effectus, & cauſa effectum illum continens foret impoſſibilis, ſecus ac in Deo, in quo ablato ente poſſibili quidem tolleretur virtualitas reſpectiva, non tamen vis illa eſſentialis, quæ ex ſe conferre poſſet ad productionem entis, ſi ex parte illius eſſet poſſibilitas; itaque ſicut quantitas bipalmaris eſt æquivalenter æqualis palmari, non è contra palmaris æqualis bipalmari, & univerſim majus minori, & æquivalet & ſuperat illud, ita continentia increata æquivalet creatæ, & infinitis paraſangis exuperat illam, ut mirum non ſit ablata entium poſſibilitate, nihilominus remanere abſolutum eſſe talis continentiæ, non item cauſa creata & virtualitas illius.

Dices: Ea eſt connexio quantitatis bipalmaris, ut illa non poſſit eſſe ſine palmari, neque ullum majus ſine minori ſed illa palmari ſublata, neceſſariò etiam tolleretur bipalmaris, eſto illa quantitas bipalmaris & omne majus æquivaleat & exuperet ſuum minus: ergo etiam licèt ſit neceſſaria connexio aſſerenda inter Deum & creaturas poſſibiles, ut ſi tolleretur quælibet creatura etiam modiciſſima, ex eo tamen non infertur æqualis neceſſitatis ratio in Deo & creaturis, eò quòd Deus exciperet creaturam, & firmiorem neceſſitatis gradum ſibi vendicet, quàm creatura poſſibilis, quamvis & hæc ut Deus etiam ſubſiſtat, neceſſaria ſit. hujus exemplum obvium eſt in hoc complexo neceſſario ex neceſſario antecedenti, ut *Petrus eſt homo*, ergo *eſt riſibilis*, ubi antecedens eſt magis neceſſarium, quam conſequens, eò quòd neceſſitas conſequentis effluat ex neceſſitate conſequentis, & tamen ſi tolleretur riſibile Petri, non ſubſiſteret homo Petrus.

Reſpondeo hic breviter, quia de hoc Controv. 15. agetur pluribus, & dico hanc inſtantiam exorbitare, & contra Opponentium intentum reddere Deitatem ſimpliciter a creaturis ut à poſteriori dependentem in ſuo eſſe eo modo, quo diximus ſtatim virtutem operativam in ſuo eſſe dependere ut à poſteriori à ſua cauſalitate, ut ſi implicatoria eſſet calefactio, etiam implicantiam diceret virtus calefactiva, nam eſto calefactio ſit poſterior virtute calefactiva, attamen ſola connexio principii cum ſuo influxu tanquam termino & cauſa finali propter quam eſt principium, id obtinet, ut virtus agendi cenſeatur, eſſe propter cauſalitatis influxum & conſequenter ab illo ſimpliciter dependeat, tanquam à ratione ultima & finali exiſtentiæ talis cauſæ. Sed Deus à nulla creatura ita dependere poteſt, ut ille ſit propter illam, id enim præcisè diceretur, & eſſet quaſi ſrui utendis, & impiè uti fruendis, ipſamque primatiam Dei neceſſitatem, creaturis non indigentem minorare ad talem indigentiam qua riſibilitas indiget ad ſui eſſe humanitate, & quantitas

titas bipalmaris palmari, quod nefandum est.

163 *Confirmatur* & probatur dictum nostrum assertivum *secundò*. Non potest assignari ullum principium, ex quo tam necessaria colligatur connexio inter Deum & aliud à se realiter distinctum, ut destructo illo alio à se distincto, etiam destrueretur Deus: ergo non debet dici, factâ illa suppositione, quòd si non esset ullum ens à Deo, quod non esset ipse Deus. *Anteced.* prob. illud esset, quia possibilia cognoscuntur in Deo vi relationum transcendentalium Dei ad ipsa, cognitio autem relativi nunquam potest obtineri præscindendo à cognitione termini, aut termino ablato, cujus est repræsentativa: sed hoc principium est nullum: sequela *majoris* patet ex ipsa objectione, & illius confirmatione supra n. 256. & 239. in objecto & refutatis; dicunt enim, quòd continentia eminentialis sit ratio motiva cognoscendi creaturas, consequenter oporteat Essentiam divinam in sua eminentia dicere habitudinem realem ad creaturas. *Minor* prob. tum quia falsum est dari in Deo relationes reales ad creaturas, ut egregiè ostendit *Subtilis* 1.d.30.q.2. §. *Ad secundam quæst.* n.14. & refertur à nobis de hac re, Tomo 2. *Controv.* 2.q.4.art.2.*circa finem.* vide *ibi.* tum esto gratis concederentur illæ relationes in Deo, non tamen indè sequetur creaturas necessariò tantum posse cognosci viâ telationis: ergo. *Anteced.* prob. de facto ens absolutum sub ratione absoluti est medium ducendi in cognitionem alterius, ut patet in sensibilibus, quæ ducunt in notitiam intelligibilium, non per relationem, sed quatenus intellectus abstrahit ab illis species intelligibiles, ergo fieri potest, ut non per continentiam telatam ad objectum potentiale, sed per absolutum in esse Dei absoluto habetur medium cognoscendi res virtualiter in illa contentas. Quod autem dicis non posse obtineri cognitionem creaturarum præscindendo à cognitione termini seu termino non existente, procedit ad summum de relativo & relatione formaliter sumptis, & ut in actu exercito, non de iisdem sumptis fundamentaliter in ipsa absoluta eminentia contentis, & quasi in actu signato.

Creaturas sub ratione absoluti cognoscibiles esse.

164 Dico secundò: Datâ hypothesi, quod omnium possibilium congeries impossibilis foret, licèt imminuerentur & perirent in Deo certæ extensiones ad ex[...]a & denominationes, quæ illi ex connotatione objecti possibilis accedunt, n[...] late[...]ua tamen prædicatum imaginis expressivæ creaturarum quoad omnem rationem vitalem & intrinsecam ejus.

Probatur primo generaliter ex omnibus iis, quæ addu[c]ta sunt pro primo asserto.

165 *Probatur* secundò specialiter: Actus intellectus paterni, quo fit partus verbi divini, non attingit formaliter creaturas possibiles in continentia relata [q]uasi importante habitudinem ad illas: e[rg]o nec actus divinæ Essentiæ ad partum cognos[cit]ivum: *Antecedens* hic cum communiori su[...]o ex alibi di[c]en[dis], *consequentia* patet, quia non obstante talis respectus remotione actus generationis est comprehensivus. ergo & actus Essentiæ cognoscitivus, sed actus comprehensivus in n[ull]o intrinseco imminuitur, cùm aliquo non e[sse]t comprehensivus, quem nihil latet in divinæ naturæ, ergo licèt tolleretur extrinseca connotatio vel extensio & appositio ad objectum creatum, nihil tamen vitalis expressionis, eo prorsus modo si implicarent spatia, tolleretur quidem ab immensitate divina relativa secundùm locum denominatio ubiquitatis quam à reali præsentia ad spatia trahit nequaquam verò absoluta illa & essentialis capacitas a[d] implendum omnia spatia possibilia, si alia possibilia forent.

Sublatâ possibilium congerie in nullo imminuitur con-

Probatur tertiò. Scientia libera seu visionis non minus expressive & vitaliter attingit objecta, quàm scientia necessaria seu simplicis intelligentiæ: sed scientia visionis non habet quantum ad prædicatum intrinsecum imaginis expressivæ creaturarum necessariam connexionem cum objecto ad futuritionem l[...] immutato, ergo nec quæcunque alia sciet tia Dei, ita ut prædicatum imaginis semper æquè sit, erit, sive objectum maneat, sive pereat illius esse possibile, seu non repugnantia ad esse. *Majorem* probo ex supparitate rationis, quia non minus per talem visionem creaturarum vivit[...] tanquam per formam vitalem in actu secundo quam per simplicem Intelligentiam. Secundo probatur eadem *major*, ex hoc, quia aliqui[d] attingit scientia visionis, quod non attingit scientia simplicis intelligentiæ sed cum hoc ipso quod speciatim illa attingit, non importat illam connexionem quantum ad prædicatum intrinsecum imaginis, quam quasi [su]peraddit scientia visionis supra scientiam necessariam, ita ut illa vitalis expressio visionis deleatur ablato objecto: *ergo* nec prædicatum imaginis simplicis intelligentiæ, con[seq]uenter ablato objecto tantum extrinseca e[xt]e[nsi]o ad objectum, vel illius connotatio perit. *Antecedens* quoad primam probationem nemo est qui negaverit, nisi velis, quòd scientia visionis nil expressionis vitalis apponat supra scientiam simplicis intelligentiæ, quod constat esse falsum, tum quia eodem pacto dici posset [sc]ientiam attingentem creaturas in se ipsis, quæ tamen ab Adversariis defenditur, non superaddere expressivam imaginem cognoscibilitatis ab objecto prout salvem importat rationem assentiendi, cùm nihil intueatur in [obje]cto, quod non etiam cognoscat scientia vi[sio]nis & in Verbo; tum quia non esset in quo constituatur discrimen scientiæ visionis & [...]æ à scientia necessaria illud enim no[n] in solo modo tendendi, quatenus scientia creaturarum in Deo attingat creaturas in eminentia principii seu ex penetratione [...] Dei; altera verò in formali veritate [...] sed etiam scientia visionis ex parte [obje]cti a[...]liter attingit creaturas, quàm simplicis intelligentiæ, hæc licèt intueatur [...] perfectè creaturas illas, tamen exp[...] sub statu

164 *S[...] [...]tur à [...] scientia [...] simplicis [...] tia in ratione vitalis expressionis.*

Qualiter scientia visionis creaturas

attingat, & qualiter scientia simplicis intelligentiæ?

statu solùm negativo, & non repugnantiæ & quasi in actu signato, scientia verò visionis intuetur sub statu positivo utpote effectivè & in actu exercito ad futuritionem & existentiam contracto: sed attingere positionem & negationem dicit distinctam rationem scientiæ ex parte objecti differentis: *ergo* una non dicit eandem expressionem vitalis imaginis ex parte objecti, quod attingit quam dicit altera, non attingens illud. Sed certum est, quod scientia libera, quantum ad omne prædicatum vitalitatis & imaginis intrinsecæ omninò sit independens ab objecto: ergo & scientia necessaria erit independens ab illo, objecto proinde ablato, seu omni creatura possibili facta impossibili, nil perit vitalis expressionis scientiæ quam simplicis intelligentiæ dicimus. Dixi *ex parte objecti*, quia scientia visionis ut extenditur ad objecta contingentia non apponit aliquod prædicatum vitalitatis intrinsecum supra scientiam simplicis intelligentiæ, ut vel inde patet, si Deus hodie destinaret ad futuritionem aliquod ens, quod ab æterno non fuisset objectivè immutatum, aut ad futuritionem ex possibilium classe extractum, certè scientia visionis ob suam infinitatem illud futurum accedens sine intrinseca additione vel à creatione alicujus rationis intraneæ æquè ac omnia alia repræsentaret, sicut enim si Deus v. g. talem creaturam ad futuritionem non destinasset, nullum deperiret in Deo prædicatum intrinsecum ob non extensionem scientiæ visionis ad talem creaturam; ita neque si de novo aliqua creatura ad futuritionem immutaretur, vel data hypothesi quod impossibile aliquod fieret possibile, vel non repugnans ad existendum accederet quidem ex parte objecti nova terminatio & connotatio objecti, nihil tamen intrinseci: ergo potentia divina illud sine nova aliqua additione rationis intraneæ attingit. *bis visis*

Respondetur, Argumentum supra sub n. 256. & confirmationem illius nullum habere robur, nisi quatenus Divina scientia à nobis chymericè concipitur in duobus: *semel* quasi propter intrinsecum prædicatum vitalis imaginis sive scientiæ expressivæ creaturarum deferenda sit æqualitas veritatis & necessitatis inter esse Divinam & esse participatum creaturarum, ita ut utrobique, quod est fallissimum, eandem vel supparem dicunt dependentiæ connexionem, & hinc in hypothesi ablatæ possibilitatis creaturarum & negatâ illâ connexione *semel* & *secundo* concipitur Divina Essentia quasi non habens perfectionem, ex quo sit necessarium creaturas esse possibiles, quod similiter falsum esse patet conspicuè ex dictis in hac *digress.* accedit quod vel inde elidatur tanta connexio Dei cum creaturis, quod scientia spectans creaturas in eminentia Dei sit primariò & essentialiter imago Dei, secundariò autem & accidentaliter totius entis participati, quod se habet ad intellectum divinum tanquam objectum solum materiale & terminativum, adeòque est independens ab illo, quamvis sit expressa imago, per quam Deus vivit in actu secundo.

Diluitur objectio allata n. 256.

ARTICVLVS III.

An Deus per suam duntaxat Essentiam ita cognoscat creaturas, ut illa non solùm habeat rationem medii *Quo* & *in quo*, juxta artic. superioris dict. sed & rationem medii *Quod* tanquam objectum prius natura cognitum ducens in cognitionem creaturarum velut objectum divinæ intellectionis secundarium.

Sensus quæstionis est an intelligibilitas creaturarum Divino intellectui non inexistat nisi sub motivo & objecto formali infinito, ut unicè Essentia Divina ratione virtualis & eminentialis continentiæ, & sub sola ratione intelligibilitatis increatæ debeat esse & medium *quo* & *quod* cognoscendi creaturas, ità ut creata creaturarum cognoscibilitas nulla ratione se habeat ad intellectum Divinum tanquam objectum formale, sed ut terminativum & materiale tantùm, sit

ASSERTIO III.

Creaturæ possibiles sunt intelligibiles ab intellectu divino non in propria earum cognoscibilitate, ita ut secundùm modum essendi ipsis proprium se habeant tanquam motivum & objectum primarium intelligibilitatis earum; sed quà per formam intelligibilem increatam sunt intelligibiliter & repræsentative in illo, ut objectum terminativum attactum in Essentia Divina ut ratione motiva terminationis, & ut medio *quod* cognoscendi illas, ut omnis proinde creatura secundùm omnem rationem formalem ejus in intellectu Divino secundùm speciem duntaxat increatam relucescat.

267 HÆc est conformis doctrinæ Subtilis nostri Doctoris 1. d. 35. q. 1. quæ est unica istius distinctionis, quæ quidem §. *Ad ista*, n. 13. à quibusdam in oppositum citatur in his Doctoris verbis: *Licèt Deus principaliter sit sapiens sapientia Essentia sua ut objecto, tamen non omni modo, si non sapere creaturam, quæ creatura ut intellecta ab ipso est idea.* quasi *Scotus* (Scotus.) cùm idea apud illum sit creatura ut intellecta, seu secundùm esse objectivum & proprium, quod habet in mente Dei, intendat dicere Deum non tantùm in Eminentia sua, sed etiam in seipsis immediatè creaturas inspicere, sed si textus textui conjungatur, aliud emergit; nam statim ibi subdit: *Et si Augustinus aliquando loquatur aliter de ideis, quasi sint rationes cognoscendi aliquid, cùm tamen hîc non dicat ipsas esse nisi rationes, secundùm quas formantur, quæ formantur; potest, inquam, exponi illud dictum ejus, si alibi dicatur, non quòd ly* secundum, *notet* rationem formalem *intelligendi, sed* secundum *quas, ut sunt objecta non prima, nec* moventia *intellectum, sed* objecta secundaria *terminantia intellectum.* Quod *Scoti* testimonium manifestè stat pro nostra assertione, *& potest addi secundum* ex eadem quæstione n. 15. *Ad tertium de objecto illimitato respondeo, objectum in quantum* motivum, *& in quantum* primo terminativum, *& per consequens ut dupliciter necessariò requisitum vel coexactum ad actum, est æquè illimitatum, & ideo nihil aliud est sic objectum; tamen aliud est objectum* secundario terminans, *nec oportet objectum illimitatum esse præcisè terminans, quomodocunque actum, sicut præcisè est* movens *&* ratio *actus, quia aliquid potest sequi terminum primum, & esse terminus secundus, nihil autem potest esse* secundario movens *ad actum.* Ex quibus locis & iis, quæ Artic. superiori sub *Assertione* recensentur ex *Scoto* tam apertè patet illum tenere, nullum objectum posse esse terminum primarium, seu *primo terminativum*, & rationem *motivam* increatæ intellectionis, quod non sit illimitatum, adeoque licèt sit aliud objectum secundario terminativum, attamen nullum ens limitatum importare intelligibilitatem primariò & immediatè per habitudinem ad scientiam increatam in seipso, ut qui *Doctorem* pro opposito adsciscant, eum non inspexisse se prodant.

Probatur Assertio auctoritate S. Dionysii *de Divin. Nomin.* c. 7. supra q. 5. sub Assertione 2. n. 232. dicentis, quòd Deus *non secundùm visionem se singulis immittat, sed secundùm causæ continentiam sciat omnia.* Cui concordat id *Psalmi* 101. *Prospexit de excelso sancto suo*, id est, de seipso *Excelso*. Sed 268

Probatur insuper ratione, & quidem primò eadem, quam adduximus *art. cit.* ex discursu & confirmatione illius ante responsum ad *Dores*, ostendendo quòd intelligibilitas creaturarum secundùm propriam speciem divino intellectui non sint unibiles, adeoque nec attingibiles ab illo, ita ut habeat rationem motivi, quam rationem ampliùs hîc corroboro: quidquid est proximè intelligibile, necesse est, ut sit intelligibiliter conjunctum cum potentia intellectiva: at nulla intelligibilitas creata in ratione formæ intelligibilis potest esse conjuncta & inesse divino intellectui nisi per speciem & formam intelligibilem increatam, quæ est ipsamet Essentia divina, ergo creaturæ non sunt cognoscibiles ab intellectu divino, nisi qua per formam intelligibilem increatam repræsentativè inexistunt illi. *Major* patet ex dictis l. c. quia nisi esset intelligibilitas unita intellectui, non esset in illo repræsentatio objecti, neque per vitalem repræsentationem potentia assimilaretur objecto, unumquodque enim repræsentatur, eique potentia assimilatur secundum quod est in cognoscente; qua ratione Theologi communiter docent repræsentationem objecti in Deo non esse, nisi qua per identitatem realem in ratione rei repræsentatæ involvat Esse divinum, & infinitum in repræsen- 269

Quidquid proximè est intelligibile, est & cum potentia unibile.

præsentando; cognitio divina enim non potest sub illa formalitate non esse infinita in repræsentando, ex quo probatur etiam *minor*, si intelligibilitas creata secundùm esse formæ intelligibilis posset uniri intellectui divino per speciem creatam, tunc cognitio repræsentativa intelligibilis creati velut objecti formalis secundùm rationem suam formalem in intellectu Dei esset finita: sed implicat in Deo esse ullam formalitatem finitam: ergo & implicat cognitio in Deo attingens cognoscibilitatem creatam tanquam objectum formale: *minor* est evidens, sequela *majoris* prob. tum quia in notitia finiti non potest esse repræsentatio, nisi quà formaliter finita, cùm nihil, quod non est Deus, habet infinitatem in repræsentando; tum quia si notitia specificaretur ab objecto; illo ablato superstes esse non posset: consequenter vitari non posset dependentia substantiæ Dei (qua spectat verum creatum tanquam objectum formale) à veritate illa creata, quam per modum primariæ imaginis vitaliter exprimeret.

270 *Dices.* Objectum creatum specificare scientiam Dei solum extrinsecè, adeoq; per objectum primarium increatum & quasi causalitatem illius intrinsecam impediri illam dependentiam ab objecto creato. *secundò* illud, quod nihil sit intelligibile, nisi quod intelligibiliter est conjunctum cum intellectu, juxta id decantatum *ex objecto & potentia gignitur notitia*, procedit de objecto motivo, non de terminativo, quamvis immediato.

271 *Contra* primò contra *primum*, sicut per objectum primarium increatum impeditur dependentia divinæ scientiæ ab objecto extrinseco & creato, ita & impeditur & præventur specificatio extrinseca ejusdem scientiæ increatæ à tali objecto, eo ipso enim quo objectum primarium increatum, quod est Essentia Divina quasi determinat cognitionem Divinam ad esse repræsentativum possibilium secundùm speciem increatam, jam ne videatur cognitio divina quasi extraneari à seipsa & ab altero denominari patente, nequit eadem formalitas cognitionis quasi secundum virtualem distinctionem, quà attingens creatam cognoscibilitatem induere aliam novam specificationem & repræsentationem præter illam, quæ est ab Essentia Divina, quam attingit tanquam objectum per se primarium, utiq; totius intelligibilitatis creaturarum perfectissimè in universorum essendi rationibus, quas in se continet expressivum.

272 *Contra* secundò: Ex quo gignitur notitia, ab illo obtinetur perfecta & integra specificatio illius, sed concedis illam gigni ab objecto potentiæ conjuncto velut motivo, & quod creatum sit solum objectum terminativum, quod & nos docemus, ultro concedendo, cognosci à Deo creaturas terminantes Dei cognitionem in seipsis hoc in sensu, quòd cognoscantur ab ipso, & illæ terminent divinam cognitionem secundùm proprium suum esse, quod habent extra Deum, quatenus tamen in ipso formaliter repræsentatum, & in divina Essentia attactum, eo prorsus modo, quo cognitio dependenter à speciebus infusis elicita nullatenus gignitur ab objectis, ad quæ terminantur, sed solum ex speciebus supernaturalibus exercentibus rationem objecti motivi, id igitur quod præstant species infusæ respectu intellectus creati, præstat suo modo Essentia Divina respectu intellectus increati eminentissimo modo, & perfectissimè exercens munus speciei universalissimæ & objecti motivi, non solùm respectu sui, verùmetiam respectu possibilium; unde licèt falsum sit creaturas à Deo cognosci secundùm esse increatum, neque hoc asseritur aut rationes pro asserto intendunt, quia tunc Deus reapse veritatem entis participati non cognosceret, verum tamen est illas non cognosci à Deo, nisi Notandū. ex vi motiva vel quasi motiva Divinæ scibilitatis vel repræsentativitatis eminentialis. *Aliud* namque est, aliquid duntaxat cognosci simpliciter secundum *esse increatum*, aliud cognosci quidem, sed secundùm formam intelligibilem aut speciem increatam: primum non asserimus, sed secundum. Primum aut omnino negat creaturam respectu intellectus Divini terminare cognitionem divinam, aut terminare illam secundum esse increatum, quod implicat; secundum non negat, sed modum determinat, nempe cognitionem Dei videre quidem omnem veritatem objecti creati, rationem tamen motivam terminandi cognitionem creaturæ, increatam esse solam visibilitatem seu cognoscibilitatem Dei, sive, quod in idem recidit, cognitionem divinam non terminari ad creaturam, nisi Essentia divina fuerit præcognita ut medium *quod*, illam quasi ducens in tale objectum creatum ut secundarium & terminativum in Divina Essentia attactum & repræsentatum.

***

Vindicatur Aureolus à censura cujusdam Recentioris.

273 *Aureolus.* EX his liquet P. *Vekenum* disp. 7. de Scientia Dei c. 2. n. 6. & 7. benignius potuisse interpretari *Aureolum* 1. d. 35. p. 2. art. 1 & 2. docentem: quòd cognitio Divina ne quidem secundario terminetur ad creaturas cum hac limitatione, sic ut sint duo objecta formaliter cognita Deus & creatura, sed solam Essentiam Divinam esse unicum intellectus Divini objectum, in quo ejus cognitio sistat non procedendo ad quidquam extra ipsam, adeoq; plus *Aristoteli* & *Averroi* detulisse, quàm sacris literis, verùm immeritò & præproperè nimis hujusmodi nota inuritur tanto Doctori Archiepiscopo Aquensi & Cardinali Ecclesiæ Viro in sacra Pagina expertissimo, ut ejus Compendium in totam Scripturam: *Venite, ascendamus ad montem Domini*, stylo scholastico conscriptum testatur, quasi ignoraverit, aut ad deserendum potius Ethnicis, quàm sacris literis, voluerit ignorare illa loca Scripturæ, quæ l. c. Vekenus contra illum producit, quæ nihil aliud probant, quàm oculo Dei omnia esse pervia & aperta, quod negasse Aureolum nusquam apparet in suis scriptis, quæ solùm indigitant Deum possibilia non cognoscere immediatè in seipsis tanquam in causali motivo & objecto primario, quo intellectu accipienda sunt verba illius, quibus dicit, *Omnia videri à Deo denominativè in alio, non terminativè in se*, quod est à Deo videri omnem omnis creaturæ possibilis veritatem, ità tamen, ut ratio motiva terminandi scientiam divinam in tale objectum non sit ipsum objectum, sed sola visibilitas Dei, in cujus eminentia objectum creatum concipitur, quod certò non est cognoscere creaturas quasi post Divinitatis siparium, sed est cognoscere illas secundum se & proprium suum esse, quod habent extra Deum, quatenus tamen in ipso formaliter repræsentatum modo superiùs explicato.



CON-

CONTROVERSIA DECIMA-TERTIA.

DE

Ideis divinis, num ex illis diſtinctio Scoti in Divinis ritè probari poſsit?

SUMMARIUM.

1. *An dentur ideæ in intellectu divino q.* 1.
2. *In quo conſiſtat ratio ideæ divinæ. q.* 2.
3. *Cui propriſſimè competat eſſe ideam primario imitabilem aut intuendam ab Artifice in opere edendo. q.* 3.
4. *De diſtinctione & pluralitate idearum. q.* 4.

274 QUiſquis Auctor idearum ſit, illas in omni ſchola novi & veteres ſapientes unanimi conſenſu admittunt. Fruſtra eas ſcrutando, præindicatam diſtinctionem ab iis idearemus, ſi tantummodo extra Deum per ſe exiſtentes ponerentur, prout *Ariſtoteles* cenſetur impoſuiſſe *Platoni*, quem vindicat ab illa cenſura *Auguſtinus*, ut videre eſt l. 12. de *Civitate Dei*. c. 6. ubi oſtendit *Platonem* de illis in *Timeo* diſputantem eas potiùs in mente divina collocaſſe. Platonem juvat ratio *Scoti* p. d. 35. q. un. §. *Ad iſta*. cum enim Deus omnia cauſet vel cauſare poſſit, non irrationabiliter, ergo rationabiliter, conſequens erit Deum habere rationem ſecundum quam velut architectricem res format non autem rationem extra ſe, quia non eget in efficiendo aliquo alio à ſe, igitur rationes in mente ſua, quales ſunt incommutabiles ideæ. Porro quidquid ſit, an non poſuerit alias ideas *Plato* extra mentem divinam, quas ſecundas dixerit, & quæ fluxerint ex prima, dubitatur ex notis *Serrani* in *Parmenide*, ubi putant aliqui quod docuerit ſecundas fluxiſſe ex primis, & eſſe ſpecies creatas ſi itas cum prima idea id habentes commune, ut ſint unum, quod tamen unum in ſpeciebus ſit à ſeipſo, individua verò exiſtant ex ſecundis ideis, quæ ſi ſubſiſtant una idea ſecundum *Platonem* erit in mente divina, altera extra Deum, attamen ex prima extra Deum per ſe exiſtens ex qua ſubſiſtat ſingulare; ſed & quidquid de hoc ſit, *Platonem* earum Auctorem eſſe *Ariſt.* Eth. l. 1. c. 4. & *Cicero* l. 3. *de orat.* & l. de *claris Oratoribus ad Brutum*. Auguſt. l. 83. *Quæſtionum* q. 46. & *Apulejus* in *Dogmat.* Platonis affirmarunt. Juſtinus Martyr in *Paren.* ad *Gentes* illum à Moyſe eas accepiſſe teſtatur. *Euſeb.* tamen l. 11. de præparat. evang. c. 1. ſcribit: *Socratem* eas ante Platonem induxiſſe, ac iis diſcipulum imbuiſſe, ab eo ex Latinis illas accepit *Cicero* l. c. ubi *ideas*, inquit, *rerum formas appellat Plato, easque gigni negat, ac ſemper eſſe, ac in ratione & intelligentia contineri, cætera naſci, occidere, fluere, labi, nec diutius eſſe in uno ac eodem ſtatu.* Et Auguſtinus l. 83. QQ. q. 46. *Ideas primus Plato appellaſſe perhibetur: ſunt autem principales formæ quædam vel rationes rerum ſtabiles atque incommutabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt, ac per hoc æternæ ſemper eodem modo ſe habentes, quæ in Divina intelligentia continentur.* Has ideas Patres ſacratiùs acceptas meliùsque intellectas celebrarunt *Dionyſ.* Areop. de *Divin. Nom.* c. 5. Clemens Alexandr. l. 4. *Stromat.* Aug. l. 83. QQ. q. 46. & l. 65. QQ. q. 19. l. 7. de Civit. c. 28. l. 11. c. 10. l. 9. c. 22. & 29. l. 12. c. 17. l. 4. de Geneſi ad literam c. 22. uſque ad caput 35. Hinc tranſierunt ad Scholas D. *Thomæ*, *Scoti*, S. *Bonav.* de illis agit diſp. 19. art. 2. q. 1. omnes deinceps illas tenent Scholaſtici, ſed de earum natura non eodem modo philoſophantur Auctores, differunt Thomiſtæ à Scotiſtis ut patebit in decurſu Controverſiæ hujus.

Ariſtoteles cenſetur Platonis impoſuiſſe &c. illum vindicat S. Auguſt.

Platone auctore, idearum in ſcholis uſus.

Idea quid ſonent apud Auguſt.

Dionyſ. Areop. Clemens Alex.

* * * * *

QVAESTIO I.

An dentur ideæ in Intellectu Divino?

SVMMARIVM.

ASSERTIO I.

Constans est Patrum & Theologorum sententia dari in Deo ideas rerum omnium, quarum Deus potest esse causa libera.

275 *Apostolus.* PRobatur ex S. Scriptura *Hebr.* 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei*, ut ex invisibilibus visibilia fierent, addito Commentario D. Thomæ: *Ut ex rationibus idealibus in verbo Dei, per quod omnia facta sunt, oes visibiles sunt producta, sive ut Anselmus in Monol. c. 8. 9. & 10. ex intellectuali mundo*, qualis erat in sapientia & arte Dei, *visibilis* fieret, qua ratione Antiqui ideas dicebant mundum intelligibilem Archetypum primitivum.

276 Probatur secundò ex illo Joann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, scilicet per Verbum, *Quod factum est in ipso.* scilicet in Verbo, vita erat, quem locum S. Aug. Tract. 1. in Joann. interpretatur de ideis, sitne autem accipienda vita pro ipsa Essentia Dei ut eminenter continet omne factibile, vel quatenus omnia repræsentat, vel ipsa cognitio & scientia Dei, vel denique ipsæ creaturæ ut terminant divinam cognitionem, dicamus in sequenti Quæstione.

277 *Augustin. Scotus.* Tertiò probatur auctoritate Augustini & Scoti supra cc. ubi descriptionem ideæ divinæ à S. Augustino datam confirmat, dicens: *Deus omnia causat rationabiliter, igitur habet rationem secundùm quam format*, & cæt. & patet, quia opera Dei non aguntur casu & fortuitò, quia Deus est agens intellectuale, necesse est inesse similitudinem formæ secundùm esse intelligibile in mente divina respectu eorum, quæ Deus operatur, sed tales similitudines sunt ideæ. Posset hæc veritas amplius probari ex præstituto fine omnium rerum, ad quem à Deo diriguntur, quod fieri non posset, nisi Deus omnium rerum, quæ in suos fines ordinat, haberet ideas, verùm nulla in hoc est difficultas, cùm ut ait August. l. 83. QQ. q. 46. *nemo verò religione imbutus ideas negare audeat, & sacrilegium sit existimare illas non esse in mente divina.*

Secunda pars quòd ideæ in intellectu divino existentes sint duntaxat rerum, quarum Deus potest esse causa libera, tenetur à nostro 278 *Poncio* d. 5. de Intellectu Dei, q. 8. c. 2. nu. 42. ubi docet personas divinas non procedere secundùm principium repræsentativum, sed secundùm principium fœcundum, adeoque etiamsi Deus divinas personas, antequam illas producit, cognosceret, Deum tamen neque talem cognitionem, neque personas ut sic cognitas non magis respicere ut ideas, quam homo alium hominem quem generat, esto cognoscat ipsum, vel adde si motu gravium in centrum tendat, non tamen dirigeretur à cognitione quâ talem tendentiam concomitanter vel antecedenter cognoscit. *Qualium rerum sint ideæ in Deo.* Ratio est, quia ad ideæ conceptum requiritur ut dirigat, vel quas dirigat agens circa factibilia ad instar factibilia sunt: sed hoc solùm requiritur in ordine ad operationes liberas: ergo in Deo non dantur ideæ, nisi rerum, quarum Deus potest esse causa libera. Maj. prob. Ex definitione Ideæ, quæ est forma imitabilis, ad quam Artifex respiciens operatur. Prob. etiam min; quia frustra agens respiceret ad illam in operando, si effectus fieret ex necessitate naturæ, ita ut non posset aliter esse: ergo Ideæ dantur solùm respectu operationis causæ liberæ.

Can-

279 *Confirmatur*: Sapientiæ 7. v. 21. Deus vocatur *omnium artifex*, ergo Deus agit artificialiter seu sicut artifex exemplariter. Sed non agit ad extra exemplariter, nisi ut causa libera, soli etiam causæ liberæ solet tribui nomen Artificis: ergo solùm in mente divina continentur ideæ operum, quorum Deus est causa libera, quæ & ideo dicuntur artefacta aut factibilia Dei, & negantur in mente Dei ideæ suæ essentiæ & Divinarum Personarum, quia nullo modo est factibilis, nec producibilis essentia, duæ personæ quidem sunt producibiles, sed ut dictum est, nullatenus per directionem intellectus.

COROLLARIUM I.

280 *Deus non agit ex necessitate naturæ.* EX his rectè concluditur primò Deum omnibus ideis spoliari, si dicatur ipsum omnia secundùm errorem Epidonis agere ex necessitate naturæ, quia licèt in hoc casu adhuc esset intelligens, dum tamen ex necessitate naturæ operaretur, in suis operationibus ab intellectione non magis regulabitur quàm ignis, etiamsi supponeretur intelligens, regularetur in combustione stupæ, & ut bene supra *Poncius* ostendit in simili de productione divinarum Personarum. Hoc porrò extendendum est à potiori, si omnia casu fierent & fortuitò, secundùm errorem *Epicureorum*, quos refutavimus contra præced. q. 7. art. 1. Ass. 1.

COROLLARIUM II.

281 *Non dantur ideæ negationum.* SEcundò rectè concluditur cum *Poncio* l. c. non dari in Deo ideas peccatorum negationum privationum, tum quia horum omnium Deus nedum non est causa libera, sed nec causa, tum quia non habent veram aliquam positivam entitatem, quod idem est de ente rationis: ergo nec propriam ideam. Potest tamen dici negationes habere ideam quasi secundariò & per accidens, quia ponuntur, quatenus habentur aliqua positiva. Sitnè autem in Deo idea permissionis peccati, ut *Arriaga* putat 1. p. d. 23. sect. 4. subsect. 4. n. 22. pendet à modo loquendi, in rei veritate talis idea sive similitudo permissionis peccati non videtur aliud esse quàm negatio concursus efficacis ad vitandam notitiam, de quo alibi.

COROLLARIUM III.

282 *Dantur ideæ formæ & materiæ & cæt.* TErtiò rectè concluditur Deum habere non solùm ideam compositorum ex materia & forma physica, sed & etiam partium formæ & materiæ primæ sigillatim sumptæ cum sit per se cognoscibilis & directè producibilis, quamvis Thomistæ cum D. Thoma q. 3. art. 3. ad. 3. conformiter ad suam doctrinam id rectius negent, cum enim in illorum opinione materia prima separata à forma non habeat esse, nec consequenter est cognoscibilis, nec habet diversam ideam ab idea compositi, verum quia hæc doctrina non probatur Scotistis, meritò astruunt oppositum, sicut & contra *Henricum* Quodl. 7. q. 5. ubi dicit singularia tantum habere ideam speciei rectè statuitur quod Deus habet ideam non solum specierum sed & individuorum, absurdum enim foret Deum non nosse singularia ut talia, si noscat ergo noscit singula ut sunt factibilia secundùm rationem suam individualem, quæ notitia haud dubie erit singulorum idea, ut singularia sunt.

Etiam accidentium absol. & relat. Porrò ob eandem rationem dicenda sunt de accidentibus tam respectivis quàm absolutis intellige cum *Poncio* l. c. de accidentibus respectivis per se contingenter producibilibus, non de relationibus quæ non sunt per se contingenter producibiles non est eadem ratio relationibus intrinsecus advenientibus & proprietatibus rerum, quia non sunt de contingenter producibilibus, cum producantur secundariò ad productionem subjecti.

283 Finaliter *Herinck* d. 6. de scientia Dei q. 6. de ideis Divinis n. 8. in consectario 4. optimè infert Deum non solum habere ideas creaturarum aliquando existentium, sed etiam merè possibilium, cujus oppositum tamen, quantum ad possibilia ibi tribuit *D. Thomæ*, sed immeritò, quia *S. Doctor* non negat possibilium ideam, sed vult duntaxat Deum respectu possibilium ideam habere non actu, sed habitu tantum practicam, cui inest propria idealis ratio, idea enim quæ apud Thomistas ex *S. Thoma* est intelligibilis formatio rei arte faciendæ in objecto possibili repræsentante ex mente S. Doctoris, non quidem ipsam factionem passivam, repræsentat tamen ex mente illius modum rei faciendæ de possibili, quod sufficit ad ideam, esto non repræsentet ipsam factionem passivam, ut fatetur ipsemet *Herinck* ibidem dicens: res merè possibiles repræsentari in Divina Essentia, & per artem sive scientiam Dei factibiles, adeoq; nihil deesset, quominus scientia hæc & objectum illius dicatur idea, quodque talis scientia artificialis, adeoque idea & exemplar ab existentia artefacti præscindat considerando naturam illius & modum quo factibilis est, &

In Deo sunt ideæ possibilium.

Quid idea ex mente Thomistarum?

D. Thomas sibi restituitur.

quod eatenus solùm nata sit dirigere artificem in operando. ita *Herincx*. Licèt ergo S. *Thomas* doceat eorum quæ manent in classe possibilium, non dari cognitionem actu, sed habitudinaliter & virtute tantùm, seu quasi in actu signato practicam, adeoque concedat illis ideam, non in actu exercito practicam, per hoc non simpliciter negat, sed astruit illam respectu possibilium, imò hoc ipsum ex conceptis *S. Doctoris* verbis de verit. q. 3. art. 6. in C. *Idea*, inquit, *propriè dicta respicit practicam cognitionem, non solùm in actu, sed etiam in habitu; unde cùm Deus de iis, quæ facere potest, quamvis nunquam sunt actu, nec futura, habeat cognitionem virtualiter practicam: relinquitur quòd idea possit esse ejus, quod nec est, nec fuit, nec erit.* Quid clariùs? ergo tenet uterque Doctor ideas divinas contineri respectu possibilium in simplici intelligentia, quæ ut antecedens voluntatis decreta, attingat modum, quo res factibiles sunt in actu signato & primo, non tamen actu dirigat in actu secundo & exercito. In eo tamen Doctor *Subtilis* differt ab *Angelico*, quòd hic velit cognitionem possibilium, quæ executivè per voluntatis divinæ propositum sunt in tempore producenda, esse in actu exercito practicam seu exercitè effectricem rei ideatæ. *Subtilis* econtra vult illorum cognitionem, quæ est scientia visionis, esse merè speculativam, utpote posteriorem divinæ voluntatis decreto, à quo emendicatur, id est, non factibilium, sed quorum factio pro aliqua temporis differentia præsentis scilicet aut præteriti aut futuri jam supponitur: scientiam verò idealem esse simplicis intelligentiæ, eamque practicam, & operis faciendi per voluntatem ostensivam, adeoque ipsâ volitione priorem. de quibus plura suis locis in decursu operis.

QVAESTIO II.

In quo consistat ratio Ideæ divinæ?

SVMMARIVM.

1. *Discordantia opinionum de Ideis. n. 284.*
2. *Ratio ideæ tam conceptui formali, quàm objectivo adcensenda videtur. n. 285 & seqq.*
3. *Cognitio divina tamen talis est non secundùm entitatem ab objecto sejunctam, sed secundùm repræsentationem. n. 289.*
4. *Probabile tamen est cognitionem divinam non subire munus ideæ. n. 290.*
5. *Essentia divina nequit subire rationem ideæ secundùm prædicatum, quod sit ultima ratio constitutiva Dei. n. 295.*
6. *Neque secundum prædicatum imitabilitatis ad creaturas. n. 297.*
7. *Gratis concesso imitabilitatis respectu in Deo adhuc nequeunt subire rationem idealem. n. 301*
8. *Divina Essentia non induit rationem ideæ ut natura. n. 204.*
9. *Essentia Divina se tenens ex parte objecti repræsentantis omne factibile, habet ideæ rationem. n. 308. & seqq.*
10. *Creaturas possibiles quæ cognitæ sunt ideæ rationem obire, probabilissimum est. n. 316. & seqq.*

284 MAgna est dissensio inter Doctores, quòd de formali & quidditativo conceptu importent ideæ in mente divina, an in uno solùm conceptu explicari possint, an pluribus, an sint in intellectu divino formaliter an objectivè, id est, an ipsa intellectio & scientia Dei, qua intelligit creaturas possibiles, an verò objectum illius scientiæ pro idea sit habendum, scientia ut dicit conceptum formalem distinctum contra conceptum objectivum est ratio formalis & imago intentionalis, quam habet artifex, dum construit opus artificiale, qua sine non posset respectu artefacti talis speciei esse completum operans. Conceptus idealis objectivus sumitur pro ipso objecto, quod per conceptum formalem ab artifice inspicitur, dum operatur, & sic idea idem fit ac forma spectabilis secundùm quam Artifex agit. Itaque in Deo formalis est ipsa Dei scientia, quam Deus habet in ordine ad creaturas (quæ nihil aliud sunt, quàm divinæ artis opera) producendas, sumendo autem ideam, ut significat formam spectabilem & ideam objectivam, illa est in Deo illius scientiæ objectum, potest autem hoc objectum sumi vel pro ipsis creaturis à Deo præcognitis, vel pro ipsa Divina Essentia, idque in duplici sensu, semel quatenus est creaturas eminenter continens & ut causa æquivoca, seu imperfectè ab illis imitabilis & participabilis secundùm varios perfectionis gradus, & semel quatenus in ratione objecti infiniti repræsentat intellectui omne factibile à divina potentia, qui est alius modus omninò diversus à priori. *His prælibatis*, sit

***

ARTI-

ARTICVLVS I.

Quòd Idea consistat non in solo conceptu formali, vel in solo conceptu objectivo.

ASSERTIO I.

Ad hoc ut agens intellectuale dicatur principium ad extra idealiter productivum, seu quasi ab indifferentia ad plures factibilium species proxime contrahatur, & complete determinetur ad specificationem operis, non ea duntaxat contrahi necesse est idea, quam objectivam dicimus, sed & formali, quæ est cognitio seu notitia factibilium, non ut per actum reflexum ab ipso agente inspiciatur intellectio velut objectum alterius actus intelligendi, sed quatenus per modum intellectionis agens ordinat ad talem speciem influxus vel actionis, ita ut tam expressioni formali, quàm objectivæ creaturarum ratio idealis adcensenda sit, quamvis non seorsim cognitioni, sed ut est objectivæ composita.

285 Hanc esse conformem Doctori subtili ostendam mox infra: ex Scotistis illam propugnat *Posnaniensis* 1. d. 35. d. 3. Concl. 5. Brinzenno Controvers. 12. *de ideis Divinis* art. 1. n. 12. & seqq. & n. 33. usque ad art. 2. *Smising.* tract. 3. d. 2. q. 7. n. 106. & 107. & seqq. *Herrera* disp. 16. q. 1. *Martinus Meurisse* in sua Metaph. 1. q. 17. § *prænotandum quartò*, ubi habet: *Idea est, vel conceptus objectivus ut terminans conceptum formalem; aut ut repræsentatus in conceptu formali rei faciendæ: vel conceptus formalis ut repræsentans conceptum objectivum ejusdem rei faciendæ.* Herinckx de ideis Divinis d. 6. q. 6. n. 72. 73. & 75. illi tamen quatenus ibi ait *Scotum* fuisse problematicum, adeoq; in via *Scoti* liberum esse ut quis teneat, quod lubet, non puto assentiendum, quia esto hoc fortè quoad creata idealiter agentia verum sit, nullatenus tamen quoad Deum, qui ut rectius *Smising.* l. c. conjunctim utramq; intuetur ideam, quas propter summam perfectionem semper & necessariò sibi habet præsentes intellectus Divinus in sua Essentia velut immediato & primo objecto, ita ut determinetur ad opus immediatè per imitationem divinæ cognitionis tanquam Ideæ formalis, & ad imitationem Divinæ Essentiæ tanquam Ideæ objectivæ & repræsentantis seu producentis creaturas in esse cognito, de quo *Contrmicr.* sequenti ex professo. Itaq; non stat ab arbitrij libitu ut teneat quis sive hoc, sive alterum pro idea, seu quid quisq; velit nominare ideam ut sit lis de solo nomine, ut putat *Arriaga*, quasi nomine ideæ vellet aliqui significari hoc, alij aliud, ac inde nascatur opinionum multiplicitas, etsi hoc dici posset destruendo proprium hujus nominis significatum, sive ostendendo, quòd ratio ideæ (quod difficile erit) alterutri non conveniat. rectus tamen est usurpando illud, sicut ab Augustino & Platone principali, qui illas invexit in scholas post Socratem Magistrum suum idearum assertatore, usurpatum fuit. Vide infra n. 316. *in fine*.

Probatur Assertio auctoritate & simul ratione *Augustini* in Evang. *S. Ioan.* Tract. 1. *initio Evang.* ubi expendit illa verba: *Quod factum est in ipso, vita erat.* Hic sermo est de ideis divinis, ut patet ex *Comm.* in eum locum, ubi ponderato, *quod factum est*, dicit, *quod factum est*, retine creaturam, *in Deo habet rationem.* subaudi ideam, *quæ vita est*, ecce creatura, quæ facta est, id est, res objectiva & cognita in Verbo in ipso; id est, in Verbo vita erat, retine, ut dixi, creaturam, *Universa*, inquit, *creatura per ipsum facta est, major minor, per ipsum facta sunt supera & infera, spiritalia, corporalia. Quod factum est in ipso, vita erat. Si ergo omnia in illo, & quod in illo factum, vita est, ergo & terra vita est, ergo & lignum vita est, ergo & lapis vita est.* Vides, quomodo creaturam, quam paulò antè mente retinuisti, hic verbis exprimat, nec eo contentus insuper in Deo vitam appellet, quod ut meliùs intelligas, subdit: *Pronuncia sic quod factum est, hic subdistingue & infra in illo vita est. Quid est hoc? facta est terra; sed ipsa terra, quæ facta est, non est vita. Est autem in ipsa sapientia spiritualiter ratio quadam, qua terra, quæ facta est, vita est.* Statim mente retinuisti creaturam, jam retine, quòd dicat, *est autem in sapientia ratio quadam. qua terra vita est*, quæ illa ratio sit, ex *Scoto* discamus. 4. d. 1. 286

q. 1.

q. 1. §. ista ergo ratione prætermissa. n. 20. conceptis verbis super hunc Augustini Commentarium in hæc verba : quod factum est in ipso , vita erat: sic ajente : *Objectum ut cognitum dicitur habere illud esse, quod habet ipsa cognitio.* & mox: *Res cognita est in verbo vita creatrix , & hoc ideo , quia cognitio* ejus est realiter vita creatrix , quod enim de cognito *dicitur objectivè , hoc in ipso cognitione oportet inveniri realiter.* Ubi manifestè Doctor asserit ex mente Augustini , quod creatura cognita appellari valeat vita objectivè & participativè , quatenus est objectum cognitum & terminus cognitionis vivæ (dixi participativè) quia quod creatura objectivè in Deo vita est , ideo est, ut hic Doctor , quia cognitio creaturæ est realiter vita creatrix , *quod enim de cognito dicitur objectivè , in ipsa cognitione oportet inveniri realiter* , quod desideramus audire apertius testimonium , quod non solum ostendit cognitionem creaturarum esse ideam in Deo , cùm rationem idealem appellet *artem* & *sapientiam* Dei , qui termini innuunt aliquid se tenens ex parte actus vel formæ intelligendi , sed etiam ipsum cognitum esse , seu id quod est ex parte objecti à cognitione spectatum, ergo secundum *Augustinum* hic de ideis loquentem & Doctorem Subtilem utraque ratio tam cognitio divina , quàm creatura in illo repræsentata & cognita habet rationem ideæ in Deo , ut quemadmodum agens naturale completur in ratione principij per eam virtutis rationem, per quam præhabet effectum secundum convenientiam & similitudinem realem & determinatur per talem virtutem agendi ad talem speciem operationis , ita Deus , quate-
28 nus est Agens per intellectum , per suam cognitionem , non quomodocunque sed secundum similitudinem & convenientiam intentionalem cum effectu in se vitaliter repræsentato, adeoq; per cognitionem ut formaliter vita & per objectum ut participativè vita est, & terminus relucens in mente divina determinatur , & ut dixi in Assertione quasi contrahitur ad talem speciem operis , quod pulchrè *Scotus* 1. d. 35. q. un. n. 12. & hic elucidat S. *Augustinus* exemplo artificis, qui in mente sua habet arcam : *Faber* , inquit, *facit arcam , primò in arte habet arcam* , id est , in cognitione , *si enim in arte habet arcam non haberet , non esset , unde fabricando illam proferret.* & mox : *attendite arcam in arte & arcam in opere , arca in arte vita est.* Atqui vita est , qua vivit anima Artificis , quam Artifex imitatur , seu quod in Artifice est ars , hoc in Deo , ut statim ex *Subtili* ostendimus , est ipsa scientia & cognitio , quæ realiter est vita creatrix , creatura autem vita objectivè , ergo utraque habet rationem ideæ in Deo.

287 *Confirmatur* ex Scoto l. c. *Domus* , inquit, *in intellectu Artificis dicitur habere illud esse, quod formaliter habet in ipsa cognitione domus.* & mox: *sic patet ergo ad argumentum , quia domus extra dicitur fieri à domo in mente , quia fit à cognitione domus in mente , tanquam à principio formali.* quid clarius ? & si dicas cum Mastrio mox citando & Vulpe d. 29 art. 6. hinc non posse inferri , quòd cognitioni conveniat ratio ideæ , audi quod subdit : *& cum dicitur quod est ens diminutum & domus extra est ens reale. Dico quod cognitio ejus est ens reale , & perfectius ens quàm domus extra , domus etiam in mente participat nobilius esse , quàm sit illud esse extra , & sic intelligendum est illud Augustini* 9. *de Trinit. c.* 10. *&* 11. *scilicet quod superius habet nobilius esse in se , quàm in intellectu; è converso autem , inferius habet nobilius esse in intellectu, quàm in seipso* (attende quæ sequuntur) *hoc intelligendum est de illo esse, quod formaliter est ipsius cognitionis , & participativè illius cogniti.* ergò liquidò constat de mente *Scoti* , quòd ratio ideæ tum competat cognitioni vel speciei expressæ , cum etiam illi esse objectivo, quod ut dicetur *Contr.* 10. sequi cognitionis sit , & à cognitione relinquitur , ita ut sicut in creatis eò domus extrà , à domo in mente effici dicitur, quò fit à cognitione domus , quæ est idea formalis ; ita de Divinis Ideis secundùm *Scotum* eò creatura cognita asseritur idea , quò refert esse objectivum in Dei scientia formaliter exprimente creaturas , seu, ut ait *Doctor* , quò esse creaturæ in mente Dei formaliter est ipsius cognitionis & participativè ipsius cogniti , id est, respectu cognitionis, idea & vita formaliter , respectu termini cognitionis , idea & vita objectivè.

Confirmatur secundò ratione & simul ex Scoto 1.d.35.q.un. §.*Ad ista*, nu. 12. ubi decidens ideam non esse aliquam relationem in Essentia Divina, sed quia cognitio sit ratio æterna in mente Dei , secundùm quam formet aliquid ad extra esse ipsum cognitum creaturæ, sic ait : *Istud videtur consonare cum dicto Platonis , ipse enim posuit ideas quidditates rerum per se quidem existentes secundùm Aristotelem & male , secundùm Augustinum in mente divina & bene.* Ecce *Plato* ponebat ideas secundum *Aristoteleus* per se existentes quod argumentum est ideas *à Platone* positas in rebus objectis corrigit , vel potiùs ab *Aristot lu* censura *Augustinus* Platonem vindicat & retentis ideis vult illas in mente divina a Platone collocatas, ut non solùm in objectis , sed & in mente divina invenirentur, unde hanc ibi definitionem *Augustinus* dedit : *Idea est ratio in mente divina , secundùm quam aliquid est formabile extra , ut secundum propriam rationem ejus.* Quæ propositio sit & ponatur pro majori : atqui non solùm creatura, ut multi voluerunt scotizare in locum cit. *Scoti*, est ratio æterna immutabilis, seu secundum quam aliquid sit formabile ad extra , sed etiam imò principaliter talis ratio est cognitio divina , ut suprà Doctor : *Domus extra fit à cognitione domus in mente tanquam à principio formali.* ergo domus extra æque fit ad imitationem conceptus formalis, quàm objectivi,

hujus

hujus tanquam similitudinis realis, illius ad imitationem tanquam similitudinis intentionalis, quæ applicat realem, ut influat in opus: quod subtiliter confirmat Doctor ibi n. 16. ostendens, ad actum intelligendi non exigi univocam assimilationem cum objecto, sed sufficere assimilationem cum causa objecti, id est, cum Essentia divina, intra cujus virtualitatem introspicitur effectus, sicut intelligitur conclusio introspecto & penetrato principio: ergo idea ut est ratio adæquatè determinans intellectuale Agens & quasi contrahens illud ab indifferentia, ab indeterminatiune & communitate agendi ad specificationem talis operis, ut sit propriè Agens ἰδεοποιόν, id est, opus efficiens secundùm speciem suam, sumitur tum pro conceptu formali, quam habet Agens, dum construit opus, & sic est ratio ad opus ideandi formalis, tum pro conceptu objectivo, pro objecto scilicet, quod per conceptum formalem inspicit dum operatur, & sic Idea idem est ac forma spectabilis, & utrique conceptui optimè quadrat, nomen *idea* conceptui objectivo quidem, quia ἰδέα, vox græca, idem est, quod species, seu forma intuibilis; conceptui formali quidem, quia ex imitatione græci verbi ἰδεῖν, vel ut alii, εἴδω, quod significat *scis*, idem est, quod *scientia*, *cognitio*, unde εἰδὼς idem est quod sciens, peritus.

Hoc supposito probatur Assertio hac ratione: Ut Deus per ideam & secundùm ideam dicatur operari, non solùm requiritur cognitio, sed insuper aliquid ulteriùs est cognoscendum, id est, non est solùm alicujus cognitio, sed ut sit alicujus factibilis cognitio, sed hoc præter ipsammet cognitionem est ipsummet objectum, cujus ad instar & imitationem operantur: ergo ut dicatur aliquid principium idealiter productivum & contractum ab indeterminatione ad specificationem actus necesse est illud determinari ab utraque tam formali, quàm objectiva, sed de hoc in sequentibus.

Dixi in Assertione: *Quamvis non seorsim cognitioni, sed ut objectiva composita*, patet tum ex dictis, tum ex assertione tertia mox infra, tum ex hac ratione: quòd causalitas idealis in eo consistat, ut dirigat Artificem ad opus edendum: sed ad hoc nec sola sufficit cognitio secundùm suam entitatem considerata, sed qua est conjuncta intentionaliter objecto, seu qua est similitudo expressa creaturarum, estque, ut alii dicunt, objectum idea *quod*, cognitio idea *qua* &c. pro quo magis stabilienda, sit

ASSERTIO II.

Supposito quòd Essentia Divina, ut gerit munus notitiæ, sit aliquo modo dicenda idea ad mentem Doctoris Subtilis ipsa cognitio Divina ut est similitudo intentionalis, id est, non secundùm solam entitatem ab objecto sejunctam, sed secundùm repræsentationem & directionem in ordine ad objectum habet rationem ideæ creaturarum.

289 HÆc est eorum, quos proxima *Assert.* recensuimus, & præter dicta superiùs magnam mutuat fidem ab antiquis, nam *Eusebius* 11. præpar. Evangel. c. 2. ex Trismegisto & Chaldæis refert *Ideas esse Patru cogitationes & rationes universales natura*, id est, rationes secundùm quas universaliter Deus Auctor Naturæ producit naturas. Adnectit ibidem *Eusebius*: *Stoici, qui à Zenone originem ducunt, notiones in animu nostru anticipatas Ideas esse dixerunt*. Licèt autem *notio* accipiatur aliquando pro nota aut charactere certæ significationis, & non pro cognitione, hic tamen pro illa sumi vel inde apparet, quòd illas anticipatas vocet ideas, & non quasi tandem grammaticaliter sancitas. Secundò *Eugubinus* 1. de perenni Philosophia c. 12. ex *Philone* & *Plotino* refert: *idem esse totam idearum seriem, atque ipsam immensam Dei sapientiam*. Videntur ergo Antiqui ideas in cognitione constituisse, non quomodocunque, sed ut sunt creaturarum per similitudinem intentionalem expressivæ, qua ratione cognitionem non dicimus ideam, nisi quatenus terminatur ad, & repræsentat objectum.

290 *Dices*: SS. PP. probant ideas in Deo esse, ac Deum per ideas operari, sed non probant cognitionem in Deo esse, hoc enim de se constat, esset*q*; idem ac si probarent Deum agere per cognitionem & ex cognitione, quia agit per cognitionem & ex cognitione. *Respondetur*: etsi non probent SS. PP. Deo inesse cognitionem, hoc enim meritò supponendum est, non tamen constat de se, an sola supperat idea objectiva, an non requiratur idea formalis, consequenter quin quæstio fieri possit, an cognitio induat rationem ideæ formalis, ut est expressiva imago creaturarum, sic enim ratio subest, ut dici, & pro idea teneri possit. *Objectio diluitur.*

Dixi: *Supposito quod Essentia* &c. quia etsi non putem cognitioni divinæ, ut est talis similitudo, omninò denegandam esse rationem ideæ, dubitari tamen potest, & quidem cum fundamento, an illi sit ratio ideæ principaliter deferenda. *Mastrius* Tom. 1. de Deo, disp. 3. de divinis ideis art. 1. n. 44. negat rationem ideæ propriè loquendo cadere in conceptum formalem. *Numero* tamen 45. propter loca *Scoti* sæpè citata concedit illi nomen ideæ secundùm quid adaptari posse, *Cognitio* enim *participare potest*, inquit, *rationem ideæ*, quatenus ad rem factibilem *Mastrius non videtur affe-*

entus mentem Subtilis Doct.

lem ut ad ideam terminatur. Ex quo concludit *Herreram* supra cit. non satis fundatè ex illis locis intulisse ideam de mente Scoti formaliter spectare ad formalem rei conceptum, *Quamvis enim*, inquit, *idea in mente artificis dicat realiter & participativè esse ipsam cognitionem modo explicato, & formaliter tamen vidit aliud esse secundum quid*. sed præpostere combinat ly *realiter* cum ly *participativè*, loquendo ad mentem *Scoti*, quia contra expressa verba vult cognitionem participativè solùm esse ideam, nam *objectum ut cognitum*, inquit Doctor l.c. *dicitur habere illud esse, quod habet ipsa cognitio*. Ecce objectum dicitur habere esse cognitum, quia cognitio est. Et mox: *Res cognita in verbo est vita creatrix*, ideo (adverte hanc causalem) *quia cognitio illius est realiter vita creatrix*, ecce res creata participat in eandem rationem seu vitam à cognitione, non è converso, & ideò subdit cohærenter: *quod enim de cognito dicitur objectivè in ipsa cognitione oportet invenire realiter*, ubi *objectivè* idem est quod *participativè*, ut ipsemet Doctor explicat 4.d.1.q.1.n.20. supracc. dicens: quòd cognitio domus sit perfectius ens, quàm domus extra, & quod illud nobilius esse domus *formaliter sit ipsum cognitionis & participativè illius cogniti*. Itaque si de mente Scoti agatur, sicut cognitio non participat de objecto, sed è converso res cognita universaliter dicitur id esse participative quo habet cognitio, satiùs dixisset Mastrius, non quòd cognitio participet ideam fieri à creatura cognita, sed è contra rem cognitam rationem ideæ obtinere per participationem à cognitione, ut ostendemus art. ... ad quem in hac Assertione Lectorem remitto; hic interim utrique quidem conceptui seclusâ lite de nomine rationem idealem de mente *Scoti* adjudicamus, ita ut si comparentur ad August. definitionem ideæ, quòd sit *ratio æterna in mente divina, secundùm quam aliquid est formabile extra ut secundùm propriam rationem ejus*, vix appareat, an idea ad rationem formalem intelligendi, an ad objectum pertineat, unde natum est Scotistarum quorundam ingens dissidium, *Bassolius* enim 1.d.36.q.a.art.2. §. *Quarta particula prædicta definitionis* docet, quòd idea se teneat ex parte objecti cogniti, & quòd actus intelligendi non possit dici idea seu ratio intelligendi, prout se tenet ex parte intelligentis. Idem tenet *Bargius* in 1. Sentent. d. 35. q. un. §. Ad ista dicens, *idea est res cognita, & nullo pacto est ratio cognoscendi*. E contrà *Guilielmus de Rubione* in 1. d.35. q. 2. §. Ex istis contra prædicta sustinet ideam in conceptu formali, non in objectivo statuendum esse. Attamen quidquid sit de illis priscis Scotistis, supposito quòd aliquo modo cognitioni divinæ seu conceptui formali ideæ ratio coaptari debeat, restat resolvendum an in illa primanò & strictissimè ideæ ratio sit constituenda, cujus resolutioni præmittenda sunt, quæ hic in distinctis articulis subduntur.

ASSERTIO III.

Valde probabile est, abstrahendo ab auctoritate, Essentiam Divinam, ut cognitionis munus obit, non habere rationem ideæ, accipiendo ideam strictim pro ratione & forma, quam Artifex in operando intuetur.

291.

Cognitio ut est actus formalis non habet rationem ideæ.

Probatur, tum quia auctoritates tam Veterum, tum etiam *Scoti* in congruo sensu explicationem admittunt, tum quia rationem spectando, id est ratio ideæ, ad quod respicit Agens ut ad formam exemplarem, ut scilicet ad illius similitudinem fiat res ab Agente per intellectum, sed hoc non est cognitio, quam nec primariò nec secundariò in operando respicit intellectus Dei, cùm sit solùm principium formale *quo*. *Secundò* illi convenit esse ideam, quod est primò participatum ab ideata creatura posita in effectu, sed hoc non est cognitio: min. prob participare est ideatum ideæ in toto assimilari eamq; re in omnibus, quoad fieri potest imitari, ac in esse reali totum exprimere id quod in idea relucet, sed cognitioni ut est non se tenens ex parte objecti, sed ut est tale principium formale, non assimilatur ideatum. *Tertiò*, id habet rationem ideæ, quod est ratio cognoscendi ideatum sub ratione objecti saltem terminativi, consequenter prima ratio exemplariter operandi & producendi, ad ista siquidem ponitur idea: sed hoc non est, nec ad hoc cognitio ponitur in Deo. *Quartò* probat Assert. *Mastr.* l.c. n.44. ex Augustino indicante ideam non esse ipsam intelligentiam, sed potiùs rem illi objectam per modum termini, quod cófirmat auctoritas *Clement. Alex.* 5. Stromatum sub initio dicens: *Idea est divina intelligentia*, non formaliter, sed objectivè, quia subdit *sive quædam mente divina intelligitur*. Et S. *Dionysius* c. 5. de Divinis Nominibus apud *S. Thomam* 1. contra Gentes c. 54. post medium: *Quidam Philosophus Clemens nomine*, putà ut conjectutantur Doctores, ille qui fuit discipulus & successor Petri dixit, *quod nobiliora mentibus sunt minus nobilium exemplaria*, ubi per nobiliora in mentibus indubie exprimit illa, quæ repræsentant minus nobilia, per modum objecti, sic enim illa solùm inveniuntur mentes, qua ratione etiam potest explicari Doctor noster superiùs dicens: *Inferiùs habet nobilius esse in intellectu*, quam in seipso, & quamvis ibi subdat: *Hoc intelligendum est de illo esse, quod formaliter est ipsum cognitionis*, id est, quatenus est imago vitalis, addit tamen esse *participativè objecti*, id est, quod illa repræsentat per

modum

modum objecti, & quia per modum objecti, ideo per modum ideæ, seu exemplaris, ita ut cognitio Dei sit ideæ, consequenter creaturarum cognitio, non tamen ipsa cognitio sit idea, & hæc consonant *S. Augustino* dicente non alibi quam in mente Divina esse reponendas: dic quare? an quia cognitio divina idea est? sed quomodo quis sanæ mentis cogitaret illam extra mentem Divinam ponendam? hoc certè tanquam indubitatum apud omnes August. probandum non assumpsit: ergo ipse per ideas significabat res objectas Divinæ cognitioni, quas extra divinam mentem quis cogitare posset, ut de Platone dixit Aristoteles, hinc rectè Aug. *Non enim extra se quidquam positum intuetur Deus* (ecce ideam pro objecto intuibili) *ut secundum id constitueret, quod constituebat, nam hoc opinari, sacrilegium est.*

292 Ad rationes Doctoris pro Assertione prima dici potest iis solùm contendi absque cognitione divina ideam exercitè esse tum posse, sicut neque motivum aliquod exercitè intellectum aut voluntatem movere ad operandum potest, nisi cognitum.

Confirmatur: si roges pictorem vel acupictricem de quo exemplari artefactum suum effecerit, sanè non ostender cognitionem suam, sed ipsum prototypum vel facturam originalem vel hominem vel equum ad cujus modum & instar opus transumptum est, ex quo apparet objecti longè verisimilius germaniusque non in cognitione exemplar seu ideam propriam esse quærendam.

Hoc ipsum confirmatur secundo efficaciter ex S. Scriptura Exod. 25. v. 40. *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in mente monstratum est*, & c. 26. v. . . . ubi Deus à Moyse, Aaron, Nabad, Abiud & septuaginta senioribus ita in monte dicitur visus, *sub pedibus ejus quasi opus lapidis Sapphirini & quasi cœlum cum serenum est.* Quæ duo loca Vertasus memorantur Actorum 7. v. 44. his verbis: *Tabernaculum Testimonii fuit cum Patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam, quam viderat.* Et ad Hebreos 8. v. 5. *Vide omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* Ex quibus Assertio nostra firmatur & roboratur in eo idea seu exemplar constituendum est, in quo illud constituit S. Scriptura: sed hæc constituit illud in eo quod monstratum ostensumque, sive in forma quam Moyses viderat, non in visione aut cognitione, quæ reddebat formaliter Moysen intelligentem: ergo idea vel exemplar non est ipsa cognitio, sed cognitionis objectum. Plura ad hoc propositum, vide art. 3. sub Assertione 9. num. in quarta probatione positivè confirmata. ibi. 293

Ex his consequenter dedocitur ideæ divisionem in formalem & objectivam ideæ propriè dictæ divisionem non esse, sed ideæ generalem quia tam ideæ strictim spectatæ quam propriè dictæ nomen illud adoptari potest.

ARTICULUS II.

Quid sit illud objectum, sive illud esse objectivum, quod censentur in Deo habere rationem ideæ?

294 Præmittendum *esse objectivum* & ideale creaturarum dupliciter sumi, *semel* pro ipsismet creaturis in mente divina objectivè solùm contentis, seu quæ objiciuntur menti Divinæ, ita ut nihil est esse ideale & objectivum creaturarum, nisi ipsum ens possibile, quà terminat scientiam simplicis intelligentiæ, non quidem ob solam determinationem cogniti vel apprehensi, quæ illi accedit extrinsecè ab actu scientiæ simplicis intelligentiæ, sed ob omnimodam similitudinem, quæ intercest inter creaturam possibilem & existentem.

Secundò accipitur Esse objectivum creaturarum pro ipsa Essentia Divina, ut se tenet ex parte objecti, idque semel, ut est ratio formalis existens Deitatis, secundò ut est quædam ratio expressiva creaturarum, quod iterum ad hoc ut habeat rationem ideæ objectivæ duplicem admittit sensum: in primo sensu accipitur, quatenus Essentia Dei est causa æquivoca eminenter continens perfectionem creaturæ, qua ratione dicitur defectivè imitabilis à creatura, seu objectum cognitum imitabile, in hoc itaque sensu Essentia Divina dicitur idea ut substernitur habitudini imitabilitatis creaturarum. In secundo sensu accipitur, quatenus Essentia Divina in ratione objecti repræsentat divino intellectui omne factibile à Divina potentia. *His prælibatis* sit

* * *
* *

ASSERTIO IV.

Quomodocunque Essentia Divina habeat rationem ideæ, nullatenus tamen secundum prædicatum, quod est ultima ratio constitutiva Dei, & quæ reliquos gradus essentiales in Deitate reddit Naturæ Dei proprios ac à tota universalitate entis creati alienos.

295 Hanc inter *Scotistas* censeo indisputabilem, nec docet oppositum *Smising* l. c. n. 210. dicens: Divinam Essentiam non modo realiter, sed etiam formaliter ex natura rei esse unam & indistinctam omnium factibilium ideam, per hoc esto sustinendum putemus prædicata Dei essentialia non distingui ex natura rei formaliter, sed esse metaphysicè indivisibilia, adhuc non debet inferri, Essentiam Divinam esse ideam, quà dicit Deitatis rationem omninò ultimam & in sensu quo illam explicavimus *Controv.* 9. q. 8. à tota creaturarum massa primo distinctivam. Ratio est, quia sic abstrahit à continentia eminentiali creaturarum, primum consequenter amittit ideæ characterem, qualis est convenientia & proportio cum re ideata: ergo Essentia Divina in hac acceptione non est idea creaturarum: conseq. patet, quia Essentia secundum hoc prædicatum nec metaphysicè, imò nec per rationem dividi potest: ergo si illa idea esset, jam repugnaret ideas esse multiplicabiles, sicut repugnat Essentiam secundum hoc prædicatum esse divisibilem & multiplicabilem. *Anteced.* prob. quia in hac abstractione Essentia nequidem minimè consideratur secundum Attributa sibi propria creaturis incommunicabilia: qualia sunt: omnipotentia, infinitas, aseitas & cætera, quæ nullo modo participantur à creaturis, sed nec secundum prædicata essentialia creaturæ intellectuali communia, id est, quæ participantur à creaturis: certum ergo est Essentiam in illa abstractionis puritate conceptam non posse dici ideam.

Ratio ultimò distinctiva Dei negat obire munus ideæ.

Dices: Ratio ultimò constitutiva & primò distinctiva Dei est secundum nos l. c. vita radicalis Dei, sed creaturis intellectualibus cum Deo ratio vitæ etiam radicaliter sumptæ communis est: ergo secundum illam potest esse idea creaturarum. 296

Respondeo: Non constitui à nobis vitam radicaliter intellectualem, qua vita est, sed quatenus consideratur sub actualitate per Essentiam, & ut est existens essentialiter, in quo cum Deo nulla convenit creatura. Vide Controv 9. & q. 8. cc. ex quibus ampla hujus solutio habetur. Vide item hanc *Controv.* q. 4. sub Ass. 3. n. 342.

ASSERTIO V.

Essentia Divina sub conceptu relato imitabilitatis ad creaturas non habet rationem ideæ earundem.

297 Est *Scoti* 1. d. 35. q. unica. §. Ad Argumenta. n. 16. ubi diluit argumenta a se ibi in oppositum adducta 4. d. 35. q. 3. §. *Secundo est videndum.* Est autem contra Thomistas, qui communiter oppositum sustinent cum *D. Thoma*, cui tamen apud *Macedo* nostrum *coll.* 9. *diff.* 1. de ideis Divinis Sect. [illegible] ad initium, conclusionis oppositum tribuendum esse negat *Cajetanus*, quocum ibi dictus Macedo disceptans ostendit D. Thomam expressè docuisse respectus in Deo attinere ad quidditativam exemplaris seu ideæ rationé, in [illegible]q; ideas multiplicari, multiplicantur ideæ, adeoque rectè *Scotum* confutare respectum imitabilitatis non esse idea. Quidquid sit,

Neque sub conceptu relato imitabilitati Essentia potest idea dici.

298 *Probatur* Assertio: Illud est idea in Deo, quod imitatur omnis creatura, sed manifestum est quod creaturæ non imitantur respectus rationis reales ad creaturam nulli sunt in Deo, & si essent nec illos imitarentur creaturæ, non magis Essentia Divina per illos esset imitabilis à creatura, quàm quod color sit visibilis, quia habet respectum visibilitatis, neque enim visus attingit colorem cum respectu visibilitatis, sed ipsum colorem abstractum à tali respectu, ergo similiter esto creaturæ imitantur Divinam Essentiam, non aliter tamen quàm abstractam ab omni respectu, consequenter tales respe[illegible]us nihil conferunt, nec attinent ad rationem ideæ, ut optimè *Doctor* 4. d. 50. q. 3. n. 3. versu [illegible] *arguatur. Illud quod se habet in ratione cogniti est deductum vel abstractum ab alio*, puta ab alio, quod non notificat vel exprimit creaturas Dei [illegible]tem imitantes, sed potius præmittit illam [illegible] notitiam in Deo. Ex quo

Scotus

Probatur secundò ex hac altera Doctoris ratione tracta à communi respectuum conditione: Quidquid exigitur ad rationem ideæ, habetur in Deo priusquam concipitur respectus imitabilitatis; ergo talis respectus nihil confert ad constitutionem ideæ. *Anteced.* pr[illegible]b[illegible] quia licet statim possit contingere apprehensio respectus imitabilitatis, attamen 299

extre-

Habitudo relationis supponit extrema.

extrema inter quæ consurgit ex natura rei supponit: sed illa extrema habent rationem ideæ: ergo secundum hoc non est de formali ratione ideæ, quam imitantur creaturæ, *maj.* patet, quia omnis respectus sive realis sive rationis naturaliter præsupponit extrema, cum nequeant tales respectus fundare, nisi prius sint, proinde nequeunt Deus & creatura fundare respectum imitabilitatis, nisi quà creaturæ possibiles sunt: ergo prius cognoscuntur creaturæ ut absolutè possibiles, quàm respiciant Essentiam Divinam ut ab illis imitabilem, & vicissim Divina Essentia præintelligitur participabilis ante comparationem habitudinis imitabilitatis ad talem vel talem creaturam imitantem.

300 *Probatur* tertiò: Respectus imitabilitatis sive dixeris cum *Scotistis* illum formari per intellectum viatoris, sive ut D. Thomas in art. 2. ad tertium de ideis Divinis dixeris *causari ab intellectu divino comparante Essentiam suam ad res*, non est nisi respectus rationis, ut ibidem S. Thomas ad quartum: *Non tamen sunt reales respectus sicut illi quibus distinguuntur Personæ*, quod & hic suppono ex aliàs dictis supra *Cont.* 13. q. 7. in *digress.* n. 263. & ex *Tom.* 2. *Controv.* 2. q. 4. art. 1. in fine, non dari in Deo realiter alias relationes, quàm subsistentiales seu ad Personas Divinas, sed talis respectus rationis ideam præexigit constitutam, ergo ille & omnes tales sunt omninò impertinentes ad constituendam Divinam Essentiam in ratione ideæ. Sed demus Adversariis suos quos asserunt respectus, etsi *S. Thom. a. 2. de cit.* putem loqui de respectu fundamentaliter sumpto, sive in actu signato, contra illos, qui contrarium tenent. Sit

ASSERTIO VI.

Dato quod respectus imitabilitatis exigeretur in Deo, attamen neque suppetunt ad rationem ideæ, neque ad ideas (quà exprimere deberent creaturas, quæ sunt terminus illius respectus) in Deo multiplicandas.

301 P*Robatur Assertio*: Idea Divina debet posse exprimere creaturas secundum se totas, sunt enim secundum se totas quasi artefacta Dei, proinde debet illas exprimere non solum secundum rationem in communi, sed & in particulari usque ad ultimum prædicatum haeitatis, hoc enim apertè liquet ex definitione ideæ datâ à *S. Augustino* supra, quod sit ratio æterna in mente Divina, secundum quam aliquid est formaliter ad extra, ut secundum propriam rationem ejus, sed nullus respectus sic creaturas exprimere potis est, licet enim cognito uno relativorum cognoscatur, & reliquum in quantum correlativum est, ut cognito Patre cognoscatur quod habeat Filium, non tamen distinctè, & in particulari cognoscitur terminus quantum ad absolutum, quis enim ex hoc cognosceret, quod ille Filius sit ille vel alius, *Sortes* vel *Plato*. ubi scitè *Aureolus* 1. d. 36 part. 2. art. 1. versu: *Opinio D. Thomæ* concludit: ergo similiter dato quod cognita Essentia Divina & respectibus imitabilitatum, quatenus relatè se habent ad terminos cognosci possit, quod sint multa Divinam Essentiam imitantia, non tamen cognoscetur virtute illorum respectuum, quod sint illa in sua natura propria quantum ad esse simpliciter absolutum ipsorum, quatenus nimirum est talis creatura, homo, equus & cæt.

Respectus impertinentes sunt ad ideas.

Per hanc rationem etiam probata manet 2. pars. quod ideæ per tales respectus non multiplicentur in Deo, nam multiplicatio cognitionis indistinctæ non est multiplicatio idearum, sed diversorum terminorum in communi & in confuso solùm. Vide *Macedo* coll. 9 diff. 2. Sect. 1. de ideis Divinis.

302 Adversus hæc & alia argumenta contra respectus illos, quæ apud alios *Scotistas* legi possunt, varia versant responsa, quæ quia vident non posse subsistere, aliqui fatentur istos respectus in Deo ad creaturas non habere rationem formalem constitutivam ideatum, ita expressè *Genet* disp. 7. de ideis Divinis art. 2. §. 1. num. 45. dicit tamen illos se habere ut modus aliquis seu conditio requisita, ut ipsa entitas Divinæ Essentiæ exerceat officium plurium idearum, & sub inferius n. 47. ex mente *D. Thomæ* q. de veritate q. 3. art. 2. ad 2. dicentis: *Idea de suo principali intellectu habet aliquid præter Essentiam, in quo etiam completur formaliter ratio ideæ, ratione cujus dicuntur plures ideæ*, sic, ait, intelligendus est (puta, S. Thomas) de respectu imitabilitatis ad creaturas, quo tanquam *modo intrinseco* constituitur & completur ratio ideæ in Deo, licet enim talis respectus sit rationis, potest tamen ad constitutivum ideæ pertinere, ita ille, ubi videtur dicere & contradicere quod dixit: si ut habet n. 45. ille respectus non se habeat ut ratio formalis constitutiva idearum, quomodo idem respectus ut hic n. 47. pertinet ad constitutivum ideæ ut modus intrinsecus? *idea* (propriis utor hujus Auctor terminis) *est vera & realis causa ac realiter influens in suum ideatum, ergo non potest constitui per respectum rationis*. Subsumo: ergo nec potest ad constitutivum ideæ pertinere ut modus illius intrinsecus. Prob. assumpt. ens reale est ens ratum, atqui ad esse ratum non confert ens irritum, quale est rationis. Secundò, secundùm *S. Augustinum* visione ideæ anima fit beatissima, & sine cujus cognitione nemo sapiens esse potest, quod certè non cohæret veritati, si ens rationis intrinsecè spectet ad ideam.

Genet opinio de ideis.

Alia responsa producit *Ruiz.* apud *Ortegam*, qui *Controv.* 11. de *scientia Dei*, *disp.* 8. q. 3. *cert.* 4. 303

n. 7. ingenuè fatetur illa non esse firma & soluta, quare aliter respondet concedens Scotistis rationem causalitatis idealis sive ideæ in Deo prorsus absolutam esse ab istis respectibus ad creaturas, non secus atque ipsa omnipotentia Dei in possibilibus, ita ut idea, qualis in se est, à Deo cognoscatur absq; ulla creaturarum cognitione, quamvis autem ut exercitè ad ejus imitationem creatura à Deo producatur, hæc etiam prænosci à Deo debeat ut materia ideam imitatura. *Ita ille.*

Hæc responsio posset alicui videri minus valens aliis, tum primò; quia implicat cognosci ideam sine ideato, ergo implicat illam cognosci sine creaturis. *Anteced.* prob. in opinione hujus Auctoris l. c. n. 8. Essentia Dei secundum omnia prædicata essentialia, imò ipsum verbum Divinum n. 10. statuitur idea Divina, sed implicat intelligi verbum cognitione intuitiva & comprehensiva, qualis est Dei cognitio, sine continentia eminentiali creaturarum, ergo & implicat cognosci sine creaturis. Sed implicat Essentiam Divinam esse ideam, nisi qua præcontinet creaturas, seu qua in intellectione intuitiva habetur esse intelligibile creaturarum. Tum secundò, quia nulla cognitio est sine objecto ad quod illa terminatur: sed cognitio simplicis intelligentiæ pro objecto habet creaturas possibiles, seu ut melius procedam ad hujus Auctoris principia: sed ipsa idea, Essentia scilicet Divina, quæ est ipsum esse eminentiale creaturarum est divinæ cognitionis objectum formaliter inexistens per omnimodam intellectus, intellectionis & intellecti identitatem realem, ergo non cognoscit ideam non cognitis creaturis, quin de necessitate per istud esse eminentiale creaturæ sunt objectivè in intellectu divino, ita ut esse objectivum in intellectu divino non subsistat nisi per derivationem intelligibilem ex illo esse creaturarum eminentiali actualiter intellecto.

Verbum comprehensivè cognosci sine creaturarum eminentia implicat.

Verùm re ipsa videtur velle hic Auctor ideam cognosci à Deo præscindendo non omninò à cognitione creaturarum, quà possibiles sunt, sed quà ad futuritionem per decretum contractæ sunt, id est, ideam cognosci præscindendo ab actuali existentia ideati, quod verum est & docetur à *Subtili*, tum autem quomodo stat, quod expressè ponit n. 6. Essentiam Divinam propriè obtinere rationem ideæ, ut actu à creaturis imitabilis est ut natura, seu participabilis à creatura in ratione entis & substantiæ. Ut commoniter Thomistæ recentiores? contra quos, cùm facile quo ad hoc sese expediet *Ortega*, sit

ASSERTIO VII.

Essentia Divina non inducit adæquatam rationem ideæ, ut nuda Natura est, esto talis non præscindat a scientia & volitione Divina.

304 HÆc objicitur ex Doctore *Subtili* ll. cc. & probatur contra Recentiores *Thomistas* statuentes pro idea Deitatem præcisè, ut est eminenter continens creaturas adeoque participabilis & imitabilis ab illis secundum æquivocam naturæ assimilationem, id est, non secundum similitudinem intentionalem, seu repræsentantis & repræsentati, sed secundum similitudinem naturalem & realem sive in essendo scilicet qua duntaxat cum illis in esse entis similitudinem habet.

305 *Probatur Assertio:* Essentia Divina ut talis Natura est, vel consideratur secundum perfectiones sibi proprias, quales sunt *esse per essentiam*, esse *à se* esse *actum purissimum*, esse *infinitum*, *omnipotentem* & cær. vel secundum perfectiones creaturis defectivè seu imperfectè commonicabiles: *atqui* neutro modo Deus induit rationem ideæ: *major* patet, *min.* quoad primam partem similiter patet cum creatura Essentiam Divinam secundum perfectiones sibi proprias nullatenus imitati aut assimilari valeant, quin potius propter absimilitudinem recedunt à natura Divina, ut ostendimus *Tom. 2. Controv. 6. q. 1.* per diversos articulos. Eadem *minor* quoad secundam partem probatur: ad perfectam ideam, qualis est Divina, requiritur ut sit forma univoca in hoc sensu, ut sui perfectè ostendere potens rationes omnes & prædicata specifica & propria operis faciendi, sed talis non est Divina Essentia nudè considerata secundum rationes transcendentes gradus communes & analogicos v. g. entis, substantiæ, vitæ, intellectivitatis, sapientiæ &c. *major* evidens est ex definitione ideæ superius ex *S. Augustino* recitatæ, cum sit *ratio* secundum quam aliquid est formabile ut secundum propriam rationem ejus, id est, formabile secundum speciem suam, qua ratione dicimus creaturas esse participationem quandam putà idealem Divinæ Essentiæ, cum alioqui ideata non inter idealiter effecta, sed inter fortuita forent connumeranda. *Min.* prob. quia sic Angelus posset dici idea hominis, homo bruti, brutum viventis insensibilis, & hoc lapidis, quia etiam sunt sibi similia in prædicatis transcendentibus, imò magis si proprietatem singulorum prædicatorum Dei scilicet & creaturæ spectemus, quam Deus cum creaturis.

Prædicata Deitati propria

Neque cū creaturis communia.

Respondebis: Divinam Essentiam esse ideam creaturarum non solum quoad rationes illas, 306

Objectio.

quæ

quæ formaliter reperiuntur in Deo & creaturis ut eſſe, vivere &c. ſed etiam quoad illas, quæ in ſolis creaturis reperiuntur quoad omnem modum & realitatem, ratio eſt, quia Eſſentia Divina eſt ſimilitudo expreſſa omnium perfe-ctionum creatarum, eâ ratione namque dicitur, quod creatura ſit participatio quædam Divinæ Eſſentiæ, quia eminenter reperitur in ſimilitudine ſui expreſſa: ſed talis eminentialis non convenit creaturæ reſpectu alterius creati; ergo Eſſentia Divina poteſt eſſe idea, eamque poſſunt imitari, ſecus eſt de creatura. *Diluitur.* Sed per hoc nihil ſolvitur, quod probatur: vel enim illa ſimilitudo expreſſa ſive expreſſio creaturarum notificat creaturas in ſeipſa, ut in ratione ob quam talia objecta repræſentantur & præſciuntur, ſicut concluſio ſecundum ſpeciem ſuam repræſentatur & præſcitur in ſuo principio, id eſt, non in eſſe entis ſolum ſed in eſſe intelligibilis & repræſentantis; vel expreſſio illa eminentialis creaturarum eſt ſimilitudo non ſecundum ſpeciem rei repræſentativa, ſed expreſſio purè analogica ac imperfecta, qualis reperitur inter ſubſtantiam & accidens in ratione entis, vel inter lapidem & Angelum in ratione ſubſtantiæ: ſi *primum*: jam tenent cum Scotiſtarum opinione in ſequenti aſſertione explicanda: ſi *ſecundum*, manet argumentum, etiamſi addas eminentialem illam expreſſionem involvere ſimul continentiam virtualem Eſſentiæ, inde enim non magis induit rationem ideæ, quàm ſol induat ideam coloris, quem ille virtualiter continet. Denique quamcunque opponentes excogitaverint inſtantiam, quamdiu volunt Eſſentiam Divinam habere rationem ideæ ac imitabilem eſſe ſecundum ſimilitudinem duntaxat realem & in eſſendo, non ſecundum ſimilitudinem repræſentantis & repræſentati, nunquam aliam evincent in Divina Eſſentia imitabilitatem, quam analogicam & imperfectam ſeu ſecundum gradus ſolum quoſdam communes & tranſcendentes, quam conſtat non eſſe ideam propriè dictam, juxta quod Doctor Seraphicus S. Bonaventura 1. d. 35. art. 1. q. 3. ad 2. ait: *S. Bonavent.* *Similitudo imitationis eſt modica, quia in modico poteſt finitum imitari infinitum, unde ſemper eſt major diſſimilitudo quàm ſimilitudo*: ergo analogica & defectiva imitabilitas illa in natura nequit eſſe idea.

Secunda pars Aſſertionis quod ſcientia & volitio interveniens non conferat ad rationem idealem vel conſtituit ideam, probatur ex dictis *Q. præced.* Divina Eſſentia eſt principium generationis, & Pater æternus ſciens & volens ſecundum illam producit & aſſimilat ſibi Filium Divinum: atqui propterea nemo dicet Eſſentiam eſſe Patri ideam ad producendum Filium ſibi ſimilem: ergo ſcientia & volitio nil conferunt ad eſſe ideæ. *Secundò* homo volens & ſciens generat hominem ſibi ſimilem, imò Pater intendit & optat eam in Filio ſimilitudinem: ſed per hoc natura generantis non induit magis cauſalitatem ideæ ut concurrat ad generationem velut forma idealis ſeu exemplar ideati, quam ignis generans ad ideam ignis geniti, ergo licet in Agente libero & per intellectum non fortuitò, ſed idealiter operante requiritur ſcientia & volitio, ne verificetur id ridiculum à figulo aſſumptum apud Horatium in Arte: 307

Amphora cœpit
Inſtitui, currente rotâ cur urceus exit?

Attamen cum longè minor proportio & ſimilitudo ſufficit imitationi, quàm ideæ certè ex cognitione & volitione ſimilitudo, quam habet effectus cum cauſa in eſſe entis ſive imitabilitas in natura non redditur artificialis & idealiter egeſta, ſi aliunde effectus illam naturam non imitetur ut formam artificialem, utpote quæ repræſentativè concurrat ad effectum. Pro quo ſit

ASSERTIO VIII.

Eſſentia Divina quatenus ſe tenens in ratione objecti infiniti repræſentat intellectui Divino omne factibile jure cenſetur habere rationem ideæ Divinæ.

308 HAnc tenent plurimi Recentiores ex Scotiſtis, *Maſtrius* illi contrariatur d. 3. *de intellectu Divino.* q. 2. *de ideis Divinis art.* 1. num. 47. art. 3. tamen in *reſponſis* ad Argumenta *Baſſolis* n. 69. fatetur illam eſſe probabilem, ſed abſolutè illam ſuſtinent *Smiſing*, Herincx, Meuriſſe, Brinzenno, Baſſolius ll. citatis. Fraſſen Tract. 2. d. 1. art. 2. Sect. 2. q. 1. n. 12. Concl. 2. de ideis Divinis, noſter denique Hannibal Roſſelus in ſuo Pymandro l. 1. com. xv. q. 5. c. 1. & quod potiſſimum erat ponendum, ipſe *Scotus* 4. d. 50. q. 3. n. 4. ubi poſtquam dejecit ab Eſſentia Dei reſpectus intentionales, de quibus ſupra actū, interrogans: *Per quid ergo cognoſcuntur illa ad quæ comparantur?* reſpondet: *Non per cognitionem illius reſpectus* (puta imitabilitatis) *oportet ergo*, quod (ſubaudi, omnia cognoſcantur) *per illam Eſſentiam, quæ perfectiſſimè omnia repræſentat, quæ ut ſic repræſentās, illa ut objecta cognita, habet rationē ideæ*, & ſubinferius hoc cōfirmans, ait: *Ipſa Eſſētia eſt exemplar illimitatū & ipſa eſt prima ratio in eſſe cognito, non autē alia ratio; quæ prius* *Scotus.*

esse cognitum, ut dictum est in primo libro, nimirum d. 35. ubi cum exposuisset definitionem ideæ q. unicâ n. 13. rejecto *Aristotele*, Platoni ut supradictum imponente, concludit: Ideam esse ipsammet Essentiam Divinam, quatenus repræsentativa creaturæ ab intellectu divino cognitæ.

309 *Probatur Assertio ratione*: Essentia Divina ut se tenet ex parte objecti repræsentantis totum id refert & continet, quidquid ad ideam requiri potest: quod probatur: quia Essentia non continet tantum creaturas analogicè in esse rei, sed etiam in esse intelligibilis, ut ratio ex parte objecti & medium objectivum, in quo per intentionalem motionem creaturæ ita repræsentantur & exinde ab intellectu divino accipiant *cognitum esse*, ut esto per impossibile non continerentur eminenter in illo modo illas repræsentaret objectivè, intelligerentur creaturæ ut factibiles idealiter secundum rationem suam propriam Divinamque participantes Essentiam secundum assimilationem idealem seu conformiter ad similitudinem intentionalem in Deo repertam, ergo ut dicit Doctor supra; *Essentia Divina, quà repræsentans objecta cognita* habet rationem ideæ.

Essentia divina ut repræsentans & cæt. est idea.

310 Ex quibus verbis Doctoris ostenditur falsum esse, quod l. c. n. 49. *Mastrius* objicit, quod Essentia Divina res repræsentet intellectui divino ad extra factibilis in genere causæ efficientis ut principium eas cognoscendi, non in genere causæ formalis exemplaris.

Ut tamen insuper respondeamus illi ad hoc argumentum (nam ad aliud quod trahit n. 47. ab idearum multiplicatione respondebimus q. ultimâ hujus Controversiæ sub Assert. 3.) dico non esse mirum, quod esto Essentia Divina, ut gerit munus principii cognoscendi creaturas, simul ac sub alia ratione esse & obire posse munus ideæ aut exemplaris, nam idealis seu exemplaris causa, ut inquit Doctor sub 1. d. 36. q. unica §. *Præterea quintò*. n. 5. & docet ipsemet Mastrius d. 8. Met. q. 1. a. 1. n. 8. spectat ad causam efficientem, nec enim distinctam causalitatem vel actionem, nec distinctum effectum infert causæ exemplaris à causalitate & effectu causæ efficientis per intellectum, nec relatio dependentiæ resultans in artificiato ad exemplar seu ideam Artificis distincta est à relatione, quam exprimit opus ad tale agens compositum exemplari, id est, resultans in effectu, non ad illa divisim spectata, sed ita ut coëunt in unum principium operis artificialis, ergo perperam negat Essentiæ Divinæ rationem exemplaris, eo quod sit principium creaturas cognoscendi effectivum, hoc ipso enim esto aliqualiter exemplar spectare videatur ad formalem causam vel speciem, quam exhibet artificiato quasi ad imitationem formæ, quæ rei dat speciem; proprius tamen ad efficientem reduci debet, tum quia specificatio illa extrinseca tantum est & omninò alterius rationis ab ea, quæ per intrinsecam formam habetur & per se spectat ad causalitatem formalem, tùm etiam quia idea in tantum specificat, in quantum ordinat agens ad externum influxum, consequenter talis causalitas idealis videtur potius ad efficientem quàm formalem causam spectare. De quo *Discipulos* oportet audire *Magistrum* sic l. c. ajentem: *quod*, inquit, *attribuat alium effectum causæ exemplari, & alium causæ efficienti, non videtur probabile, quia causa exemplaris non est nisi quoddam efficiens*: pergit:

Objectio Mastrii infirma est.

Efficiens enim dividitur in efficiens per intellectum sive propositum & efficiens per naturam secundum Philosophum secundo Physicorum.

Sicut igitur naturaliter producens non est alia causa ab efficiente, ita nec exemplaris nec exemplariter producens, & ita idem est effectum & exemplariter productum alicujus intelligentis, in quantum est intelligens & in quantum exemplar.

Ex quibus manifestum fit individuam esse 311
causalitatem causæ efficientis & exemplaris, & *quod causa exemplaris non sit nisi quoddam efficiens*, & *idem esse effectum & exemplariter productum*. Cessat itaque ratio & argumentum Mastrii, quantum ad hoc quod genus causæ efficientis non abigat causam exemplarem quin in sua sententia ponente pro idea ipsas creaturas à Deo præconceptas hanc causæ exemplaris cum efficiente connexionem ipsemet fateri debet, cùm enim creaturæ in mente divina objectivè conceptæ sunt ipsum ens possibile, quod est secundum rationem logicæ possibilitatis independens à Deo in genere causæ efficientis, ut patebit *Contr;ov. seq.* ita cum creaturam esse cognitam, quatenus est solum denominatio extrinseca resultans in creatura ex cognitione divini intellectus non sit formaliter idea, sed prout dicit ipsum esse possibile, quà cognitum in mente divina, ita, inquam, propriè nec pendet à Deo in ratione causæ exemplaris. Hinc necessariò fit in opinione sua, quod causa sua exemplaris eandem causalitatem inferat ac eundem effectum quem operans per intellectum in genere causæ efficientis. Ex quibus patet quod ex illo principio, unde traxit objectionem, potius oppositum deducere debuisset.

Aliter & quidem primo loco n. 44. objicit 312
idem contra assertionem nostram locum *Augustini* dicente ideam in divina intelligentia contineri, adeoque non ad memoriam pertinere, sed ad intelligentiam, at Divina Essentia est principium intelligendi & ut sic pertinet ad memoriam, non verò ad actualem intelligentiam, quia per intelligentiam accipit Augustinus actualem notitiam vel intellectum sub illa.

Ad hoc ut respondeamus adduco textum Augustini Q. 46. ex octoginta tribus postquam censuisset posse ideas appellari vel species sive rationes sive principales & originales formas, continentia textus & continua verba illius sunt: *Principales formas & rationes rerum stabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ & semper eodem modo se habentes, quæ in Divina intelligentia continentur*, addit subinferius, *nisi visione beata videri non posse, cum anima, inquit, earum visione fit beatissima*, sed negari à *Mastrio* nequit visionem beatam esse ad Essentiam Divinam & extensivè ad creaturas in Divina Essentia

August. explicatur.

sentia repræsentatas, ita ut ipse intellectus divinus adeoque cognitio illius Essentiam pro objecto habeat, cum autem objectum divinum intellectui divino est realiter idem, imò generaliter cum nihil sit actu proximè intelligibile, nisi quatenus intelligibiliter est conjunctum cum intellectu, quid quæso nobis adversatur id *Augustini*, ideam contineri *in divina intelligentia*, quod est Essentiam Divinam, esse intellectui divino conjunctam, & in ipsa vitaliter præsentatam, quod contra hunc Auctorem, non contra nos est ponentes ideam in Essentia intellectum cum sui Intelligentiam volentem.

313 *Probatur Assertio secundò*, Patrem Divinum de facto nihil posse producere ad extra sine *Verbo*, non procedit duntaxat ab indivisa utriusque Essentia & potentia, sed etiam quia dicendo Verbum necessariò omnia videt in *Verbo* repræsentata & si per impossibile non dixisset Verbum, non posset producere creaturas nisi ut in sua Essentia intellectui divino repræsentatas, illo modo quo jam vitaliter repræsentantur in Verbo, juxta id: *Omnia quæ per ipsum facta sunt in ipso vita erant:* in quem locum Augustinus 5. de *Genesi ad* lit. c. 14. 15. & 16. & initio capitis 15. ait: *in qua vita* id vitaliter repræsentans, puta ut in objecto divinæ visionis *vidit omnia* sibi in Essentiæ objecto repræsentata *quando fecit. & sicut vidit ea* in eadem Essentia Divina se tenente ex parte infiniti objecti repræsentantis omne factibile à Divina potentia, *ita fecit, non præter seipsum videns, sed in seipso* sibi illa repræsentante: ergo secundum *August.* & ipsissimam veritatem idea Divina est ipsa Essentia Divina se tenens in ratione objecti repræsentativi, seu qua dicit similitudinem intentionalem cum factibilibus repræsentatis ut non nisi inter Essentiam Divinam sic consideratam & creaturam sit artificialis imitatio repræsentantis & assimilatio repræsentati absque imitabilitate naturæ seu rei in essendo ad modum quo videmus ideam, quam Artifex creatus imitatur in operando esse ut plurimum alterius naturæ ab opere edendo, & si quando sit ejusdem naturæ id per accidens est, ut scitè *Smising* l. c. n. 209. *circa finem.*

Probatur Assertio tertiò: Perfectissimum summumque Artificem Deum decet perfectissimum exemplar: sed tale non est nisi sola Essentia Divina, idque non aliter, quàm repræsentans in ratione objecti infiniti omne factibile: *ergo: maj.* est extra quæstionem, *Minorem*, ut probemus, præmitto Justinum Martyrem *Orat. ad Gentes exhortatoria* sic scribentem: *Scribit Moyses Deum sic ad ipsum locutum de suo tabernaculo: & facies mihi tabernaculum per omnia simile exemplari, quod in monte præscriptum ostendi tibi.* Ac rursus paulò post sic: *ita sanè facies juxta formam, quam in monte ostendi tibi.* Pergit Justinus: *Hæc scripta cum nactus Plato, neque verba scripta cum congruenti consideratione excepisset, arbitratus est ideam quandam discretam sive speciem separatam ab ista, quæ sensu percipitur extitisse: illam enim rerum quæ factæ sunt exemplar nominare solitum, quoniam Moyses de tabernaculo sic habeat scriptum juxta speciem in monte indicatam tibi sic facies illud.* Subdit: [illegible], id est: nec minus itidem in terra, & cœlo & homine lapsum esse liquet: quare lapsus? quia nescivit nostram *Minorem*, quam probamus, nam erroneè [illegible]. Horum ideas esse putavit non Deum ipsum, sed quid extrinsecum, sicut & Moysi ita tabernaculi exemplar Deo fuisse, calluit illam *minorem* melius *Boetius* 3. de consolatione metro 9. Deum sic alloquens: *Tu cuncta superno ducis ab exemplo: pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens*, considera, *superno ab exemplo*, quod indubiè Deus est. Deinde pensa *mundum mente gerens*, haud dubiè quia objectum seu Essentia Divina illum repræsentans menti intimè unita est, cum sit realiter ipsa Essentia, quæ est omnis objecti in se intelligibiliter repræsentati actualissima repræsentatio, imò cum nulla alia intelligibilitas inexistat intellectui divino, nisi Essentiæ Dei vita species expressiva, ut nervosè *Damascenus* orat. 1. de imaginibus: *Sunt in Deo imagines & exemplaria rerum, quæ ab ipso futura sunt*, & mox: *Antequam fierent, erant expressa.* Dic ubi expressa erant? in intellectu divino, quod innuit subdens ab exemplo: *Si quis volens domum ædificare prius imaginem ipsius in animo effingit cogitationeque complectitur*, sed dic, quomodo erant expressa in Intellectu divino, seu eo modo qui in illo est expressio & repræsentatio rei intellectæ? nonne eo modo quo intelligibilitas est unita intellectui, seu eo modo, quo intellectus Essentiam omnia actualissimè repræsentativam attingit tanquam objectum per se primarium intelligibilitatis creaturarum, ast nulla intellectui divino inexistit, quàm Essentiæ Divinæ intelligibilitas, nullumvè intellectus divinus attingit objectum nisi Essentiam Divinam, quâ est actualissimè repræsentativa omnis alterius intelligibilitatis factibilium: ergo à primo ad ultimũ eatenus Divina Essentia constituitur in ratione divini exemplaris, quatenus est repræsentativa illius esse, quod habent creaturæ in intellectu divino, seu ut dicitur in *asserto*, quatenus in ratione objecti infiniti divino intellectui repræsentat omne factibile à Divina potentia, & ita manet nostra *Minor*, ac proinde Assertio probata.

Deus perfectissimum Artificem perfectissimũ habet ideam.

373

313

* * *
* *

ARTI-

ARTICULUS III.

An illud ipsum esse repræsentatum seu esse cognitum creaturæ, id est, ipsasmet creaturas, ut objectivè solùm in divina mente continentur, possint habere rationem ideæ?

315 REcole, quæ habes in Notando Articuli præcedentis, ubi, quod fusè præstabimus *Controv.* seq. breviter diximus, quid sit illud esse cognitum seu objectivum & qualiter in conceptum creatum coire videatur. Quæritur ergo an ille conceptus objectivus seu creatura cognita quo refert esse objectivum in Dei Essentia objectivè exprimente creaturas habeat rationem ideæ, quia sicut diximus articulo 1. n. 290. spectando definitionem *S. Augustini*, quod idea sit ratio æterna in mente divina, secundum quam aliquid est formabile extra, ut secundum propriam rationem ejus, vix apparere, an ad rationem formalem, an ad objectivam attineat, ita supposito quod ad objectivam attineat, vix apparet, an ad conceptum objectivum increatum, de quo *art. superiori*, an ad objectivum creatum, de quo hic sit

ASSERTIO IX.

Probabilissimè teneri potest, rationem ideæ objectivæ & propriè dictæ, quatenus habent creaturæ esse objectivum in mente divina, id est, quatenus à Deo in semetipso repræsentatæ & cognitæ sunt, ipsismet creaturis idealiter factibilibus adcensendam esse.

316 HÆc est apud Scotistas communis, ex quibus illam sustinet Bassolius 1. *Sent.* d. 36. q. 2. art. 2. §. *Viso quid est idea.* Lychetus, Tataretus *in* 1. *d.* 35. *q. un.* Meurisse *in sua Metaph.* supra c. Faber 1. d. 35. d. 51. q. 5. Smising l. c. Rhada 1. p. *Controv. Contr.* 29. *art.* 5. *concl.* 5. Poncius *disp.* 4. de intellectu divino. q. 8. de ideis divinis. con. 1. n. 40. citans Granad. *tract.* 7. *de ideis divinis.* d 1. q. 6. cui adde Ruiz d. 82. Sect. 4. num. 1. ubi concedit creaturis rationem ideæ saltem secundariò. Herincx l. c. n. 75. Felix de ideis c. 4. *diff.* 5. n. 7. Posnaniensis 1. d. 35. q. un. *disp.* 3. concl. 4. Brinzenno *Contrav* 12. *de ideis divinis.* art. 1. n. 33. citans Andream Rochmanium. Mastrius *disp.* 3. *de intellectu divino.* q. 2. *art.* 1. n. 49. Frassen *tract.* 2. de Deo. *disp.* 1. art. 2. Sect. 2. q. 1. concl. 2. n. 12. Saxius Tom. 1. catastr. disp. 14. q. 2. n. 45. concl. 2. & n. 57. q. 3. Pro hac sententia, quam sequitur Schola *Nominalium* cum suo Magistro Occam, & Durandistarum, cum suo citantur præterea multi extra Scholam Scoti ut Gerson *de vita spirituali* 1. Coroll. 12. Richardus d. 36. q. 2. art. 2. Major d. 35 q. *in fine.* Pisantius & alii plurimi.

Scotus illam satis clarè innuit 1. d. 35. §. *Ad ista.* n. 12. dicens: *Nihil autem in mente sua tale ponitur, nisi idea, secundum istam descriptionem igitur videtur, quod lapis intellectus possit dici idea. Ipse enim habet omnes istas* (subaudi, ideæ) *conditiones, quia ipsa est ratio factibilis extra propria sibi, sicut arca in mente potest dici ratio respectu arcæ in materia, & est propria ratio, secundùm quam arca in materia formatur. Et ista est ratio æterna in mente divina, ut cognitum in cognoscente, quidquid autem est in Deo secundum quodcunque esse sive rei sive rationis per actum intellectus divini est æternum, sicut declaratum est supra* disp. 30. &c. Ita Doctor. Ex quo textu Herincx ut supra ad initium Q. observavi, censet Doctorem esse problematicum, cujus tamen nullum omninò est fundamentum, nam quod utatur termino *videtur* non sequitur ipsum disputativè solum & dubitanter loqui, tum quia sæpenumero Tò *videtur* accipitur pro anomalo *liquet*, tum, quia simpliciter subdit, quod lapis intellectus à Deo habeat omnes conditiones contentas in ideæ descriptione ab *Aug.* data & ab omnibus recepta, cum etiam quia subinferius ait: *Licet enim Deus principaliter sit sapiens sapientia Essentia sua, ut objecti, tamen non omni modo, si non saperet creaturam, quæ creatura ut intellecta ab ipso est idea,* quæ certè non stant propriè ad problema, sive ad *utrumlibet* involvens acuminis ac incerti periculum, sine idea, vel non; sed ad *utrumlibet* cum æquali utriusque propositionis evictione, ad mentem Doctoris tam hoc, quam illud esse ideam, & ita posse quempiam statuere pro idea ex illis ad libitum; si ita accipiatur *problema*, lis erit de nomine, quid quis velit dicere *problema*.

Opinio Herincx putatur.

Asser-

Assertio probatur infringendo argumenta in oppositum.

317 PRobatur Assertio consutando principales opponentium rationes, quibus disjectis reliquæ facilè expediri possunt.

Primò itaque si ob aliquam rationem creatura possibilis à Deo præconcepta non possit esse Deo ratio ideæ, id esset, quia tunc Deus diceretur & operaretur secundum exemplar sibi extrinsecum, quod opinari *S. Augustinus* sacrilegium esse censet. *Secundò* ideo esset, quia ideæ sunt rationes æternæ incommutabiles & permanentes: sed neutrum horum quadrare in hanc sententiam apertè ostendit *Doctor* Subtilis ll. cc. hâc q. 2. art. 5. nimirum non poni præcisè creaturas pro ideis in seipsis formaliter consideratas, sed ut sunt in mente divina, seu ut habent esse cognitum in ipso Deo, ita siquidem ut supra Doctor participant esse divinæ cognitionis, suntque rationes æternæ, incommutabiles & permanentes & cæt. sed de hoc pluribus Controv. seq. & infra in hoc ipso articulo.

318 *Probatur secundò*, vel idea esset illis neganda ratio exemplaris, quia de ratione causæ exemplaris est realis distinctio ab effectu per ipsum idealiter producto, quod esse non posse inter creaturam factam vel faciendam & ipsam possibilem apud *Ortegam* Controv. 11. d. 8. q. 3. art. 2. n. 8. *Toti Scholæ societatis Philosophica dignitas & principium est.* Arqui, ut aliquid sit vera idea & influat cum principio quod per cognitionem operatur in ideatum, non exigitur major distinctio, quàm quæ assignatur inter rem secundum esse cognitum & objectivum & eandem secundum esse reale & exercitum: *ergo*: min. prob. à causa finali, qui seipsum existentem causat cognitus ut possibilis, imò motio & modus finalizandi per cognitionem eò tendit, ut per media, quæ ad finem consequendum utilia sunt in effectu absolutè sit idipsum, quod cognoscebatur possibile, id est, ut ipse finis cognitus ponatur: ergo cum sit suppar ratio, ad hoc ut causa idealis, quæ per cognitionem ordinat Artificem ad edendum opus, exemplarem influxum præstet, sufficit illa distinctio, quæ versatur inter rem, ut in esse objectivo vel cognito relictam, & rem ut extra causas extractum.

319 *Confirmatur*: Ideò secundum opponentes, necessario Philosophica dignitas & principium est in Schola *Societatis*, ut effectus idealis realiter sit distinctus ab exemplari & idea, quia motio & modus causandi ideæ cognitæ non est ut absolutè ponatur idipsum, quod cognoscebatur, sicut est de causa finali, ut habet *Ortega* l. c. sed ejus dumtaxat realis imitatio & imago ad normam & imitationem ejus quod cognitum ut exemplar illius est; unde de facto diversa realiter sunt pictorum transumpta per artem à prototypis sive exemplaribus suis depicta: atqui per discrimen, quod versatur inter esse physicum & esse intentionale ideatum est sufficienter diversum ad hoc ut aliquid in esse objecto

Inter esse objectivũ & esse existētia-

sit idea sui ipsius in esse reali, ut fatetur ex Societate *Fasolus* apud *Mastrium* d. 3. q. 2. de ideis divinis art. 3. n. 65. *in fine*. Min. prob. ideò causa physica necessariò distinguitur realiter à suo effectu, quia contradicit rem producere seipsam, existeret enim antequam existeret, vel antequam produceretur physicè: sed non est idem cum causa ideali, quæ non præmittit existentiam realem & exercitam, sed existentiam in esse objectivo & apprehenso, & quasi in actu signato, quæ infert veram distinctionem realem negativam positionis à non positione, & attento hoc discrimine physici influxus ab intentionali absque fundamento exposcitur distinctio major ad influxum functionis idealis, quam ea quæ est inter creaturam in esse objectivo, & eandem in esse reali & existentiali: ergo similiter absque fundamento negatur creaturam secundum esse objectivum posse asseri ideam etiam respectu ejusdem numero creaturæ, ut existit in actu exercito, unde rectè *Fasolus* l. c. censet rationem in oppositum parvi esse momenti.

In ejusdē qua distinctio?

Instabis: In hoc casu Deus dependeret à creaturis factibilibus, quia spectaret opus ad extra effigiandum in seipso & non in Divina sua Essentia: *Anteced.* prob. quia Artifex in opere edendo dependet ab ideis, quando illæ non sunt identificatæ ipsi arti: ergo licet in agente creato admitti possit ideam suo modo concurrere ad productionem rei ideatæ, non tamen in Agente increato. 320

Objectio.

Ad hanc instantiam *Herincx* supra cit. n. 77. respondet distinguendo dependentiam, dependeret Deus à creaturis dependentia aliqua imperfecta, id est, à creatura tanquam à causa & motivo, negat; dependeret dependentia non imperfecta scilicet tanquam à puro termino secundario repræsentata in Divina Essentia velut objecto primario cognito, vel tanquam à mera aliqua conditione, concedit; Verum hæc responsio falsum supponit & assumit, dari scilicet dependentiam non imperfectam cum omnis dependentia ex sua ratione formali importet imperfectionem, uti videre est Tomo 2. Controv. 3. q. 2. imò hoc responsum evertit seipsum, si enim non dependeret ab operabilibus dependentia imperfecta, quomodo dependebit dependentia non imperfecta, dependentia siquidem non imperfecta necessariò erit dependentia perfecta, non perfectione entis, quia dependentia in tota sua latitudine imperfectionem & indigentiam involvit, sed erit perfecta, id est, completa & verissima dependentia, quod ad propositum malè sonat, ut etiamsi ipsa Divina Essentia poneretur idea, propterea tamen admitti non debet Deum in suo opere dependere ab illa, sicut esto Filius Divinus producatur à Patre, abhorrent tamen & fugiunt Theologi communiter in Divinis hunc terminum *dependere* admittendo Filium produci, id enim fides

Rejicitur responsum Herincx.

fides docet, improbando, Filium dependere à Patre, sic multi Auctores sustinent coëxigentiam creaturæ ad cujuslibet possibilitatem cum verbo Divino, ut si per impossibile vel unica repugnaret, verbi implicare existentiam, & tamen citra ullius dependentiæ necessitatem verbi ad creaturam, voluntas item Divina non vult nisi cognitum, actus intelligendi & volendi non habentur, dato quod sint actus formaliter distincti de principiis suis, nisi cum tali ordine subordinationis, connexionis præsuppositionis inter se, attamen nisi relictâ re dependentiæ de nomine litem facere velis, tam malè sonat illa mutuò dependere à se, quam si diceres, illa sese habere ut actum & potentiam.

321 *Infringitur objectio.*

Aliter itaque diluenda est illa dependentia conformiter ad dicenda Q. sequenti & ad dicta *Controv.* præced. ubi ostendimus ad rationem creaturæ factibilis, quam ideam hic dicimus, non exigi, quod illa in seipsa inspiciatur, dum videtur secundum rationem suam objectivam, quæ nullam dicit scibilitatem in seipsa primò, & immediatam habitudinem ad scientiam increatam, sed quod totum esse creaturæ cernatur in Divina Essentia ut in ratione objecti repræsentante omnem illius cognoscibilitatem, unde sicut Divina scientia etiam visionis spectans creaturas in Divina Essentia essentialiter & primariò est imago Deitatis, est enim tota Theologica, secundariò verò & accidentaliter totius entis participati adeò ut si omnis creatura impossibilis foret, cessante solâ extrinseca extensione vel connotatione ad objecta creata, adhuc superesset in Deo prædicatum imaginis, quoad omnem intrinsecam vitalitatem, ita creatura licet illi ratio ideæ deferenda sit in sensu assertionis, ad hoc tamen non requiritur quod spectetur secundum omnem rationem formalem ejus in seipsa, seu ex intentionali motione illius, sed sufficit, quod sic spectetur in Essentia Divina, ex quo fit, quod nulla respectu Dei potius dependentia admittenda sit in operando ab ideis in hac opinione, quam quod in sententia opposita dependeat ab iisdem, eò quod nequeat producere illas, nisi fuerint ab æterno cognitæ, tam enim necessarium est præexigi creaturarum cognitionem, ut ideæ sint, quàm ut idealiter producantur creaturarum intuitionem, quæ effluit a cognitione ad productionem earundem. Nemo tamen inde, quod Deus nequeat producere creaturas nisi præcognitas, inferre potest, ideo Divinam omnipotentiam esse à creaturis dependentem, cujus nulla alia assignatur ratio, quàm quod Deus non ex intentionali notione illarum, sed à solâ Essentiâ suâ notitiam earum accipiat. Plura ad hoc propositum vide Q. sequenti.

Dixi, *quæ effluit à cognitione*, ad præveniendam tacitam falsi suppositi objectionem, quâ nonnulli creaturas possibiles volunt potius mediantibus ideis præviis ideatas, quàm ideas, nam licet habeant esse objectivum in mente divina, attamen dependent a Deo, cujus sunt veluti imitatio & participatio consequenter præsupponunt ex parte Dei omnes causas necessarias ad suam productionem, inter quas est causa exemplaris, à qua exemplariter dependet, quidquid est & non est Deus. Sed falluntur ex duplici titulo, primo ut constabit *Controv. seq.* & ex supra dictis & *Scoto* 1. d. 36. q. un. §. *Præterea quinto.* n. 5. ens possibile secundum logicam possibilitatem non pendet à Deo in genere causæ efficientis. Secundò quia supponit ideam reciprocari cum ente possibili non cognito, quod falsum esse deprehenditur vel inde, quod secundum Doctorem *Subtilem* ex comparatione intellectus divini ad intelligibilia observanda sint in æternitate duo instantia naturæ. In primo instanti comparatur intellectus divinus ad Essentiam ut ad primum suum & immediatum objectum. In secundo instanti comparatur intellectus ad alia objecta creaturarum, quæ sunt secundaria, & quæ ex se non sunt objecta, sed producta in esse objecti seu intelligibilis per intellectum, ad qualia spectat v. g. lapis ab intellectu divino productus in esse intelligibili vel esse cognito, ubi vides antequam intellectus Dei producat creaturas in esse cognito, prius debere cognoscere suam Essentiam tanquam objectum primarium & motivum ad creaturarum cognitionem, à quâ dixi effluere ideam, non ergo illud esse cognitum possibilium creaturarum præsupponit seipsum, ut sui ideam pro illo instanti priori, sed profluit ex cognitione illarum pro instanti secundo, licet in sententia nostra præsupponat ideam principalem, id est. ipsam Divinam Essentiam, ut subit rationem ideæ, non tamen seipsam, qua dicitur idea rerum producibilium in esse reali & actualis existentiæ, ut satis constat ex descriptione ideæ, quod sit ratio secundum quam aliquid est formabile ad extra, secundum propriam rationem ejus.

Esse objectivum in mente divina non esse ideatum.

Verum nova ex hoc discursu exurgit difficultas, nimirum quod creatura possibilis constituatur in esse causæ exemplaris, respectu ejusdem creaturæ in suo esse existentiali ob solam denominationem cogniti, quæ illi accedit extrinsecè ab actu simplicis intelligentiæ, quod falsum esse constat, nulla siquidem idealis causa consistit in denominatione extrinseca petita à tendentia intellectûs. 322

Objectionis præoccupatio.

Si dicas, ut revera dicendum est, non constitui ideam ob solam denominationem cogniti, *quæro*, quid illi denominativo cognitionis passivæ relinquatur ex parte objecti? nihil nisi merum possibile, quod dicit solum aliquid logicum, sive non repugnantiam ad existentiam, & meram negationem, qualis nequit præstare influxum idealem respectu entis positivi & realis, ut evidenter colligi potest ex ipso *Scoto* 4. d. 50. q. 3. §. *Secundo est videndum*, n. 3. ubi postquam investigavit, an pœna damnatorum habeat ideam in Deo, respondet negativè, *si est*, inquit, *quæstio de pœna damni, quæ est carentia visionis divinæ, sive de culpa, quæ est causa pœnæ, sic dico, quod non videat in Essentia Divina*, rationem subdit: *Quia nec habent ideam nec imitantur ideam, quia nec in se, nec in aliquo gradu entis sunt, nec per consequens imitantur illam in aliquo gradu entis,*

entis, quibus innuit nihil privativum eſſe ideatum, conſequenter cum ſuppar ſit ratio à requiſito poſitivi, nec poterit eſſe idea: eſt itaque contra *Doctoris* mentem, quod ens merè poſſibile, quod negationem dicit, dicatur habere rationem cauſæ idealis vel eſſe exemplar entis poſitivi.

323 Sed hæc omnia nil obſtant noſtræ *Aſſertioni*, quæ non conſtituit creaturam poſſibilem in eſſe cauſæ exemplaris per denominationem, ſed per omnimodam ſimilitudinem vel imitabilitatem entis exiſtentis ad ens poſſibile, quod licet præſeferat poſſibilitatem duntaxat negativam, quatenus non eſt poſitio entis in actu exercito, adeoque non ſit quid poſitivum in actu exercito, ſeu ut loquuntur, non ſit ens *verbaliter*, id eſt, quod *actu eſt*, quia tamen iſthæc negatio entis ſtat cum connotatione entis poſitivi in actu ſignato ſive in potentia eſt quid poſitivum in actu ſignato, ſive ens *nominaliter*, id eſt, *quod poteſt eſſe*, per quod non ſolum ſecernitur à figmentis & chymeris, quibus repugnat eſſe, ſed inſuper ſignat poſitionem exercendam ſub actu exiſtentiali, quod ſatis eſt ad induendam rationem cauſæ exemplaris.

Inſtabis. Idea ſeu exemplaris cauſa per realem influit ſictitatem & convenientiam exem- 324
plaris & exemplari, à qua ſimilitudine idea ſit regula ideati: ſed realis ſimilitudo eſſe nequit inter ens reale poſitivum in actu exercito, & inter ens reale poſitivum in ſolo actu ſignato. Sed hæc inſtantia laborat ſuppoſito non ſupponendo, ſcilicet, quod idea inferat habitudinem realem ad ideatum, regulantis ſcilicet ad regulatum, & hoc ad ideam, quæ terminet realem habitudinem menſurati ad menſuram, quod de relatione vel habitudine reali neque in creatis verificatur, quis enim dicet domum, ut eſt ſtructura idealis extra mentem Artificis realiter referri ad domum in eſſe cognito & objectivo, quod habet in mente Artificis, eſto ad iſtam cognitionem poſſit referri & viciſſim cognitio habitudine reali ad domum extra poſitam, de quo hîc non agimus.

Inter ideam & ideata nõ datur habitudo realis.

Itaque remotis hactenus difficultatibus, quæ Aſſertionem noſtram debilitare videbantur, reſtat ut illam, cum prolixâ probatione amplius opus non ſit, ſaltem breviter poſitivè ſtabiliamus.

Aſſertio rationibus poſitivis firmatur.

325 ET quidem *primò* ab oſtenſione præſtita nullitaris argumentum in oppoſitum, quia ſit non poſſe oſtendi ab opponentibus, cur implicet rem ſecundum eſſe objectivum eſſe exemplar ejuſdem ſecundum eſſe reale. *Secundò* creaturæ in eſſe cognito, convenit deſcriptio ideæ, eſt enim ratio objectivè & immutabiliter in mente divina exiſtens, ad cujus inſtar creatura ſecundum propriam ſuam rationem fabricari queat. *Tertiò* concinnè probat *Pontius* diſp. 5. *de intellectu & ſcientia Dei.* q. 8. de ideis divinis. num 40. ideæ creatæ in mente Artificis ſunt conceptus objectivi rei faciendæ, ergo etiam ſervatâ proportione & excluſâ imperfectione in mente Artificis increati, in quo omnium conceptus objectivus perfectiſſimè habetur, perfectiſſimè ſiquidem cognoſcit res in eſſe objectivo, ſeu ut ſic cognitæ. Hanc rationem cum Saxio Tom. 1. diſp. 14. q. 3. art. 2. n. 59. concl. 1. confirmat ibidem ex ſpecificatione & determinatione Agentis ad idealiter operandum ab ipſiſmet rebus producendi hoc modo: quantumvis cognoſceret perfectiſſimè ipſam Eſſentiam, niſi cognoſceret creaturas, non eſſet determinatus intellectualiter ad creaturas ad extra effigiandas, & viciſſim quamvis Eſſentiam non cognoſceret, ſi tamen cognoſceret creaturas, ſufficienter eſſet ab omni indeterminatione vel indifferentia contractus & determinatus ad illas ſecundum rationem ſuam ſpecificam producendas, ergo creaturæ in eſſe cognitæ habent rationem ideæ. Hæc ratio quidem bona eſt, ad concludendum, quod creaturæ idealiter producendæ ſint ſuo modo ideæ, ſed ex mente ſui Auctoris nimium probat, iſque ex ea nimium infert, *ergo creaturæ potius habent rationem ideæ quàm ipſamet Eſſentia*, quæ præferentia non ſubſiſtit, poteſt enim ſic retorqueri argumentum: quantumvis Deus cognoſceret creaturas & non cognoſceret Eſſentiam, non eſſet determinatus ad producendum creaturas; & viciſſim quamvis creaturas non cognoſceret in eſſe objectivo, id eſt, cum illa extenſione & denominatione objecti, ſi tamen cognoſceret Eſſentiam tanquam objectum primarium & motivum ad creaturarum cognitionem, ſufficienter eſſet determinatus ad illas idealiter producendas. Prima ſequela *probatur*, quia implicat divinum intellectum moveri immediatè & uniri cognoſcibilitati creaturæ ſecundum eſſe formæ & ſpeciei creatæ, conſequenter implicat illas per ſe eſſe attingibiles ab intellectu ad hoc ut determinent illum ad ſpecificationem actus. Secunda ſequela probatur ex ſtatim dictis, quia priuſquam Deus producat creaturas in eſſe cognito, ſeu priuſquam reſultat eſſe cognitum, quod eſt quid relativum; jam Deus, cum relatio præſupponat extrema ſecundum eſſe abſolutum, habet in objecto primario & motivo cognitionem creaturarum, ex qua deinde prius reſultet eſſe cognitum illarum: ergo ſicut Deus poteſt pro illo inſtanti producere eſſe rerum ideale ſeu eſſe cognitum, ita poſſet pro eodem producere eſſe rerum exiſtentiale, ergo ſi ſolum cognoſceret Eſſentiam cognitionis creaturarum parentem, non eſt, cur ille non eſſet determinatus tum ad producendam creaturam in eſſe reali ſaltem permanentem, uti de facto illam produxit in eſſe intentionali, certum quippe eſt apud *Doctorem* 1. d. 2. q. 1. creaturas in mente divina non prius eſſe *intelligibiles*; ponit autem objectum ſecundarium,

Rerum omnium conceptus objectivus in mente Deo perfectiſſimus.

Ratio Pontii quantum valeat.

quàm

quàm *intellectu* in objecto primario, cum non prius sint in memoria, quam in intelligentia, cur igitur pro dicto instanti non posset creaturas jam intellectas producere? Deinde in sequenti instanti cognitioni & potentiæ divinæ nihil accedit vitalitatis, quæ exprimat novam quasi cognoscibilitatem ab ipsismet creaturis mendicatam, neque prius habeant esse cognitum, quàm cognoscibile in mente divina; nihil denique accedit perfectionis, aut ullus novi prædicati partus. Creaturæ item illo instanti sunt in statu possibilitatis suæ ut parebit *Controv.* 15. & *Poncius* concedit in sua *Met.* d. 69. q. 5. in *addit.* contra *Mastrium*, nil ergo deest, quin posset Deus illas producere, priusquam denominationem in seipsis accipiant de cognito esse? Itaque confirmatio Poncii ad probandum ad creaturas posse dici suo modo ideas, nequit, ut amplius patebit q. seq. primarum idearum tollere ab Essentia Divina & solis dare creaturis. *Quartò* denique & efficacius probatur Assertio ex SS. Scripturæ locis, quos recensuimus supra artic. 1. pro Assertione 3. n. 293. quæ pro hac relegi possunt, quibus hic superaddimus, primo locum ad *Hebræos* 11. ubi Paulus: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex visibilibus visibilia fierent*, qui locus magnoperè firmat nostram Assertionem, nam vox *aptata* conformitatem & correspondentiam sæculorum importare cum sæculis objectivè in mente Dei tanquam idea & exemplari expressè in hunc locum depromit *S. Anselmus*, inquiens: *Ex invisibilibus facta sunt visibilia, id est, ex intellectu ali mundo visibilis, invisibilis enim mundus in sapientia Dei erat & ad illius imitationem factus est visibilis*, quæ verba apertè indicant, Mundum, ut habet esse intelligibile in sapientia Dei, esse objectivè ita sculptum, ut ad illius imitationem sculptus sit mundus visibilis, & cùm S. Paulus id fide à nobis intelligi dicat, & glossa ordinaria eam *Anselmi* interpretationem admittat, non est ab illa facilè deflectendum ad alias contortas & minus congruas ad textum.

126 *Confirmatur* de facto non actu ad magnum Mundum reflexo, sed directè Deus fecit hominem velut magni Mundi imaginem, propterea enim vocatur *μικρόκοσμος*, id est, parvus mundus à Deo effectus, ajebat *Philo*, quemadmodum Colossorum magnitudines in exiguo exprimuntur annulo, ergo vel ex ipso homine ideato cognoscitur, Mundum vel *μεγάκοσμον* esse suo modo ideam, vel exemplar hominis, ut est objectivè in mente divina, imò hoc summè Dei commendat sapientiam, cùm non vulgaris artis & admirationis sit ab esse intelligibili magni Mundi transumptum in minori exprimere, ut liquet in illo, qui magnam navim cum omni supellectili in tam exiguo eboris fragmento depinxit, ut totum opus musca expansis alis obtegeret. Sed

Nec sunt prætereundæ Patrum Auctoritates, breviter saltem illas ipsas adduco, quas non rectè intellectas nobis objicere solent.

Prima est illa S. Dionysii: *exemplaria*, inquit, 5. de Divinis nominibus, *dicimus esse [illegible] rerum effectrices rationes, quæ in Deo conjunctæ ante fuerunt, quas Scriptura divina prædestinationes* (non ut prædestinationis nomen apud Theologos recipitur, sed ut idem sonet, quod præcognitivitates & prælineamenta rerum, seu ordinationes objectivæ, sive creaturæ secundum esse objectivum, quod sibi in mente divina adsciscunt) *appellant, divinasque ac bonas voluntates, quæ constituunt & faciunt omnia*, postremis hisce verbis explicuit exemplaria divina in actu exercito, sive idealiter actu operantia, quatenus actu dirigunt voluntatem Dei ad extra condentem creaturas, & illas prædestinantem, nam Sanctus loquitur de ideis objectivis, quatenus existunt conjunctæ cum voluntate operandi aliquid ad ipsarum imitationem. Huic auctoritati consonat *Damascenus* Orat. . de *imaginibus* p. 3. *has imagines & hæc exempla præfinitiones appellat* -- - *excellentissimus [illegible] sius, omnia enim ab illo præfinita & sine ulla commutatione futura in ejus consilio non al[illegible] antequam fierent, erunt expressa*, objecti[illegible] in mente Dei, ut ex verbis sequentibus liquet, *quàm si quis velit domum ædificare, prius imag[illegible] ac formam ipsius in animo effingit co[gi]tationeque complectitur*, quasi dicat ipsas res intellectas a Deo esse imagines & exempla ipsarummet illas quippe in mente sua effingit & cogitatione sua complectitur, antequam sunt, i[n] quo [illegible]sissimè stabilit ideam *Damascenus* 1. fid. c[illegible] *medium*, inquiens. *intuetur omnia, pri[usq]uam deducantur ad ortum* & cæt. quomod[o] [illegible], nisi inquantum habent esse objectivum in scientia Dei, in qua ideæ rerum locum suum figunt, & sedem ut intentionaliter movere possint, ut voluntas juxta eas, quando Deus vult operetur, unde & subdit ibi Damascenus, *[in]telligens unumquodque secundum voluntat[e]m suam intemporalem intelligentiam. quæ quidem est præfinitio & imago, cujus exemplum & [illegible] sio in prædefinito tempore fit.*

Di[illegible] sius.

Da[illegible] ce[illegible]

* * *
* *

QVÆ-

QUAESTIO III.

Cui propriissimè competat esse ideam & primariò imitabilem aut intuendam ab Artifice in opere edendo.

SUMMARIUM.

1. *Sola Divina Essentia quomodocunque subeat, primariò subit & obtinet rationem & munus ideæ. n.330.*
2. *Ideas secundarias amittendas convinci videtur & opponentis opinione. n. 331.*
3. *Quid scientia simplicis intelligentiæ qui differt à scientia visionis. n. 332.*
4. *Res non sunt futuræ quia futuræ præsciuntur, sed quia ad futuritionem per decretum divinum immutantur, & unde hoc erigitur? ibid.*
5. *Essentia divina non habet rationem ideæ, quâ est repræsentativa complexionis contingentis, sed quâ repræsentat solam necessariam complexionem in esse possibili. ibid.*

Herice. Controversia præcedenti q. 7. ad initium memini, quàm acerbè ferat *Herice* divisionem objecti scientiæ divinæ in primarium & secundarium, graviter quoque *Ortega* Controv. 11. de scientia Dei disp. 8. q. 3. Certam. 2. num. 2. conqueritur contra Ruiz, quòd d. 82. Sect. 4. num. 1. eam concesserit divisionem ac creaturas possibiles ipsarum absolute faciendarum ideas Deo secundariò esse dicique posse, nam illud *se-* „ *cundario*, inquit, rationem destruit ideæ „ Divinæ, respectuque Artificis increati argumentum, quod vexavit plures, nullius est „ ponderis. Solam enim probat cognitionem „ Essentiæ pro statu rerum faciendarum ne- „ cessarium esse ut fiant, quia nimirum absque „ cognitione materiæ faciendæ, seu circa quam „ versari debet actio agentis intellectualis, ne- „ quit actio prodire, non autem probat Essen- „ Ortega. tiam esse ideam & propriè exemplar rerum, „ ad quod satis non est materiam faciendam de- „ bere necessariò præcognosci, sed etiam ut „ quid primariò imitandum. *Ita ille*, cui re- „ spondebitur mox in corpore QQ. Sic „

ASSERTIO,

Supposito quod creaturæ à Deo præconceptæ, id est, secundum esse cognitum & objectivum quod habent in mente divina à cognitione relictum habeant rationem ideæ, sive illæ comparentur cum idea Divina, si talis sumenda sit a Deo, ut subit munus cognitionis; sive ut se tenet ex parte objecti cogniti & repræsentantis illam ipsam creaturam à potentia divina factibilem, primariò obtinet rationem ideæ ipsa Divina Essentia, creaturæ autem ut terminant Divinam cognitionem, secundario tantum & participativè.

328 Scotus. Hanc tenet *Bassolius* Scoti Auditor 1 d.36. q.2. art.2 §.1 *iste quid est idea*, & ipsi ubi consona *Doctori Subtili* l.c supra, ubi dicta *sunt objecta non prima, nec moventia intellectum, sed objecta secundaria terminantia intellectum.* Eandem sequuntur omnes illi *Scotistæ*, qui modo declaratò assignant rationem ideæ Divinæ Essentiæ contra illos, qui cum *Mastrio* d.3 de *intellectu divino* q.2. de *ideis Divinis*. art.1. n.47. in solo esse objectivo exemplar seu ideam constituunt. Eadem exprimitur apud *Suarez* in sua Metaph. d. 25. de causa exemplari, Sect.1. 6. *Probatur Assertio in exemplaribus creatis.* n. 9. Sic ajentem: *In humano Artifice cessat illa ratio, quæ est in Deo, qui nihil potest extra se cognoscere, nisi ut secundarium objectum cognitum in sua Essentia, ut in primario, & ideo in divina cognitione semper interveniunt quasi duo objecta, de quibus oportuit sigillatim dicere. At verò Artifex creatus directe & immediatè concipit Artificium & media illa cognitione illud operatur; ergo non est ibi alia tertia res, quæ possit habere rationem exemplaris.* Ubi vides supponi ab hoc Auctore in Deo duo objecta, quæ intuenti Deus & quod Artifex creatus spectare valeat artificium

in seipso, & ex intentionali motione ejus, nullo alio exemplari objectivo interno intercedente, quod sit objectum motivum, & alio quod habet esse cognitum profluens à cognitione, prius, cui hic primario rationem idealem adscribendam esse.

329 Probatur primò ratione: Illud principaliter est idea, ad quod primò & principaliter aspicit Agens ut ad Archetypon & exemplar primarium per scientiam & cognitionem in opere ad extra edendo. sed hoc est Divina Essentia, quomodocumque tandem illi conveniat ideam esse: ergo. Major est evidens, minor prob. ex dictis *Contror. praced.* implicat in Deo scientia, quæ tota Theologica non sit, id est, quæ non habeatur ex intentionali motione solius Essentiæ Divinæ se tenentis ex parte objecti, ex quo principaliter omne factibile præcognoscit: ergo Essentiæ, ut est ratio objectiva primaria exprimens in seipsa creaturas; convenit primaria ratio ideæ, secundariò verò & participativè quidditati vel Essentiæ creatæ in esse cog·ito ab intellectu divino objectivè in ipso per cognitionem relicto.

Essentia divina primario idea subit rationē.

330 Probat secundo Assertionem *Bassolius* l. c. hac ratione: Illud est primum & principaliter idea, quod est ratio cognoscendi ideatum in ratione objecti cogniti primo ab operante ideatum, & per consequens prima ratio operandi & producendi, quia ad ista ponuntur ideæ, sed hoc argumentum non urget, illudque evacuare videtur *Poncius* d. 5. q. 8. nom. 40. §. *Confirmatur secundò*, ubi ostendit ideam non requiri, ut res primò cognoscatur, sed ut res fiat perfecta, juxta quod cognoscitur esse facienda, ad hoc autem non requiritur aliud, quàm cognitio ipsiusmet rei secundum illam rationem: ergo res sic cognita est idea. Sed reponitur illi ex dictis non posse haberi cognitionem ipsiusmet rei secundum illam rationem, nisi ab Essentia Divina, consequenter ab eadem sufficienter determinatur Deus per intellectum agens, utrum secundum illam rationem in Essentia cognita producat, & non à creaturis pro statu possibilitatis à Deo secundariò cognitis.

Bassolius.

Poncius.

Confirmatur ab exemplo quod l. c. num. 6. adducit *Ortega* qui In hoc ipso hic reconvenitur ponat pictori Petrum præsentem, & simul aliud ejusdem transumptum, nec posse ut Petrum iterum depingat aliud transumptum Petri intueri, nisi Petrum ipsum præintueatur, quale ex ipsis erit principaliter idea dicenda transumptum illud an Petrus? ita plane contingit in Artifice Deo in sua Essentia ejusque cognitione respectu possibilium & cognitionis eorum, quæ non sine formali cognitione Essentiæ (utpotè adæquatè specificativi & primarii scientiæ objecti) possibilium cognitio formalis esse potest, & adeo respectu possibilium, Essentia Divina ceu primum ens necessariò in cujusvis creaturæ effectione imitanda: ergo inquit Ortega *etsi objective adsit & intentionaliter præsens essentia creata possibilium secundaria Essentia*, & quasi divinæ transumptum, hæc sane, non autem essentia creata possibilis Deo Artifici propria & exemplar erit. Totus hic discursus si benè consideretur, in eo est, ut ostendat Deo principaliter convenire rationem exemplaris, non possibilibus, quas concedit esse quasi in Deo secundariam essentiam, ergo sine fundamento negat illi competere ideam secundariò & participativè, sicut enim participabilitas cognitionis divinæ seu esse cognitam creaturam in mente divina objectivè relictam, sive secundaria illa essentia non destruit Essentiam Divinam primam & principalem, ita esto attribuatur illi secundariæ ratio ideæ secundariæ, non destruet ideam primariam, nec ulla est ratio cur dicatur oppositum. 331

Orte[g]a ex propria convenit[u]r doctrina.

D V B I V M.

De quonam possibili Esse objectivo seu cognito procedit Quæstio, dum illi adscribit functionem idealem?

332 SCiendum, esto in Deo sit unica & simplicissima scientia, tam respectu sui, quam creaturarum, tamen respectu diversorum objectorum, diversa quoque sortitur nomina, eâ ratione duplex in Deo a Theologis assignatur scientia, *visionis* scilicet, quæ præmittit decretum Divinæ voluntatis & *simplicis intelligentiæ* præcedens illud, & sicut est duplex scientia, ita duplex in diverso statu nanciscuntur creaturæ esse cognitum. *Hoc supposito*

Quid scientia simplicis intelligentia & visionis?

Respondeo ideas esse in intellectu divino ante omnem actum voluntatis divinæ, consequenter creaturas possibiles, ut attinent vel trahunt suum objectivum & cognitum esse a scientia simplicis intelligentiæ, obeunt rationem exemplaris & ideæ, secus ut immutantur objectivè ad existentiam divino Decreto, id est, quà spectant ad scientiam *visionis*. Hæc responsio colligitur ex *Scoto* 1. d. 3. q. un. §. *Circa istas quæstiones*. n. 7. ubi sic habet: *Præterea, ideæ mere naturaliter repræsentant illud quod repræsentant & sub naturali ratione, sub qua aliquid repræsentant; quod probatur ex hoc, quia ideæ sint*

[...] creatura possibiles tra[...]

bunt ſuū eſſe cognitum: *ſint in intellectu divino antè omnem actum voluntatis divina, ita quod nullo modo ſint ibi per actum voluntatu divina*, & ſubinferius: *Eodem modo ſunt idea poßibilium non futurorum, ſicut futurorum, quia differentia iſta poßibilium non futurorum à futuris, non eſt niſi per actum voluntatu divina: ergo idea futuri poßibilu non magu repraſentat ipſum futurum eſſe, quàm idea poßibilu non futuris.* E quibus ſi ritè expendantur, liquet creaturas, quà mutuant eſſe objectivum à ſcientia viſionis non inferre influxum cauſæ exemplaris reſpectu earundem ſic transeuntium vi decreti ad futuritionis ſtatum, proinde quia differentia iſta poſſibilium non futurorum à futuris, non eſt niſi per actum voluntatis divinæ, ut *Doctor* ait, jam patet creaturas non ideo Idealiter futuras pro aliqua differentia temporis, quia inſpiciuntur ut futuræ per ſcientiam viſionis, ſed è contra ideo apprehenduntur ut futuræ, quia vi decreti ad futuritionem ſunt immutatæ, conſequenter creaturas à Deo cognitas eatenus eſſe ſui ideas, quatenus terminant ſcientiam ſe omninò tenentem in linea cognitionis nihil habentem de admixtione vel connotatione coëxiſtentiæ objecti de futuro, eut voluntatis, quæ ideam regulantem opus faciendum ſupponit, & idem ut concludunt communiter *Scotiſta*, eſt de ipſa Eſſentia Divina, quæ non habet rationem ideæ, quatenus repræſentat complexionem contingentem de actuali eſſe creaturæ, ſed ſolum quatenus repræſentat creaturam ſecundum ſolam neceſſariam complexionem & in eſſe poſſibili. *Ratio* omnium horum eſt, quia ſicut eorum, quæ jam facta ſupponuntur in Deo non ſit idea, quia facta quà facta nec factibilia ſunt nec facienda, ita nec eorum, quæ ex poſſibilium claſſe ad futuritionem extracta ſunt, quia ponere ideatum in eſſe reali actuali pendet à voluntate Artificis, ante cujus determinationem ideatum nequit ſibi vendicare tale eſſe exiſtentiale: atqui voluntas Artificis præſupponit repræſentationem idealem: ergo illa non habetur ab eſſe objectivo ipſiuſmet ideati exiſtentialis. Vide *Smiſing* Tract. 3. de Deo. d. 2. q. 7. num. 211. apud nos de hoc ſermo alibi recurrit.

Creatura non ſunt futura, quia praſciuntur, ſed quia per voluntatem

Dei ad futuritionem extrahuntur.

Eſſentia divina nō repræſentat complexionem eorum contingētem ut ratione idea.

QUAESTIO IV.

De diſtinctione & pluralitate idearum.

SUMMARIUM.

1. *Dantur in Deo plures idea realiter indiſtincta, & oppoſitum ſapit errorem* Wicleffi *& Hus. num.* 334.
2. *Ideas accipiendo pro eſſe objectivo creaturarum ab iiſdem creaturis extra cauſas poſitis & ab Eſſentia Divina diſtinguuntur realiter negativè ſive diſtinctione potentiali. n.* 336.
3. *Accipiendo ideas pro Divina Eſſentia ſola diſtinguuntur ratione ratiocinata, n.* 337. *& ſeqq.*
4. *Staudenhecht doctrina de ideis refutatur. num.* 338. *&* 339.
5. *S. Maximus noſtra opinioni non adverſatur. n.* 340.
6. *Cur in hoc aſſeranter juſtitia & miſericordia Dei formaliter ex natura rei diſtincta, cujus oppoſitum alibi docuimus, & quidem in diverſis locis. n.* 342.

333 HÆc eſt quæſtio in hac Controverſia principaliter intenta; quæ etſi brevior ſit, prolixas tamen, ut benè intelligeretur à nobis, peperit quæſtiones ſuperiores, hæc autem eſt illa, ad quam ſæpenumerò tam *hoc*, quàm *ſecundo Tomo* in diverſis locis ut *Controv.* 7. *Tom.* 2. q. 1. & *Controv.* 8. q. 5. agendo de opinione S. Thomæ & alibi, ubi occurrit quæſtio de diſtinctione idearum, me & lectorem ablegavi, nam ſemper ſuſpectam habui, quidquid ſit de mente S. Thomæ eam certitudinem diſtinctionis Scoticæ inter ideas Divinas acceptas pro ipſa Divina Eſſentia, vel aliquo increato illi realiter identificato, quam illis ſic acceptis tribuit Staudenhecht parte 2. *de Diſtinctionibus objectivis* c. 2. de diſtinctione objectiva in Divinis §. 4. Argumento 4. nu. 298. & ſeqq. dicens argumentum ab ideis Divinis eſſe unum ex ſolidiſſimis, cum Staudenhecht ſentit *Ricciolius* c. 19. de diſtinctionibus, & ante hos idem ut probabile tenuit noſter *Poncius* d. 5. q. 8. num. 41. in fine. Simpliciter autem idem tenet noſter Saxios Tomo, 1. Cataſtr. diſp. 14. q. 4. art. 2. concl. 2. n. 101.

Staudenhecht.

Ricciolius.

* * *
* *

ASSERTIO I.

Dantur in Deo plures ideæ, illas actu realiter & positivè in Deo distingui, nefas est.

334 PRima pars est communis Theologorum, esto sint in modo explicandi valde inter se dissiti: Probatur ex SS. PP. de ideis communiter in plurali numero loquentibus. Sic S. Augustinus q. 46. QQ. 83. *Quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? quod si rectè dici & credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita, neque eâdem ratione homo, qua equus, hoc enim absurdum est æstimare, singula ergo propriis creata sunt rationibus. Has autem rationes, ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris?*

335 *Proscribitur distinctio realis idearum.* Secunda pars patet; quia vel idea accipitur pro ipsa Divina Essentia, vel pro creatura possibili objectivè inexistente menti divinæ, sed neutro modo est earum distinctio realis actualis: non primo modo, ut statim assertione sequenti: neque secundo: quia creaturæ possibiles in Deo objectivè existentes non sunt in Deo realiter acta: ergo neque sic possent distingui. *Anteced.* prob. esse in Deo objectivè, non est in illo esse subjectivè, quale duntaxat reperitur realiter identificatum cum Deo, non esse objectivum, ut hæreticè *Wicleff* apud Valdensen Tom. 1. l. 1. art. 1. c. 1. num. 2. & ejus discipulus *Ioannes Hus* condemnatus in Concil. Constantiensi cùm his propositionibus: *Quodlibet est Deus, creatura est Deus*, & cæt. quæ si esse objectivum in Deo subjectivè esse diceretur, indubiè verificarentur; hinc dixi in assertione, *nefas esse*, ideas in Deo realiter distingui, cum realem creaturarum in Deo eò quod terminent scientiam simplicis intelligentiæ, arguerent existentiam, de quo recurret in decursu *Contrav. sequentis.*

ASSERTIO II.

Accipiendo ideas æternas pro creaturis, quatenus habent esse objectivum in mente Divina, inter se, id est, prout objicitur menti divinæ, & prout sub actu existentiali extra causæ suæ eminentiam constituitur & ab Essentia Divina, differunt realiter negativè seu distinctione reali potentiali.

336 HÆc Assertio quoad primam partem satis manet probata ex dictis supra q. 2. art. 3. *Assert.* 8. in probatione per solutionem argumentorum in oppositum *probatione* 1. ostendendo falsum esse, quod artefactum secundum esse objectivum non influat idealiter in effectionem ejusdem secundum esse reale. Prob. 2. Esse objectivum leoni, non est esse objectivum hominis, ergo illa inter se distinguuntur: sed non aliâ distinctione, quàm enti potentiali proportionata scilicet reali negativa, neque enim datur distinctio in actu & positivè nisi extrema distincta utrobique existant positivè, quæ sint entia actu existentia extra causas. Secunda pars patet evidenter illud esse possibile creaturarum ut est terminus simplicis intelligentiæ est quid condistinctum à Deo, ut statim in Assertione præcedenti aperuimus. Nec ulla de his esse potest realis difficultas. Sit itaque

*****

ASSERTIO III.

Etiam ideam accipiendo pro Essentia Divina sive ut subit munus cognitionis, sive ut est objectum creaturarum repræsentativum seu in quo omnia exprimuntur, adhuc plures ideæ in Deo admitti possunt & debent, nec realiter nec formaliter ex natura rei, sed sola ratione distinctæ.

357 HÆc est communis, & supponi debet ab omnibus iis, qui negant rationem idealem creaturæ possibili deferendam.

Prima pars consonat fidei, cum enim ipsa Essentia Divina statuatur habere rationem ideæ, & nulla sit in Deo distinctio realis, ubi non obviat relationis oppositio, qua fit ut sola 3. Personæ realiter in Divinis distinguuntur, evidens est, nec probatione eget, idearum in Deo distinctionem realem esse non posse.

Secunda pars, quæ est contra Auctores in Quæstionis initio citatos, probatur etiam. Distinctio nostra formalis infert extrema ex natura rei formaliter distincta, sed talis non cadit in Essentiam, quatenus est repræsentativa creaturarum: maj. habet veritatem præjudicatam. Min. prob. quia in Essentia Divina secundum rationem suam essentialem tot essent formalitates, quot essent creaturæ possibiles, quælibet enim illarum propriam sibi adsciscit in Deo ideam: sed hoc est non absque absurdo multiplicare formalitates in Deo sine ulla necessitate, imò quod amplius est, ipsa Essentia Dei, quatenus est repræsentativa Angeli esset ex natura rei formaliter à seipsa distincta, quatenus est repræsentativa leonis, & sic iterum distincta a seipsa ex natura rei, quatenus est repræsentativa lapidis, ecquis hoc concedet?

Essentia divina non admittit in se diversas formalitates, quæ subeant diversas rationum ideas.

358 Eadem pars probatur secundò: Idea est ipsa Essentia Divina, qua in ratione objecti infiniti repræsentat imitabilitatem ad extra, seu quod idem est, quatenus imitabilitas Essentiæ Divinæ est derivabilis in creaturas, secundùm quod Essentia est ratio, quæ illas proportionat & unit divino intellectui in esse intelligibili objectivo constituens illas actualiter in esse intentionaliter repræsentari: atqui ista ratio creaturarum intentionaliter in Deo expressiva, earumque cum divino intellectu in esse objectivo intelligibili unitiva, sive pro ipsa sumatur Essentia, sive pro cognitione divina est à parte rei unica indivisibilis formalitas repræsentans in seipsa quidditates ad extra factibiles syncategorematicè infinitas in seipsa intelligibiliter & dicto modo repræsentativè inclusas sibivè unitas: ergo non est divisa formaliter ex natura rei in plures formalitates. *Min. prob.* sumendo rationem ideæ formalis, quæ sit ipsa cognitio, nam licet *terminativè* & ex parte objecti secundarii ostendat plures in infinitum factibiles quidditates, est tamen actus per consensum repugnantiæ ad prædicata contradictoria simplicissimus, seu formaliter ex natura rei unicissimus aptus natus repræsentare objecta diversissima, hac ratione cognitio divina dicitur idea Angeli, quatenus exprimit Angelum; idea hominis, quatenus terminatur ad hominem, & sic per extensum sine fine. Loquendo autem de idea objectiva, quatenus hæc constituitur in ipsa Essentia Divina metaphysicè accepta, similiter de plano est, nullam esse distinctionem idearum intrinsecam, Essentia Divina namque comparata ad Angelum, quem objectivè repræsentat, censetur quidem extrinsecè & denominativè distingui à seipsa, ut est comparata ad leonem, seu ut est idea leonis, nullatenus verò intrinsecè in diversis formaliter ex natura rei formalitatibus, quidquid contendat *Staudenhecht*, qui l. c. n. 202. putat se *efficaciter* imò *evidenter* demonstrare oppositum; rationem autem, quam affert, fundat in S. Augustino dicente, quod *singula propriis condita sint rationibus, nec eadem ratione homo, qua equus* (*sunt*, inquit Staudenhecht dixit *August.* & non *tantum à nobis concipiuntur*) ergo hæc idearum diversitas, non est tantùm ex parte nostrorum conceptuum, neque ex parte connotatorum seu creaturarum ab ideis in obliquo & extrinsecè connotatarum, cum statim subdat *August.* has rationes (quas scilicet singulis creaturis *proprias* seu diversas significarat) *esse in ipsa mente Creatoris*, & paulò post: *Has rerum creandarum creatarumvè rationes in mente divina contineri: neque in divina mente, quidquam nisi æternum & incommutabile posse esse*, quibus omnibus significat ideas divinas earumque diversitatem vel pluralitatem se tenere ex parte ipsius Dei, non autem solùm creaturarum. Deinde num. 205. ait: illi diversi modi, quibus homo & equus imitantur Deum, fundantur in ipso Deo, derivanturque originaliter, & ut sic loquor fontaliter *ultimatè* quidem & *remotè* ab ipsa Divina Essentia, *proximè* verò & *quasi formaliter* à conceptibus formalibus divinis dictis imitabilitatis modos per vivacissimam expressionem, & ut sic dicam delineationem practicè & determinatè designantibus, & *inferius* si idea hominis in Deo & equi intrinsecè in seipsis nullam haberent diversitatem formalem & quidditativam inter se, certè fieri non posset, ut ab iis derivarentur diversi modi in homi-

Quomodo Essentia divina extrinsecè distinguatur à seipsa.

Staudenhecht.

hominem & equum---- quapropter sicut impossibile est, ut pictor aliquis per & secundum idem prorsus exemplar pingat duos homines planè dissimiles v. g. secundum ideam & conceptum formalem Europæi pingat Æthiopem europæo planè dissimilem; ita impossibile videtur Deum per & secundum idem prorsus formaliter exemplar formare, & in rerum natura producere hominem & equum tam dissimiles & essentialiter diversos. Ita ille. Sed parum Auctor ille hîc efficit contra nostram doctrinam, tum quia ut colligitur ex discursu, qua dicit ideas hominis & equi fundari ita in ipso Deo ut deriventur originaliter & quasi fontaliter *ultimatè* & cæt. ab ipsa Divina Essentia videtur supponere Deitatem habere rationem ideæ, ut nuda natura est, seu quatenus est causa æquivoca æquivocè seu imperfectè imitabilis à creatura, cujus contrarium ostendimus Q. præced. art. 2. sub Assert. 7. tum quidquid de hoc sit, esto discursus sit bonus, cum verum sit, diversos modos, quibus homo & equus, & omnis creatura imitantur Deum habeant ab Essentia Divina, adeoque non in connotatis præcisè sive in ideatis radicetur distinctio idearum sed in ipsa ratione ideali, quatenus ipsa Divina Essentia qua cognitio est causa pluralitatis rerum in cognito productarum, sive qua cognita est, ut diversimodè imitabilis, consequenter diversimodè comparata ad res creatas, ut possit concipi distinctio quædam & pluralitas rationibus intellectis cæterna, ut ex S. Thoma colligitur *de Verit.* q. 3. art. 2. *in corp. & ad 6. & n. 1.* contra Gentes c. 54 *circa finem.* Adeoque sit distinctio rationum intellectarum in Deo, secundum quod in mente divina comparante Essentiam suam ad res in infinitum multiplicabiles est propria diversorum ratio, quæ est scientia simplicis intelligentiæ ad illa diversa ad hominem, Angelum, lapidem, & infinitas alias creaturas terminata; hinc itaque fit quod pluralitas rationum idealium non causetur extrinsecè & à rebus ideatis vel connotatis, sed ut *Doctor Angelicus* cit. art. 2. ad 2. ab intellectu divino comparante Essentiam suam ad res illas creatas & diversissimas, vel ut Doctor *Subtilis* ab intellectu divino producente res in esse cognito & objectivo, atque in hoc sensu discursus illius Auctoris bonus est, sed *consequentia* nihil valet, ex hoc enim quod intellectus divinus Essentiam divinam sub absoluta essendi perfectione ad res creatas comparet, vel etiam illas in sua Essentia intelligendo producat in esse intelligibili, secundum quod objectivè & necessariò quælibet earum relucet in mente divina, vel ut loqui placet objectivè in Essentia Divina secundum propriam speciem & naturam ut idea muscæ ibi non sit idea formicæ, nec formicæ hominis, nec idea hominis Angeli, malè tamen infertur in uno simplicissimo actu singulis correspondere rationes pa[...]les formaliter ex natura rei distinctas cum [...]le n[...] minus ex seipso habeat formalitatem ide[...]iter effigiandi, discernendi, producendi unumquodque ideatum secundum proprias eorum iam rationes specificas, quàm individuales, quam habeat ex seipso formalitatem objectivam præsentandi, terminandive creaturas.

Ex his corruit argumentum, adeoque non est tam efficax, minus evidens, ut dictus *Auctor* existimat; *Respondes* tamen concedendo allatam & suprà à nobis approbatam Augustini auctoritatem, etiam quod sint & non concipiantur tantum pro nostro arbitrio in Deo, in mente divina, rationes ideales, æternæ, incommutabiles & cæt. quia est Dei Essentia, est in mente divina una ratio repræsentans omnes illas & intentionaliter exprimens, Angelum tamen aliter quam formicam, sicut aliter terminat Angeli speciem, aliter formicæ, & hinc in illa una ratione dicto modo ab intellectu divino comparata est fundamentum ideas concipiendi, ut formaliter multiplicabiles & per rationem ratiocinatam esse actu multiplicatas, ita ut fundamentalis duntaxat non rationis multiplicitas constituat essentialiter ideas, esto per hanc ut ait S. Thomas propter diversum respectum rationis denominative multiplicari dicantur, quatenus Essentia ut in fonte repræsentativa sub hujusmodi respectu concipi possit ad omnes repræsentatas.

Ex quibus patet ad S. Maximum in Scholiis c. 5. cit. Dionysii de Divin. Nom. in ubi, sic de ideis ait. at ipse archetypum est, id,, est, primum exemplar universi, & quæ in,, telligit, non accipit eorum species sive formas ab aliis, sed potius ipse est exemplar rerum quare nec ipse est in loco, neque quæ in ipso, tanquam in loco sunt, sed habet ea, ut seipsum habens, omnibus quidem simul existentibus & in impartibili in ipso existentibus. διακε[...] κριμένως δὲ ἐν τῷ ἀμερεῖ ἀμερῶς, id est, *distincta in impartibili impartibiliter*, quid est *distincta impartibiliter in impartibili* nisi distinctis per rationem, nimirum non ex natura rei [...] maliter minus realiter partibilibus? conformiter ad hæc accipienda sunt, quæ propo[...] inferius postquam dixit notionem Dei esse rerum quandam generationem, id est rationem idealem, secundum quam producibiles sunt, quod igitur, inquit, ipsis inest, est quædam species, hæc est idea, ipse verò cum sit totus intellectus, totus est scientia. ea tamen quæ subinfert is addit, videntur facere difficultatem ita enim subdit: ex ipso, & in ipso mentes quæ inexistunt, id est, ideæ, quæ scientiæ ipsius contemplationes repræsentant, sunt autem [...] καὶ διακεκριμέναι ἐν αὐτῷ *simul & distinctæ in ipso* ut multæ scientiæ simul & cæt. Verum per hoc nihil aliud innuit, nisi quod Deus sit omnium exemplar, ut dixerat superius, secundum quod sicut multis scientiis multa sciuntur, ita mente divinæ multa imò omnia objectivè repræsentantur, haud tamen omnia uno eodemque modo, sed aliter unum & iterum aliter aliud, aliter homo, aliter br[...]m, aliter aqua, aliter terra, qua ratione addit *Maximus*, ubi necesse fuerit, ideæ κατὰ μίαν, id est, *secundum* [...] operantur, quò manifeste elucet, quod [...]ut Essentia divina repræsentat & infinita objectivè

ctivè divinæ menti repræsentantur, ita illam ut quam simpliciter repræsentativa in multiplices quasi formas ratione nostra non à parte rei multiplicabilem esse juxta dicta.

341 *Hannibal Rossellus.* Ex quibus etiam patet tertia pars Assertionis, pro quo vide eximiæ eruditionis virum, nostrum *Hannibalem Rossellum* in suo *Pymandro* super *Mercurium Trismegistum* l. 1. Comm. 15. q. 5. c. 1. & præsertim *secundò* in responsione ad objectiones, ubi ostendit istos respectus multiplicantes formaliter ideas non esse objecta primo cognita, nec esse præcognitos creaturis adeoque quoad principale significatum, ac proinde esse unam duntaxat ideam solâ ratione cum fundamento in re plurificatam in multas.

342 *Objicies*: Hæc doctrina contradicit illi, quam docuimus Tom. 2. *Controv.* 1. q. 2. sub *assert.* 1 n. 31. p. 34. in responso ad secundam *objectionem* §. *ad secundum respondetur*, ubi expresse dicitur, quod divina fœcunditas ingrediatur ipsam Divinam Essentiam abstractissimè sumptam, prout est prima radix constitutiva Deitatis, imò ipsa sit prima fœcunditas, adeoque sequi necessariò essentiam qua talem, non esse conceptibilem, nisi qua est radicale & universale principium processionum ad intra & ad extra involvens ad sui conceptum perfectum infinitum essentiæ fœcunditatem, plenitudinem idearum formalium, multas continentias eminentiales, aliaque innumera lumina & cæt. Sed hoc responsum, quod erat contra obtensam identitatem formalem supponit multiplicitatem formalitatum in identitate reali, cum alioqui nihil respondere tur ad propositum: ergo vel malè hic docetur oppositum, vel quod ibi dicimus, hic contradicimus.

Respondeo Nos duplici responso ibidem obviare objectioni, unum est, quod ex propria mente conformiter ad nostram doctrinam datur. Secundum, ex quo trahitur hæc objectio est responsum ad hominem, ideò addidi, *plenitudinem formarum idealium, quas ut sic loco D. Thomas distinguit* ex mente multorum Doctorum extra nostram Scholam, uti innuimus eodem Tom. 2. Controv. 8. q. 5. ubi de doctrina & mente D. Thomæ egimus. Deinde cum ibi accipiamus Essentiam Dei metaphysicè pro radice Deitatis, non ut sumitur Controv. 9. hujus Tomi. q. 8. pro ultima ratione constitutiva Dei. & quæ reliqua prædicata Dei illi propria ac ab ente creato alienat, neque ita capitur in objectione, sed pro radice Deitatis metaphysicè secundum omnia sua essentialia completa, ut est illud ex quo velut radice profluunt Attributa Divina, serviet hoc secundum responsum illis Scotistis, qui prædicata Dei essentialia & ideas Divinas formaliter ex natura rei autumant distingui, de quo apud nos, quando illum Tomum scripsimus, supra citatum hunc primum, nihil adhuc erat determinatum, sicut nec de virtutibus moralibus in Deo justitia scilicet & misericordia, quales in hoc Tomo, Controv. 10. q. 3. Assert. 1. & Controv. 12. q. 4. Assert. 2. ut & prædicata Dei essentialia Controv. 9. 4. 8. assert. 1. sustinemus esse probabilissimè formaliter ex natura rei indistincta, unde, quando alicubi hoc vel secundo Tomo assumimus misericordiam & justitiam & cæt. ad probandam distinctionem formalem, id procedit potissimum ex mente aliorum Scotistarum, quorum opinio non caret probabilitate, estque liberum de hac tenere, quod placuerit, ut ostensum est Controv. 12. q. 4. n. 216. & 218. ubi hujus rationem vide.

CONTROVERSIA DECIMA-QUARTA.

DE

Distinctione scientiæ simplicis intelligentiæ & scientiæ visionis.

HÆc Controversia modicam, imò si benè intelligatur discrimen scientiæ simplicis intelligentiæ à scientia visionis, nullam habet difficultatem, maximam autem habent illa, quæ utramque scientiam concomitantur & circumstant, quorum tractatio etsi non spectet ad hujus Operis institutum, in gratiam tamen eorum, qui desiderant à me compleri ea, quæ spectant ad intellectum & scientiam Divinam, occasione materiæ, peculiares quasdam de his cum communi & velut adscititias instituemus Controversias, quibus expeditis, deinde ad hanc decimam quartam pro Operis complemento dabimus responsum & resolutionem.

CONTROVERSIA DECIMA-QUINTA.

DE

Scientia simplicis intelligentiæ.

Vbi

Quidnam sit ens possibile terminans Divinam simplicis intelligentiæ scientiam.

SUMMARIUM.

1. *Vnde trahatur possibilitas entis. q. 1.*
2. *An creaturæ ab æterno sub statu possibilitatis dicant aliquod verum esse, idque sit essentialiter quid positivum vel negativum, quidve importent in recto quid in obliquo. q. 2.*
3. *An Scotistæ q. 1. a 2. cit. a n. 359. usque ad 362. ex Subtili Doctore rectè argumententur contra doctrinam superiorem q. 1. a 1. asse. 1. & 2. propositam. q. 3.*
4. *Quid solidi afferant Auctores primæ classis cit. q. 1. a 4. n. 362. & seq. contra doctrinam nostram in eadem q. 1. a 1. Asser. 1. & 2. assertam, ubi, an aut possibile pendeat à potentia Dei, aut sit tam necessarium & independens ac ipse Deus. q. 4.*
5. *Discutitur quid denique comportent Auctores in quæst secunda classis citati q. 1. a 4. n 365. contra doctrinam ibi a. 1. Asse. 1. & 2. datam, ubi an possibile logicum pendeat à Deo in genere causæ exemplaris. q 5.*
6. *An creatura possibilis sit quid medium inter ens reale & rationis, ubi brevis occurrit relectio super doctrina* Poncii & Mastrii *Scotistarum Recentiorum de ente possibili. q 6.*

Quid sit esse creaturarum possibilium, ex hoc capite tractandum suscipio, eo quod nonnulli ex Recentioribus obtrudant Scotistis, quod quidem multa dicant de ente quodam diminuto, quod sit ens possibile ab æterno productum a Deo non per omnipotentiam suam, quæ solum terminatur ad ens reale & actuale, sed per intellectum, ex quo illud diminutum per metaphysicam quandam sequelam resultet, verùm quia iidem Scotistæ per illud esse diminutum intelligunt tantummodo esse cognitum ab æterno, consistens in denominatione extrinseca à cognitione divina, sicut esse amatum vel visum in denominatione extrinseca à visione vel amore uti explicant *Scotum Smising Tract.* 3. d. 2. q. 3 sub finem. *Brinzenno* Contov. 12. *In Appendice de Ideis. Philippus Faber, Angelus, Vulpes, Poncius* & alii, ubi de hoc ente diminuto tractant, hinc iisdem objiciunt, quod in rem præsentem nihil aliud afferant, quàm possibilia ab æterno cognosci à Deo, de quo non est Controversia, sed quidnam illud sit, ad quod divina cognitio terminatur ab æterno, & a quo propositiones habeant esse æternæ veritatis cujus resolutio, an à Scotistis inexpensa relinquatur, ut de illis ait *Veken* disp. 17. c. 3. n 10. ostendemus in sequentibus, præsertim quia hujus inquisitio est quasi continuatio materiæ, de Ideis de quibus egimus Contrnv. 13. Cùm enim *Scotus* dicat creaturam possibilem obire munus ideale in mente divina, pro complemento illius doctrinæ hæc Controversia hic fuit attexenda, de tali esse possibili, sitnè quid positivum vel negativum, & licet Metaphysicam redolere prima fronte videatur, attamen ad hanc ipsam doctrinam & plurimas alias & maximas Theologiæ difficultates reserandas multum affert luminis. Ut autem in hac re quæ est implexa multis difficultatibus clarè procedamus, in prima quæstione generatim astruemus unde trahatur possibilitas. In 2da an dicat quid actuale ab æterno. In 3tia & 4ta & 5ta ea, quæ generatim asserta sunt in quæst. prima, revocabuntur ad trutinam, & argumenta in oppositum discutientur, cum ultimata resolutione quid in *Scoti* doctrina de possibilitate rerum sit tenendum.

QVÆSTIO

QVAESTIO I.

Vnde trahatur possibilitas entis?

SVMMARIVM.

1. *Possibile logicum, per quid distinguatur ab impossibili n. 346.*
2. *Logici possibilis à physico quale discrimen. n. 347.*
3. *Ens possibile accipit ab intellectu divino esse productum. in esse cognito. n. 35. & seq: Quid sit esse cognitum. ibidem.*
4. *Cur solus intellectus divinus conferat esse cognitum rebus. n. 252. & n. 413. q. 3.*
5. *Intellectus non confert Creaturis possibilitatem logicam. 354. & seq.*
6. *Possibilitas logica esset quamvis nullus daretur intellectus. n. 355. & 357. & seq:*
7. *Scotistarum argumenta nostra doctrinæ opposita à n. 359. usque ad n. 362.*
8. *Argumenta externorum contra eandem doctrinam. n. 362. 363. 364. & 365.*

344 *Potentia duplex.* SIcut non accipitur ab omnibus pro eodem, quod Scotistæ exprimunt per ens possibile, per esse diminutum, vel per creaturas secundum esse cognitum, quæ haud in idem recidunt, ita quia Auctores nonnulli *Scoti* mentem assecuti non sunt, vel locos Scoti non inspexerunt in fronte non rectè illum intelligentes, imperitè illum interpretantur, quasi dixerit illud esse diminutum ex mente *Subtilis* per divinum intellectum produci ab æterno, & transire in quidpiam actuale & existens, à quâ calumnia jam dudum non solum Scotistæ Magistrum suum; sed & plures alii extra scholam Scoti, ut subinferius in decursu dicetur, exemerunt, sed dum *Scoto* elucidando incumbunt Scotistæ, singulique suum roborant sententiam, ut videre est apud *Mastrium* & *Poncium* Scotistas alioquin doctissimos, longissimarum nectunt corymbos altercationum, in quibus, cùm omnes fermè difficultates præsentis Quæstionis attingunt, eas hic, ut Lector, quis eorum & veritati & Scoto conformius loquatur, judicare possit, ad trutinam revocare lubet, pro occasione tamen materiæ, in qua tali methodo procedemus, ut res de ente hoc diminuto, de ente possibili, quæ est alioqui satis difficilis, distinctè & perspicuè intelligatur. sit

ARTICVLVS I.

An possibilitas entis dependeat ab aliquo principio extrinseco?

345 PRænotandum ex *Scoto* 1. d. 36. ens dividi in ens in anima & ens extra animam, illudque extra animam ulterius dividi in ens actuale, sive quod est in actu, & in ens possibile, sive quod est in potentia, de quo in præsenti. Dupliciter autem aliquid dicitur ens in potentia, semel in potentia logica, & semel in potentia objectiva vel ut alii loquuntur potentia physica, ut alii loquuntur cum *Aureolo* 1. d. 42. in 2. par. distinctionis art. 3. §. *Restat autem hic dicere*, pro intellectu differentiæ inter hanc & illam.

Quid possibile logicum?

346 PRænotandum secundo: Possibile logicum apud Mastrium d. 8. met. a. 3. n. 33. *Vekenum* d. 17. c. 3. n. 17. Sichen in sua Metaphys. d. 2. q. 3. n. 22. dici illud, quod (esto *Baro* Apol. 7. *Met.* Act. 2. n. 6. contradicat illi explicationi, quid secundum nos de hoc sentiendum; vide infra q. 2. art. 1. §. 2. à n. 388. usque ad §. 3.) quod non involvat contradictionem, si actu ponatur in esse actuali, in quo inquit *Veken* velut distinctionis symbolo ens possibile differt ab impossibili, quod nimirum duplicem infert negationem; una est, quam ens possibile & impossibile communem habent, quod neutrum existat actu. Secunda, & soli competit impossibili, est, quod ipsi repugnet existere, cui opponitur negatio non repugnantiæ ad existendum, quæ est ipsa possibilis entis possibilitas, qualiter autem, cùm non detur negatio negationis, neque uni negativo immediatè valeat opponi aliud negativum, esto illa non repugnantia explicetur per negationem, imò consistit exercitè in negatione, adhuc concernat connotetque entitatem positivam, ratione cujus secundæ isti negationi velut quid positivum contradictoriè opponatur, in decursu quæstionis patebit. Vide n. 398. q. 2.

Quid

Quid possibile objectivum seu physicum?

347 POssibile objectivum seu physicum supra possibilitatem logicam seu non repugnantiam ad existendum addit virtualem inclusionem effectus intra eminentiam Dei, sive in potentia Dei connotante esse physicum effectus, quod est objectum physicæ productionis, quo pacto à Scoto 1. d. 36. q. *un.* §. Ita in proposito, n. 14. appellatur possibile objectivum, nimirum quia esse physicum effectus est objectum & terminus potentiæ divinæ ad extra, quale nequit esse possibile logicum importans meram negationem non repugnantiæ ad essendum. Itaque disparitas inter possibile logicum & objectivum hæc est, quod possibilitas logica non imbibat virtualem inclusionem esse positivi effectus, intra eminentiam causæ, sicut possibilitas objectiva vel physica, his præsuppositis

Prima est apud Scotistas celebris opinio, intellectum divinum esse principium conferens possibilitati rerum aliquod esse ab æterno, quæ tribuitur *Scoto* in diversis locis, in aliis locis econtra eruitur oppositum, ut si rationes Doctoris in primis locis maturè conferantur cum rationibus ejusdem apparenter oppositis, & apud illum in aliis locis omninò convincetur ex illo, quod accipiant possibilia à Deo aliquod esse ab æterno, & tamen non accipiant possibilitatem. *Opinio quorundam ex schola Scoti.*

Quid juxta doctrinam *Scoti* ens possibile accipiat ab intellectu divino.

348 *Opinio Scotistarum variat & cur?* HIc cum Scotistis agendum, qui ens possibile possibilitatem accipere ab intellectu divino tenent propter manifestos textus Scoti 1. d. 43. q. unica. §. *Aliter dico à prima sententia*, n. 5. ubi docere videtur, quod non repugnantia ad existendum, quæ est ipsa possibilitas conveniat enti possibili in secundo instanti naturæ, postquam in primo jam intellectus divinus produxisset. Item in 2. d. 1. q. 1. §. *Stando igitur præcisè in primo instanti naturæ.* n. 14. expressè habet, quod ideò Verbum non procedat ex dictione intelligibili creaturarum, quia creaturæ pro illo instanti, quo Pater generat, nullum habent esse intelligibile proprium, quousque in signo posteriori intellectus divini operatio illi conferat esse Intelligibile proprium & formale. proprium *Scoti* textum cum genuina illius explicatione dabimus infra. Sit

ASSERTIO I.

Intellectus divinus confert enti possibili aliquod esse ab æterno, quod nihil est aliud, quàm esse productum in *esse cognito.*

349 HÆc Assertio digladiantes Scotistas reducit ad pacem, Scotique textus ad germanam Doctoris intentionem, quod quando inibi asserit intellectum divinum efficere creaturas in esse possibili, nihil aliud productionis nomine intellexerit, quam productionem in genere declarativo, per quam accipiat creatura possibilis esse intelligibile, seu obtineat & inducat per productionem illam esse positivum in ratione objecti, seu esse objectivum, esse objectivè expressum ab æterno in mente Dei.

Quid sit esse cognitum ab æterno in mente divina?

350 PRobatur Manifestatio & repræsentatio per intellectum divinum, est quædam productio creaturæ in ratione intelligibilis; ergo illa rectè dici potest quoddam ab intellectu productum in esse intellecto seu esse cognito. prob. *anteced.* creaturas possibiles antecedenter nullibi apparebant, nullibi extabant, latebant in Essentia, accessit intellectus & eas apprehendendo quasi extudit, ut fiant extantes, & ex esse incognito, fiunt cognitæ & manifestæ, è nubilo ponantur in intelligibili perspicuo, & quæ prius erant latentes inter Divinæ Essentiæ lumina, quodammodo arte & sapientia divina foras extrahuntur, excitantur, ut appareant productæ in medium per operationem Dei cognitivam: ergo illa est quædam productio, & creaturæ possibiles aptæ dicuntur esse quoddam productum ab æterno à mente divina in esse intelligibili, in esse cognito. *conseq.* prob. & *Assertio*

351 *Productio in esse cognito declaratur.* Probatur secundò. Hæc productio declarativa entis possibilis analogicè constitui potest cum productione physica & ad esse actuale terminata: *ergo* terminus productionis declarativæ per analogiam quandam ad productum physicum aptè dicitur productum in esse cognito: *anteced. prob.* ideò verè est productio physica, quia producit rem in esse physico & existen-

existentiali secundum omnia sua prædicata & requ... a ita ut aliter fieri non possit atqui in hac productio declarativa prædicata entium po... bi... m nullibi ante apparentia jam quasi p... o invenit inveniendo manifestat eadem i... prædicata pro omni statu & semper, etiam ex... statum possibilitatis essentialiter cong... ere, ita ut alia prædicata prætereo, quæ h... arentia sunt, illis coaptari non possint: e... beamus veram aliquam produ... ... possibilium in esse intelligibili, quis i... ibit dari productum ab æterno rerum in e... e ... io? de quo Macedo Collat. 9. diff. 2. sect. ... in lu... ait In Scoti sententia divin... intellectus cognita Essentia, ut objecto ... mario cognoscit creaturas uti objectum secundarium excitans illas & extundens, ... bendo iis esse cognitum & expressum, ... tum eminenter & virtualiter sint in Essen... a, & part... tit quodammodo dans illis esse ... intelligibile. & mox. in ea, puta, Essentia Divina, & per eam vivunt, luceat & æternant. Quid subtilius illo esse cognito? quid ... geni... ... bus, illo esse producto? quid acu... tius ... esse diminuto? Nova hæc sunt & ... ante Scotum vix in Scholis nota, omnia „ erant communia, omnia vulgaria. Bona „ quidem ... sed non tuta; sed non subtilia; soli... da, sed non acuta. accessit *Scotus* & divino ... suo ingenio addidit bonis admirationem, tu„ tis subtilitatem, aptis splendorem, solidis „ acumen. Extulit, quæ jacebant, protu... lit, quæ latebant; illuminavit, quæ caligabant, & ad imitationem intellectus divi„ ni quires, quæ virtualiter tantum erant in „ ... entia, excitavit & declaravit, & ad esse „ cognitum produxit *Scotus* subtilissimo suo „ ingenio quæ intra sinus Theologiæ recon„ ditos occultabantur, eruit, protulit, illu„ stravit, & ad usum scholasticum exercitii„ umque reduxit. ita ille. Contra quæ ta„ men

154 Dices Illa productio declarativa nihil dicit præter intellectus apprehendentis tendentiam in objectum, sed illa nequit vocari productio passiva rei in esse cognito & intel... gi... li, cùm alioqui quilibet intellectus, du... tendit in objectum, illud formaret in esse intelligibili, ut v. g. beatus apprehendendo quidditativè Deum, produceret Deum in esse c... g... ito.

R... permittendo maj. neg. min. ad ejus probationem nego sequelam, non enim qualibet tendentia intellectus in objectum, vocari potest productio entis in esse intelligibili, sed ea solum, quæ tali objectum, quasi ex fuga & nihilo sui ipsius in esse objecti, ad esse objecti & primum confert esse objectivi, eo prorsus modo, quo ens rationis, quando efficitur ab intellectu creato, induit positivam illam rationem analogiam entis, quam non præseferebat ante terminationem intellectus in illud, non quidem quod intellectus conserat etiam enti possibili possibilitatem, cujus oppositum mox infra statuetur, sed quod ens possibile, quod ante tendentiam divini intellectus erat sola non repugnantia ad essendum, accedente terminatione ejusdem intellectus ad ens possibile accipiat esse objectivum, & primum cognitum esse, atqui sic accipit productum esse cogniti, sicut quia Adam omni animæ viventi nomen imposuit dici posset ex nihilo nomenclaturæ animalium produxisse animalia in primo esse nominabili & grammaticali, quando primus adjunxit & singulis nomina imposuit in paradiso. Gen. 2. *Omne quod vocavit Adam anima viventis* quæ antea anonyma existebant) *ipsum est nomen ejus.* Sed esto succedanei Adam eisdem nominibus vocant animalia, non tamen jam producunt illa primò quasi in esse nominabili, ut patet: ergo neque intellectus creatus tendendo nunc creaturam possibilem. Vide ad hoc argumentum, quæ dicuntur infra q. 3. sub *Assert.* 2. n. 413 q. 3.

Cur intellectus Dei duntaxat rebus conferat esse cognitum?

155 Confirmatur, & tertiò probatur *Assertio*: Voluntas divina producit creaturas in esse volito: ergo & intellectus in esse cognito: antecedens prob. ex *Scoto* 1. d. 39. q. unica. §. *Quantum ad primum dico.* n. 21. ubi sic de voluntatis operatione ait: *licet productio in esse existentiæ non concomitetur necessariò operationem ejus* & cæt. *tamen necessariò* comitatur productio in esse volito, subaudi, dum eam determinat vel objectivè immutat ad futuritionem, *& tunc* (pergit Doctor) *non potest potentia illa Voluntatis divinæ primò quidem esse ut productiva, sed secundum quid scilicet in esse volito.* ita Scotus. ergo si voluntas creaturas producit in esse volito, nullum relinquitur dubium, quin easdem producat intellectus in esse cognito, quatenus illa productio intellectum concomitatur, ut operativus est, ut ibi de Voluntate ait Doctor: *& ista comitatur eam*, puta Voluntatem, *ut operativa* & cæt.

Voluntas divina producit creaturas in esse volito.

***
**

ASSERTIO II.

Intellectus divinus nullo modo confert creaturis possibilibus logicam possibilitatem, quasi illa primo effluat quo ad formale significatum suum ab intellectu operativo Dei.

354 *Lychetus. Smising. Brinzenno. Baro. Meurisse. Rhadas. Vulpes.* Hanc ex Scotistis tenent *Lychetus*, in Comm. in 1. d. 43. q. un. sub § *Nunc Doctor declarat opinionem propriam. Smising* Tract. 3. d. 7. de potentia Dei. q. 3. n. 46. ostendens Scotum alias sibi contradicere, cum dicat creaturas esse possibiles formaliter ex seipsis, adeoque Doctorem non eo sensu dixisse, quod rerum possibilitas principiativè sumatur ab intellectu divino, quasi Deus cognoscendo rerum possibilitatem faciat esse possibiles, cùm constet prius rem esse veram, quàm verè concipi etiam respectu intellectus divini. Eandem tenet *Brinzenno* Tom. 2. Controv. 12. in Appendice de Ideis. art. 1. n. 29. & seqq. & art. 2. per totum. *Canonicus* 1. Physic. q. 9. art. 1. ubi ait, quod nulla res in potentia objectiva dicit aliquam entitatem, sed sit purum nihil. *Meurisse* l. 2. suæ Metaph. c. 3. part. 6. q. 1, ostendens ex Scoto ens in potentia ad mentem Doctoris 1. d. 36. & 5. Metaph. c. 7. non posse dici simpliciter ens, quia illa particula, *in potentia*, est distractiva, potentia enim distrahit ab ente simpliciter. Idem denique docet Baro in sua Metaph. Apoc. 7. Act. 1. n. 6. Vulpes & alii Scotistæ. Est autem contra Tataretum 1. d. 43. q. 1. Rhadam 1. part. Controv. 11. art. 2. §. *Septimò nota.* Albertinum Tomo 2. suorum Corollariorum in prædicam. Substantiæ *Mastrius.* d. 1. q. 1. sect. 2. *Mastrium* disp. 3. de divino intellectu. q. 2. art. 2. & disp. 8. Metaphysicæ suæ. q. 1. art. 2. n. 19. tenens quod esse cognitum à divino intellectu rebus tributum sit omninò primum earum esse formale, ante quod nullum est prius, per quod res formaliter esse dicatur, & hac ratione ibi concludit illud esse cognitum competere enti possibili, non per denominationem extrinsecam, sed per intrinsecam potius, eo modo, quo intellectus noster enti rationis & secundis intentionibus tribuit, non quod est illis extrinsecum per denominationem extrinsecam, quæ rem supponere solet, cui advenit in proprio esse, sed est eis intrinsecum & formale, licet secundum quid & diminutum; ita cognitum esse, in quo producuntur creaturæ à Deo est intrinsecum, & formale ipsis creaturis, licet diminutum & secundum quid. Ex quibus elucet, quæ Mastrii ad propositum sit opinio, de qua pluribus infra.

355 Contra quam & Rhadam aliosque Scotistas, qui cum illis sentiunt, probatur *Assertio*, quæ imprimis concordat Doctori Subtili, cui est conformis in diversis locis, primò distinctè idem 1. d. 43. q. unica asserit §. *Quantum autem ad impossibilitatem.* n. 6. ostendens impossibilitatem entis non esse ex Deo. *Nec etiam entitatis opposita talis non entitatis est,* inquit, *intellectus divinus ratio possibilitatis; nec etiam intellectus divinus est præcisa ratio possibilitatis opposita nihilo, qui tunc teneret illud argumentum de causis præcisis in affirmatione & & negatione.* Deinde eam expressè innuit 1. d. 36. q. unica. n. 14. dicens. *Et istam possibilitatem consequitur possibilitas objectiva, & hoc supposito omnipotentia Dei, quæ respicit omne possibile, dummodo sit aliud à se. Tamen illa possibilitas logica absolutè ratione sui posset stare, licet per impossibile nulla potentia eam respiceret.* & 1. d. 7. unica. §. *Ad quæstionem igitur respondeo.* n. 7. ubi sic scribit *Sufficit sola non repugnantia terminorum; sicut si ante mundi creationem mundus non solum non fuisset, sed per impossibile Deus non fuisset & incepisset à se esse, & tum fuisset potens creare mundum, si fuisset intellectus aliquis ante mundi creationem componens hanc: mundus erit, hæc fuisset possibilis, quia termini non repugnarent, non tamen propter aliquod principium in re possibili, nec propter activum sibi correspondens.* Subdit immediatè: *Nec etiam modo illa, Mundus erit, fuit possibilis formaliter, loquendo de potentia Dei, sed potentia, quæ erat non repugnantia istorum terminorum, quia isti termini non repugnarent, licet istam non repugnantiam concomitaretur potentia activa respectu hujus possibilis.* Ex quibus perspicuè patet, quod sit de mente *Scoti*, *Scotus.* & amplius patebit subinferius, inspiciendo ea loca, quibus multi facti sunt dubitantii de mente *Scoti*, & in oppositum abeuntes, signanter quia ipsius *Scoti* discipuli veteres ut *Aureolus* 1. d. 42. art. 3. §. Sed hic modus dicendi. & *Occam* 1. d. 43. q. 2. ita *Scotum* intellexerunt, idcoque acerrimè impugnarunt, *Occam.* ut res videri possit omnino non carere difficultate, quo ad mentem *Scoti*.

Interim probatur Assertio ratione nostri 356 *Occami.* cit. non enim est *Rubionis*, ut vult *Possibilitas logica, quo ad suum significatum formale non effluit ab intellectu divino.* *Mastrius.* In illo instanti, quo Deus operatur circa creaturam possibilem, vel invenit illam actu possibilem, vel non; si primum, habetur intentum; si secundum, semper relinquet illam impossibilem, quod enim semel est impossibile & repugnans, semper repugnat, alioquin intellectus divinus facere posset, ut impossibilis hæc complexio, *homo est irrationalis*, esset possibilis, quod est absurdum, ergo dicendum, quod hi termini, idem est

est de omnibus aliis possibilibus, *homo rationalis* pro illo instanti, quo Deus cognoscit & operatur circa illos, inveniat revera non repugnantes, ergo illam non repugnantiam, in qua consistit logica possibilitas, non habent creaturæ possibiles ab intellectu divino, & hoc est quod dicebat Doctor supra 1. d. 36 q. unica. n. 4. *Possibilitas logica absolutè ratione sui posset stare licet per impossibile nulla potentia eam respiceret* nec est verisimile, si benè *Scoti* textus perpendantur & inter se conferantur, quod velit creaturam possibilem ab intellectu divino in esse possibili logico produci & non potius haberi ab ipsa intrinseca non repugnantia ad essendum, seu à quidditativis rerum conceptibus, à quibus non potest non trahi. Et patet ex *Bargio*, qui inter alia responsa hoc affert, pro illo instanti dari possibile logicum, estque id, quod intendimus, non autem objectivum, quod neque nos dicimus; & ideò *Mastrius* d. 8. *Met.* q. . a. 3. n. 41. rejecto *Bargio* respondet creaturam possibilem nec habere esse formale proprium nec possibile, nec intelligibile, sed habere duntaxat virtualiter & radicaliter in divina Essentia ob ejus virtualem continentiam sed hæc responsio planè non subsistit, possibile enim, ut concipitur in ordine ad continentiam eminentialem Essentiæ Divinæ, est ipsum possibile objectivum, quia hoc dici talem inclusionem in continentia Essentiæ Divinæ virtualem, & hac ratione possibile objectivum anteverteret possibile logicum, quod est falsum, etiam penes *Mastrium* l. c. n. 29. circa finem. Deinde argumentum non procedit de rerum esse virtualiter in Essentia contento, quod est nō quid possibile, sed actuale, imò ipsa Essentia vel omnipotentia, sed de possibili rerum quo ad esse proprium ac distinctum ab esse causæ, ut ibidem fatetur *Mastrius*, & suo se jugulat gladio; ergo nihil prorsus respondet ad argumentum. 356

Alias rationes videre licet apud *Poncium* in sua Metaph. d. 69. q. 5 concl. . n. 53. ad quas respondet *Mastrius*, sed an illas evacuaverit, judicet Lector. infra q. 3. sub responsis ad objectiones contra hanc & tertiam Assertionem, ubi Assertio tam hæc, quàm sequens amplius stabiliuntur.

A quonam itaque possibile logicum sit auspicandum?

ASSERTIO III.

Quidquid illud sit, quod possibile logicum sibi vendicat in recto & in actu exercito, id ex suipsius propria ratione formali ita sibi vendicat, ut semota comparatione ad quodcunque primum principium, imò data per impossibile primæ causæ implicantia, creaturæ possibilitas suum quod habet esse, ratum maneret & inablatum.

357 Est conformis *Scoto*, & probatur ex iis, quæ supra sub n. 355. ex ipso adducta sunt, quòd si ante mundi creationem, non solum mundus non fuisset, sed neque per impossibile esse Deus, fuisset tamen intellectus componens hanc propositionem: Mundus erit; hæc fuisset possibilis, quia termini non repugnarent.

Probatur *secundò* ex dato supra discrimine inter possibilitatem objectivam & logicam, quod possibilitas logica antecedat principium Dei relatè acceptum, sive ut est continens virtualiter esse physicum effectus producendi, in ordine ad quod concipitur possibilitas objectiva quæ præsupponit logicam, res enim prius logicè est possibilis, quàm possibilis objectivè.

Logica possibilitas nō pēdet à principio extrinseco.

Probatur iterum & *tertiò* ex Doctore cit. 1. d. 36. q. unica. n. 14. sic ajente: *Nec hoc est fingendum, quod homini non repugnat, quia est ens in potentia, & chymera repugnat, quia non est ens in potentia, imò magis è converso, quia homini non repugnat, ideò possibile est potentia logica, & quia chymera repugnat, ideò est impossibile impossibilitate opposita*, ubi Doctor velut à priori ostendit possibilitatem illam non esse desumendam à potentia, sed ex rationibus formalibus non repugnantiæ ipsorum possibilium, sive in re realiter, qualis possibilitas est in Deo, sive præsuppositivè & independenter à qualibet potentia & causa extrinseca, adeoque & in ordine ad intellectum divinum, qualis competit creaturis ex propria ratione formali earum independenter à potentia Dei, vel a qualibet causa extrinseca, quantum est absolutè ratione sui, ut si per impossibile nulla causa efficiens existeret, non absumeretur logica possibilitas; hinc subdit ibi Doctor: *Et istam possibilitatem*, puta logicam, *consequitur possibilitas objectiva*, & hoc supposito omnipotentia Dei, quæ respicit omne possibile. Tamen illa possibilitas logica absolutè ratione sui posset stare, licet per impossibile nulla potentia eam respiceret. Vide plura de hoc q. 3. hujus *Controversiæ* per totum.

358 Ex quibus patet, quòd Assertio Doctoris Subtilis referat doctrinam, quam ut solidemus amplius, producemus quidquid illi adversum adducunt opponentes, qui sunt in duplici differentia. Alii namque sunt domestici, scilicet ipsi Scotistæ, qui admittunt Assertionem quidem, quæ possibilitatem logicam ab Omnipotentia Dei independentem facit, secus quæ illam extrahit à productione intellectus, licet enim, ut inquit *Mastrius* l. c. & art. 3. n. 36. creaturæ possibiles intrinsecè & formaliter sint ex seipsis, extrinsecè tamen & principiativè sunt ab intellectu divino, idque contra *Poncium* probare conatus est ibi art. 2. n. 14. & 15. sed an rectè, ut promisi, sub n. 344 inferius videbitur q. 6. Et alii, qui nostram doctrinam infestant, eamque duplici via sunt extra scholam Scoti, Nam aliqui eorum contra illum in eo vim figunt, quòd putent Omnipotentiam esse connexam eum possibilitate entis, adeoque à fortiori censent possibilitatem connecti cum potentia in genere causæ efficientis. Alii econtra vim ponunt in eo, quia censent ens possibile pendere à Deo, non quidem in genere causæ efficientis, sed in genere causæ exemplaris.

Ecce quantum bellum Doctorem de recessis possibilium, hi tamen reculæ sint, & non putum & putum nihil. Hic audiemus, & postmodum retundemus singulos in suo ordine.

ARTICVLVS II.

In quo

Nonnulli Scotistæ Assertionem secundam & tertiam adoriuntur, quâ dicit possibilitatem logicam in actu exercito ab intellectu divino nec primò nec activè auspicandum esse.

359 *Scotus objicitur contra allatam doctrinam.* SAnè haud videmus inermes Scotistæ, qui ex ipso Scoto assertioni nostræ litem inferunt. *Primo* 1. d. 43. q. unica. §. *Sed istam primam sententiam arguo primo.* n. 3. ita habet: *Potentia divina, qua Deus dicitur Omnipotens, non est formaliter intellectus divinus, sed quasi præsupponit actionem intellectus, sive illa potentia sit Voluntas, sive alia potentia executiva, sed lapis est possibilis ex se formaliter. Ergo reducendo quasi ad primum principium intrinsecum, intellectus divinus erit illud, à quo est prima ratio possibilitatis in lapide; non igitur illa potentia activa, à qua Deus dicitur omnipotens, est prima ratio possibilitatis in lapide.* & mox: *lapis productus in esse possibili per intellectum divinum habet ista ex se formaliter & quasi principiative per intellectum; igitur est ex se formaliter possibilis, & quasi principiative per intellectum divinum.* Quæ omnia possibilitatem entis attribuunt intellectui, & idem amplius Doctor ibidem n. 5. §. *Alter dico in prima sententia.* innuit in his: *per omnipotentiam sub ratione, qua est omnipotentia, non habet objectum, quod sit primo possibile, sed per intellectum divinum producentem in primo instanti illud in esse intelligibili. Et intellectus non est formaliter potentia activa, qua Deus dicitur formaliter omnipotens, & tunc res producta ab intellectu divino in esse tali, scilicet intelligibili, in primo instanti naturæ, habet seipsa esse possibile in secundo instanti naturæ, quia ipsa formaliter non repugnat sibi esse, & quia ipsa formaliter repugnat sibi habere necessarium esse, ex quibus duabus stat tota ratio possibilis, in quibus correspondet rationibus potentia activa.* & subinfertur: *si tamen res intelligatur esse possibilis, antequam Deus per omnipotentiam producat eam, sic est verum. sed in illa possibilitate non est simpliciter prior, sed producitur ab intellectu divino.* *Scotus.*

Ex quibus palam habetur, quod non repugnantia vel possibilitas rerum illis congruat formaliter in secundo instanti naturæ, postquam divinus intellectus illam produxisset in primo instanti, ergo non erat ens possibile ante illud instans primum, in quo circa illud intellectus incipit esse operativus & fieri principium. *Applicatio textus contra datas assertiones.*

Confirmatur ex aliis Scoti verbis ibidem dicentis: Non est igitur possibilitas in objecto aliquo modo prior, quam sit omnipotentia in Deo, accipiendo omnipotentiam pro perfectione absoluta in Deo, sicut nec creatura est prior aliquo absoluto in Deo.

Ex quo certè sequitur possibilitatem logicam non esse ante intellectum, si enim sit posterior omnipotentia, ut est perfectio absoluta & non relatè accepta, ergo à potiori erit posterior intellectu, idque probat sinè *Mastrius* disp. 8. Met. q. 1. art. 3. difficul. 2. a n. 36. usque ad n. 39. contendens etsi possibilitas objectiva desumenda sit à potentia Dei, secus possibilitas logica, attamen isthæc logica possibilitas, quæ dependeat ab intellectu, ac esse suum accipiat (non quidem ac Doctor foret intelligendus quasi in esse cognito in primo signo naturæ resultet esse possibile in rebus in secundo signo naturæ, ut vult *Cajetan.* *Rubion* & alii cum Nominalibus, qui ex malâ intelligentiâ multa impertinenter contra ipsum objiciunt) accipiat inquam suum 360 *Mastrius pugnat contra Assertiones.*

suum esse ab intellectu ut à principio extrinseco, ita ut loquendo de ratione extrinseca, sive originativa, sive productiva dante esse tale vel tale, intellectus divinus est ille, qui principiativè producit creaturam in esse possibili, formaliter verò & intrinsecè ipsa possibilitas illis conveniet ex rationibus suis formalibus, quas n. 38. vult attendendas penes ordinem ad intellectum connectentem inter se extrema non repugnantia, sicut potentia objectiva penes ordinem ad potentiam agentis productivam, quia, inquit, potentia logica est modus quidam compositionis factæ ab intellectu judicante prædicatum in aliqua propositione convenire subjecto & nullam esse repugnantiam inter ea ex suis rationibus formalibus subortam: ergo possibilitas logica in rebus consurgit ex rationibus earum formalibus interveniente judicio intellectus, & unum absque alio non sufficit. ita *Mastrius*. & confirmat ita: quia si nullus daretur intellectus potens judicare aliqua extrema esse inter se compossibilia vel incompossibilia, nulla daretur possibilitas vel impossibilitas logica, quia hæc attenditur in ordine ad intellectum sic vel sic judicantem, nulla etiam possibilitas daretur, si non darentur termini invicem ex suis rationibus formalibus convenientes vel repugnantes: ergo utrumque in solidum concurrit ad constituendam possibilitatem, præterea, hoc, inquit, interest ex superius dictis inter potentiam logicam & objectivam, quod una attendatur ex ordine ad intellectum judicantem extremorum possibilitatem; altera verò in ordine ad potentiam activam agentis, sicut ergo prima rerum possibilitas desumitur à prima voluntate, quæ est Divina Omnipotentia, ita valdè consentaneum est, ut prima rerum possibilitas logica nedum ex rationibus rerum intrinsecis attendatur, sed etiam principiativè ab intellectu divino, qui est omnium primus. hactenus idem Auctor, cujus reliqua argumenta ad hæc reducuntur.

Ratio formalis entis possibilis attendenda penes ordinem ad intellectum.

351 Secundò argui potest ex Scoto 2. d. 1. q. 1. §. *Stando igitur præcisè in primo instanti naturæ*. n. 14. postquam assignasset pro primo instanti productiones ad intra, *sequitur*, inquit, *secundum instans naturæ in quo comparatur intellectus & voluntas divina ad aliud objectum secundarium: & quia in illo instanti objectum illud non est ex se actu intelligibile, sed fit actu intelligibile per intellectum, ideò non habet esse in memoria divina, ut memoria est, sed producitur actu intelligentia in tali esse objecti, sicut in nobis intentiones secundæ producuntur per intellectum, & non sunt in memoria, ut memoria est.*

Scotus.

Et sive poneretur, quod haberent esse per memoriam, sive quod producerentur per intelligentiam in esse cognito, saltem prius natura, quam habeat esse in memoria divina vel in intelligentia, tam memoria, quàm intelligentia est in tribus Personis, & ita in quantum memoria vel intelligentia est in istis tribus Personis, est ratio producendi ista in esse. & mox:

Et ita potest probari, quod prima causalitas respectu causatorum in esse cognito, necessariò sit in tribus Personis. Similia Doctor habet 3. d. 32. q. un. §. *Ex isto sequitur secundo*. n. 3. vide illum, & invenies, quòd loquitur contra Assertiones allatas: ergo quod possibilitas entis non habeat esse pro instanti, quando concipitur productio ad intra, sed prius esse illius incipit pro instanti sequenti, dum nimirum accedit operatio intellectus divini conferens creaturæ esse intelligibile proprium & formale; vel dicant illi Scotistæ, si creaturæ antecedenter habeant suum esse formale & independenter ab intellectu, quare illæ solum illud suum esse proprium & formale possibilitatis non attineant pro illo priori instanti ad memoriam Patris, cum talis memoria sit pro illo instanti illimitata & comprehensiva cujuscunque intelligibilitatis propriæ & formalis, adeoque fieri non posset, quin pro illo instanti inspiceret creaturas in seipsis possibiles, aut concedendum est de mente Scoti totam rei possibilitatem trahi ab intellectu divino intelligibiliter illam producente, modo per *Mastrium* prætenso.

Applicatio textus contra Assert.

Confirmatur: Doctor expressè dicit supra ens possibile produci ab intellectu divino, sicut in nobis producuntur secundæ intentiones, sed illæ, sicut omne ens rationis, formantur ab intellectu creato, illius enim beneficio inducunt suum primum esse positivum, ita ut non formentur solùm in esse cognito, sed etiam in esse intelligibili, quod illis ante non insfuit. Hæc sunt, quæ *Scotistæ* potissimum opponunt contra *Assertionem* secundam & tertiam. pro quorum solutione vide infra à n. 407. usque ad n. 418.

*****

Afferuntur fundamenta & argumenta eorum, qui extra scholam Scoti philosophantur.

2da Classis eorum, qui data doctrina reluctantur.

362 PRima classis est eorum, qui putant, quod possibilitas logica entis hauriatur à potentia, in quantum res non essent possibiles, si potentia Dei ad ipsas se non extenderet, & esset quasi prima radix non repugnantiæ rerum, cùm non possit apprehendi terminus potentiæ divinæ scilicet creatura ut importat non repugnantiam ad essendum, nisi prius concipiatur in Deo potentia, in cujus virtute contineatur, & hæc opinio

363 Probatur primò, nullum medium assignari valet inter esse à se, & esse ab alio: atqui solus Deus est ens à se; ergo omne aliud est ab alio, & quædam juxta talis entis possibilis conditionem participatio; neque enim est aliquid increatum, aliàs esset ens necessarium in essendo secundum illum conceptum possibilitatis, ac proinde esset Deus. Hoc argumento utitur quoque *Mastrius* contra *Poncium* & secundam nostram & tertiam Assertionem, qua tenet totam possibilitatem trahi ab intellectu divino. Secundò: si per impossibile non esset Deus, tolleretur esse possibile seu non repugnantia creaturarum: ergo possibilitas auspicanda est à Deo, tanquam à principio efficiente. Tertiò: tanta est connexio inter potentiam & objectum saltem secundum rationem abstractam possibilitatis, ut ablato objecto formaliter & per locum intrinsecum tollatur quoque ipsa potentia, quia periret in Deo eminentialitas seu virtus eminentialiter præhabens Petrum, v. g. ergo à fortiori ens possibile est connexum cum potentia, ut saltem connotet illam, ut essentiale extremum illius non repugnantiæ ad essendum, quam imbibit possibile logicum, non enim homo est non repugnans, ut existat à se, sed ut existat ab alio: ergo possibile logicum essentialiter & quidditativè concernit potentiam Dei seu facultatem exequentem ejus, ita ut eâ sublatâ non remaneat logica possibilitas.

364 Confirmatur: Res actu existens effluit à potentia Dei exequente ejus ad extra: igitur & res possibilis seu non repugnans ad essendum. conseq. pt. quia res possibilis est eadem numero entitas cum actuali, ita ut non sint tantum ejusdem generis & speciei, sed etiam ejusdem numeri, illud enim individuum, quod nunc est in actu, illud idem fuit in potentia: ergo licet diverso statu, ab eadem tamen potentia emanabit. *anteced.* prob. quia aliàs posset fingi realis gradus essendi sive prædicatum reale sub statu actualitatis, qui non præfuisset sub possibilitatis statu secundum eandem numero rationem, ac proinde, qui repugnaret seu inficiaretur non repugnantiam ad existendum posset esse sub actualitate, adeoque contingeret ut aliquid non possibile seu impossibile esset ens reale; quod est absurdum.

Hoc argumento utitur etiam *Mastrius* d. 8. *Met.* q. 1. & art. 3. cc. n. 48, ad probandum, quod possibilitas in suo sensu dici debeat verum ens reale & positivum, nequaquam solam non repugnantiam ad essendum. Verùm & solutionem horum omnium dabimus à n. 419. usque ad 429.

365 Secunda Classis Auctorum se armant contra *Scotum* assumendo in subjectum rationem causæ exemplaris, si contradictionem involveret existentia prototypi & exemplaris, etiam repugnaret possibilitas logica creaturarum: ergo pendent aliquo modo à causa exemplari. *anteced. prob.* quia creaturæ non solum secundum esse actuale & existentiæ, sed secundum esse possibile sunt quædam Deitatis imagines, juxta communem PP. & DD. sensum: ergo si sit contradictio ad esse causæ exemplaris, contradictio erit ad esse imaginis, consequenter ad esse possibilis, ita ut repugnet possibilitas logica creaturarum non existente Deo, qui subit rationem Ideæ, ut disp. 13. ostensum est: ergo licet possibilitas logica censeri queat improducta à Deo in genere causæ efficientis, secus est sentiendum de productione à Deo in genere causæ exemplaris, quæ nimirum entis possibilis imaginem per modum prototypi quodammodo specificat & adumbrat in genere causæ formalis extrinsecæ saltem latè dictæ.

366 *Sichemi* Huic opinioni ex Recentioribus Scotistis subscribit *Sichen* disp. 2. Met. q. 3. n. 24. in dubio sequenti. n. 32. explicans suam mentem, ait, creaturam non posse concipi, ut logicè possibilem, nisi concipiatur saltem implicitè tanquam dependens ab Essentia, ut præscribente illi determinatam illam Essentiam, secundùm quam pro tali statu potest concipi. Ad omnia hæc melius intelligenda, præmittenda est quæstio de vero esse vel non esse, quod creaturæ sub statu possibilitatis habuerunt ab æterno, ab hujus veritate enim pendet, quid ad objectas difficultates aut secernendas aut diluendas sit respondendum.

* * * *

QVAESTIO II.

An creaturæ ab æterno ſub ſtatu poſſibilitatis dicant aliquod verum eſſe, idque ſit eſſentialiter quid poſitivum vel negativum? Quidve importent in recto, quid in obliquo?

SVMMARIVM.

1. *Creatura ab æterno nullum obtinuerunt reale poſitivum actuale n. 369 & ſeqq.*
2. *Creatio & annihilatio quid, & qui differant ab alijs productionibus.* ibidem.
3. *Creatura terminant Dei cauſalitatem tam quo ad eſſentiam quàm quo ad exiſtentiam. n. 370.*
4. *Deturne Conceptus quidditativus exiſtentia potentialis? reſolvitur negative à n. 373. uſque ad n. 384.*
5. *Ens poßibile non poteſt connotare tempus n. 392. & ſeq.*
6. *Eadem numero Creatura, qua fuit poßibilis, eſt actualis non per conjunctionem identitatis numerica, ſed terminativè ſolum & connotativè. n. 396. & ſeq.*
7. *Creatura poßibilis eſt ipſa Creatura in actu ſignato, ubi quid in recto quid in obliquo importet. à n. 403. uſque ad q. 3.*

367 Opinio affirmans, quæ fuit *Henrici Gandavenſis* jam olim funditùs à *Scoto* 1. d. 35. q. *unica* disjecta fuit, ut omnis terra ſiluerit per aliquot ſæcula à facie ejus & efficaciſſimis & planè demonſtrativis rationibus in oppoſitum adductis, noviſſimè Recentiores aliqui tamen ut *Baſilius Poncius* Legionenſis p. 1. *Variar.* diſp. q. 8. *Schol.* c. 8. ſignanter ſub §. *Sed tota hæc ſententia.* Item *Albertinus* Tomo 2. ſuorum Corollar. ſubſtantiæ d. 1. q. 1. concl. 1. quibus adſtipulantur *Granadus* & alii nonnulli dictam Henrici ſententiam quaſi à morte reſuſcitare conati ſunt. Sit

ARTICVLVS I.

Num ens poſſibile naneiſcatur ab æterno verum eſſe reale?

§.

Num illud eſſe, quod ab æterno habent Eſſentiæ rerum, ſit verum eſſe actuale?

368 Diverſi proponunt hanc Quæſtionem, an habeant creaturæ verum eſſe reale actuale ab æterno, quod quo ad actualitatem rigoroſam & propriè dictam ab Adverſariis multis ſaltem non ſupponitur, ſed à nobis, quod rigoroſa & exiſtentialis actualitas rerum ab æterno reapſe in tali opinione admittenda foret, adeoque horum Recentiorum doctrina eadem ſit cum Henrici ſententia, probandum erit, non ab iis interrogandum.

* * *
* *

ASSERTIO I.

Creaturæ sub statu possibilitatis quomodocunque adumbrent esse reale positivum nullum tale actuale habuerunt ab æterno.

369 HÆc est Scoti 1. d. 36. q. un. n. 3. §. *Contra ista arguitur primò.* quem præter omnes omninò Scotistas *Scotique* Interpretes, & Universam Theologorum Antiquitatem sequuntur Suarez d. 31. Met. sect. 2. n. 3. ubi oppositum *in mentem alicujus Catholici Doctoris venire non posse judicat.* Aversa q. 8. Philosoph. sect. 2. *Pasquil.* Tomo 2. *Metaphys.* disp. *Fonseca*, *Arriaga*, & longè amplior numerus Doctorum, quos omnes citare nimis prolixum foret, quàm sint pro sententia opposita. Dubitant aliqui de nostro *Mayronio*, quam tenuerit opinionem, sed immeritò, ut videre est apud Brinzennum, Controv. 12. in Appendice n. 70.

Cum Scoto tenent plerique Doctores,

Assertio communiter non solum à *Scotistis*, sed & ab extraneis probari solet rationibus *Scoti*, quibus non dantur meliores: prima sit hæc: Illud reale positivum, qualecunque illud fuerit ab æterno ante existentiam, quæ in tempore accedit secundum Adversarios non est purum nihil, hæc est enim thesis eorum: ergo vel processit ab æterno per veram actionem productivam, vel non: prosequar unum membrum post aliud: si teneas primum *quod sic*, jam non daretur actio creativa, imò esset implicatoria, sicut & annihilatio: sequela probatur, creatio est productio totius entis ex nihilo, sicut econtra annihilatio est reductio sive resolutio totius entis in nihilum; sed eo ipso, quo possibile rerum astruitur, secundum aliquid sui positivum reale ab æterno, non posset produci ab efficiente de nihilo totius entis, & eodem modo in hac hypothesi, ut patet, non posset annihilari secundum totalitatem sui: ergo. Dixi, *totius entis ex nihilo*, ad excludendum irritum illud effugium, quo volunt sufficere ad creationem & annihilationem rerum, quod creatio fiat ex nihilo existentiæ, non autem Essentiæ, similiter annihilatio fiat in nihilum non Essentiæ, sed existentiæ, hoc enim prorsus infundatè dicitur, in hoc enim discrimen assignatur creationis ab aliis productionibus, quod hæc sit productio ex nihilo secundum totalitatem entis, aliæ econtra, licet ad totum terminentur, præsupponunt tamen materiam, in qua, vel ex qua, vel circa quam. Aut certè, si non obstante illo positivo, quod creaturæ possibiles ab æterno haberent, possent adhuc per creationem in tempore relatione solius existentiæ produci, nulla amplius ratio subest, cur alia productio v. g. generatio non sit etiam creatio, & corruptio non sit annihilatio, quia illud positivum reale ab æterno, quod creationi præsupponitur, & quod in annihilatione relinquitur, haud minus est, imò majus illo, quod præsupponitur generationi, & post corruptionem relinquitur. Et vicissim nulla ratio subest, cur creatio non esset generatio vel actio compositiva Essentiæ cum existentia, cum enim non sit causativa utriusque extremi unibilis, erit productiva unius extremi, puta actus existentialis, & elicitiva nexus inter illud esse æternum & actum illum existentialem in tempore: maneteque argumentum, quod de facto nulla detur actio creativa, nec ulla destructio annihilativa, sed merum non esse alterius coëxtremi illius totius, quod ex Essentia & existentia resultat, quæ sunt absurda.

Creatio & annihilatio quid.

Qualiter distinguantur à generatione & corruptione.

Vel, ut ad secundum membrum progrediamur, autumas illud esse æternum reale positivum non procedere per actionem productivam: jam quæro; vel illud est à se, & improductum, vel ab alio, nempè ab ipso Deo productum; non à se, ut suppono, aseitas enim soli Deo conveniens est: ergo ab alio, id est, à Deo. sed non, ut concessum est, per actionem productivam: restat ergo quod per actionem creativam, cùm non sit alia consequenter ut creatura processerit ab æterno, non in tempore, quod subvertit id Genesis 1. v. 1. *in principio*, temporis scilicet, *creavit Deus cœlum & terram*, & nostram fidem, quà tenemus nihil de facto ab æterno fuisse creatum. Hoc argumentum fusè prosequitur *Mastrius* d. 8. cit. *Met.* q. 1. art. 1. n. 5. usque ad n. 9. quem, si lubet, de hoc discursus prolixior adeas. Aliter

Omne positivum actuale, vel est à se vel ab alio.

Gen. 1.

Probatur Assertio nostra secundo supposità fide orthodoxa, quod nihil sit productum ab æterno, si creaturæ habuissent esse reale verè positivum ab æterno, secundum illud esse essent improductæ à Deo, & in tempore ab illo secundum illud esse verè non producerentur, utpote quod antea habuissent, imò essent secundum illud præhabitum improducibiles, cùm ut sic non subjiciantur liberæ causalitati Dei, aliàs pro nutu primæ causæ posset possibile fieri non possibile: hæc non sunt dicenda; tum quia aliàs creaturæ secundum omnia sua prædicata non terminarent actionem Dei, nec Deus attingeret speciem suorum effectuum, ut voluntas divina producendo in Petro amorem, produceret solam existentiam amoris, non amoris essentiam, quæ præfuisset ab æterno [idem est de agente creato] non ergo attingeret specificam quidditatem amoris, in qua 370

Creatura terminãt causali-

differt

tali Dei tam quo ad essentiam quam existentiam. differt ab actu specie distincto, cum non differant in existentia, quæ utrobique in actu amoris & odii v. g. similes sunt sibi: itaque cum totus homo v. g. sit totus creatura, totus ab alio, totus & secundum omnia sua prædicata à Deo, adeoque non sola existentia hominis, sed & essentia illi à Deo communicata terminet actionem Dei, cum alioqui illi non esset communicata, neque si præfuisset ab æterno, fuisset aptus terminus illum iterum communicandi de novo, consequenter nec specificandi actionem, quia tales non specificantur, nec ab aliis secernuntur per aliam & aliam existentiam, sed per aliam & aliam essentiam, quæ in proposito non terminaret illam: ergo inverisimile manet, imò falsum prorsus est, quod creaturæ possibiles habuerint esse reale positivum aliquod ab æterno. Eo namque dato, inferri posset cum
Baro. *Bacone* in sua *Met. Apol. 7. a. 1.* num. 3. contra Patronos illius esse æterni, cui sola defuit existentia, quod jam præfuisset S. Petrus & beatitudo S. Petri cum unione ad S. Petrum, nam & hæc habet essentiam suam, præfuisset, inquam, totam Essentiam suam extra causas constitutus ad beatitudinis unionem, & sic beatus esse potuisset per beatitudinem secundum esse Essentiæ in illo præinventam, & si hæc illario Baroni negetur, saltem valet in argumento sequenti contra Thomistas.

371 *inevitabile absurdum ex doctrina opposita.* *Probatur tertiò:* Si res ab æterno habuissent esse reale positivum, cum non sit illud esse existentiæ, erit esse essentiæ, concedunt: *subsumo:* ergo Christus quà homo, realiter fuisset ab æterno. *seq. prob.* illud realiter fuisset ab æterno, cujus initium in tempore nec quoad Essentiam, nec quoad existentiam posset assignari: sed si essentiæ rerum fuissent quoad esse reale positivum ab æterno, nullum Christi Domini initium assignabile esset in tempore. *Min. prob.* quia non, quoad essentiam, hæc enim apud opponentes est æterna; neque quoad existentiam, quia ut eruitur ex doctrina *S. Thomæ*, Christus qua homo non sortitur propriam existentiam creatam, sed existet existentiâ Verbi increatâ, consequenter Christi humanitas nihil temporale, nihil creatum, nihil verè productum de novo referret, præter unionem temporalem verbi cum Essentia humanitatis præexistente ab æterno, nisi fingas æternam illam Essentiam, quam Christo tribuis ab æterno, secundò repetitam & productam iterum in tempore & sic fieri creatam, id autem absonum esse, vel palpo discernere posset, ac propterea *Suarez.* l. c. num. 5. dicit: quod *nullus Catholicus existimare potest, illam rem essentiæ humanitatis, dum id totum, quod in ea concipitur præcisa existentia ex æternitate habere actu illam entitatem, solumque defuisse unionem ad verbum.*

372 *Quartò* probatur Assertio argumento quod *Doctor* profert d. 36. §. *Concedo conclusionem.* num. 6. probans à scientia visionis contra *Henricum*, creaturas possibiles eò ab æterno non esse quid reale positivum, ut secundum illud esse sunt objectum Divinæ scientiæ, quam dicunt simplicis intelligentiæ, vel omnes rationes, quæ militant pro positiva realitate entis possibilis ab æterno in esse essentiæ, æque militare pro positiva & reali esse existentiæ ab æterno. Argumentum hoc est: Intellectus divinus ab æterno inruetur existentiam creatam, *quia*, inquit Doctor, *secundum Augustinum 5. super Genesin 7. non aliter novit Deus facta, quàm fienda. Præcognovit igitur esse existentiæ, sicut esse essentiæ, & tamen propter istam relationem fundatam non concedet aliquis, esse existentiæ rerum reale fuisse ab æterno; ergo pari ratione non est concedendum de esse essentiæ,* scilicet eo quod sit objectum intellectus divini attingentis objectum utiest. Ex quo sic arguitur: hæc propositio, quæ est in materia necessaria: *Existentia ab æterno est non repugnans, ut existat in tempore,* non requirit ad sui veritatem aliquid reale positivum existentiæ ab æterno, aliàs enim daretur ab æterno aliquid reale positivum existentiæ creatæ, quo proinde res ab æterno etiam existentiam habuissent: ergo neque hæc: *Ab æterno Essentia est actu non repugnans ut sit in tempore,* ad sui veritatem non requirit aliquid reale positivum ab æterno, est enim utrobique suppar ratio, cum certum sit posse verificari complexiones de ente nominali data sola non repugnantia negativa Entis ad existendum.

Ad hoc argumentum, ne recedant à suo esse reali positivo possibilitatis ab æterno respondent existentiam ante sui productionem in tempore æque ac ipsa Essentia obtinere prædicatum aliquod positivum potentiale, non autem exercitæ actualitatis.

Volo exactè eruderare hanc difficultatem, quæ quia eruditam & peritam exigit discussionem, studium hoc extendere, & aliorsum paulisper digrediamur, oportet.

Sit itaque

* * *
* *

DIGRESSIO INCIDENTALIS.

Num exiſtentia ſubeat poſſibilitatem in hoc ſenſu, quod ab æterno ſortiatur prædicatum aliquod reale poſitivum potentiale, ad modum ſupradictum de Eſſentia ab aliis aſſertum, vel in alio hoc ſenſu, ut ſubeat duntaxat poſſibilitatem per modum ultimi actus, & ultimæ rationis quæ ſit ſolum connotatum poſſibilitatis ut ultimus Eſſentiæ terminus, in quo fiat ſtatus poſitionis & realitatis Eſſentiæ?

373 *Mayron. Brinzennus. Baro. Mens quærendæ, quòd detur exiſtentiæ conceptus potentialis.*

EX Antiquis Scotiſtis *Mayronius*, ex Recentioribus *Brinzenno* & *Baro* tractatunt hanc difficultatem, quæ ſereno opus habet ſcrutinio; Pro primo ſenſu multa congerunt argumenta, quæ ad pauca reduci poſſunt. *Primo* quidem argumentum ſtatim à nobis adductum ſic retorquent: non ſolum Eſſentia eſt non repugnans, ut exiſtat in tempore, ſed etiam exiſtentia & actualitas: ergo ſicut eſſentia manet intra eminentialem Dei continentiam, ita & exiſtentia, adeoque eſto teferat prædicatum ſicut Eſſentia reale poſitivum poſſibilitatis, non tamen actuale exercitium poſitionis. *Anteced.* præterquam jam eſt in confeſſo, inſuper patet: nam exiſtentia Angeli v. g. ante actualem productionem aut eſt repugnans ad exiſtendum, vel non eſt repugnans? ſi repugnans; ergo Angelus eſſet impoſſibilis etiam quoad Eſſentiam, utpote, quia nulla ratione ob repugnantiam ad exiſtendum ab eminentia cauſæ extrahibilis eſſet. Si non repugnat; ergo datur quidditativus exiſtentiæ conceptus potentialis, & non repugnantiæ exiſtentiæ ad poſtea exiſtendum; falſum proinde eſt, eſto exiſtentia ſubeat potentialitatem, quod pro illo ſtatu & ante productionem in ſuo conceptu referat actuale ſeu ultimum poſitionis exercitium extra cauſas.

Secundo ſatis impertinenter arguunt: ſi actuale exercitium ponendi res in eſſe eſſet de quidditate exiſtentiæ, nunquam, ne quidem à Deo exiſtentia deſtruibilis eſſet. *Seq. prob.* ob nullam enim aliam cauſam rationalitas à Deo auferri nequit, ut maneat homo, quia rationalitas eſt de quidditate ejus: imò quod Deus deſtrui non poſſit, eſt, quia exiſtentia eſt de Eſſentia ipſius & prima radix primò conſtitutiva & ultimo deſtructiva Deitatis, ut docuimus Controv. 11. q. 8. n. 71. & ſeq. ergo ſimiliter, ſi actuale exiſtendi exercitium ſit de quidditate ipſius exiſtentiæ, ipſa non poſſit à Deo deſtrui.

Tertio adducunt hoc argumentum: pro eo ſigno rationis, quo Deus decrevit producere Angelum vel non producere, habuit quidditativam & comprehenſivam exiſtentiæ cognitionem: at tunc non cognoſcit exiſtentiam ut actualiter exercitam, quia aliàs exiſtentia eſſet, antequam eſſet creata: ergo apprehendit illam, non ut exercitam, ſed ut adhuc poſtea exerceri poſſibilem. His non obſtantibus

Dico primo. Suppoſito, quòd ens in actu, & ens in potentia, ſe habeant per modum dividentis, dicendum exiſtentiam eſſentialem poſitam eſſe in exercitio actuali, ſeu modo, qui non præfuit in potentia, in primo ſenſu accepta.

374 ANte probationem ſuppono cum communi, quod Eſſentia vi ſui præciſi conceptus dicat formalem poſſibilitatem, ſeu aptitudinem & non repugnantiam ad exiſtendum, cùm alioqui Eſſentia v. g. animal rationale non eſſet formaliter poſſibile exiſtere, nec ulla Eſſentia, prout importat connexionem prædicatorum eſſentialium, contra omnem Scholam & rationem, dico autem, quod *formalem* importet aptitudinem, non enim ſolum eſſentiæ rerum ſunt fundamentaliter non repugnantes ad exiſtendum, quaſi formalem aptitudinem ad exiſtere aliunde ab ipſa ſcilicet emendicant exiſtentia, res enim quæ relinquuntur in claſſe poſſibilium, & quibus Deus liberè denegat exiſtentiam in tempore non eſſent formaliter poſſibiles, quod meritò contradicitur à toto Theologorum cœtu. Hoc ergo ſuppoſito, quod Eſſentia de ſe ſit formaliter poſſibilis exiſtere.

Probat Aſſertionem Brinzenno *Controv.* 1. & 12. utrobique in *Appendice* Met. art. 2. in prima. n. 22. & ſeqq. in 12. art. 1. n. 75. & ſeqq. & cum ipſo noſter *Baro Apolog. 7. Metaph. actione* 6. per totum; Probat primò: ſi quidditativus conceptus exiſtentiæ in actuali exercitio poſitus non eſſet, indubiè aſſignabilis illi foret ratio vel effectus aliquis formalis, qui pro ſtatu ſuæ poſſibilitatis exiſtentiam redderet potentem ſeu poſſibilem ad poni in exercitio actuali, ſeu ad exiſtere. Hæc *major* patet: atqui nullus hujuſmodi effectus illi eſt deſeribilis. *Min. prob.* alias non poteſt aſſignari præter non repugnantiam ad exiſtendum, quod faciat exiſtere aptam 375 *Non datur aliqua ratio, quæ ſubeat prædicatum exiſtentiæ potentialis.*

in

in tempore: *major* iterum patet: sed hunc non habet: *prob. min.* ipsa Essentia importat hujusmodi non repugnantiam, prout talis est formaliter, ut ostendimus ex communi omnium doctrina in *præsupposito*: ergo non præfert illam existentiam stante hypothesi, quod ens in actu condividat ens cum ente in potentia, cui qua tale est, & quatenus importat non repugnantiam ad existendum, nihil addi potest, præter ipsum actuale positivæ realitatis exercitium.

Confirmatur: De facto inter Essentiam, qua quidditas rei est, & inter existentiam, qua est positivæ realitatis exercitium, non datur media aliqua forma; ergo impossibilis est pro statu possibilitatis alia forma, aut quasi forma potentialis, etiam ratione distincta, quæ existentialis possibilitas dicatur.

376 *Probatur* & confirmatur secundo: si existentia essentialiter non imbibat exercitium actualitatis, aut per suam essentiam exercita non esset, erit indubiè necessarium, ut illi aliqua alia forma addatur, per quam contrahatur ejus potentialitas, seu illius existere signatum ad existendum exercitè, aliud enim dici non potest: dic ergo secundum hoc tuum principium, illa alia forma contrahens existentiam potentialem ad esse exercitum & actuale, vel est seipsa in actuali positivæ realitatis exercitio, vel non? si sic; sanè debebis dicere, quod non habeat statum possibilitatis, cur autem, ut arguit optimè *Bars* l. c. num. 2. id de addita forma dicis, & non de ipsa existentia? tu de addito dicis inesse illi aliquid realitatis & positionis exercitæ, quale ab æterno non præfuerit ante rei productionem in statu possibilitatis, dicis, inquam, ne in ineluctabilem incidas errorem, existentiam, quoad omnem positivum exercitiæ suæ causalitatis gradum, adeoque entia creata ab æterno extitisse, sed cur hæc eadem ratio non tam ipsi quadrat existentiæ? si ergo rationabiliter philosophari velis, quod de addito dixisti, de ipsa dic existentia, nisi fortè velis secundum, quod illud additum se ipso non sit in actuali positionis exercitio, & tunc non solum abibis in processum infinitum additamentorum, sed nec ipsa infinitas sufficiet, ut vel unica musca actuari posset.

377 *Solutio objectionis & probatio assertionis per retorsionem.* *Probatur* tertio & destruitur objectio tertio loco sub n. 373. allata pro eo signo, quo Deus v. g. Angelo in possibilibus relicto decernit denegare exercitium positionis, non denegar illi possibilitatem ad existendum, aliàs excluderet ipsum ex classe possibilium, quod est falsum, consequenter actuale existendi exercitium denegat: ergo pro tunc apprehendit Deus existentiam secundum actuale exercitium denegandum. Subsumo: pro illo priori, quod nobis objiciebas, Deus habuit quidditativam & comprehensivam existentiæ cognitionem, antequam esset creata: sed Deus pro illo tunc habuit cognitionem existentiæ actualiter exercitæ, illam enim solam negavit, quam negandam apprehendit, sed non apprehendit negandam tuam possibilem, ergo Deus existentiam etiam pro statu rerum possibili cognovit

ut exercitam, non quasi in potentia, & non exercitam, quæ non est, aut esse potest.

378 *Mayron Doctor illuminatus.* Confirmatur ex acutissima doctrina *Mayronii* vulgò inritulati in Academia Parisiensi, *Doctor illuminatus* 1. d. 42. q. 4. §. *Quantum ad secundum principale oportet videre de quæsitis*, ubi sic discurrit: Contra istud arguo, & quantum mihi „ apparet evidenter. Ubicunque est invenire „ actualem existentiam in aliquo, impossibile „ est, quod illud non existat; sed per te est in- „ venire actualem existentiam in aliquo ante- „ quam producatur: ergo formaliter existit, „ antequam producatur. „

Dicunt aliqui, quod optimè argueretur, si „ eodem modo actualis existentia esset in po- „ tentia objectiva, quo est in actu; sed non est, „ sic, est enim actualis existentia in potentia ob- „ jectiva potentialiter, in actu verò est actuali- „ ter. Sed istud evidenter concedit proposi- „ tum; nam accipio illum modum, quem tu „ vocas per actualiter, quem negas in potentia „ objectiva; & tunc arguo sic. Ubicunque ha- „ bet esse actualis existentia, & actualiter, illud „ est formaliter existens; ista per te vera est, „ ideò enim post creationem illud actualiter „ existit, quia actualis existentia ibi est actuali- „ ter; non autem sic in potentia objectiva, quia „ ibi est potentialiter, patet ergo major accep- „ ta. Sed in potentia objectiva habet sic esse „ actualis existentia & actualiter; ergo in po- „ tentia objectiva aliquid est formaliter & a- „ ctualiter existens. *Minor* declaratur ex dictis; „ quia per te quidquid positivum, sive modus, „ sive res, sive quidditas, quod est post produ- „ ctionem in actu, est ante productionem in „ potentia objectiva. Et sic illud, quod dico a- „ ctualiter, per quod intelligo aliquem mo- „ dum, est in potentia objectiva; & sic habetur „ conclusio intenta, scilicet, quod aliquid est „ formaliter existens. „

NB. Habetur intentum, quia dicitur venienti est ad id, quod post productionem est in actu.

379 Hoc discursu manifestè ostendit Doctor citatus ea, quæ in superioribus argumentis deducta sunt ad lucem, scilicet impossibile esse, ut sit existentia in potentia, & non in actu, sicut impossibile videtur, quod sit unio, quæ tantum potentia & non actu uniat, tali enim unioni, dato quod non per seipsam & suam essentiam extremè uniret, sed effectus illius formalis maneret quasi adhuc in componibilitate extremorum, tunc necessariò addenda foret alia unio, qua unio ista prima quasi contraheretur ad uniendum extrema, & sic vel in infinitum iretur, vel si in ista secunda sistendum esset, non est ratio, cur non etiam in prima; ita si existentia sit in potentia & non in actu, alia existentia actualis illi danda, quâ contraheretur ad actu existentiandum, & sic in infinitum, vel illa prima, quam dicis esse in potentia, necessariò in actu erit, implicat enim existentiam actualiter esse, ut dicis, in potentia, quæ actu non sit. Ex his itaque

Dico

Dico ſecundò. Exiſtentia, quam Deus Angelo v. g. dandam aut denegandam, concepit ab æterno, quamque ſtatuimus non referre formaliter poſſibilitatem, connotativè per poſſibilitatem eſſentiæ exprimitur, quatenus dicit id, ad quod deducitur Eſſentia, id eſt, ad ultimum actum & rationem formalem, in qua fit ſtatus totius realitatis contrahentis Eſſentiam (quæ de ſe erat potentialis ad eſſe vel non eſſe) ad eſſe actuale & exercitum.

380 Hoc aſſertum, præter ea, quæ pro primo aſſerto adducta ſunt, aliâ non eget probatione, ſed explanatione, cum enim id, quod eſt ens in potentia & poſſibile ſolum ut exiſtat, non ſit exiſtentia, ſed eſſentia, quæ per ordinem ad actualem exiſtentiam explicatur, nam ens poſſibile eſt id, cui non repugnat exiſtere, fit quod exiſtentia, quam connotat eſſentia, ſaltem referatur per poſſibilitatem connotativè, ſivè connotatum eſſentiæ, ſeu terminus contrahens poſitivè illius poſſibilitatem ad ultimum actum formalem. Itaquè quando nobis objicitur, exiſtentiam ante productionem non repugnare, ut exiſtat, non ſubeat tibi, quod ideo ſit formaliter ens in potentia, quemadmodum eſt eſſentia, non enim non repugnantia ad exiſtendum, quæ conſequitur ad conceptum exiſtentiæ eſt per modum actus primi & contrahibilis, ſed per modum actus ſecundi & contrahentis.

Exiſtentia per poſſibilitatem refertur connotativè.

Unde *Mayronius* l. c. ſubinferius: exiſtentia, inquit, non deducitur de non eſſe ad eſſe, ſed exiſtentia eſt illud eſſe, ad quod ipſa eſſentia producibilis per productionem producitur de non eſſe ad eſſe. Impoſſibile enim videtur, quod eſſe tranſeat de non exiſtentia ad exiſtentiam, ſed ſola eſſentia eſt illa, quæ ſic deducitur, & ſtatim ad objectionem, *quod omne productum fuerit prius producibile*, dicit, id rectè intelligendum de illo, ſcilicet, quod ſic producitur, & ad eſſe deducitur, ut ſimul ad aliud eſſe deducatur, ſecus de illo, quod non producitur ad aliud eſſe.

381 *Ex his* noſtrum pronunciatum breviter probatur hac ratione: non quælibet repugnantia ad exiſtendum infert poſſibilitatem, ſed illa (quidquid denique dicat ens poſſibile) quæ eſt per modum ſubſtrati potentialis, id eſt, per modum entis in potentia contrahibilis ab actu exiſtentiali, tanquam ultimo actu & ratione formali dante ſtatum ultimæ ſuæ actualitatis ſeu contrahente potentialitatem eſſentiæ ad poſitionem: atqui talis non eſt non repugnantia exiſtentiæ ad exiſtendum, major eſt in aperto. Priuſquam progrediar ad *minorem*, ſubſiſte pauliſper in eo, quod addidi (*quidquid denique dicat ens poſſibile*) quia nolo hic determinare, ſitne non repugnantia ad exiſtendum, quam importat poſſibilitas eſſentiæ per modum per ſe ſtantis, vel neceſſariò præexigat aliquid poſitivum, cui talis negatio per modum formæ innitatur velut ſubſtrato alicui reali & poſitivo, ſuppoſito enim, quod cognoſcas, ſicut cognoſcere debes, in ente, quod eſt in potentia, duplicem poſſe negationem conſiderari, alteram negationem non repugnantiæ ad exiſtendum, alteram verò negationem ipſiuſmet actus exiſtentialis, quæ ſecunda perit accedente actu, non prima, quia non repugnantia ad exiſtendum non pugnat, nec repugnat, ut res exiſtat, hoc, inquam, quod cognoſcas, ſuppoſito, ſufficit hoc loco, quod dicamus, non eſſe de ratione negationis ut ſic, & ſumpta in tota ſua latitudine, ut præexigat ſubjectum, cui componatur, nam hoc quidem currit in iis negationibus, quæ ſe tenent ad inſtar accidentium, ut eſt cœcitas in oculo, & privatio gratiæ in anima Judæ, id tamen fallit in illis negationibus, quæ ſunt non eſſe ſubſtantiarum, ut in negatione lapidis, hominis & cæt. quæ dicta ſint occaſione *majoris*, jam ad *minorem*: quod non ſit de hujuſmodi iſthæc non repugnantia exiſtentiæ ad exiſtendum, probatur ex dictis, quia hæc non repugnantia ex parte objecti conſequitur poſitivum exiſtentiæ, quod eſt per modum ultimi actus, & ultimæ formæ poſitionis, in qua completur & perficitur ſtatus totius realitatis deducentis eſſentiam ad eſſe, conſequenter non eſt id, quod producitur ad eſſe per aliud eſſe, ſed eſt eſſentialiter ipſum eſſe, ad quod productum reduci & deduci oportet, ut dicatur eſſe extra cauſas, & in eſſe exercito.

Ens in potentia duplicem dicit negationē.

Ex his ſolvitur argumentum primo loco objectum, ſub num. 375. eſto enim non ſola eſſentia dicat non repugnantiam ad exiſtentiam, ſed etiam exiſtentia dicat non repugnantiam, illa tamen non eſt per modum entis in potentia, ſed per modum entis in actu, ad quem conſequitur. 382

Si verò inſtas innegabile eſſe, quòd non repugnantia exiſtentiæ anteeat productionem exiſtentiæ, vel ſit ante productionem exiſtentiæ, ſiquidem non eſt exercita, adeoque actuale poſitionis exercitium non eſt de formaliſſimo & ultimo conceptu exiſtentiæ. *Reſpondeo* nos non dicere, quod actuale poſitionis exercitium ſit de conceptu exiſtentiæ antequam extrahatur ab eminentia cauſæ, ſed ejus extractione & productione ſuppoſita, ſicut dicunt opponentes modos extrinſecos formaliſſimè & eſſentialiter conſtitui per modificationis exercitium, actualis enim modificatio ſubjecti intrat modalis formæ rationem conſtitutivam, propterea tamen nemo benè inferet, eſſe modum ſubjecto modificabili compoſitum ante ſuam productionem, unde quando infers & inſtas exiſtentiam

Exiſtentiam non exiſtere, non eſt exiſtentiam eſſe in potentia.

stentiam ante productionem non repugnare, ut existat, atque adeo quod non repugnantia existentiæ anteeat productionem existentiæ (de quo dubio in asserto sequenti) adhuc non sequitur existentiam formaliter esse ens in potentia, quia pro illo priori, in quo nondum est extracta extra eminentiam causæ quidem dicit non repugnantiam ad essendum, sed non illam, quæ quasi obtendit vel innuit quoddam per modum potentiæ contrahibilis ab ultimo actu entitativo, sed per modum actus secundi & contrahentis potentialitatem ad positionem, neque hoc debet mirum videri cuipiam, quia produci in tempore, aut nondum esse, vel non esse productum ac proinde adhuc remanere in statu possibilitatis, ut ens possibile, non dicit non repugnantiam existentiæ ad esse, seu producibilem existentiam ut ens in potentia, quod reducatur ad esse, non ita concipienda hæc non repugnantia, sed dicit ipsam essentiam possibilem ut connotantem existentiam, ut etiam antequam producitur existentia, nihil dicat nisi connotatum possibilitatis essentialiter involvens actualitatem, qua dat enti in potentia, ut sit ens in actu exercito. Ad melius hoc declarandum

Dico tertiò. Quidquid asseritur sub nomine existentiæ aptitudinalis seu non exercitæ, non existentiam, quæ est illud, ad quod ens in potentia reducitur, sed variata hypothesi ingerit essentiam, ut est in statu possibilitatis, & reducibilis ad existentiam ut terminum & connotatum possibilitatis.

383 HOc pronunciatum valdè imminuit, si non omninò evacuet vim argumenti objecti, dispellit enim tenebras, quas cognatio essentiæ cum existentia mentibus nostris offundit, dum non discernitur inter id, quod potentiale est, & id quod a sua essentiali ratione habet, ut contrahat potentialitatem ad essendum, seu quod idem est dum id, quod imbibit essentialiter exercitium positivæ realitatis confunditur cum illo, quod tale exercitium excludit, eo prorsus modo, quo disputatores de distinctione essentiæ ab existentia, dum quærunt distinctionem inter essentiam & existentiam, non distinguunt de essentia actuali, quæ est ipsa realiter existentia, & de essentia ab æterno, quæ est ens in potentia, nihil enim certissimum est, nullum Catholicorum Doctorem velle, quod res ab æterno fuerint existentes, ergo nec existentia fuit ab æterno, quando autem dicunt existentia ab æterno fuit signata & potentialis, jam variant hypothesin, & relicta existentia, quæ actum involvit, est enim ipsa Essentia actualis & exercita, transeunt ad essentiam, quæ est in potentia, & actum excludit, vides ergo, quod existentia, quam signatam vocant & potentialem, non est existentia, quæ necessariò habet suum esse debitum, sed est non existentia, id est, Essentia est, sed signata nondum exercitata, nondum extra causas posita; uno verbo, existentia non est ante seipsam existentiam, adeoque nunquam in statu possibili, semper in actuali. Et quemadmodum de ideis diximus *Contrav. 13. q. 4. assert. 2. num. 336.* quod idea, id est, Essentia, quæ est ab æterno, distinguatur ab actu existentiali realiter negativè seu distinctione reali potentiali, ita hîc dicendum, ut alterum distinctionis membrum sit ab æterno & in potentia, alterum in tempore ita, ut ab æterno & in potentia seu ante seipsum esse non possit membrum alteri, quod in potentia est, oppositum.

Existentia possibilis non est nisi essentia.

Huic fundamento innixus *Baro* noster Apol 7. Met. art. 6. num 3. ad objectionem, quâ ingerebatur, existentiam Petri ante actualem suam productionem prius fuisse possibilem, haud inappositè, sed scitè respondet existentiam Petri fuisse possibilem non in seipsâ, quia in seipsa semper est exercita, sed in essentia ejus, quod statim, inquit, obrum[illegible] aciem argumenti, & ostendit solutionem conjunctam probationibus. *Baro.*

Eventilantur Argumenta sub num. 373. allata.

384 IAm redeamus ad argumenta, quæ jam tum ex situ suo sunt dejecta primum siquidem & nervis solutum, & fibris est exutum, quidquid enim affert primo & secundo pronunciato dicitur quando autem dun[illegible] ur existentia Angeli ante actualem productionem aut est repugnans ad existendum vel non est repugnans; possibilis vel impossibilis; responsum habes in hoc ultimo pronunciato fuisse possibilem in essentia possibilis, quatenus nimirum nequit esse essentia existere possibilis, nisi qua monstret possibilitatis connotatum, quod est existentia, quæ sicut non est conceptus connotans sui ipsiusmet, ita non est in potentia, sed duntaxat possibilitatis connotatum.

Posset ad hanc eandem instantiam & aliter responderi, scilicet quòd existentia ante suî productionem nec sit possibilis, nec impossibilis, eò quod hæc forte non sunt contradictoria, de quo videri potest *Bruzenno Cont. 12. in append. num. 1. 3. & seq.* nos de hoc agemus infra num. 398. & seq. ubi si aliud quippiam desideratur responsum ad instantiam, adire licebit a[illegible] ctum inveniet. 385

Ad

386 Ad secundum sub num. 373. quod est exigui ponderis, responsio obvia est, sequela est enim falsissima, quod supposita nostra doctrina de actu existentiali, ne quidem à Deo existentia foret destruibilis, ex eo enim quod non possit dari existentia, nisi quæ actu est, & actu dat rebus esse, non sequitur ipsam non posse tolli aut destrui, nam quod necessitate consequentiæ necessarium sit, si detur, quod detur cum exercitio positionis non facit esse necesse eâ necessitate, quâ solus Deus existit necessariò, ut perperam urgetur argumento, scilicet necessitate antecedenti, quod simpliciter necessariò detur, cum ipsa non sit ens necessarium, sed contingens: damus itaque & dicimus non posse existentiam sine actuali exercitio poni, negamus illam non posse destrui, etsi non possit destrui non destructa existentia, quomodo nec potest destrui actualis modificatio subjecti modo non destructo, quod non est auferre seu tollere exercitium actuale ab existentiæ quidditate, sed quidditatem positivam re pereunte perire, quomodo pereunte homine perit quidem quidquid est positivum animalis rationalis, non tamen separat connexionem prædicatorum essentialium animalis scilicet & rationalis, ut consideranti patet evidenter, sic existentia quamvis essentialiter consistat in actuali exercitio, quo superstite ipsa non possit non esse superstes, illo tamen pereunte, & illam necesse est deleri, & non duntaxat separari ab exercitio variando esse actuale in potentiale.

Ad tertium vide responsum supra sub primo pronunciato n. 377. Probatione tertia.

Reditur ad Quæstionem secundam & Assertionis in Art. 1. probationem quartam.

Manet itaque in suo robore quarta probatio pro assertione prima quæstionis secundæ, quòd sicut creaturæ non habuerunt ab æterno aliquod reale positivum esse existentiæ, ita nec aliquid reale positivum essentiæ, vel rationes quæ militant pro esse æterno actuali essentiæ etiam stare, quod est contra fidem, pro esse actuali existentiæ ab æternò, quam probationem confirmo argumento sequenti, &

387 *Essentia rerum nō æternant existentialiter.* *Quintò* probatur Assertio id quod ponitur ab æterno extra Deum, est ab æterno existens: sed essentiæ rerum si ponantur habere verum esse actuale & reale in seipsis ab æterno, ponontur extra Deum: ergo ab æterno sunt existentes, quod est contra fidem. *Minor* est ipsa opponentium doctrina. *Major* probatur, est impossibile esse quidpiam actuale, & non habere effectum actualitatis, sed effectus actualitatis est actu facere existere: ergo si actualitas conveniat essentiis rerum ab æternitate, præstabit utique illi effectum suum formalem.

Confirmatur: Stare extra causas, extra Deum est existere, sed quod est actuale stat extra causas, stat extra Deum: ergo illud esse actuale rerum ab æterno existet, consequenter essentiæ ab æterno non erunt sub statu possibilitatis, quod est absurdum.

Plures rationes pro nostra doctrina vide apud ipsum *Scotum* & Scotistas passim, de quibus Lalemandet in *Metaphys.* sua d. ~. *partitione* prima, sub decis. 1 §. *Præter autem dictas rationes*, ait, rationes *Scoti* hactenus mansisse *stabiles & insolutas*, & subinferius §. *Tædet nos diutius*, ait, *Albertinum*, contra Scoti rationes nihil solidum attulisse ostendimus. Procedamus itaque ad alia his contigua.

ARTICULUS II.

An logica possibilitas rectè explicetur per connexionem extremorum conditionalem, scilicet si possibile poneretur nulla sequeretur contradictio, ita quod essentia possibilis in eo sit, ut si ponatur in esse actuali, inde nequeant duo contradictoria inferri.

388 Affirmativam præter illos, quos citavi hac *Controv.* q. art. 1. num. 336. tenet *Suarez* in sua *Metaph.* d. 31 Sect. 12. à num. 39. usque ad num. 47. de quo opinandi modo *Vecken* l. c. sic pronunciat: non est modus melior clariorque id exprimendi, quàm per judicium illud conditionale, quod si actu ponantur, contradictionem non involvunt. Sit

* * *
* *

ASSER-

ASSERTIO II.

Descriptio entis logicè possibilis per connexionem necessariam extremorum, non est revocanda ad sensum conditionatum vel hypothesin existentiæ & realitatis positivæ terminorum, (*si ponatur ens possibile in esse actuali, nullam inferret contradictionem,*) sed ad sensum absolutum, quatenus absolutè utrumque extremum actu importat connexionem cum non repugnantia ad existendum.

188 Probatur Assertio contra *Mastrium* & *Sichen* Scotistas cit. logica possibilitas est ab æterno: ergo nequit describi per conditionatum sensum, *si esset* & cæt. antecedens conceditur ab omnibus, hinc enim est, quod illa connexio extremorū possibilium dicatur necessaria & æterna veritatis: *conseq.* prob. ubi est definitum absolutū, definitio nequit esse conditionata. *Major* ista patet, quia definitio & definitum se habent ut mensura & mensuratum, quæ debent esse homogenea, unde rectè *Baro* l. c. innuit Auctores contrariæ opinionis metiri longitudinem per pondus: sed essentiæ rerum ab æterno sunt quid absolutum ex *Scoto* 1. d. 36. q. unica. §. *Ad secundum dico.* num. 10. *productio ista,* loquitur de esse cognito entis possibilis, *est in esse alterius rationis ab omni esse simpliciter & non est relationis tantum, sed etiam fundamenti absoluti,* & §. *Ita in proposito* ejusdem dist. num. 14. *Poßibilitas logica absolute ratione sui posset stare, licet per impoßibile nulla potentia eam respiceret,* consequenter licet ista conditio de actuali productione positionis non poneretur, nihilominus adhuc intelligitur stare quidditas rerum logicè posibilium, qua tales sunt, ergo & cæt.

Definitio & definitum homogenea.

Baro.

Scotus.

189 *Probatur secundo*: Descriptio illa per sensum conditionalem convenit tam posibili contingenti seu connexioni terminorum contingentium, quàm connexioni terminorum necessariæ, quæ dicitur æternæ veritatis: ergo illa non est adhibenda. *Anteced.* prob. veritas de hoc contingenti, *homo existit*, tam certa & vera est, supposita per conditionem existentia hominis & humanitate, quàm hæc de necessario: *Homo est animal rationale*, nec satisfacit *Mastrius* l. c. N. 34 quòd licet per istam conditionalem æque explicetur posibilitas contingentium, quam connexionum necessariarum, quia contingenti complexioni, *homo existit*, commune est cum necessariis, quod non sequatur contradictio si existat; in necessariis tamen conditionalis illa ulterius exprimit, quod si existeret homo, existere debèret cum talibus prædicatis scilicet animalitate & rationalitate, & in quocunque instanti ponatur, cum tali prædicatorum connexione poni debet.

190 *Contra.* Habitudo terminorum utrobique pro omni instanti est conditionata, quod nullum sequatur contradictorium, si ponatur in esse actuali: sed homo existit pro omni instanti, quo ponitur homo in esse actuali, nullum dicit contradictorium, imo tam implicat illum poni sine connexione cum prædicato existentiæ, quam si ponatur, non poni cum prædicato animalis & rationalis: ergo quoad hoc non rectè explicatur posibilitas logica per sensum conditionatum.

Mastrius impugnatur.

Probatur tertio. In hac opinione hæc connexio extremorum, *homo est animal*, esset contingens, estque idem de omni alio ente posibili. *Sequela* prob. illud est contingens, quod non est necessariò verum, nisi per suppositum contingentis, sed hæc connexio *homo est animal*, non est vera, nisi supposito hoc contingenti conditionali, *si existeret talis terum connexio, nulla sequerentur inde contradictoria, quia hominem esse poßibilem Logicè aliud non est*, ait Mastrius l. c. N. 33. *Quàm quod si existeret connexio animalis cum rationali, nulla hinc sequantur contradictoria*: ergo talis connexio terminorum non erit necessaria simpliciter, sed simpliciter contingens, & necessaria secundum quid, est enim necessitas illa essendi non absoluta, quia ex hypothesi & conditionatè tantum enunciat, quod homo sit animal, supposito nimirum quod si existat illum animal esse; non dicat contradictionem, consequenter horum terminorum mutua habitudo tunc prius non necessario nascitur ab æterno. A quo autem nascatur oppositio & differentia quæ intercedit inter ens posibile & imposibile, dicetur infra.

Nulla connexio terminorum in opinione Mastrii est necessaria simpliciter.

* * * * *

Respondetur Rationibus *Mastrii*.

391 Mastrius se fundat in dicta conditionali, & probat ita: *ut scimus*, inquit, *an aliquid sit impossibile, nihil aliud inquirimus, nisi num ex eo, quod existeret, contradictoria sequerentur, quæ si sequuntur, statim dicimus illud non esse possibile*, sed malè; quia Doctor in hoc textu 1. d. 43. q. unica. §. *Quantum autem ad impossibilitatem*. num. 6. *falsa est imaginatio quærentium impossibilitatem aliquorum, quasi in aliquo uno, quasi aliquid unum, vel intelligibile vel qualecunque ens sit ex se formaliter impossibile, sicut Deus est necesse esse formaliter, nihil enim est tale primum in non entitate*, expressè innuit impossibile non esse aliquid unum, ex quo, si existeret, contradictio sequeretur, sed dicit illam nasci ex conventu plurium in se possibilium, sed inter se repugnantium, à quibus sic inter se non compossibilibus, non per conditionatam sed absolutam repugnantiam habeatur radix possibilitatis; *Dico*, inquit Doctor l. c. *quod impossibilitas non potest esse primò ex parte Dei, quia ipsa res est impossibilis, propter repugnantiam ejus ut fiat*, non dicit, propter repognantiam, quæ esset, *si fieret*, sed repugnantiam, *ut fiat*, qualis absolutè emergit ex rationibus in se possibilibus, & impossibilibus, ut coëant in unum sive tertium chymericæ alicujus constitutionis: ergo sicut chymera repugnantiam absolutè dicit ad essendum, ita ens possibile non repugnantiam absolutè dicit ad existendum.

Impossibile non consistit in aliquo uno.

Ad aliud, quod ex *Aristotele* 9. met. textu 7. & *Scoto*. 9. met. q. 2. ad argumenta primæ quæstionis adducit, nihil est contra nos, quia Doctor, ut ibi patet num. 12. non loquitur ibi de potentia logica, quæ habet annexam negationem ipsiusmet actus existentialis, de qua agimus in præsenti, cum alias conditionalis illa *Mastrii* locum non haberet, sed agit de potentia logica quæ stat cum ipso actu existentiali, ab actu siquidem datur consequentia ad potentiam, quæ sic accepta nihil aliud est, quam non repugnantia terminorum inter se, in quo sensu *Scotus* 1. d. 7. q. unica. §. Ad quæstionem igitur respondeo. N. 7. docet, possibilitatem & impossibilitatem logicam dari in Divinis, ut vis generandi est possibilis in supposito Patris, in supposito Filii aut Spiritus sancti est impossibilis, & exinde quia actus infert potentiam hic 9. met. ad q. 1. *Utrum potentia & actus opponantur*, sumebatur argumentum, illa non esse opposita, quod confirmat ex *Aristotele* cit. c. 2. textu 7. dicente: *Possibile est, cujus actus, si extiterit, nihil est impossibile*, manifestum enim est, quòd illud quod actu est, participet hanc rationem; ergo ipsum est possibile: est ergo illa definitio possibilis logici, quæ est cum actu, seu quæ negationi actualis existentiæ non est associata, de qua infra N. 396. patet autem, quod nihil ad propositum facit pro *Mastrio*.

Explicatur Doctor Subtilis.

Scotus.

ARTICULUS II.

An logica possibilitas rectè explanetur in recto per ipsammet rem, quæ in tempore, si Deo placeret, produceretur, dicendo in obliquo connotationem temporis, in quo non existit?

Sicben

Quæsiti hujus affirmativam tenet *Sichen* disp. 2. *Met.* q. 3. in *dubio*. N. 34. & explicat à simili, sicut, inquit, res futura pro statu futuritionis, dicit illam ipsam rem, quæ postea erit, quatenus illa connotat tempus anterius in quo nondum existit: & sicuti res præterita pro statu præteritionis importat ipsam rem, quæ fuit, non nudè secundum se, sed quatenus respicit tempus, in quo amplius non existit, ita quoque res possibilis pro statu possibilitatis dicit illam ipsam rem, quæ in tempore erit vel esset, si Deo placeret, quatenus ipsa refertur ad tempus, in quo non existit, *ita ille*.

* * *
* *

ASSER-

ASSERTIO III.

Nulla Creatura possibilis connotat tempus suæ non existentiæ in obliquo.

194 PRobatur: Creatura pro statu possibilitatis considerata est ipsamet res, quæ in tempore producitur, vel saltem produceretur, si Deo placeret, sed implicat, quod hujusmodi res, pro statu possibilitatis connotet tempus suæ non existentiæ: ergo: Major est ipsa hujus Auctoris doctrina. *Min.* prob. id quod destruit statum possibilitatis & ipsam rem possibilem, implicat ab illa connotari, sed tempus non existentiæ, quod connotaretur, destruit statum possibilitatis, & ipsam rem possibilem: ergo & *cat.* *Major* est evidens, *minor* prob. ab ipsamet tempore possibili, quod dicit non repugnantiam ad suo modo existendum, *sed* tempus possibile destrueret seipsum, si connotet aliud tempus in quo non existat. *Min.* prob. illud enim tempus connotatum, vel esset tempus existens, vel aliud possibile: neutrum absque destructione illius dici potest: *Non tempus existens*: tum quia eo ipso non esset tempus possibile, sed realiter actuale, quale connotari censetur; tum quia implicat tempus possibile connotare tempus existens tanquam partem aliquotam suæ existentiæ, seu partem communicantem ad esse existentiale & ipsum existere determinatum, & ipsum tamen non existat, sicut implicantiam dicit continuum permanens possibile connotare partem continui communicantem, aliquotam & determinatam, & tamen in eo nihil existat actuale continui: ergo est creatura aliqua possibilis quæ non potest connotare tempus suæ non existentiæ consequenter nulla connotat illud, si enim possibilitas salvetur in uno sine tali connotatione, non potest assignari ratio cur non in omni ut patet: non etiam secundum dici potest, quia de illo possibili iterum quæri potest quale tempus connotet, & sic ibitur in infinitum.

Possibile arguit connotare tempus.

Ut eadem minor principalis firmetur ulterius, recole quæ sit natura connotativorum, de quibus, licet non desint Auctores, ut *Hurtado*, *Arriaga*, aliique qui tenent connotativa plurium significativa, illa significare æquè primo per se ac in recto, in proposito tamen, esto, ultro concedamus, quod Creatura possibilis tempus suæ non existentiæ significet in obliquo solum, id est quasi accessorium extrinsecum & secundarium consignificet, certum tamen est, quod Creatura possibilis est subjectum, cui tribuitur connotatio, ita ut accedente connotato, sive illud sit quid positivum reale, sive modale, in connotante oriatur denominatio aliqua, scilicet in ipsa Creatura possibili, etsi tempus connotatum illi sit ut connotanti extrinsecum, ut connotativo tamen quod connotans connotatum & ipsam connotationem involvit, est quid intrinsecum; sicut esto albedo sit extrinseca subjecto, ipsi tamen albo est quid intrinsecum. Hoc supposito dicta minor principalis probatur etiam quoad alias Creaturas possibiles hoc modo: id quod involvit negationem existentiæ non solum in actu exercito, sed insuper in actu signato, involvit repugnantiam ad existendum, sed connotativum quod pro connotato habet tempus suæ non existentiæ involvit utramque negationem: Minor quoad negationem in actu exercito est extra dubium: alterum membrum, quod negat insuper existentiam in actu signato, prob. etiam: quod exprimit aliquid, ne quidem posse seu repugnare existere, negat existentiam in actu signato, sed quamdiu determinatur Creatura possibilis ad connotandum in obliquo tempus suæ non existentiæ, exprimit non posse existere: ergo: major est certa; repugnantia namque destruit non repugnantiam, ut probetur minor suppono ut certum, quod tempus possibile pro omni instanti, pro quo possibile est possit extra causas poni & fieri actuale: jam sic arguo: tempus illud connotatum in quo Creatura possibilis non existit, vocetur A, tempus autem in quo existere possit, vocetur B, sed implicat quamdiu est sub connotato A, quod possit simul esse sub B, sicut esto idem possit extrinsecè esse simile & dissimile; implicat tamen quando & quamdiu concernit & determinatur ad connotatum A, per quod est simile, possit esse eidem dissimile: ergo saltem extrinsecè contradicit posse existere, pro illo tempore suæ non existentiæ composito, nam à necessario non esse, qua tali, id est, quia semper & necessario manet non esse, ad nunquam posse actu venire ad actum, valet consequentia, consequenter cum idem Auctor l. c. dicat Antichristi possibilitas nunc existit per hoc, quod importat in obliquo, scilicet tempus illud, in quo non existit, fiet illum quà possibilem, seu qua est sub illo tempore suæ non existentiæ, nunquam existere posse actu, sed semper manere in potentia impedita. Dico *à necessario non esse qua tali* & cæt. nam licèt possibile reduplicativè sumptum, qua possibile est etiam non possit esse actuale, sumptum tamen specificativè pro omni instanti in statu possibilitatis involvit non repugnantiam ad existendum, quam destruit aut saltem impedit connotatio actualis ad non existendum.

Connotativum quid importet?

Connotatio temporis annexa possibili, destruit illud.

Confirmatur: Tempus illud connotatum à creatura possibili, vel intelligitur de tempore extrinseco, vel de tempore intrinseco, id est, de ipsa permanentia Creaturæ possibilis intrinseca in suo esse, & conservatione in statu possibilitatis: neutrum dici potest, non primum: quia ut ostendimus, illud imbibit continuo non existentiam, per actualem connotationem non existentiæ, qua & non existit, & ad existendum manet determinatum, unde fit, quod necessario inferat & negationem existentiæ, sicut non positio lucis, negationem lucis & negationis illius, quam connotatio non existentiæ appellat permanentiam: ergo creatura possibilis ad existendum non connotat tempus, in quo dicat intrinsecè non existentiam illius.

Si dicas, illud tempus non excludere possibilitatem ad existendum, sed solum actualem existentiam, hoc est, quod intendimus: *ergo* jam abstrahit Creatura possibilis à modo seu tempore ipsum determinante ad non existendum, abstrahit, inquam ab illo, quod distrahit non repugnantiam ad existendum ad repugnantiam, saltem ab extrinseco.

Neque potest dici secundum, perspicuum enim est, quod si Creaturæ possibilis connotet suam permanentiam in suo esse possibilitatis & statum non existentiæ actualis, quod qua talis nunquam posset redigi ad exercitium positionis seu actualitatis, aut potentia non habet conjunctam negationem possibilitatis ad actum, quam connotet in tempore connotato.

393 Assertio probatur secundo. Quod refert potentialitatem ad fore vel non fore, seu ad extrahi extra causas, vel concludi intra illas & remansionem in classe possibilium, id nequit connotare tempus suæ non existentiæ magis, quam existentiæ: *atqui* Creatura possibilis qua talis est, refert potentialitatem ad fore vel non fore, hac quippe ratione dicit solam non repugnantiam ad existendum, sive quod possit existere, quod stat cum in differentia illa potentialitatis, quod possit etiam non existere: *ergo* Creatura possibilis qua talis non connotat tempus suæ non existentiæ potius, quam tempus existentiæ. *Major* patet, *minor* probatur. possibile pro illo signo, quo est in statu possibilitatis, adhuc nullo modo est immutatum à Deo vel ad tempus futuritionis, qua ratione dicitur Creatura possibilis pro illo statu attinere ad scientiam simplicis intelligentiæ, quæ merè possibilia spectat, econtra quæ ad fore vel non fore libere immutata sunt, attinent ad scientiam visionis, utpote quæ liberè præmittit voluntati divinæ decretum, sed quod non est immutatum, aut nondum compositum tempori suæ non existentiæ, perspicuum est, non posse illud tempus sui non esse connotare magis, quam tempus sui esse: *ergo*.

Ens possibile involvit indifferentiam ad esse futurum, vel non esse futurum.

394 Probatur tertiò: Creatura possibilis qua talis accipiendo illam, quæ immutabitur ad futuritionem, non differt à seipsa, si non immutaretur ad illam, eaque quà immutatur ad futuritionem, non connotat tempus suæ non existentiæ: ergo nec pro signo priori. Major quo ad primam partem est extra dubium apud hunc Auctorem, quandoquidem Creatura pro statu possibilitatis considerata est ipsamet res, quæ in tempore, si Deo placeret, produceretur, quo ad secundam partem probatur probando consequentiam, quæ jam tum patet ex dictis: ante illam immutationem ad esse, adhuc est indifferens ad esse in tempore, vel ad non esse in tempore, ergo est indifferens ad connotandum tempus, in quo existat, vel in quo non existat, aut certè si indifferens non sit ad utrumque, nunquam posset immutari ad oppositum, ut urget ratio primo loco adducta, & amplius probatur; illo ipso tempore connotatio suæ non existentiæ, vel potest immutari ad futuritionem, vel non; *si sic*; ergo pro eadem differentia temporis posset existere, & non posset: posset ut supponitur, non posset, quia pro eodem & ipsissimo tempore est determinatum ad connotandum in illo negationem suæ existentiæ, non ergo simul est capax pro eodem formæ oppositæ. *Si non posset* immutari ad futuritionem pro illo tempore connotato, in quo non existit, ergo creaturæ intrinsecè possibilis explicatur in ista doctrina per aliquid, per quod fit extrinsecè impossibilis, quod est inconveniens. *Secundo* vel accipiamus Creaturam possibilem quæ nunquam erit futura, sed concludatur in classe possibilium, quæ erit maneret semper ens possibile de se dicens non repugnantiam ad essendum, esset tamen determinata ad non essendum pro omni tempore, imò pro tota æternitate. Quæro itaque cùm Deus circa illam non habeat se merè negativè, sed exerceat formaliter voluntarium per positivam terminationem suæ voluntatis in objecta, quæ ad non futuritionem destinavit, vel illud objectum, qua possibile manet, connotat post decretum idem tempus suæ non existentiæ, suamve negationem, sicut illam connotabat in tempore, in quo antea similiter non existebat, vel non: *si dixeris primum*, frustraneum esset superveniens decretum de nunquam existendo, utique enim illa non existentia, & tempus non existentiæ esset, etiamsi Deus suspendisset affectum circa illud determinandum ad esse vel non esse futuritionis suæ: *Si secundum*, quod non concernat durationem suæ non existentiæ, habetur intentum, quod nullum tempus connotet suæ non existentiæ, cùm redeat Quæstio de uno tempore sicut de alio. Ex his

Quod intrinsecè est ens possibile, nequit explicari per id, quo redditur impossibile.

Probatur quarto. Esto teneatur opinio, quod Creatura possibilis in recto dicat ipsam rem, quæ actu poneretur, si Deo placeret & in obliquo negationem exercitæ existentiæ, omnino tamen non potest referri ad ullam differentiam temporis, illud enim esset vel tempus præsens, in quo nondum existit, vel futurum 395

in

in quo non existet, vel non existit: non præsens, quia sicut tempus præsens, & quidquid in illo ponitur sive negativum sive positivum spectat ad scientiam visionis, non simplicis intelligentiæ, ita, cum ens possibile pertineat ad scientiam simplicis intelligentiæ, prævertit omne tempus adeoque & connotationem illius; unde similiter tempus connotatum non est etiam tempus futurum, in quo non existet vel non existit, quia sicut mensura possibilitatis rerum non est à parte post, sed à priori & ab æterno independenter ab omni tempore, quod æternitatem sequitur, ita jam tum quoque prævertit futurum, quod refertur ad objectum scientiæ visionis, itaque connotatio temporis tardius venit, ad complementum extrinsecum entis ab æterno possibilis, cujus totum esse & quidquid concer[n]it, ad objectum simplicis intelligentiæ, est referendum. Fateor tamen hoc argumentum, cum, quod æternum est, concernere possit, rem in tempore futurum, facile solvi posse, ideoque non est illi diutius immorandum, solius exercitii causa aliisque adjunctum. Porro quæ hic Auctor ponit de re futura & præterita, quarum prior potius connotat tempus futurum, in quo existet, quàm anterius in quo non existit, & res præterita ex natura præteritionis suæ potius connotat tempus in quo fuit, quam in quo non amplius existit; qoidquid tamen de hoc sit, nihil est ad propositum, utraque enim res supponit decretum & spectat ad scientiam visionis; secus est de re possibili, quæ anteit decretum divinæ voluntatis, omnemque consequenter connotabilitatem temporis.

ASSERTIO IV.

Eadem numero Creatura quæ est actualis, fuit possibilis cum omnibus suis gradibus & prædicatis realibus & positivis, eadem, inquam, genere, specie & numero cum illo individuo, quod nunc est, non quòd eadem numero forma subjiciatur diversis statibus possibilitatis & actualitatis, seu existentiæ per identitatem realem & rationem eatenus numericam ut homo v. g. quæ possibilis prædicatur in recto de ipso jam existente, dicendo convertibiliter hic homo existens est idem numero, quà fuit possibilis, & hic homo possibilis est idem, quà ens existens, sicut dicimus, hic homo est Petrus & Petrus est hic homo, non ita; sed res actualis & possibilis est eadem numero terminative, connotative seu ratione connotati, & in hoc sensu vera est prædicatio hæc: *Hic homo existens est, qui fuit possibilis*, id est qui fuit connotatum possibilitatis vel non repugnans ad existendum.

Est conformis *Scoto* infra asserendo sub Assertione quinta contra *Sicben* & *Mastrium* qui Doctorem citat in oppositum *Contra.* 8. *Met.* q. 1. a. 3. difficultate tertia. n. 48. ubi sic ait: *Osten[d]o modo, quod sum pollicitus, scilicet ens possi[bil]e formaliter significare & in recto illud ens positivum, quod postea in tempore existeret, si produceretur*, ratione[m] quam affert quid valeat & quam bene *Scotum* interpretetur pro se subinferius videndum.

396 Assertionem probo ex ipsa doctrina *Mastrii* [sib]i non cohærentis cum iis, quæ hic in *Met.* cit. & *Tomo* [.] de *Deo* dist. 3. de intellectu divino. q. [.] de Ideis. a. 1. n. 52. affert de creaturis possibilibus dicens ex mente *Scoti* ipsum esse possibile creaturarum appellari à Doctore esse diminu[tu]m & secundum quid, & ab intellectu divino productum, ut illud distingueret ab esse reali simpliciter si distinguat, ut revera distingui debet, quomodo formaliter & in recto idem est cum illo, quod postea in tempore per physicam sui productionem recipit esse simpliciter? prædicatum in hac complexa: hic homo existens est, qui fuit possibilis, significat esse secundum quid & diminutum, & sonat, hic homo nunc existens simpliciter pro statu possibilitatis fuit ens secundum quid: sed ens diminutum formaliter & in recto nequit prædicari de ente simpliciter, nec ens simpliciter de ente diminuto & secundum quid formaliter de ente diminuto, *ergo.*

[Ens d]iminutum rec non est esse simpliciter.

Probo secundo Assertionem contra Mastriū d. 8. *Met.* n. 48. sibi ipsi ita objicientem: *Forte dices opus non esse, ut sint positivè idem, adhoc ut possint invicem prædicari, sed sufficere quod sint idem negativè id est quod non sint duo positiva distincta.* 397

Contra, inquit, cùm dicimus homo hic & nunc existens est, qui fuit possibilis, copula *est*, nedum negat realem distinctionem, quia ulterius ponit realem identitatem, hæc autem inter extremum positivum & negativum versari nequit. Ita *Mastrius* sub eodem numero loc. citato in Metaphy. ad suam objectionem, & videtur se fundare in eo, quod immediatè dixerit citat[u]s *Scotum* docentem 9. met. ens in actu & ens in potentia non

Fundamentum Mastrii

sunt tantum ejusdem generis & speciei, sed etiam ejusdem numeri, illud enim individuum, quod nunc est in actu, illud idem fuit in potentia, cujus rei, inquit, manifestum judicium est, quia eundem prorsus formamus essentialem conceptum de homine existente & non existente.

Secundo, inquam, probo Assertionem contra hunc Auctorem, ex *Scoto* 9. met. q. 2. sub Scholio 2. nu. 5. ubi ad quæstionem objectam, *an potentia dicatur ad actum in potentia vel in actu.* Respondet ad primum, *quando quæritur aut ad actum in actu, aut ad actum in potentia: Dico quod utraque pars disjunctivè sit distinguenda, secundum compositionem & divisionem, & in neutro sensu est verum, quòd potentia sit ad actum in actu:* rationem subdit, *quia tunc idem simul esset in potentia ut terminus potentiæ, & in actu. In sensu etiam compositionis falsum est, quod potentia sit ad actum in potentia, ita scilicet, quod terminus potentiæ intelligatur hoc totum* (actus in potentia) *nunquam enim terminus relationis est per se compositum ex termino & relatione, sicut per se terminus paternitatis, non est filius Patris sed Filius.* Hæc *Scoti* doctrina prosternit doctrinam & complexionem *Mastrii* dicentis hanc: Hic homo existens, est, qui fuit possibilis, sic intelligendum, ut copula *est* ponat identitatem realem inter subjectum hominem actualem & hominem possibilem prædicatum, ea enim propositio est per compositionem, quâ de actu prædicatur identitas realis potentiæ, seu potentia realiter identificatur cum actu, sed clarè inficiatur hic *Scotus* tum, quia tunc idem simul esset in potentia ut terminus est potentiæ, seu connotatum potentiæ & simul in actu, quia de ipso ut tale potentiæ connotatum prædicaretur potentia formaliter & in recto, quod *Scoto* meritò visum fuit absurdum esse; tum quia expressè subdit; *in sensu autem divisionis est verum, quod potentia sit ad actum in potentia,* hoc est, *quia actus est in potentia* seu connotatum potentiæ, ergo quando dicis, *hic homo existens, est, qui fuit possibilis,* copula *est* non ponit realem identitatem & rationem eatenus numericam, ut prædicatum *possibilis* sit formaliter & in recto homo actualis, ut subit homo munus subjecti, sed pro duplici statu actualitatis & potentialitatis terminativè, divisivè seu connotativè solum, ut sit sensus homo existens est qui fuit possibilis, id est, jam est existens pro statu actualitatis, qui in statu possibilitatis à statu actualitatis diviso fuit connotatum possibilitatis. Quare mirum est, qui Auctor cit. voluerit Doctorem trahere in oppositum, cum ibidem eadem q 2. sub Scholio 3. n. 7. expressè addat: *Ens in potentia nihil formaliter dicit, nisi non ens quoddam, cui scilicet potest succedere ens & intelligitur, quasi idem ens sibi succedere, quasi primò fundat potentiam, deinde sit terminus potentiæ, quod non est nisi secundum intellectum conspicientem idem* · ergo perperam dicitur ab isto Auctore & directe adversatur aperto textui Doctoris, quod sunt idem per identitatem realem. Idem confirmat ibi *Doctor* subinferius, inquiens, ulterius ad compertiorem notitiam de

Funditus destruitur dicti fundamentum.

potentia ut est differentia entis ad intellectum multorum, quæ dicuntur de potentia & in isto 9. & alibi à Philosopho, *sciendum est, quod ista non dividatur in potentiam ante actum & cum actu,* quia opposita est actui *& ita nulla est cum actu sed tantum ante actum.* Si nulla est cum actu, quomodo formaliter & in recto prædicatur de actu? quomodo copula est in allata propositione nedum negat realem distinctionem, sed ulterius ponit realem identitatem? fateris hanc identitatem inter positivum & negativum versari non posse, *Scotus* ait potentiam esse quid negativum, esse non ens in recto saltem, ut amplius manifestum fiet *Assertione* sequenti, ergo vel sic neque in propria opinione tua identitati reali locus erit inter ens actuale & ens possibile.

Nec quidquam juvat quod dicat hic Auctor, quod eundem prorsus formemus conceptum essentialem de homine & existente & non existente, aliud enim est conceptum habere de homine non existente & de homine possibili, nam asserendo hominem esse animal, copula, *est*, absolvitur & abstrahit à statu actualitatis & existentiali, ut prædicatum verificetur de homine, ut est talis quidditas, nihil aliud importans quam connexionem necessariam inter hominem & animal, sive actu sit, sive non sit existens, quando autem dicimus: *Hic homo nunc existens, est qui fuit possibilis,* involvitur subjectum, ut est sub statu actualitatis, estque simpliciter ens, & prædicatum ut est sub statu possibilitatis estque simpliciter non ens in recto, evidens autem est quod illa non queant realiter identificari inter se, neque formaliter de se mutuo prædicari, implicat enim conjunctio identica & identitas numerica inter positionem rei & negationem ejus.

Objicies 1. Eadem entitas numero cum omnibus prædicatis, quæ importat in statu existentiæ extra causas, præxistit ante productionem in statu possibilitatis, aliàs fieret ut aliquod prædicatum reale positivum existens, vel aliquis gradus essendi realis non præfuisset in statu possibilitatis secundum eandem numericam rationem, ac proindè qui non importaret non repugnantiam ad existendum, quod patet esse falsum. 358

Confirmatur possibile & impossibile opponuntur contradictoriè, cum impossibile è diametro destruat omnem impossibilitatis rationem. sed impossibile consistit in negativo, ergo possibile in positivo, cum alioquin non potuit contradictoriam oppositionem constituere.

Objectio isthæc quâ utuntur Auctores, qui actualitatem Essentiæ volunt esse ab æterno, in opinione opponentium, qui negant nobiscum esse rerum actuale ab æterno nimium dicit, & ideo nihil. si namque eadem numero entitas, quæ est in statu existentiæ præfuerit in statu possibilitatis aliter quam connotativè & in actu signato, fieret ipsam in actu existentiali fuisse ab æterno, quod constat & illi concedunt esse falsum: unde negatur *antecedens*, ad cujus probationem, quod fieret aliquem gradum essendi non præfuisse

sub

sub statu possibilitatis, expeditè respondetur ex iis, quæ prolixè superius diximus in *digressione incidentali* à n. 373. ad usque n. 384. ostendentes, qua ratione actus existentialis positus sit in actuali exercitio, ac connotativè solum, non formaliter referat possibilitatem, eò quod non repugnantia ad existendum, quæ consequitur ad actum existentiæ, non est per modum actus primi & contrahibilis, sed per modum actus secundi & contrahentis; Vide quæ ibi dicta sunt, & argumentum est solutum. Vide item infra q. 4. in responso ad object. sub n. 427. ibi solvitur instantia, quæ sumitur ab eminentia Causæ, quæ ibi potius, uti quærimus quomodo possibile pendeat à potentia Dei dispungenda erit, quàm hic, ubi de possibili logico secundum se controvertimus.

Ex quibus patet ad objectionem & confirmatur *Assertio*, nimirum quod res actualis & possibilis sit eadem numero non formaliter & in recto, sed terminativè, connotativè seu in obliquo ratione connotati, id est quatenus ab æterno fuit connotatum possibilitatis vel non repugnantiæ ad essendum, quia ab æterno fuit i[...] non repugnantia, ut hæc numero realitas in tempore existeret, ut amplius patebit *Assertione sequenti*.

399 *Ad confirmationem* è contradictoria oppositione possibilis & impossibilis. *Respondeo* ex dictis *Cont.* 2. hujus *Tom.* a. 2. *Assert.* 4. n. 14. p. q. possibile & impossibile non esse terminos contradictoriè oppositos, nisi versentur *circa idem & de eodem & ratione ejusdem*, ita ut implicet illa simul posse verificari; contradictio siquidem requirit, ut totum hoc quod affirmatur & asseritur termino positivo, destruatur & negetur termino negativo de eodem respectu ejusdem ut dari à parte rei duo contradictoria adynaton sit, ut *Cont.* & a. cit. p. 8. n. 13. ostenditur, impossibile autem V. G. chymera, quæ repugnantiam dicit ad essendum & possibile quod non repugnantiam dicit ad essendum, non versantur circa unum, sed pro ut hic objiciuntur circa plura, ut circa plura autem non magis pugnant inter se, quam hic termini, *homo albus & non albus*, applicando affirmativum Petro, negativum Joanni, non enim præcisè ideò sunt contradictoria, quia inter se opponuntur & repugnant quomodocunque cum opposita contrariè, privativè & relativè etiam sibi opponantur, & tamen non sunt contradictoria, sed ideò [sunt] contradictoria, quia actu & immediatè sibi contradicunt idem affirmari & negari, sive implicat quod idem sit & non sit, non autem implicat, quod possibile sit & impossibile ut Chymera non sit, imò de facto chymera non est & repugnat illam esse, & de facto possibile est & non repugnat esse, quòd si hi termini circa idem versarentur, necessariò falsum esset juxta prima principia, *impossibile est idem esse & non esse*, & *impossibile est verificari & non verificari idem de eodem respectu ejusdem* & cæt. itaque possibile & impossibile non opponuntur contradictoriè, sed potius contrariè sub eodem genere

Ad contradictoria quid requiratur.

negationis seu non entis ut sic, in quo conveniunt ac sustinent inter se medium, quod est ens actuale, quod ut tale non est possibile, in quantum possibile sonat ens in potentia, nec etiam est impossibile.

Aliter argumentum urgebis: hæc propositio, *hic homo est possibilis*, cum hac, *hic homo est impossibilis* seu *hic homo non est possibilis* opponitur contradictoriè, sed contradictoria nequeunt convenire in aliquo prædicato communi: ergo cùm impossibilitas formaliter consistat in non ente, nequit in eo constitui formaliter possibilitas. ergo possibile in recto dicit quid positivum. 400

Responderi posset ex *Scoto* 1. d. 43. q. unica §. aliter dico o. 7. *quòd falsa sit imaginatio quærentium impossibilitatem aliquorum, quasi in aliquo uno, quasi aliquod unum vel intelligibile, vel qualecunque ens sit ex se formaliter impossibile*, ac proinde non possit formari proposito priori per terminum Contradictorium impossibilitatis opposita, cum illa impossibilitas uni soli enti formaliter inesset vel aliquod unum ens formaliter diceretur impossibile, quod non est, cum ex mente Doctoris, impossibile sit quoddam quasi complexum & cointegratum ex coitione & conventu entium quæ sunt absolutè & simpliciter possibilia, si in se & divisim spectentur, & inter se incomposita, important tamen repugnantiam ad existendum inter se, si spectentur quasi aliquod unum tertium ex illis conflari posset, vide *Scotum* l. cit. Ab hoc tamen abstrahendo ex superabundanti respondeo, quod sibi tale possibile & impossibile contradictoriè opponantur, ad hoc non exigi in recto positionem realem & exercitam in possibili, sed sufficere positionem in actu signato, quam negat Impossibile, illam namque negando negat & destruit totam non repugnantiam ad essendum contradictoriè & è diametro circa idem & respectu ejusdem pugnans & destruens alterum contradictorium, scilicet totum id, quod ens possibile in actu signato de positione astruit; Consequenter & ipsum non ens, quod necessariò connectitur cum hoc possibili, quasi extrahit à ratione entis possibilis, quod totum qua tale contradictoriè opponitur non enti, quod convertitur cum hoc impossibili, dico qua tale, quia non ens ut sic, non opponitur non enti ut sic, sed quatenus non ens negatio est; non enti, quatenus alterum non ens terminativè ad effectum contradictionis inducendæ positivatur in connotato, quod repugnat suo contradictorio, adeoque totum quod illud astruit, hoc destruat necessè est cùm sit malignantis naturæ & sic salvatur oppositio contradictoria, esto per impossibile per implicationem causæ ens possibile nunquam actu posset produci, adhuc sufficiet ad contradictionem, quod quantum est ex se, connotat non repugnare rem existere & sic adhuc terminativè, connotativè seu ratione termini positivi, quem de se signat, positivari censetur. de quibus plura Assertione sequenti & q. 4. §. 2. n. 422.

Impossibile quomodo contradicat possibili.

401 *Veken.* *Objicit* secundo *Veken* cit. ad initium *Controversiæ* sub n. 343. dicunt Scotistæ (data hypothesi quod ens possibile logicum consistat in negatione actuali) quidnam illud sit, ad quod divina cognitio terminatur ab æterno, & à quo propositiones habent esse æternæ veritatis, dicunt quidem possibilia à Deo cognosci ab æterno, de quo non est Controversia, sed quidnam illud sit, de hoc inquit, nihil afferunt, sed silent.

Hæc objectio similiter adhibetur pro eo ab iis, ut ostendant ens possibile habere esse actuale ab æterno, dumque eandem hic Auctor contra doctrinam *Scotistarum* opponit, ostendit se nec *Scotum*, nec *Scotistas* legisse, illi namque, dum scribunt de intellectu divino ejusque objecto, exactè determinant ad quid terminetur cognitio divina ab æterno cognoscens possibilia, & nos de hoc fusè Cont. 12. q. 7. in diversis articulis per extensum, neque de hoc tractandum in hac Controv. *de ente possibili*, in qua *Scotistæ* supponentes tanquam certum decere Deum, quod apprehendat similitudinem positivi; id quod positivum non est ex parte objecti, adeoque in ea non de terminatione scientiæ divinæ agendum, sed quomodo, cum ens possibile in negativo existat, nanciscatur possibilitatem, quid importet, dicitur à Deo produci in esse cognito, qualiter vi terminationis & extensionis scientiæ seu formæ intentionalis ad ens possibile nanciscatur primum esse positionis ex parte formæ, non ex parte objecti & similia, quæ supponunt decisionem de objecto primario & secundario intellectus divini præcessisse.

Ad id quod addit, à quo propositiones habeant esse æternæ veritatis, dico non esse necessè, ut ob veritatem æternam necessariarum complexionum recurratur ad realitatem positivam terminorum inter se connexorum, quia illa salvatur sufficienter in positione extremorum potentiali & signata absque exercita, neque enim hæc, *homo est animal*, & similes quæ sunt veritatis æternæ, importat per copulam *est* durationem existentialem, sed nudam connexionem necessariam inter hominem & animal cum non repugnantia ad existendum. *Unde propositiones necessariæ manent veritatem ab æterno.*

402 *Instabis*, implicat extrema illa inter se uniri aut connecti, nisi qua vendicant sibi aliquod positivum, cùm negatio sit potius destructio compositionis & connexionis, sed causa quod non sint connexa, connectio enim sonat nexum compartium, negatio exprimit *non esse* cujuscunque causalitatis compositivæ;

Respondeo hic esse negationem cum positione signata, qualis non destruit, sed fundat illam connexionem, cùm sit non repugnantia ad essendum id, quod ex connexione terminorum resultat, nec poterit unquam ostendi quid solidi in oppositum. Videat tamen, qui plura de veritate æterna propositionum scire desiderat, Mastrium in *Met.* d. 8. q. 1. art. 4. n. 64. per duo integra folia usque ad q. 2.

ASSERTIO V.

Creatura possibilis est ipsa Creatura actualis in actu signato expressa per hoc, quòd sit non repugnantia ad existendum, quæ ante accessum positionis quæ est effectus divinæ potentiæ, taliter secum trahit fundatque negationem existentiæ actualis, ut isthæc negatio sit actualis & exercita, positio verò connotata, ac in hac particula ad *existendum* in actu signato expressa, sit potentialis, vi cujus opponitur non solum non enti, quod convertitur cum impossibili, sed omni enti, quod habet duntaxat esse in anima, potestque hoc pacto intra rationem nominalis entis dici quid reale positivum non exercitum & in recto, sed in eo quod connotativè dicit, & in actu signato.

403 HÆc Assertio exprimit totum possibilitatis conceptum, eumque ad mentem Doctoris Subtilis, qui ita constituit ens possibile in non ente, ut tamen illud distinguat ab impossibili, ita iterum constituit in ente in actu signato, ut sit non ens in actu exercito, probatur ex ipsomet Doctore primo ex 9. *Met.* q. 2. n. 7. §. *aliter dicitur*, ubi expressè ita ait: *Ens in potentia simpliciter est non ens, & per consequens relatio fundata in ipso est tantum rationis & divisio entis in ens in actu & ens in potentia est quasi divisio per contradictionem non simpliciter, quia tunc ens in potentia converteretur cum non ente, & diceretur de impossibili. Sed sicut privatio non plus entitatis dicit quam negatio, licet sit negatio contracta ad subjectum, & ideò divisio per habitum & privationem & per contradictionem quandam. Sic in proposito, ens in proposito nihil formaliter dicit nisi non ens quoddam.* Qui textus clare denotat *Scotum* non negasse, quod ens in potentia in recto dicat merum negativum, quin N. 12. circa finem ibi respondendo ad argumentum, quo q. 1. N. 1. quarto loco dicebatur actum & potentiam non dividere aliquod divisum, ut opposita, quorum alterum convertitur cum diviso, actus convertitur cum ente, quia *Ens possibile est quid negativum.*

quia ens in potentia est tantum secundum quid ens; ergo simpliciter non ens secundum unam viam probabilem respondet concedendo, quod destruat potentia ens, puta quà trahit secum & fundat negationem actualem non existentiæ entis, sicque dicit, quod cùm dividitur ens per potentiam & actum, sit divisio sicut illa animalis *per vivum & mortuum*. Idem habet 1. d. 3. q. 2. §. *ad secundam quæstionem* N 14. dicens, *quod esse possibile, non est nisi esse secundum quid, quia hoc esse non est esse simpliciter creatura, sicut nec esse hominem mortuum, est esse hominis*; & mox: *nec plus ponit ista possibilitas in re, quam cacitas in oculo* & cæt. Quod autem positionem connotativè exprimat & esse positivum in actu signato eo modo, quo dictum in *Assertione*, patet 9. Met. cit. q. 2. N. 7. postquam ibi dixit ens in potentia non esse nisi merum

Scotus. non est, apertè subdit. *Cui*, scilicet potentiæ, *potest succedere ens, & intelligitur quasi idem ens*, puta quod concernat in actu signato *sibi succedere, quasi primo fundet potentiam*, velut mox infra ait: *determinet sibi pro fundamento essentiam intellectam, quæ deinde sit terminus potentiæ*, & mox *& pro tanto videtur ens in potentia magis ens, quam negatio, sicut privatio videtur magis ens, quam negatio, unde privatio ponitur terminus motus naturalis, negatio non. Sic enti in potentia intelligitur secundum ens, sed non sic non enti absolutè*, puta quod nequidem connotativè est ens positivum & reale *secundum illos* ait Doctor, *qui ponunt essentiam nullam habere entitatem omninò, nisi quod existat actu*, quæ doctrina Doctor diversos aliorum loquendi modos ita contemperat, ut teneat ens possibile revera actu nihil esse, esse tamen aliquid reale positivum in actu signato & connotato, de quo ibi N. 6. sic discurrit, *sed quare potentia ponitur aliquid esse, cùm non sit existens, nec aliqua ratio concludat entitatem aliquam convenire non existenti?*

Cui respondet, quod debeat potentiæ activæ correspondere aliquod possibile, *quia*, ait, *respectu ejus, quod non in se possibile est, nulla est*

Scotus. *potentia activa. Deus autem est creativus, antequam creet, ergo creabile est possibile creari, non tantum potentia logica, quia illa quantum est de se posset esse sine activa, propter hoc ergo ponitur potentia Metaphysica in essentia possibili aliqua entitas, qualis non est in chymera*, omnia hæc collimant quod licet possibile actu tam nihil sit quoad exercitium, quam chymera, ideoque divisio entis per actum & potentiam cum actuali negatione entis exerciti sit quasi animalis per vivum & mortuum, est tamen verum aliquid reale positivum in actu signato & connotativè, per quod distinguitur à chymera, cui nulla via competit verum esse, atque hoc pacto Doctor N. 12. citato ad argumentum cit. 4. loco ait, quod licet ens in potentia non sit ens ita simpliciter, sicut ens in actu, sicque ratio possibilis diminuat ens, non tamen omninò destruat rationem entis, adeoque possit habere rationem dividentis.

404 *Sed probatur* eadem Assertio nostra *secundò* & clarius à Doctore in 1. d. 36. q. unica. N. 13. ubi contra hoc, si possibile non esset quid positivum, sed merè negativum, fieret ut chymera & homo ante productionem essent æquè nihil, ita habet: *Et quod additur ibi, quod tunc unum nihil magis est nihil, quam aliud nihil. Respondeo quod inest negatio alicui quandoque non propter repugnantiam alicujus positivi ad affirmationem illius negationis, sed propter solam negationem causæ non ponentis illum effectum*

Et subinfert ibid N. 14 *ita in proposito, homini in æternitate inest non esse aliquid, & chymera non esse aliquid, sed homini non repugnat affirmatio, quæ est esse aliquid, sed tantum inest negatio propter negationem actus vel causæ non ponentis in esse; Chymera autem repugnat, quia nulla causa potest in ea causare esse aliquid*. quo Scotus. textu duo declarat: *primum* est, hominem ab æterno prout ens capitur participialiter, seu ens in actu exercito tam non esse, quam chymeram: *Secundum* est, quod tamen homini non repugnat affirmatio, quæ est esse aliquid in potentia, chymeræ autem repugnaret, quod & immediatè ibi exposuerat, respondens Henrico sub N. cit. §. *Ad primum principale*; Discrimen inter non ens & non ens: *dicens: quod ens ratum aut appellatur illud, quod habet esse firmum & verum sive essentiæ sive existentiæ, quia unum non est sine altero, qualitercunque distinguantur, aut ens ratum dicitur illud, quod primò distinguitur à figmento, cui scilicet non repugnat esse verum essentiæ vel existentiæ.*

Si primo modo dicatur ens ratum, dico, inquit, *quod homo non est ex se ens ratum, nisi effectum*, ubi expressè innuit primam partem nostræ assertionis, quod homo possibilis actu tam essentiam quàm existentiam æquè neget, cum unum actu non possit esse sine altero: ergo ens possibile ut distinguitur contra utrumque, seu respectu utriusque est merum negativum, unde subdit: *Cùm igitur dicis, igitur nunquam est ens ratum, nisi effectum concedo hoc modo: & quando est effectum est existens, ergo nunquam est ens ratum, nisi sit existens. Concedo.* quid clarius desideratur prò prima parte Assertii?

Pro secunda autem parte pergit Doctor: *Si secundo modo intelligatur ens ratum, dico quod homo ex se est ens ratum, quia formaliter ex se non repugnat sibi esse.* ubi illam non repugnantiam ad existendum ita explicat, ut ens quod per illam connotatur in actu signato, sive esse quod adhuc est in potentia, ponit esse per efficiens in actu exercito, ac proinde sic subeat rationem entis realis nominalis, ut ex ratione sua & formaliter non repugnet sibi esse. *Cuicunque enim* inquit Doctor, *repugnat aliquid primo, ei repugnat formaliter ex ratione ejus*, ita cui non repugnat formaliter, non ei repugnat per rationem ipsius.

Quod in explicato sensu ut ens reale opponatur Insuper enti in anima seu enti rationis, probatur ex *Scoto* 1. d. 36. cit. supra: sub n. 345. scilicet ens prima sui divisione æquivocè dividi in ens extra animam, & ens in 405 Ens possibile opponitur enti rationis.

anima,

anima, illudque extra animam ulterius dividi in illud, quod est in actu, & vocatur ens participiale, & in ens possibile, seu ens nominaliter sumptum, quod distinguitur à figmentis, ergo illud æquè oppositum est, enti in anima, ac verè ens & actu existens, de quo vide *Lychetum* supra citatum textum.

406 Ex his habetur in quo sensu opponatur Creatura possibilis nihilo chymericæ, ut quid positivum, & in quo sensu opponatur enti rationis ut quid reale possitque consequenter, esto actu dicat negationem entis creati, quæ fundatur in illa non repugnantia ad existendum, adhuc suo modo dici ens reale positivum pro cujus ampliori intellectu ibi Doctor inferius ostendit, quomodo homini à quidditate sua conveniat illa non repugnantia seu habilitas negativa ad essendum, & quomodo chymeræ repugnat dicens: *Prima igitur omninò ratio est, & non reducibilis ad aliam quare homini non repugnat esse, quia homo formaliter est homo, & hoc sive in re realiter sive in intellectu conceptibiliter. Et prima ratio, quare chymera repugnat esse, est chymera in quantum chymera. Aliter igitur inest ista negatio nihileitas homini in aeternitate & chymera, & tamen non propter hoc est unum magis nihil altero*, quæ ita clarè innuunt Assertionem nostram, quà asserit ex una parte dici posse ens positivum, sivè creaturam possibilem esse merum ens negativum, & tamen suo modo opponi in sano sensu nihilo, ut ulteriori nostra elucidatione opus non habent.

QVAESTIO III.

An Scotistæ. q. 1. a. 2. cit. à n. 359. usque ad 362. ex subtili Doctore rectè argumententur contra Doctrinam superiorem q. 1. art. 1. Assert. 1. & 2. propositam?

SVMMARIVM.

1. *Possilitatem rerum primò originari ab intellectu divino*, Subtili *non consenat. n. 407. & seq. & iterum 409. & seq.*
2. *Intellectus divinus confert rebus qua ante possibiles erant primum esse positivum ex parte forma, non ex parte objecti. n. 409. & seq*
3. *Productio in esse cognito est declarativa rei extendentia quid illa sit explicatur. n. 409. 413.*
4. *Esse diminutum Creatura ab aeterno est esse secundum quid totius, non partis. n. 412.*
5. *Prioritas in divinis quandam dependentiam indicat, simultas connexionem. n. 417.*
6. *Corollarium de esse diminuto. n. 418.*
7. *Vindicatur* Scotus *ab impostura quorumdam.* ibidem.

PRæmissis iis, quibus quæstione secunda conceptum Creaturæ possibilis explicamus, quæ erant præmittenda ad avitandam confusionem dicendorum, quæ sese aut supponunt, aut sibi cohærent, quid objectiones q. 1. a. 2. factæ efficiant valeantne perspicuum si & quo ad primam objectionem, q. 1. a. 2. N. 359. Sit

ASSERTIO I.

Doctor Subtilis nunquam opinatus est possibilitatem entis ab intellectu divino ita forinsecus rei accedere, ut pro illo signo naturæ, in quo astruit Scotus rem ab intellectu divino produci in esse possibili tunc prius res suam obtineat possibilitatem, eamque intellectus producens anteeat ita, ut illam rei de se ab intrinsecis suis principiis competere neget, nisi intellectus illam prius dederit illi.

407 *Mastrius.* HÆc Assertio probatur etiam ipsi *Mastrio*, quatenus l. c. sub N. 360. asserit logicam possibilitatem ab intellectu quidem accipere suum esse ut ab extrinseco principio, ita ut loquendo de ratione extrinseca sive originativa sive productiva &

Opinio illius & quorundam Scotistarum aperitur,

ctiva dante esse tale vel tale, intellectus divinus est ille, qui principiativè producit creaturam in esse possibili, formaliter verò & intrinsecè possibilitas consurgat ex ipsis rationibus suis formalibus, quas dicit attendendas penes ordinem intellectûs judicantis nullam esse repugnantiam inter illas, hucusque *Mastrius* benè, verum non concedit; si per impossibile auferretur intellectus divinus, super esse adhuc possibilitatem logicam, sive nullam nancisci non repugnantiam ad essendum, vel si sola præscindatur terminatio divinæ mentis in rem possibilem dicit illius nullam esse amplius possibilitatem quæ relinqui queat, eo quod ipsum divinum intellectum non anteeat illa rerum possibilitas, cùm enim apud *Scotum* in aliquo signo naturæ concipiatur ipsa possibilitas rei velut producta ab intellectu divino, antequam apprehendi valeat, ut non repugnans ad existendum à sua quidditate vel ratione formali; cum ista possibilitas, vel non repugnantia, quæ cohæret rei à sua ratione formali, illi postmodum prius congruat in secundo instanti naturæ, scilicet postquam in primo à sola vi intellectûs divini posita est, tanquam à principio extrinseco, non stante in primo signo possibilitate aliqua, quæ traharur à ratione formali entis creati.

Igitur fiet, ut intellectus Dei sit principium possibilitatis entis in primo signo, ac proinde ablato tali principio per locum intrinsecum tolleretur possibilitas entis. Ecce fundamentum Adversantium *Scotistarum*, de quo vide N. 360.

Qua in re de se satis intricata, ut clarè & distinctè procedamus, ostendendum est, quid velit ergo Doctor, dum ex una parte dicit, quod lapis intellectus V. G, hauriat possibilitatem ac esse intelligibile principiativè ab intellectu divino, ab altera autem parte dicit istam possibilitatem referre & habere formaliter à se ipso, quæ si inter se, ut debent, combinentur, luce clarius evadet, quod inprimis possibilitas rei non trahatur ab intellectu divino, tanquam à principio adæquato, ita ut præcisa terminatione divini intellectus in creaturam possibilem utrique aliqua ratione superstes sit prædicatum possibilitatis & non repugnantia ad essendum.

Quæro itaque, in quo consistat ratio illa possibilitatis, secundum quam à se ipso refert possibilitatis prædicatum, dum enim lapis asseritur à *Scoto* quasi principiari ab intellectu divino in esse intelligibili, pariter ut ostensū suprà. N. 355. 356. & 357. pronunciatur ab ipso quod à se & à formali sua ratione referat possibilitatem exere, in quo *Doctor* constituat illud prædicatum, quod formaliter refert à seipso, manifestum est quod non in illo, secundum quod efficitur ab intellectu divino, nam prædicatum, quod alicui accedit ab extrinseca terminatione potentiæ; certè non dicitur nancisci illud à seipso formaliter, quomodo V. G. columna non accipit à seipsa dexteritatem, nec paries *visum esse*; nec quodcunque aliud objectum, *intellectum esse*, quæ sunt adventitiæ denominationes acceptæ ab extraneo, dic, inquam, si possibilitas vel non repugnantia ad existendum ex se rei convenit à sua ratione formali quo pacto prius illi competat in 2do instanti, scilicet postquam in primo instanti ex se jam tum suam possibilitatem habuit? quod ex se formaliter tale est, potestne iterum & quasi secundò illud ipsum effici ab extrinseco? atqui ex se formaliter creaturis possibilibus ad mentem *Scoti* competit illa possibilitas, de qua *Doctor* l. c. dicit illam stare, esto per impossibile nulla potentia ipsam respiceret, & 1. d. 43. quæst. unica §. Sed contra istum, n. 3. *lapis*, inquit, *est possibilis ex se formaliter*, alibi frequenter: ergo hujusmodi possibilitas non obtinetur ab intellectu.

Difficultas ex textu Doctoris.

Sed respondebis, dic & tu quomodo ergò intelligendus veniat *Scotus*, dum pariter dicit ibidem lapis productus est in esse intelligibili per intellectum divinum, & quasi principiativè per intellectum in esse possibili, quod ibi & alicubi Doctor sæpè & repetitò pronunciat. Itaque cùm ita lubeat & hæc Assertio inde stabiliatur,

Sit

* * *
* * *

ASSER-

ASSERTIO II.

Non eo sensu Doctor Subtilis pronunciavit, quod rerum possibilitas principiativè sumatur ab intellectu, quasi Deus producendo res in esse intelligibili sivè cognoscendo rerum possibilitatem faciat eas tunc ab aliquo instanti possibiles esse, sed rebus, quæ erant jam formaliter possibiles ex seipsis, confert aliquod primum esse positivum, quod ante cognitionem nactæ nondum fuerant, ita ut ens possibile ante tendentiam intellectus divini in illud ut objectum, quod erat sola non repugnantia ad essendum & merum ens negativum juxta dicta supra sub n. 395. & seqq. post terminationem divinæ mentis accipiat primum esse positivum ex parte formæ, licèt non ex parte objecti, id est, accipiat primum extare in ratione objecti, in qua ratione ante quasi non erat, delituit, jam verò emergere & dici incipit *cognitum esse*, *manifestatum esse*, quod est quoddam positivum primum ex parte formæ, à qua creatura possibilis denominatur cognita, esto quidditativa ratio creaturæ possibilis, ut condistincta à denominatione cogniti, sit ens reale negativum.

409 EX hoc Asserto habes, quando Doctor dixit rem produci in esse intelligibili, & possibilitatem principiativè haberi ab intellectu divino, eum nihil aliud voluisse, quàm illi post terminationem obtutus divini in ipsum, accrescere primum esse positivum ex parte formæ, scilicet esse objectivum & denominativum esse cogniti & apprehensi, eo prorsus modo, quo dicimus ab intellectu creato ens rationis effici, quia per illum induit positivam illam rationem analogicam entis, quam non pro se ferebat ante terminationem notitiæ in illud, aut eo modo, quo Adam produxit viventia in esse nominabili, vel ut ipse Doctor 2. d. 1. q. 1. §. *Stando igitur præcisè.* n. 14. *sicut in nobis intentiones secundæ producuntur per intellectum, in illo instanti*, inquit, *objectum illud* (intellige ens possibile) *non est ex se actu intelligibile, sed fit actu intelligibile per intellectum, ideò non habet esse in memoria divina ut memoria est, sed producitur actu intelligentiæ in tali esse objecti, sicut in nobis intentiones secundæ producuntur per intellectum, & non sunt in memoria, ut memoria est*, ubi per illa verba cum particula rationali (sed) *Sed producitur actu intelligentiæ in tali esse objecti* explicat seipsum, quid velit, dum ait: non est in illo instanti ex se actu intelligibile, sed fit intelligibile per intellectum, nimirum illius operatione & terminatione in objectum, quod antea non apparebat, jam quasi extunditur ad cognitum esse, & è sui nubilo producitur in intelligibili perspicuo, adeoque post quasi nullam sui extantiam in ordine ad intellectum, jam fieri extans ac apparere sub ratione objectivi cogniti & apprehensi esse, sub quo ante accessum intellectus, etsi ex se jam tum erat possibile, possibilitas tamen quasi in abysso non extantium & cum nondum erutis ad lucem manebat, donec per adventitium illud *cognitum esse*, prodiret in lucem, & latere desineret, atque cum hac explicatione literæ Doctoris convenit *Smising* l. c. sub n. 354. & *Lychetus* super textum 1. d. 43. q. unica sub §. *Nunc Doctor declarat opinionem propriam.* Ubi ait, *tertium dictum est, quod res producta ab intellectu divino in esse possibili sive intelligibili in primo instanti naturæ, habet seipsa esse possibile in secundo instanti naturæ.* Et hoc sic intelligitur, quia lapis in primo instanti naturæ producitur ab actu intellectus divini in esse cognito; & in secundo instanti naturæ habet seipso esse possibile.

Scotus vitè explicatur.

Smising, Lychetus.

Sic tamen intelligendo; quod in primo „ instanti naturæ lapis habet esse cognitum se „ ipso formaliter, sed originativè ab actu intel- „ lectus divini: similiter in secundo instanti „ lapis habet esse possibile seipso formaliter, „ originativè verò ab actu intellectus divini, ita „ *Lychetus* apud quem idem sonant esse cogni- „ tum & esse possibile, & quod nullum signum „ sit in quo lapis possibilis non refert esse cogni- „ tum vel possibile, eo quod à seipso referat non „ repugnantiam ad essendum, quod est obje- „ ctum cognitionis divinæ, in eundem sensum „ ait *Smising* Doctorem non intelligendum, „ quasi Deus cognoscendo rerum possibilitatem faciat eas esse possibiles, *tum quia*, inquit, *prius est, rem esse veram, quàm verè concipi, etiam respectu divini*

Esse possibile & esse cognitum apud Lychetum idem sonant.

divini intellectûs : tum etiam , quia aliàs sibi contradiceret Scotus , cùm dicat eas esse possibiles formaliter ex seipsis. Conformiter adhæc denique *Poncius* in suo *Comm.* 1. d. 36. q. unica super §. *Ad secundum dico.* n. 10. textus ait in *Comm.* n. 6. Deum producere creaturam in esse intelligibili , *nil aliud esse quàm Deum illas realiter intelligere.*

410 Contra hanc interpretationem objiciunt. *Doctor* expressè ait , quod intellectus divinus

Object. 1. principiativè producat rem in esse intelligibili & possibili : Sed productio rei plus dicit, quam meram extundentiam vel solam extrusionem rei ad esse cognitum , quod ad tendentiam notitiæ apprehendentis resultat in objecto, estque productio passiva in esse intelligibili consistens in pura & puta denominatione extrinseca : ergo : *minor* prob. quia quilibet intellectus etiam creatus , posset principiativè rem in esse possibili & intelligibili producere , dum enim tenderet in proprium objectum , illud formaret in esse intelligibili, ac ita sequeretur , cum Deo indubiè à tendentia visionis beatificæ , quæ est expressa & quidditativa Imago Dei accedat denominatio , *intellectum* esse , *cognitum* esse , quod Beatus Deum quidditativè apprehendens illum in esse intelligibili & cognito esse produceret.

Secundò. Secundum dicta q. 1. a. 1. sub *Assert.* 1. n. 35. productio rei in esse intelli- 411

gibili potest analogicè construi cum produ- *Objectio 2.*

ctione physica ad esse actuale terminata , sicut enim physica productio producit rem in esse physico & existentiali , ita hæc productio intellectiva producit rem in esse declarativo , sed est absurdum per intellectum creatum aut etiam divinum Deum posse produci in esse intelligibili , quasi Deus prius non fuisset objectum perspicuum sibi ac in esse intelligibili constitutum : ergo similiter quando *Doctor* ait creaturas in esse intelligibili principiativè originari ab intellectu divino non intendit dicere , quod illi correspondeat productio passiva consistens solum in denominatione extrinseca cogniti esse , quæ est productio entis duntaxat in esse diminuto.

Respondetur ad hoc argumentum & explicatur , quid apud *Scotum* sit esse *diminutum.*

412 R*Espondeo* in forma concedendo majorem negando minorem,pro qua ut ulteriorem prætercam,quam dedimus q. 1. a. 1. a.n. 350. eo usque numerum 353. & prolixiùs legitimam hujus productionis *in esse intelligibili* , *in esse cognito* interpretationem habeamus , produco ipsum genuinum textum , quem Doctor de suo cognito esse tradit 1. d. 36. q. unica §. ad secundum dico n. 10. ubi hæc habet : *Productio ista est in esse alterius rationis ab omni esse simpliciter . & non est relationis tantum , sed etiam fundamenti absoluti : non quidem secundum esse essentiæ vel existentiæ , quod est verum esse , sed secundum esse diminutum , quod esse est esse secundum quid , etiam entis absoluti , quod tamen ens absolutum , secundum istud esse diminutum , concomitatur relatio rationis. Exemplum hujus. Si Cæsar esset annihilatus : & tamen esset statua Cæsaris , Cæsar esset repræsentatus per statuam : illud esse repræsentatum est alterius rationis ab omni esse simpliciter, sive essentia sivè existentia, nec est esse diminutum Cæsaris , quasi aliquid Cæsaris habeat hoc esse & aliquid non , sicut Æthiops est diminutè albus , quia aliquid ejus est verè album , & aliquid non : Sed totum Cæsaris . & esse ejus a causa sua, est verum esse existentia & essentia , totum totius secundum totale esse suum , est illud esse secundum quid , & in ipso secundum istud esse secundum quid. potest esse aliqua relatio ad statuam , & licèt posset poni calumnia in exemplo , non tamen ita in proposito de intellectione & objecto , quin objectum totum secundum etiam totale esse suum diminutum , esse habeat in intellectu.*

Esse diminutum non est tantum relatio rationis, sed aliquid absolutum de quo Scot. 2. *d. 1. q. 1. & d. 3. q. 1. Esse diminutum creatura ab aeterno est esse secundum quid certum non positum.*

Et si velis quærere aliquod esse verum hujus objecti , ut sic , nullum est quærere , nisi secundum quid , nisi dicatur , quod istud esse secundum quid , reducitur ad aliquod esse simpliciter , quod est esse ipsius intellectionis , sed istud esse simpliciter , non est esse formaliter ejus , quod dicitur esse secundum quid , sed est ejus terminativè vel principiativè , ita quod ad istud verum esse , illud esse secundum quid reducitur , ita quòd sine isto vero esse istius , non esset illius esse secundum quid. ita Doctor.

Ex hac *Scoti* Doctrina perspicuum est , quid dicendum ad minorem objectionis , scilicet productionem rei in esse cognito , quam principiatur intellectus divinus non esse aliam quam declarativam rei extundentiam ex nihilo suæ extantiæ in esse intelligibili ad esse intelligibile , illudque ipsissimum Scoti esse diminutum , nil amplius importans , quàm esse repræsentatum . quod Cæsari annihilato accedit ab imagine illius expressiva consequenter per istam productionem creaturam referri seu habere in mente divina esse diminutum , est habere esse objectivum , eo quod non sit positivum esse essentiæ aut existentiæ realis , sed à suppositate sicut esse præsentatum , quod relinquitur Cæsari ab statua , non est nisi denominativum & extrinsecum ; ita illud esse objectivum & esse cognitum seu diminutum creaturæ intellectæ in mente divina, duntaxat est quid extrinsecum & terminativum , quod ab intellectu divino apprehédente relinquitur. *Ad probationem* autem *minoris*,qua dicitur,quod posset Deus produci in esse intelligibili , dum

Beatus tendit in Deum ut objectum beatificum respondimus q. 1. assert. t. n. 352. hic iterum respondetur ex Scoto 2. d. 1. q. 1. §. *Ordenatura accipitur*. n. 17. & est idem locus, quem nobis objiciunt supra q. 1. a. 2. n. 361. quod non quælibet tendentia cognitionis in rem menti objectam, à qua relinquitur cognitum esse, dicenda sit productio in esse intelligibili, sed ea duntaxat, quæ dat objecto, quod antecedenter, id est, ante terminationem cognitionis oc quidem positivum in esse diminuto habeat, primum esse positivum idque ex parte formæ, id est, ut *Scotus* ait. C. ex parte intelligentiæ, *nam in illo instanti*, inquit, *objectum illud* (intellige ens possibile) *non habet esse in memoria divina, ut memoria est, sed producitur actu intelligentia in tali esse objecti, sicut in nobis intentiones secunda producuntur per intellectum, & non sunt in memoria, ut in memoria est.* Ecce Phrasin *Scoti* eò appellantis terminationem cognitionis suæ in creaturam possibilem, productionem, quo vi hujusmodi terminationis accipiat illud ens possibile sive non repugnantia ad existendum primum suæ declarationis & manifestationis positivum ab actu intelligentiæ, seu primæ extensionis formæ intentionalis ad ens possibile, non ergo qualibet in rem tendentia & terminatio in rem possibilem dat rei esse intelligibile. & cognitum esse tale, de quo *Scotus* & nos in præsenti loquimur: Ex quo liquido patet quid sit dicendum ad secundum. His omnibus, ut satisfaciamus iis quæ supra objecta sunt, rite perpensis.

Respondetur ad Argumenta

Q. 1. a. 2. à n. 359. ad usque 361. proposita contra Assertionem ibi secundam & tertiam.

414 *Explicatur & conferetur mens Doctoris Subtilis.* AD *primum* sub n. 359. ubi Doctor tam benè dicit, imò repetitò dicit, quod lapis sit possibilis ex se formaliter, quàm quod producatur quasi principiativè in esse possibili per intellectum, imò concludit & tertiò subdit: *igitur est ex se formaliter possibilis* per illud quod immediatè addit, *& quasi principiativè per intellectum divinum*, ne sibi contradicat sine dubio asseverare voluit, possibilitatem rei, quæ rei ex se competit ab intellectu divino effici in solo esse objectivo & declarativo, nullatenus in esse possibilitatis quidditativo, quidquid illud sit, quo enim fundamento ut supra n. q. 1. a. 1. n. 355. ex propriis *Scoti* verbis ostendimus, tam constanter assereret, ea necessitudinis lege creaturam possibilem suam sibi vendicare possibilitatem, ut semota comparatione ad primam causam, imò data per impossibile primæ causæ implicantia, adhuc creaturæ possibilitas subsisteret, quod certè non stat, si putasset possibilitatem quo ad esse materiale trahi ab intellectu divino, ergo loquitur de illa, ut accipit esse positivum ex parte formæ, & ut extrahitur ex nihilo suæ cognitionis ad esse intelligibile actu seu cognitum esse, atque eadem ratione respondendum ad alium locum n. 5. citati textus, quo dicebatur, quod in aliquo signo concipeietur possibilitas ab intellectu divino, & postmodum prius in secundo instanti ex se res habeat esse possibile, illo enim modo loquendi solum innuitur, quod post terminatam Dei cognitionem in creaturas possibiles in primo instanti, accipiat quodlibet ens possibile V. G. lapis productus, de productione illa creaturarum in esse objectivo primum positivum in secundo instanti, ante quod illi tale ex parte formæ, ad *esse perspicuum*, & ad esse intelligibile, non insuit, quo in sensu rectè asseritur produci in esse intelligibili, cum, ut luculenter explicatum est, non nisi intellectionis divinæ in ipsum terminatæ, hujusmodi positivum, quo transit de non cognito esse ad cognitum esse, nanciscatur.

Ad Confirmationem, & illa quæ affert *Mastrius*, quid respondendum, tum liquet ex dictis, tum ex dicendis in responso ad secundum manifestum fiet, & quidem quare possibilitas à *Doctore* dicatur posterior voluntate divina seu omnipotentia ut est perfectio Dei absoluta, & sic à potiori sit posterior intellectu divino, dicetur mox in responso ad secundum, quod objicitur sub 361. Cætera quæ habet n. 360. omnia concedimus in sensu superius à nobis explicato; quod autem subdit, *rationes formales possibilium attendendas esse penes ordinem ad intellectum connotantem inter se extrema non repugnantia*, si intelligat in ordine ad ferendum verum Judicium, quod illa extrema ex se non repugnent, sed ea non repugnantia terminis primo à se, deinde illis ab intrinseco eadem non repugnantia congenea sit, verum est, cùm autem conceptis verbis ibi dicat, *quod si nullus daretur intellectus potens judicare aliqua extrema inter se esse componibilia, nulla etiam daretur possibilitas logica*, adeoque quod non repugnantia extremorum nullo modo sit extra causalitatem intellectus, non loquitur solum contra *Scotum* qui absolutè possibilitatem astruit, esto per impossibile non esset intellectus divinus ut supra ex ipso n. 355. & 357. ostendimus, sed & falsum allegat prius enim est rem, quæ est extra animam, esse veram & in ratione objecti constitutam, quam concipi ut talem. 415

Ad.

416 *Ad secundum* sub n. 361. ex illis ipsis habent responsum, quæ Doctor illativè subdit: *& ita potest probari, quod prima causalitas respectu causalium in esse cognito necessario sit in tribus personis*, si sint causalia in esse cognito, ergo non est illi sermo de causalibus in esse materiali illius esse cogniti, sed de ipsis causalibus præcisè in esse cognito seu in esse intelligibili extra chaos & ex abysso sui nubili ad esse perspicuum, quâ ratione autem ibi dicat Doctor, esto censuerit creaturas ex se & independenter ab intellectu nancisci suam possibilitatem, quod non attineat pro illo instanti ad memoriam Patris cùm tamen illa sit pro illo instanti illimitata & comprehensiva, explicationem requirit, & solutio aderit.

417 Pro eo itaque recolenda sunt, quæ diximus *Contror.* 12. q. 7. a. 2. in digressione incidentali, & iterum *Contror.* 13. ibi cit. de independentia Dei & perfectionum essentialium Dei à possibilitate entis creati, videlicet etiamsi id quod de facto est possibile fieret impossibile adhuc superesse, quidquid absolutum est potentiæ Dei absque connotatione objecti creati, consequenter nullam anterioritatem, nullam simultatem, nullamvè connexionem reperiri in creaturis ad Deum, prioritas enim apud *Theologos* in actibus divinis quandam indicat dependentiam, simultas quandam connexionem objectorum, qualis respectu creaturæ omninò adversatur divinis perfectionibus, unde non est mirum, quod in illo instanti, pro quo intelligitur memoria fœcunda Patris ad Generationem Verbi, creaturæ non habeant esse possibile in memoria ut memoria est, sicut enim Verbum divinum à creaturis possibilibus, ut à termino & objecto distinctionis suæ pendere nequit, ita nec creaturæ esse objectivum vel esse intelligibile in mente Dei sibi vendicare valent quod Verbi generationem anteverrat, & sicut memoria Patris nullam connexionem dicit cum talibus creaturis, ita nullam earundem simultatem dicit, quæ inter illam memoriam ut Verbi expressivam & ipsas creaturas possibiles inveniatur, rectè itaque *Scotus*, postquam assignasset pro primo instanti productiones *ad intra* absolutas seu independentes ab omni connexione cum creaturis, astruit secundum instans naturæ, in quo intellectus & voluntas comparantur ad creaturas, quòdque pro illo instanti adhuc actu non sint intelligibiles, sed fiant intelligibiles (attende ad *Scotum*) dum producuntur *actu intelligentia in tali esse objecti, sicut in nobis intentiones secundæ producuntur per intellectum*, dicit in *esse objecti* & infra in *esse cognito*, ergo solùm loquitur de productione in esse denominativo, declarativo ex nunquam cognito ad cognitum esse, sicut in nobis secundæ intentiones producuntur, non quod creaturæ possibiles sint ex se ens in anima, quemadmodum secundæ intentiones, in hoc enim nullus *Scotistarum*, qui tenet ens possibile esse ens extra animam, analogiam accipiet entis possibilis cum intentionibus secundis, sed sicut illæ inducunt per intellectum quoddam esse, ita ens possibile per intellectum divinum quoddam cognitum esse modo sæpius præexplicato. Idque sonant expressa Verba *Scoti*, quæ sequuntur, quòd causalitas respectu illorum causalium sit ad esse cognitum.

Prioritas in divinis dependentiam innuit, simultas connexionem.

Congrua interpretatio Doctoris Subtilis.

Ex his liquidò patet, argumenta *Mastrii* nihil effecisse contra Doctrinam nostram q. 1. assertam.

COROLLARIUM

Doctrinæ de *esse cognito* & *esse diminuto* entis possibilis. Vbi vindicatur *Scotus* ab impostura quorundam, qui præpostero conatu sanctissimam Doctoris Subtilis Doctrinam VVickleffiano errori insimulare attentarunt.

418 Itaque hactenus dicta evidenter docent illud *esse cognitum & diminutum*, ut se tenet ex parte formæ cognoscentis esse ipsamet intellicitam Dei intellectionem, ut verò se tenet ex parte objecti, spectari posse semel penes substratum & quasi materiale ipsius cognitionis passivæ, & est ipsum ens possibile quidditativè acceptum, estque ens reale negativum cum connotatione positionis in actu signato; semel & secundo spectari penes passivam Intellectionem, quæ est extrinseca denominatio, eo ipso resultans in creaturis, quò intellectus divinus tendit in illas, tum enim Deus illis creaturis confert esse denominativum, dum eas per tendentiam vel operationem intellectus ad illas terminatam in esse cognito producit, quæ productio fundamentum exhibet, ut creaturis intellectus effingat ens rationis, dum scilicet illud cognitum esse concipit quasi positivum quid adhærens enti possibili ut subjecto. Quare habes, quid sit ad mentem *Doctoris* illud esse diminutum creaturarum in mente divina, habes item quod illud eò asseritur à *Scoto* fundamentum relationis rationis, quò extrinseca denominatio non immutans subjectum intrinsecè, nequeat fundare relationem realem, bene tamen si denominatio ista, seu illud *cognitum esse* apprehendatur ut forma positiva possit dici formaliter ens rationis,

quod ante mentis operam tale erat fundamentaliter, quatenus scilicet realiter verum erat, creaturam à parte rei cognitam esse, in esse intelligibili positam esse, repraesentatam esse, seu uno verbo illam referre esse objectivum in mente divina. *Habes tertiò* cum illud esse cognitum & diminutum nihil sit praeter esse denominativum, quam inscitè nonnulli Catholicam *Scoti* Doctrinam trahere voluerunt ad errorem Wicleffi, qui amarulentiam suam, non veritatem ostenderunt, & meritò perstringuntur à *Francisco Coriolano* 1. p. *S. Bonav.* q. 15. *de Ideis art.* 1. §. *Secunda sententia est Scoti*, cui non est quod superaddam, cùm sufficiat vel solus *Vasquez* qui. 1. p. d. 70. s. 2. n. 8. ostendit, *Scotum* ne somniasse tale commentum, quale illi impegerunt licentiosi isti Theologi *Scotum* non intelligentes, & *Suarez* d. 31. met. *Sect.* 2. n. 2. eadem, inquit necessitate fatendum est, *esse cognitum* sic explicatum creaturis ab aeterno convenire, qua convenit ipsi Deo ab aeterno scire creaturas esse possibiles, & sanè quodlibet Theologus & Catholicus asserere debet, res possibiles ab aeterno à Deo cognitas esse, adeoque habuisse esse cognitum, quod Doctor appellavit *esse diminutum*, & *secundum quid*, ut illud distingueret ab esse simpliciter, vanè proinde excitarent terriculamenta inania, quae pueris, non Viris quadrant.

Ferraria l. 3. c. 1. Bannes. Zumel.

QVAESTIO IV.

Quid solidi afferant Auctores primae classis cit. q. 1. a. 2. n. 362. & seq. contra Doctrinam nostram in eadem q. 1. a. 1. Assert. 1. & 2. assertam, ubi, an aut possibile pendeat à potentia Dei, aut sit tam necessarium & independens ac ipse Deus?

SVMMARIVM.

1. *Possibilitas logica subalternatur necessariò.* 419.
2. *Nullatenus tamen infert aequalem necessitatis gradum cum illo, qui competit Deo.* ibidem.
3. *Ens possibile logicum quo ad formale significatum non pendet ab omnipotentia.* 422. *& seq.*
4. *Pendet tamen ab illa ratione connotati.* ibidem.
5. *Possibilitas logica connotat existentiam non per modum potentiae physicae; sed logicae adinstar habilitatis negativae.* ibidem.
6. *Expediuntur argumenta.* 425. *& seq.*
7. *Cur pendeat à Dei potentia possibile physicum & non logicum.* ibidem.

§. I.

Sitne aequalis necessitatis gradus in essendo, Dei & Creaturae possibilis.

FRancisci Suarez 2. p. l. 9. de Trinit. C. 6. n. 19. opinio est, quòd si possibile spectetur quidditativè, secundum quod refert meram negationem non repugnantiae ad essendum, *non est minus necessarium in sua negatione, quam Verbum divinum in suo esse actuali: quia est sine dependentia ab aliis in illa non repugnantia.*



ASSER-

ASSERTIO I.

Etsi possibilitas logica intra merum possibilitatis conceptum subalternetur necessariò sine ullius contingentiæ admixtione, absolutè tamen potentiæ divinæ, & cuivis perfectioni intrinsecæ Dei principalior & essentialior necessitatis gradus in essendo attribuendus est, quam omni objecto creato in ratione possibilis, cui minus convenit principaliter & secundariò tantum.

419 ASsertio est *Scoti* 1. d. 30. q. 2. §. *Ad secundam quæstionem* n. 15. inter alia sic ajentis: *Nihil aliud à Deo est ita formaliter necessarium, sicut Deus secundum quamcunque positionem, quia si poneretur aliquid formaliter necessarium non tamen sine omni dependentia ad primum necessarium, & ideo non esset ex se necessarium*, quomodo autem hæc necessitatis inæqualitas non adversetur doctrinæ suæ & dictis nostris superius q. 1. a. 1. & q. 3. allatis, quatenus dicimus cum Doctore possibilitatem logicam non esse mutuandam ab aliquo extrinseco, statim infra dabimus rationem, potestque ab actu malitiæ Assertio explicari simili ratione, qua dicimus unam malitiam alia majorem aut minorem absque ullius bonitatis admixtione oppositæ, nam licet quæcunque malitia proscribat omnem boni moralis rationem, manifestum tamen est dari intra latitudinem malitiæ gradum inæqualitatis intensivæ; Ita si spectetur possibile secundum quod refert meram negationem non repugnantiæ ad essendum, tum licet omnino necessarium sit quod cunctam ablegat contingentiam extra totam ambitus sui latitudinem, nequaquam tamen infert tantum necessitatis gradum quantum ipse Deus, quod probatur ex dictis hujus Controversiæ q. 2. sub *Assert.* 4. n. 375. & seq. ubi ostendimus ens possibile esse negationem exercitam seu meram non repugnantiam actualem cum positione signata sive connotata. Ex quibus

420 Probatur Assertio, illud est magis necessarium, quod nec formaliter, nec ratione connotati, id est quod nec in actu exercito, nec in actu signato est dependens ab alio tanquam à principio, quam illud, quod licet formaliter non dependeat, dependet tamen quoad connotatum: atqui possibile logicum, licèt ratione sui prædicati formalis, quod est ipsa actualis non repugnantia, nullum dependentiæ aut entis participati referat conceptum, ut sic enim non efficitur ab ullo agente, quoad illam non repugnantiam, connotat tamen positivam & physicam realitatem effectus, quæ dependet à Deo, cum non sit ens à se, sed ens ab alio ut patet, potentia Dei econtrà & quæcunque perfectio illius intrinseca neque ratione sui conceptus formalis, nec ratione connotati extrinseci dependet ab aliquo extrinseco, quod habeat causalitatem principii respectu illius; ergo potentia Dei & quæcunque illius perfectio est magis necessaria, quàm omnis Creatura possibilis *& cæt.*

Confirmatur ex *Scoto* l. c. num. 16. ubi sic habet: *Respondeo primo, non est illud possibile ex se necessarium in tali esse, etiam necessarium formaliter in esse possibili, sicut est Deus ex se actu necessarius; & subdit in solutione secunda objecti. Secundo nec illæ quidditates sunt ex se necessariæ in illo quidditativo, sed per participationem sunt sic necessariæ entitates* Quibus Doctor loquitur de ente possibili, ut signat entitatem participatam seu ratione connotati, non de illo, ut absque illo respectu ad causam extrinsecam sit formaliter à seipso, quatenus ut suprà luculentius visum, illa non repugnantia etiam ablata potentia Dei adhuc non absumeretur. De quoad expeditiorem intelligentiam & ad obviandum melius argumentis pono Assertionem sequentem, 421

§. II.

In quo sensu possibile logicum pendeat vel non pendeat à potentia Dei.

* * *
* *

ASSERTIO II.

Ens poſſibile logicum quoad formale ſignificatum & in recto non pendet à potentia Dei, pendet tamen ratione connotati, quod exprimit in obliquo.

422 Ratio primæ partis eſt, quia ens merè negativum nequit eſſe objectum vel terminus influxus potentiæ executivæ, ſed ens poſſibile importat pro ratione formali ens negativum: ergo illud non effluit à cauſa prima, ac ea ratione dixit *Doctor*, quod ablata potentia adhuc non tolleretur logica poſſibilitas, *ſecundò* mera negatio non exigit poſitivum influxum principii, ut exiſtat.

Sed ex hoc ipſo arguitur contra *Aſſertionem*. Poſſibilitas logica, eo quod ſit non repugnantia ad exiſtendum, concernit ipſam exiſtentiam: ergo & concernit potentiam Dei, à qua effluit exiſtentia creata, igitur ablata Dei potentia, non manet ſuperſtes poſſibilitas logica.

Poſſibilitas logica connotat exiſtentiam per modum logicæ potentiæ.

Reſpondeo verum eſſe, quod ens poſſibile, quatenus eſt actualis negatio non repugnantiæ ad exiſtendum ratione connotati involvit in obliquo exiſtentiam principii, vel conditionem illius, à quo effici poſſit exiſtentia connotata, quæ eſt ens participatum, ſed malè indè infertur, quod ablata Dei potentia non maneat logica poſſibilitas, hæc enim non connotat exiſtentiam per modum potentiæ phyſicæ, ſed ad inſtar habilitatis negativæ vel potentiæ purè logicæ, qualis ſtat etiamſi per impoſſibile prima cauſa realiter non exiſteret, imo etſi contradictionem involveret, cum datâ tali implicantia adhuc ad id valet, ut quantum eſt de ſe, non repugnaret rem exiſtere, ſi per implicationem cauſæ non impediretur, ſicut etſi implicaret ſubſtantia implens ſpatium imaginarium quale ſpatium, quod & in opinione quorundam habilitas negativa, ſeu non repugnantia ad ſui replebilitatem ſerviret ad hoc, ut ſi daretur ſubſtantia replens, reapſe repleri nil prohiberet.

423 Et ex hoc tertio probatur *Aſſertio* quoad primam partem: poſſibile logicum, etiam data hypotheſi, quod non exiſteret aut poſſibilis eſſet cauſa prima, adeoque nunquam tale ens poſſibile ad actualitatem reduci poſſet, adhuc quoad formale ſignificatum eſſet poſſibile abſolutum ac extractum à ratione meri poſſibilis conditionati: *ergo* non pendet à potentia vel extrinſeco principio: *Antecedens* probatur: quia quantum ad formale ſignificatum & in recto conſiſtit in actuali & exercita negatione; ſed talis, ut detur juxta naturam ſuam, non eget influxu principii poſitivi.

Ratio ſecundæ partis eſt in aperto, quia formalis non repugnantia formaliter eſt ad poſitionem & exiſtentiam, quam concernit in actu ſignato, ut oſtenſum eſt ſupra q. 2. ſub Aſſer. 4. in fine in reſponſo ad objectionis confirmationem. 424

Si dicas quod eo ipſo, quo ens poſſibile poſitionem connotat & exiſtentiam rei, qualis de facto eſſe non poteſt ſine potentia Dei, adeoque connotatio ea ſignatæ exiſtentiæ ſit per modum tranſcendentalis & poſitivæ habitudinis in exiſtentia fundatæ, ac viciſſim potentia Dei neceſſariò referat habitudinem ad ens poſſibile ſaltem tranſcendentalem, adeoque ſi poſſibile fieret impoſſibile, non remaneret potentia, eo quod relatio nequeat ſpectare terminum impoſſibilem & implicatorium. Verùm hæc objectio omnino neganda eſt ex iis, quæ in ſuperioribus non ſemel duntaxat expedivimus, nimirum potentiam Dei non eſſe propter objecta creata, ita ut deſtructo objecto pereat, conſequenter licet potentia phyſicè relata ad productum ita ſit propter effectum, ut illo deſtructo vel implicante implicaret, quomodo ſi implicaret calefactio, implicaret etiam facultas calefactiva, ſecus tamen eſt de potentia Dei, cujus neceſſitas in eſſendo non modò ab exiſtentia ſed ab omni entis creati poſſibilitate ſimpliciter independens eſt.

Deinde quamvis ea connotatio importaret habitudinem tranſcendentalem & reſpectum poſitivum, quod tamen apud *Scotum* 1. d. 30. q. 2. ubi in propriis terminis quærit, *utrum Dei ad Creaturam poſſit eſſe aliqua relatio*, ibi §. *Secundam quæſtionem* nu. 14. & ſeq. omnino negatur, aliunde tamen nihil concluderet, cum nihil implicet tranſcendentalem habitudinem terminari ad impoſſibile, ut alibi eſt determinandum.

* * *
* *

§. III.

Ex dictis expeditè respondetur ad argumenta, quorum citatiò & mentio, ubi pròponantur, in titulo Quæstionis præcessit.

425 AD *primum*, quod proponitis q. 1. a. 2. num. 363. nimirum nullum dari medium inter esse à se & esse ab alio, adeoque cum solus Deus sit ens à se omne aliud & ita ens possibile est ab alio & cæt. Respondetur ex præmissis, cùm possibile logicum in actu exercito sit mera non repugnantia ad essendu n ratione sui prædicati formalis, quod est mera negatio actualis cum positione signata sive connotata, nullum refert entis participati aut participabilis ab alio conceptum, neque sic effluit ab ullo agente, quoad illam negationem non repugnantiæ, licet quoad physicam & positivam realitatem effectus, quam connotat, quæ exposcit Deum ut causam, pendeat à Deo in genere causæ efficientis. Unde *distinguo argumentum*: nullum ens positivum potest assignari medium, quod non sit vel esse à se vel ab alio concedo, nullum ens quod præ se fert meram negationem in actu exercito cum connotatione entis positivi in actu signato sive in potentia, negatur, sicut enim secundum hoc quod est actualis negatio non repugnantiæ non effluit à Deo, ita nec est ab alio.

Creaturæ possibilis ratione connotati pendet à Deo.

Ad secundum quod si per impossibile Deus non esset, tolleretur esse possibile patet in corpore & ex alibi sæpè dictis.

426 *Ad tertium* quod antecedens non subsistat, patet etiam in corpore quæstionis in utroque §. & in digressione incidentali Cont. 12. q. 7. num. 257. & seqq. & alibi. Similiter non subsistit quod infert dicens: *Ergo à fortiori ens possibile est connexum potentiæ*, utpote, quam ut non repugnantia ad existendum concernit ut principium illius existentiæ, adeoque possibilitas logica non potest adstrui non pendens sine Deo.

427 Hanc objectionem tamen ut promisi superius sub num. 398. ita promoveo, & urgeo rem à possibilitate objectiva, quam concedunt Scotistæ esse posteriorem ipsa Dei potentia; Ideo possibilitas objectiva est dependens à potentia Dei, quia spectat potentiam ut rationem ejus in genere causæ efficientis: sed implicat possibilitas logica quæ essentialiter est non repugnantia ad existendum, ut non etiam concernat & spectet potentiam ut rationem ejus existentiæ in genere causæ efficientis, *ergo*: *majorem* conceduht: *minorem* probo: utrumque possibile consistit in actu primò & signato, sicut enim possibile logicum dependet tantum in actu signato à Deo; seu ratione connotati, ut dictum est in corpore, cum non exerceat, sed signet positionem, quæ exigit primam causam, ita etiam possibile objectivum pendet solum à Deo in actu signato, cum nondum sit ens actuale: atqui possibile objectivum etiam in actu signato ita dependet à Deo, ut implicet non dependere ab illo: ergo similiter implicat possibile logicum, quod non dependeat à Deo.

Respondetur hanc instantiam facilè infringi ex dato superiùs discrimine inter possibile logicum & possibile objectivum ab *Aureolo* & aliis appellatum possibile physicum, nimirum quia imbibit essentialiter virtualem inclusionem esse physici & positivi effectus in causa, quæ est ipsamet quidditas causæ connotantis effectum, possibile logicum econtra dicit meram negationem non repugnantiæ ad essendum cum connotatione tantum extrinseca positionis in actu signato, unde dependentia possibilis objectivi a Deo non est posita in dependentia actus signati nisi quà imbibit virtualem inclusionem esse positivi effectus intra eminentiam causæ, quam non importat possibile logicum, licet ergo concernat esse positivum in actu signato, per hoc non est asserenda dependentia possibilis logici à Deo, quatenus est negatio non repugnantiæ, qualiter autem ratione connotati dependeat, abundè dictum est in corpore quæstionis.

Discrimen logici possibilis à physico.

Ad confirmationem sub num. 364. luculentè responsum est in actis q. 2. sub Assert. 4. à num. 396. usque ad 401. quò remitto Lectorem.

* * *
* *

QUÆSTIO

QUAESTIO V.

Diſcutitur, quid denique comportent Auctores in Quæſt. ſecundæ claſſis citati q. 1. a. 2. n. 365. contra doctrinam ibi. a. 1. Aſſer. 1. & 2. datam. Vbi an poſſibile logicum pendeat à Deo in genere cauſæ exemplaris.

SUMMARIUM.

ASSERTIO UNICA.

Poſſibile logicum ſpectatum in ſeipſo non trahit à principio extrinſeco ſed à propria ſua quidditate habilitatem ſeu à ſeipſo eſt non repugnantia ut ſit exemplatum à Deitate.

428 EST conformis *Scoto* 1. d. 36. q. unica n. 13. textum vide q. 2. ſub *Aſſert.* 5. num. 404. quam huc reſcribere ſuperfluum eſt.

Probatur Aſſertio ratione deprompta ex *Scoto* ibi. Poſſibile & impoſſibile ſecundum ſe ſpectata proſcripta quacunque comparatione ad cauſam extrinſecam, v. g. homo & chymera ad hoc ut à Deo exemplentur, vel æquè repugnant, vel non æquè repugnant. Si primum ergo ſicut chymera per nullam potentiam poteſt pendere à Deo in genere cauſæ exemplaris, ita nec homo, ſed hoc nemo dixerit; ergo nec hoc primum: manet itaque ſecundum, quod non æquè repugnent: ergo competit enti poſſibili formaliter à ſe, quod ſit non repugnantia ut poſſit ideari à Deo, quomodo chymeræ contradicit formaliter à ſe eſſe tale à Deo ideatum, idque Doctori l. c. num. 14. conſonat ſic ajenti: *Homini in æternitate ineſt non eſſe aliquid & chymera non eſſe aliquid, ſed homini non repugnat affirmatio, chymera autem repugnat*, ac ut oſtendat illius non eſſe penitiorem rationem invenibilem, ſubdit; *ſed quare,* inquit, *homini non repugnat & chymera repugnat? ratio eſt quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud, & hoc in quocunque intellectu concipiente*; ac ſi diceret chymeræ repugnat poſitio in actu ſignato, ut à Deo in genere cauſæ exemplaris pendere poſſit, quid eſt chymera, cui id repugnat, ut ultima ratio illius deferenda ſit in naturam talis entis; & homini non repugnat poſitio in actu ſignato, non quia prius pendet à Deo in genere cauſæ exemplaris, ſed quia eſt talis naturæ, ut illi non repugnet, poſſe ſic à Deo pendere in cauſa exemplari & ideali, quod amplius elucidat dicens: *Nec hoc fingendum quod homini non repugnet, quia eſt ens in potentia, & chymera repugnat, quia non eſt ens in potentia, imò magis è converſo, quia homini non repugnat, ideo poſſibile eſt potentia logica, & quia chymera repugnat, ideo eſt impoſſibile impoſſibilitate oppoſita.* Ergo ſicut ex mente *Scoti* ideo eſt ens in potentia ſeu poſſibile logicum quia non repugnat, ideo pendet à Deo in genere cauſæ exemplaris, quia illam dependentiam antevertit non repugnantia ad ita à Deo dependendum, ſive quia illi non repugnat iſta dependentia.

Poſſibile & impoſſibile an æquè poſſint exemplari à Deo?

Confirmatur Aſſertio ex *Scoto* 1. d. 7. q. *unica* §. *Ad quæſtionem igitur reſpondeo.* num. 7 ubi expreſſè docet, ſi per impoſſibile ante mundi creationem Deus non fuiſſet, fuiſſet tamen aliquis intellectus componens hanc, *mundus erit*, ſi poſtea Deus potens creare mundum eſſe incepiſſet, hæc fuiſſet poſſibilis, non propter aliquod principium in re poſſibili, non propter activum ſibi correſpondens, ſed quia termini non repugnarent ſeu propter ſolam non repugnantiam terminorum vide literam *Doctoris*, quam produxi q. 3. hujus Cont. a. 1. num. 355. quæ ſi adjungatur illi quam ſuperius citavimos & ſubinferius *probatione tertia* aſſeremus Scotiſtis, quidquid dicat *Sichen* cit. num. 366. non eſt integrum dubitare de mente Scoti, quod

Poſſibile logicum fuiſſet, eſto per impoſſib. non fuiſſet idem.

De Scoti mente, quòd dixerit poſſibile logicum independens à Deo, Sco-

tiſſa nec dubitare debent. quod voluerit logicam possibilitatem à Deo sive in genere causæ efficientis, sive in genere causæ exemplaris independentem.

429 *Probatur secundò* à causalitate Dei ad extrà; nulla Dei causalitas seu influxus Dei ad extra est necessarius, sed omnis talis liber est & contingens: ergo & causalitas exemplaris seu influxus ad ideandum effectum, quicunque fuerit, Deo liber erit, consequenter attenta natura libertatis qua potest terminari ad opposita objecta ad extra vel posset fieri, ut possibile fieret non possibile, aut vicissim non possibile fieret possibile, vel non posset fieri: primum nemo dicat, implicat enim, quod ex se est logicè possibile & chymeram esse repugnat, fiat chymera & impossibile, aut fiat repugnantia ad existendum, quod est non repugnantia ad existendum: Itaque secundum dicendum, *quod non posit fieri*, da rationem, qua re non potest fieri? aliam non invenies præter eam *Scoti* 1. d. 37. q. unica. num. 14. *Prima omnium ratio & non reducibilis ad aliam, quare homini non repugnat esse*, adde & idem est, quare illi non repugnat à Deo pendere in genere causæ exemplaris, *est, quia homo formaliter est homo, & hoc sive in re realiter, sive in intellectu conceptibiliter, & prima ratio, quare chymera repugnat esse; est chymera in quantum chymera*; quid desideramus clarius ad probandam possibilitatem entis tam parum pendere à Deo in genere causæ exemplaris, quàm in genere causæ efficientis, volo nihilominus tertiam superaddere probationem.

430 *Assertio* itaque tertiò probatur. Patroni hujus opinionis, cum videant nihil posse effici à divina potentia ad extra, quod non reali aliquo influxu procedat, ac proinde cum possibilitas entis non in tempore, sed à tota æternitate rebus congruat, si esset dependens a causa efficiente fieret, aut quod Deus ab æterno operatus fuisset possibile Creaturarum per veram actionem ad extra, quod est contra fidem, aut quod ens possibile suam possibilitatem sortitum fuisset non ab æterno, sed in tempore, idcirco ne in alterutrum incidant absurdum, fatentur ens possibile non pendere à Deo in genere causæ efficientis, ne tamen propterea videantur asserere illud omni modo esse imparticipatum quid, ac independens à Deo, volunt illud dependere à Deo velut à causa exemplaris quod sufficit, ut sit saltem implicitè, ut ait *Suben*, ens participatum atque à Deo dependens. Verum hæc doctrina rejicitur *primò*, tum quia secundum Philosophum & multorum opinionem causa exemplaris non est diversa a causa efficiente, cum non sit nisi causa

Causa exemplaris & efficiens mutuo se trahunt & complent.

efficiens rationabiliter sive per intellectum, unde in superioribus de *cont.* de ideis q. demonstravimus quod idem prorsus sit effectus causæ exemplaris & efficientis: consequenter, quod dependet à Deo in genere causæ exemplaris eo ipso dependet etiam in genere efficientis; tum etiam, secundò quia causa exemplaris ordinatur ad operationem & effectionem, definitur enim exemplar esse id, ad quod operans respicit, ergo videtur implicare effectum dependere à Deo in genere causæ exemplaris & non efficientis.

Adhæc *Granadus* respondet apud *Brinzennum cont.* 12. in *appendice* de *possibilitate entis* num. 41. duas functiones competere exemplari erga exemplatum una est, qua efficiens contrahit & dirigit ad edendam talem vel talem speciem, ac illud munus exercere nequit nisi agens producat physicè ideatum. Secunda functio est non spectans immediatè ad agere, sed ad ipsum exemplatum, quod immediatè specificat per modum causæ formalis extrinsecæ: prima functio involvit rem in actu exercito; secunda solum in actu signato, quare licet possibile non est ens actuale exercitum, sed solum potentiale & signatum ita saltem illa causalitas exemplaris imò ut arguunt alii, causalitas efficientis, quam præstat Deus deferri non debet possibilitati entis per modum actualis & exerciti influxus, sed tantum signatæ & potentialis causalitatis, sicut ipsum possibile solum est quid potentiale & signatum, nullatenus quid actuale & exercitum: hic discursus, qui primo obtutu haud infundatus occurrit, attamen nil obtinet, & optimè à *Brinzenno* l. c. num. 13. & iterum 48. eruditè & scitè occluditur, quod licet ens possibile, ut refertur ad actualem & exercitam conditionem existendi, sit quid potentiale, quatenus tamen secundum nostram doctrinam dicit meram non repugnantiam ut pro tali tempore existat, quid, actuale & exercitum est. Cum ens possibile non sit in potentia non repugnans ad existendum, sed in actu non repugnans aliàs non esset actu possibile, sed esset possibile potestate ad ipsam possibilitatem. 431 *Instantia non contemnenda.*

Aut igitur (concludit) talis non repugnantia ad existendum, quæ actu, & non potentia cohæret enti possibili, est mera negatio, ut voluit *Scotus*, ac proinde non pendet a prima causa in aliquo genere causalitatis positivæ & realis. Aut est vera positio pendens à Deo exemplariter & tunc aliquid aliud à Deo, necessariò & non liberè terminaret causalitatem Dei ad extra, quod est absurdum; ita optimè *Brinzenno* datum responsum infirmum esse, Scotique sententiam infractam esse ostendit. *Brinzenno.*

* * *
* *

Respondetur ad rationes allatas in oppositum q. 1. a. 2.

432 Quam intricata fuissent responsa ad has & superiori quæstione difficultates objectas, nisi præmissa fuisset quæstio secunda hujus Controversiæ, in qua natura & status totius possibilitatis rerum elarè expenditur, tam obvia sunt modo ad singulas objectiones, ut præter dicta vix opus sit aliud afferre, ita quidem illud, in quo se fundat *Sichen* num. 366. præter hoc quod explosum sit per hæc, quæ diximus sub *Asser.* 4. & 5. q. 2. insuper hic nullo negotio corruit ex probatione tertia & responsione Brinzenni.

Quod ab aliis affertur ibi num. cit. uno similiter verbo solutum manet, quod sicut possibile logicum, de quo nobis est sermo, duntaxat est mera non repugnantia & habilitas negativa ad existendum, ita & ratio imaginis Deitatis quæ cujuscunque Creaturæ etiam visionis beatificæ, esto sit species expressa Deitatis, in illo statu possibilitatis, est tantum negativa seu non repugnantia, ut Deum exprimere possit, quantum est de se, esto Deus non existeret juxta passim dicta.

Consectarium contra illos, qui ponunt possibilitatem rerum in denominatione possibilis sumpta ab omnipotentia divina.

433 Ex *his* argumentis incidenter observandum propono, non benè explicari possibilitatem rerum per denominationem extrinsecam desumptam ab omnipotentia divina, quem loquendi modum meritò rejicit *Scotus* supra afferens quod circumscripta omnipotentia activa in rerum natura adhuc darentur multa logicè possibilia, imò omnia ea, quæ modo dantur, cum tunc, sicut nunc omnia prædicata dicerent non repugnantiam ad posse invicem connecti, quæ sola sufficit ad esse possibile logicum, sicut & sola repugnantia eorum, quæ sunt incompossibilia ad constituendum impossibile, seu ad reddendas enunciationes terminorum de se implicatorias, non ergo, ut dicantur res possibiles & impossibiles, trahunt ab habitudine quadam ad Omnipotentiam Dei, sed à rationibus suis formalibus, quantum enim est ex parte divinæ Omnipotentiæ, cum illa sit infinita virtus, si ab illa staret, æquè posset producere Chymeram ac hominem, quod autem non possit, est quia id Chymeræ repugnat, econtra, quod hominem producere possit, est quia illi formaliter & de se non repugnat.

Possibilitatē non trahi ab omnipotentia, nec esse denominationem ab illa desumptam

Si opponas non esse eandem rationem de possibilitate, quæ est de impossibilitate, contradicit prima & secunda ratio ex quibus, & ex Auctoritate *Scoti* ibi adducta ostendimus, non esse fingendum hanc esse veram, quia Deus Chymeram producere nequit, seu quia non est ens in potentia, ideo Chymera repugnat, similiter hanc, quia homo est in potentia, ideo non repugnat, sed econverso, quia Chymeræ repugnat, ideo à Deo illam produci repugnat; & quia homini econtra non repugnat, ideo produci potest, deinde extra dubium est Deum videre in ente possibili aliquid, ratione cujus sit possibile possitque habere denominationem possibilis ab omnipotentia Dei, quale sanè non videt in Chymera: ergo Chymera habet ex se formaliter aliquam repugnantiam, quam non habet ens possibile ac vicissim illud habet aliquam ex propria sua ratione non repugnantiam, quam non habet Chymera.

* * *
* *

QVÆSTIO

QUAESTIO VI.

An creatura possibilis sit quid medium inter ens reale & rationis, ubi brevis occurrit relectio super doctrina *Poncii* & *Mastrii* Scotistarum Recentiorum de ente possibili.

SUMMARIUM.

1. *Ens possibile non est quid medium inter ens rationis & reale.* 434.
2. *Mastrii rationes exarmantur à n.* 437. *usque ad finem* quæst.
3. *Ens possibile cur de sua asseitate gloriari non possit.* 439.
4. Animadversio justa in censuram & doctrinam Mastrii. 440.
5. *Mastrius amplius refutatur, & doctrina Poncii stabilitur.* 442. & sequentibus numeris.
6. Poncius *vindicatur à pertinaci censura Mastrii. n.* 442. §. Ad sextum.
7. *Quis fuerit error* Wicleffi. ibidem.
8. *Possibilitas proxima inde trahatur. numero* 443.

ARdenter hac de re digladiantur inter se *Poncius* in metaphysica disp. 69. q. 5. in *additione* ibi, & *Mastrius* similiter in metaphysica. d. 8. q. 1. a. 2. & Tomo 1. de Deo disp. 3. de intellectu divino q. 2. de ideis divinis. art. 2. in replica per totum.

ASSERTIO I.

Illud esse, quod creaturæ dicunt ab æterno, tam in recto quam in obliquo, non est quid medium inter ens, quod est in anima, & ens quod est extra animam.

434 HÆc est contra *Poncium*, qui quoad hoc à *Mastrio* in Metaph. l. c. & Tomo 1. de Deo. d. 3. & q. c. rectè impugnatur, primo quod illud esse debeat dici ens reale, cùm apud *Philosophos* per ens reale & extra animam non tantum intelligitur, quod actu existit, sed & quod existere potest, ut ostendimus supra q. 2. in allatis pro *Assertione* quinta.

Ens possibile non medias inter ens reale & rationem. *Secundò*, quia ens reale in tali acceptione, id est, pro eo quod vel actu existit vel cui existentia non repugnat, contradictoriè opponitur enti rationis, ac utrinque sibi in suis rationibus formalibus ita contradicunt, ut neque aut per extremorum, ut patet participationem, aut per abnegationem extremorum illud esse creaturarum ab æterno extans, inter illa medium esse valeat, neque fuit mens *Poncii*, ut satis patet in sua additione, ubi *Mastrii* argumentis respondet, eatenus illud ponere medium, ut si quis interrogaret, an ens possibile rerum sit rationis vel reale, etsi *Poncius* responderet, non esse reale in hoc sensu, quod non sit actu realiter existens, indubiè tamen diceret esse reale, & ita sub hoc realitatis extremo contineri, ut sit adæquatè oppositum & contradistinctum enti rationis, esto haberet quandam proportionem seu similitudinariam faciem cum ente rationis in hoc, quod, sicut ens rationis non existit reapse, ita illud ens reale Creaturarum ab æterno actu non fortiatur existentiam, esto existentia illi non repugnet, in quo differt ab ente rationis, atque eatenus esse quoddam medium inter ens reale & rationis, in quo sensu cum *Poncius* locutus sit, ad bonum & accommodum intellectum suam doctrinam reducit, ut non sit tanta criminandus censura, qua eum. II. cc flagellat *Mastrius*, quasi fomentum præbeat calumniis eorum, qui Doctori nostro errorem Wicleffi impluml calamo & veri vacuo adstulare voluerunt, tale quid, qui ex hac sic explicata doctrina *Poncii* trahere vellent, haud leviter lippiunt. Sed pergamus ad Relectionem, & collationem doctrinæ eorundem.

Defenditur Poncius contra Mastrium.

435 Ulterius à *Mastrio* impugnatur *Poncius* d. 8. met. n. 14. & d. 3. de *Deo* q. 2. n. 56. quod dicat illud esse Creaturarum ab æterno esse independens à Deo, quantum adhoc, quod non fiat, nec per intellectum, nec per voluntatem divinam, sed quod competat ipsis à seipsis formaliter sine conjunctione ullius causæ efficientis, quæ doctrina cùm à nobis superius q. 1. & q. 3. 4. & 5. tradita sit, adeoque ejus impugnatio tam impetit nostram, quam *Poncii* doctrinam, argumenta *Mastrii* prorsus abigemus, & sunt, quæ sequuntur.

Argumenta *Mastrii.*

436 Primò itaque opponit, quod possit gloriari Creatura, quod habeat aliquod esse à seipsis omnino independenter à Deo. *Secundò* de ratione creaturæ est, quod in quocunque suo esse, quo recedit à nihilo, sive sit esse diminutum sivè completum dependet à Deo, nam totum esse ipsius est participatum. *Tertiò* quia quod semel est imparticipatum, semper deinceps est tale, ergo quando postea completur in tempore per existentiam, participatum esse non potest. *Quartò*, quia hic dicendi modus est absurdior, quam *Henrici*, quia hic ponebat dependentiam esse realis, quod Creaturis tribuebat à Deo tanquam à causa exemplari, *Poncius* vero ponit esse diminutum (esse diminutum à *Mastrio* accipitur pro ipso esse possibili quod semel pro semper observandum) Creaturarum omnino independens à Deo.

Mastrius.

Nostra & *Poncii* Responsa.

437 *Fundamentum Mastrii.* Evasiones, sic vocat responsa, quæ *Poncius* affert, facile præcluduntur, inquit, *Mastrius* l. c. de intellectu divino q. 2. num. 57. notatque ibi aliud esse, quod res habeant possibilitatem *ex se ipsis*, & aliud quod habeant *à se ipsis*, primum, quo explicatur habitudo formalis, solum significat, quod intrinsecè Ita se habeant, ut non involvat aliquam implicantiam, nec eis repugnat esse, verissimum est. Secundum quo per particulam *à se vel ab alis* denotatur habitudo causæ efficientis, est prorsus falsum, quia significat, quod illam intrinsecam possibilitatem habeant à se ipsis, & non communicatam ab altero, sed independenter à quocunque extrinseco, quod sine falsitate asseri nequit, quare quod *Poncius* in omnibus solutionibus datis asserit, Creaturas ab æterno habere esse possibile non tantum ex se ipsis, sed etiam à seipsis non tantum in genere causæ formalis, sed etiam in genere causæ efficientis, nullo modo concedi potest.

438 *Refutatur ratio Mastr.* Sed totum hoc fundamentum Mastrii in arena & sabulo nec ratione nec auctoritate compacto positum esse ostenditur à principio usque ad finem hujus Controversiæ ubique Doctoris nostri clarissimam literam asserentis in oppositum, quod esse Creaturarum ab æterno non solum habeant ex se ipsis, quod possibiliter existere in tempore, sed & à se ipsis, lege q. 1. asser. 1. num. 354. & seqq. & *assertionem* secundam num. 357. an non *Scotus* ibi expressè sub num. 355. doceat intellectum divinum nullo modo conferre Creaturis logicam possibilitatem, quasi illa, quoad formale significatum suum effluat ab intellectu operativo Dei, ad hæc lege *quæst.* 3. & binas in ea *assertiones*, lege *quæstionem* quartam, quæ expressè in trutinam vocat, an ex mente *Scoti* ens possibile ab æterno pendeat à Deo, lege item *quæstionem* quintam, & ubique invenies, si cum *Scoto* loqui velis, non subsistere præjactum Mastrii fundamentum.

Progrediamur itaque ad rationes in particulari. *Ad primam* responsio *Poncii* non supponit falsum, quod Creaturæ possibiles, qua tales, à se ipsis habeant formaliter quod eis non repugnet, quod sint possibiles, quod sint non repugnantia ad existendum *& cæt.* Consequenter optimè respondet & retorquet argumentum in *Mastrium*: si possent Creaturæ, eò quod à seipsis habeant suam non repugnantiam ad existendum, gloriari, quod similiter gloriari possent, quod ex seipsis & intrinsecè habeant, ut non repugnet illis esse, & sicut hoc non videtur *Mastrio* inconveniens, ita nec alterum videri debet, quamvis revera hæc objectio parum succi habeat, quomodo enim gloriabitur purum non ens, quod de se sit & à se negatio? Soli Deo honor & gloria, quia est ens à se, ens infinitum à se, omne bonum & totius boni satiativum à se hoc ens à se, tantum recedit ab ente possibili, quantum Deus à nihilo id est in infinitum, quando itaque dicimus ens possibile esse à se idem est ac dicere nihilum esse à se negationem, non repugnantiæ ad existendum quæso quis dicet hoc esse objectum gloriationis? nonne illi quodvis minutulum actualitatem suam opponere posset, si enim *melior fit canis vivus Leone mortuo* Ecclesiastes 9. non est, cur stercus potius de sua actualitate gloriari nequeat, quia ipsi *ex se* competat ratio formalis, quàm pura negatio non repugnantiæ, de quo namque nihilum assurget in altum? de sua nihileitate? aut de eo quod connotativè importat, aut in actu signato & potentiali? vide acta & dicta q. 4. *Asser.* 2. ubi expressè statuimus ens possibile ratione connotati pendere non ab intellectu divino solum, sed ab ipsa 439

Dei potentia seu divina voluntate, de ente possibili autem quo ad connotatum in proposito non disceptamus, sed de ipsa non repugnantia ad existendum, quam dicimus creaturæ à se & ex se formaliter competere: ergo creaturæ potius gloriari possent, quod illis ex suipsis & intrinsecè non repugnet habere, quod habent, non quod à se habeant non repugnantiam ad existendum.

440 Ex quo patet ad secundam rationem, quæ seipsam annihilat, & nostram opinionem affirmat, quia, inquit, de ratione creaturæ est, quod in quocunque suo esse quo recedit à nihilo, dependeat à Deo, sed ens possibile non recedit à nihilo ut q. 2. n. 404. ostensum est ex *Scoto* 1. d. 36. q. unica n. 13. ubi conceptis verbis ad objectionem, *quod tunc unum nihil magis est nihil, quam aliud nihil*, respondet sub n. 14. *textus*, concedens, quod homini in æternitate insit *non esse aliquid*, & *chymeræ insit non aliquid*, optimè proinde & conformiter ad mentem *Scoti Poncius* respondit, quod propriè loquendo ens possibile non recedat à nihilo, neque satisfacit ea *Mastrii* acceptio entis possibilis, semel pro eo, quod actu non est, illudque possit dici non ens sumendo ens verbaliter, ut sensus sit quod non est existens; semel sumendo ens possibile nominaliter ac essentialiter, quod tunc possit debeatque dici ens; quando enim accipitur ens possibile nominaliter ac essentialiter est formaliter ipsum non ens, seu quod non existit; quomodo enim cum in neutra acceptione extrahatur ratio entis possibilis extra statum possibilitatis & objectum scientiæ simplicis intelligentiæ, erit in una ens, & in alia non ens manens in eodem statu & objecto non entis, unde revera opponens totum concedit, quod intendit nobiscum *Poncius*, quamvis verbis neget. *Poncius à sensu.* Quod autem urget de illo esse diminuto, quod in illo consistat esse essentiæ, secundum quam æquè pendeat creatura à Deo, ac secundum esse existentiæ est contra ipsummet *Mastrium*, vel nimium probat, nam cùm ipse velit *illud diminutum* creaturæ esse à solo intellectu Dei, existentia autem est à voluntate seu Omnipotentia Dei, fiet illud diminutum dependens esse à voluntate Dei ac ipse actus existentialis, quod tamen ipse negat figens nobiscum in hoc discrimen possibilis logici à possibili physico & objectivo, quod hoc concernat potentiam Dei, illud minimè. *Deinde* perperam confunditur à *Mastrio* n. 57. cit. disp. de ideis & n. n. sequentibus ibi, esse diminutum cum ipsomet esse rerum possibili, quod *illud esse diminutum sit realiter identificatum, quantum ad omne positivum cum ipso esse reali simpliciter, imò esse ipsummet esse simpliciter*, ut expressè habet l. c. n. 59. *ante finem*. Esse rerum possibile est negatio non repugnantiæ ad existendum, esse diminutum quid sit vide q. 1. hujus Cont. a. 1. & q. 3. per totum, signanter sub Assert. 2. & demùm ad finem quæstionis in Corollario ubi exactè dicitur esse diminutum, quod à *Scoto* dicitur esse fundamentum relationis rationis, de se autem; si spectetur penes passivam intellectionem, nihil esse præter putam & putam denominationem *cogniti esse*, eo ipso quo creaturæ possibiles tendentiam divini intellectus terminant, in sua essentia in secundo instanti naturæ intuentis illas, esto itaque producat intellectus illud esse cognitum objectivè in seipso, non tamen ipsum ens possibile, qua dicit illam non repugnantiam ad existendum, (de connotato illius non loquimur,) majorem proinde propter illud *μηδὲν ἄγαν* a *Mastrio* exspectassemus modestiam, qui revera in confutando Poncio graviter excessit, dicendo quod utatur *perverso loquendi modo & pessimè dicat* possibilitatem logicam esse imparticipatam & à Deo independentem, *& quod Catholicè loquendo nullum esse reale admitti possit in creatura, quod dicatur imparticipatum*, quid restat nisi ut dicat clarius *Poncium* arietare contra fidem, nosque eadem censura feriat, quod totum provenit inde, quod hic Auctor sua potius sensa, quam *Scoti* sequatur penitus assumens pro principio, quod ens possibile imò ipsum diminutum ut l. c. ex ipso adduxi, sit realiter ipsum esse reale simpliciter & actuale, quod falsum esse luculenter remonstravimus q. 2. hujus *Controv.* Asser. 4. ubi ex professo hoc Mastrii dogma explosum est, & amplius Assertione 5. opponendo illius doctrinæ genuinam literam & mentem Doctoris nostri, vide ibi acta hic non rescribenda, sed relegenda, & videbis *Poncium* ad rationem aliam adductam à *Mastrio* disp. 8. metaph. c. n. 36. dicendo non esse responsione dignam, non nescivisse, ut de illo *Mastrius* ait, quid respondendum, sed judicasse Tyronibus & mediocriter in Metaphysica versatis patere nullitatem argumenti, quod fundatur in transitu ab ente possibili, ad ens actuale nimirum, si haberet natura intrinsecam possibilitatem à seipsa, ergo à seipsa quoque posset habere actualitatem, quia possibilitas à se & independens excludit omnem causam efficientem, quæ ipsum promoveat ad actualitatem, quis non videt alogum hoc & frivolum esse? quæ sequelæ ratio in his: ens possibile est à seipso possibile est à seipso possibile, & qua tale excludit à seipso causam efficientem, non ens enim nequit terminare efficiens, ergo à seipso est actuale? & qua actuale excludit à seipso principium seu causam actualitatis? & ens possibile à seipso est ens negativum connotans positionem in actu signato; ergo ens actuale est ens à seipso in actu exercito? status possibilitatis infert à seipso non esse rei actuale, ergo status actualitatis infert à seipso esse rei actuale? si ille processus valet, valebit & iste: ens possibile est ens negativum, seu importat non ens; ergo ens actuale & positivum est ens negativum & non ens: ens possibile connotat positionem in actu signato: ergo ens actuale con-

μηδὲν ἄγαν.

Mastrius excedit in censurando Poncium.

notat positionem in actu signato, quæ quæso proportio ad inferendum unum ex alio, *existentia rei*, inquit, *proportionatur essentia, & possibilitati actualitas, quod ergo est à se possibile, poterit & à se existere, nam cernimus in Deo quia ejus possibilitas est independens & imparticipata ideò est à se & non ab alio.* Loquitur hic Auctor, ut suppono de illa essentia, quæ est ab æterno, quæ est ens in potentia, non de ipsa essentia actuali & exercita, quæ realiter est ipsa existentia, essentia ut est ab æterno, qualiter proportionari debet existentiæ abundè enodatum est q. 2. hujus *Cont.* Assert. 4. & iis, quæ ibi sequuntur, quod eadem essentia, quæ fuit à seipsa possibilis, postea per efficiens fiat actualis secundum omnia illa, secundum quæ fuit possibilis, ac in eo consistit proportio, quam insuper clarissimè descripsimus q. 1. hujus *Cont.* a. 1. n. 351. *probatione* secunda pro *Assertione* prima, in eo autem, in quo proportionem quærit *Mastrius*, tam necessariò est disproportio inter ens possibile & actuale, quam necessariò possibile qua tale, non est actuale, & actuale qua tale, non est possibile, vel necessariò varianda hypothesis, ut relicta essentia ab æterno possibili, quam non semel diximus constitutam in sola non repugnantia ad existendum cum connotatione positionis in actu signato, alia proportio illa existentiæ cum essentia quærenda in essentia actuali, non in possibili, tunc verum est si essentia est à se, etiam existentia est à se, sicut in Deo cernimus, sed hic processus saliat extra chorum, & mutata hypothesi *fallacia* committitur, ut patet evidenter. Itaque cum particula *à se* non egrediatur possibilitatis statum, sed concludatur intra non repugnantiam ad essendum, intra chaos non esse rerum, tamdiu, donec superveniat agens, quòd educat ex nihilo sui ad aliquid sui, certissimum est ens possibile ratione connotati, non excludere, sed exigere agens, quod ipsum promoveat ad actualitatem, absona proindè est consequentia *Mastrii*, ad quam *Poncius* nunquam scienter respondere potuisset, quam ut, ait *Trajanus*, nihil respondendo, præsertim *Scotista*, cui ut supra dixi non est integrum dubitare de mente *Scoti*, quod voluerit logicum possibile à Deo sive in genere causæ efficientis sive exemplaris independentem, *non est*, inquit Doctor, *fingendum*, quod homini non repugnet, puta existentia, quia est ens in potentia, & chymeræ repugnet, quia non est ens in potentia, imò magis e converso, quia homini (subaudi à seipso) non repugnat, ideò possibile est potentia logica, & quia chymeræ (subaudi à seipsa) repugnat, ideò est impossibile impossibilitate opposita, quod autem ibi loquitur de repugnantia à seipsa, quam seipseitatem videt ipse Deus in ente V.G. homine possibili, & non videt in chymera seu in impossibili, præter loca citata vide actum q. 5. hujus *Cont.* per totum.

Refutatur amplius *Mastrius* & vindicatur *Poncius*, quem perperam *Mastrius* quasi errori *VVickleff* faventem dicit censuratque.

441 Deinde cit. *disp.* 3. de intellectu divino q. 2. de ideis divinis n. 59. arguit *Poncium* quod dicat de ratione creaturæ duntaxat esse, quod sit ab alio, quantum ad esse reale simpliciter seu esse existentiæ, non autem quantum ad esse possibile, idque impugnat *primò* de ratione creaturæ est, quod à Deo dependeat quo ad omne suum esse, quod habet extra Deum. *Secundò* quia esse imparticipatum quo ad essentiam, reddit quoque imparticipatum quo ad esse existentiæ. *Tertiò* quia existentia rei proportionatur essentiæ, ergo si essentia habet independentiam etiam & existentia. *Quartò* quia creaturæ in tempore adhuc retinet, licet sub complemento illud esse diminutum, quod ab æterno habebat. *Quintò* quia Deus non esset Deus, si haberet esse independens quo ad existentiam & dependens quo ad essentiam: ergo è contra creatura non erit creatura, si sit solum dependens quo ad esse existentiæ non verò essentiæ, quia de ejus ratione est, ut sit dependens in omnibus esse reali. *Sextò* tandem quia hic dicendi modus proximus est errori Wicleph tribuentis creaturis aliquod esse reale ab æterno, imò in hoc excedit, quod hoc esse diminutum adscribit creaturis ab æterno independenter prorsus à Deo, quod Wicleff asserere non videtur. Ita *Mastrius* l. c.

Mastrius.

442 Ad omnia hæc ex dictis uno verbo responderi potest, quod variet hypothesin, aut non distinguat inter essentiam actualem, quæ est ipsamet realiter existentia & inter essentiam ab æterno, quæ est ens in potentia & actu merum non ens, quod actu non ens est à se, hæc enim est rerum possibilium, quæ non sunt Deus, inanitas, quod à se sunt non entia, ita tamen, ut nec illis à se repugnet, posse esse, hinc illud non ens, quod possibile dicimus connotat existentiam sui in actu signato, hac quippè attenta distinctione, non solum *Poncius Mastrio* ad primam suam rationem rectè dicebat, peti principium, sed & petit aliam hypothesin, in qua totum admittimus, & quidquid attulit, approbamus nempè *primum*, quod sit de ratione creaturæ actualis, quod dependeat à Deo quo ad omne suum esse, etiam quo ad connotatum, quod importat terminativè ens possibile, id est, quod connotat in obliquo. Admittimus in hoc sensu similiter *secundum*, quod esse imparticipatum quo ad essentiam, reddit quoque imparticipatum, quo ad existentiam, ut videmus in Deo, præter quem aliud non invenies, & ideò suppositum quod affert in quinta ratione non est ad propositum. *Ad tertium* patet ex immediatè dictis: *Ad quartum* huic Auctori respondimus supra q. 2. sub Assert. 2. n. 391. 5. *Ad aliud*

quod

quod ex Aristotele. quod non valeat transitus ab ente possibili, ut est ens in potentia, ad illius oppositum, scilicet ens in actu per positivam realitatem, cum ens possibile, de quo nos hic tractamus, adjunctam habeat negationem actualitatis exercitæ & positivæ, totum autem, quo ad omne, quod habet in tempore dependet à Deo, hoc autem, quod habet in tempore, non est esse participatum ab æterno, sed ab æterno est solum esse non repugnantiam ad essendum, quæ non adversatur actualitati essentialiter exercitæ, quomodo etiam Deus potest dici ens possibile ut l. c. ostensum est, non autem esse illam, quæ dictam negationem annexam habet, qualis Deo repugnat omnique opponitur enti, quod est extra suas causas in actu existentiali? *Ad quintum* patet ex statim dictis.

Ad sextum pro responso vide, quæ diximus sub *Assertione* prima hujus quæstionis n. 434. *in fine.* pro sua defensione, non solum rectè *Pontius* ait esse crassum errorem id putare, sed insuper addo non esse rationem, sed amarulentiam animi, velle tanto viro & de Schola *Scoti* optimè merito eundem errorem affricare & quem primo illi Metaphy. l. c. quasi similitudinariè duntaxat attribuerat, postquam seipsum modestè satis & optimè explicuit, & longè esse ab illo errore ostendit mordicus nihilominus sustinere, quod dubium sit, an non tali errore obnoxius maneat; *Pontius* respondet: *Wicleffus posuit esse realiter simpliciter & illud ipsum independens à Deo, ego verò non pono nisi esse diminutum seu possibile*, ad quod *Mastrius* negativa fretus auctoritate ait; *gratis id asseritur, nam qui Wicleffo adscribunt, quod tribuerit creaturis esse ab æterno in mente divina aliquod esse reale distinctum ab esse Dei non exprimunt, quod illud posuerit à Deo independens.* Verùm gratis hæc asserit *Mastrius* & videtur nescivisse vel simulare se scire, quis fuerit error Wicleffi, qui erat in duabus potissimum propositionibus (ad quas aliæ *Ioannis Hus* referri possunt) ut refert *Valdensis* I. Tom. l. 1. a. 1. c. 1. n. 1. & *circa medium*, scilicet ratione existentiæ idealis creaturarum in Deo dici absolutè & sine additamento hoc (*secundum esse ideale*) has esse veras, *omnis creatura est Deus & quodlibet est Deus*, etsi apud rudiores, *equum aut asinum esse Deum* malè sonet; rationem subdit: quia talia subjecta sunt, qualia à prædicatis præmittuntur, quare cum ex parte prædicati *Deus* ponatur se solo, facit pro esse ideali creaturam supponi, etsi in propositione esse ideale ipsius non exprimatur; *Wicleffus*, itaque ea ratione erravit, quod absolutè & sine additamento concederet illas propositiones, quæ propositiones à Concilio *Constantiensi* damnantur, ut hæreticæ, quia iis suppositis ex regulis dialecticis negari non potest ejus convertens, quæ tamen à *Wicleffo* negatur *Deus est creatura*, quare etsi animus Wicleffi hæreticus in hoc non fuerit, propositio tamen hæretica est, *quod quodlibet est Deus & creatura est Deus*, & quia ut rectè *Vasquez.* 1. p. dist. 70. c. 2. n. 5. notat, *Wicleffum* non tam stultè erravit, ut putaverit quamlibet creaturam in proprio genere Deum esse, quinimò id expressè negavit, hinc certum est, quod voluerit intelligi creaturam pro esse ideali in istis propositionibus, quod indubiè independens est à Deo, cùm sit ipse Deus, hanc ergo independentiam quæ Catholicè asseritur, exprimere non erat opus, quia in hoc non erat error, sed in eo, quod diceret *creaturam esse Deum*, jam quid quæso Commercii cum hac, aut similis farinæ propositionibus, in quo latitabat error *Wicleffi*. quid, inquam, commercii habet doctrina *Pontii*? nullum, prorsus nullum, *Pontius* cum *Scoto* judicavit, res ab æterno non minimam realem existentiam habere extra causas, & ideò, ut ipse *Mastrius*, dist. 3. de intellectu divino q. 2. de *ideis divinis* a. 1. n. 52. fatetur, appellavit esse diminutum & secundum quid, quod procul est ab errore. *Mastrius* econtra d. c. a. 2. n. 59. ante finem numeri sui immemor, ait, *illud diminutum esse realiter identificatum, quantum ad omne positivum cum esse reale simpliciter*, diminutum illud est ab æterno, negari enim non potest res omnes possibiles fuisse, & futuras ab æterno intellectui divino objectivè præsentes, itaque si illud diminutum sit realiter identificatum cum esse reali simpliciter, erit esse rerum simpliciter ab æterno, quod certè potiusque malè sonat in nostra fide, quàm illud, quod nos & *Pontius* docemus de illo possibili à seipso in statu suæ nihileitatis manente, ut illi tamen non repugnet à seipso, ut possit ab agente poni ad statum actualitatis.

Defenditur Pontius.

Quis fuerit error Wicleffi.

Porrò n. 60. *cit.* d. 3. de intellectu divino enerviter impugnat *Pontium* optimè respondentem, quòd creaturæ habeant possibile logicum vel remotum ex seipsis, possibile proximum autem principietur ab intellectu, non ab omnipotentia & voluntate divina, ad quam spectat res producere, & hæc non possit res alias producere, quam possibiles, nec ipsas etiam posset, nisi cognoscantur, quia in nihil potest ferri voluntas, nisi in cognitum & eo ipso quo cognoscuntur, statim voluntas posset velle eas producere, ac consequenter fit manifestum, quòd habeat esse possibile proximum ab illa cognitione, à qua voluntati objicitur *cognitum esse*, quod ante erat incognitum, adeoque proximè à voluntate improducibile, & sicut ante cognitum esse erat proximè improducibile, ita clarissimè patet ab illa non potuisse constitui proximè possibile, cùm non possit ferri in incognitum, ergo proxima illa possibilitas, quâ sit à voluntate proximè producibilis est, quia ab intellectu præcognitum esse accipit, id quod nolens volens tandem *Pontio* dare cogitur *Mastrius*, concedens illi ad finem numeri 60. divinam omnipotentiam non posse res producere nisi poss- 443

Mastrius refutatur. possibiles, atque adeò ab ea possibiles supponi, non verò constitui, sed inquit, *id solum probat de probabilitate logica remota, non autem proxima & objectiva*, quod est merum effugium, nam voluntas etiam in sententia Mastrii nullam dicit habitudinem neque transcendentalem ad creaturas possibiles, ergo per hanc non constituuntur proximè possibiles, per quid ergo illi conferet possibilitatem proximam? non per virtutem productivam, quia sicut illa nequit producere quidquam, nec producibilitatem seu proximam possibilitatem conferre, nisi illi ab intellectu fuerit per medium cogniti esse applicata & approximata, ut secluso intellectu, possibilitas physica & objectiva, esto concernat virtualem inclusionem in continentia eminentiali Dei, quam non concernit possibilitas logica, tam sit remota ad produci, quàm ipsa possibilitas logica, neutra quippè secluso intellectu voluntati proponeretur, adeoque neutra producibilis esset, ergo quod proximè producibilis sit, est ab intellectu Dei, non à voluntate, quæ non potest ferri in incognitum; dicendum itaque, quod res quidem non habeant possibile proximum à seipsis, benè tamen possibile logicum remotum utpotè quod habent pro eo priori, quo intellectus terminatur ad objectum primarium, fitque possibile proximum per cognitum & voluntati *approximatum esse* pro secundo instanti, primum explicat *Doctor* dicendo, quod tale possibile conveniat rebus ex seipsis, secundum explicat dicendo: esse principiativè ab intellectu, ac proindè ab extrinseco, ut opponens contendit, non tamen à voluntate, sed ab intellectu, quam doctrinam credo non inficiaretur, si illam non doceret *Poncius*, cui aut deferre aut cedere nolens, revera impegit contra *Scotum*, ut conferendo textum illius per totam hanc Controversiam exactè & ad mentem Doctoris elucidatam cum dictis *Mastrii*, patet manifestè, qui alioquin est syncerus & fidelissimus Scoti Assecla & Hyperaspistes pugnacissimus, qui pari animositate quidem, sed irrito conatu laboravit à n. 61. usque ad n. 64. dissolvere fundamenta *Poncii*, ut enim patet attentè legenti & conferenti responsa *Mastrii* cum iis, quæ ex Scoto attulimus hac *Cont.* & iis quæ ipse *Poncius* respondet, enervia sunt aliena à seipso *Mastrio*.



CONT. XVI.

CONTROVERSIA DECIMA-SEXTA.

De ſcientia viſionis,

ubi

De futuris contingentibus, ſive de objecto ſcientiæ Dei contingenti.

SVMMARIVM.

1. *An Deus habeat ſcientiam futurorum contingentium? q. 1.*
2. *Vtrùm Deus certò & evidenter cognoſcat futura contingentia conditionata? q. 2.*
3. *Pro parte affirmativa decertant SS. Patres & ſacra Scriptura.* ibidem *per §. diſtinctos.*
4. *De modo & medio ex parte objecti, quo Deus cognoſcat futura contingentia conditionata, ubi de ſcientia media, de illius indemnitate & probabilitate. §. 6, 7, & 8.*



444 *Contingentis nomine quid intelligatur.* Ontingentis nomine in tota ſua amplitudine intelligitur omne illud, quod non habet exiſtentiam ſimpliciter neceſſariam, ſed poteſt, quantum eſt de ſe eſſe & non eſſe, quale eſt, quidquid eſt extra Deum, & extra ſtatum poſſibilitatis, unde in præſenti Controverſia tranſimus à Deo & creaturis poſſibilibus, quæ ſunt objecta neceſſaria ſcientiæ Dei ad ea quæ ſunt extra Deum, non tamen ad ea in tota latitudine ſumpta, ut omne ens creatum etiam præſens & præteritum complectitur, ſed ſolum contingens futurum, & rectè, quia ſtatus, ad quem immediatè tranſeunt creaturæ à pura poſſibilitate exeuntes, eſt ſtatus futuritionis, cujus in Deo notitiam dari, ſi conſtiterit, nemo erit tam rudis, ut neget præſentium & præteritorum in Deo cognitionem. Pro quo

445 *Ordo in rerum creatarum divina cognitione.* *Notandum* primò ex *Doctore Subtili* qu. 14. *Quodl.* art. 2. hunc diſtingui poſſe ordinem in divina rerum creatarum cognitione, ita ut in primo ſigno Eſſentia Divina intellectum divinum moveat ad cognitionem ſui, & omnium eorum, quæ ſunt realiter Deus, & formaliter in Deo. Deinde in ſecundo ſigno Eſſentia movet intellectum divinum ad ſimplicem cognitionem entis creati, quatenus abſtrahit ab exiſtentia, & tantum habet rationem intelligibilis & poſſibilis, quæ motio, ut jam innui, neceſſaria eſt, non contingens. In tertio ſigno intellectus divinus velut exhibet ac offert voluntati divinæ illas creaturas poſſibiles, oſtendendo illi tales creaturas poſſe exiſtere vel non exiſtere, ſicque decernit divina voluntas talium creaturarum exiſtentium pro tali vel tali tempore futuram, quo poſito decreto ſtatim Divina Eſſentia ipſi divino intellectui exhibet determinatè illarum futuritionem, ac ita divinus intellectus certò cognoſcit rerum contingentium futuritionem, ubi vides, ſtatum, ad quem mutantur creaturæ poſſibiles à ſtatu ſuæ poſſibilitatis, eſſe ſtatum futuritionis, igitur agimus poſt ſtatum poſſibilitatis de ſtatu futuritionis, an ſecundùm illum creaturæ aptum ſint objectum, ut terminent intellectus divini obtutum.

Notandum obiter ſecundò futura contingentia eſſe, quæ non ſunt actu exiſtentia, aliquando tamen exiſtent, ita ut futuritio formaliter ſumpta nil aliud importet, quàm exiſtentiam pro aliqua temporis differentia cum negatione inceptionis. per exiſtentiam pro aliqua temporis differentia diſtinguitur tam ab ente purè poſſibili, quod ad exiſtere vel non exiſtere pro tali ſtatu eſt indifferens; tum ab ente increato, cujus exiſtentia quidem eſt cum negatione inceptionis, ſed non pro aliqua temporis differentia, 446 *Diſcrimẽ futurorũ contingẽtium ab ente poſſibili, præterito & præſenti &c.*

ſed pro ſemper. Deinde exiſtentia futurorum ex natura ſua & cauſæ productivæ eorum poſſet non eſſe, ſecus eſt de ente increato. Per negationem inceptionis futurum diſtinguitur à præſenti & præterito, quorum utrumque involvit inceptionem, etſi diſpari paſſu, nam illud dicit inceptionem cum ſui conſervatione, alterum ſine illius conſervatione, ſi quis vellet futurum, quoad continuationem & perſeverantiam poſt ſui productionem, etiam non negare inceptionem, quaſi quod hodie exiſtit, dicatur per ſui conſervationem in eſſe cras futurum, audiendus non eſt, quis facit litem de nomine.

Quoad rem ipſam, duplex eſt genus futurorum: unum eorum de quibus abſolutè verum eſt dicere, quod erunt, hujuſmodi v. g. eſt Anti-chriſtus, extremum judicium, & ſimilia. Alterum eſt eorum, quæ nunquam erunt, eſſent tamen, ſi poneretur aliqua conditio, quæ eſto poſſit, attamen nunquam ponetur, de quo tractabimus quæſt. ſeq. de primo in præſenti.

His prænotatis, etſi rectè dixerit Auguſtinus, *Confiteri Deum, & negare præſcium futurorum, apertiſſimam eſſe inſaniam*, nihilominus diſceptatur de hoc non ſolùm inter Theologos & Gentiles Philoſophos, Stoicos & alios, ſed & inter Theologos & Hæreticos nonnullos, eſtque potiſſimum difficultas, non de ſcientia contingentium in ordine ad cauſam increatam, quæ pendent à ſolo Deo ut Angeli, vel effectus, qui pendent quidem à cauſis creatis, ſed neceſſariò agentibus, quales Deus haud dubiè vi ſui decreti cognoſcit; ſed de contingentibus, quæ ſunt talia in ordine ad cauſam creatam contingenter, ſeu liberè & non neceſſariò etiam poſitis omnibus ad agendum requiſitis tales effectus contingentes ponere vel non ponere potentem, adeoque ipſi effectus poſſint eſſe vel non eſſe, quod maximè currit de actibus liberi arbitrii, qui immediatè & proximè ſunt liberi & contingentes reſpectu ſuæ cauſæ propriæ ſeu voluntatis humanæ, unde & derivatur contingentia in exteriores actus, quos effectus imperatos dicimus, infallibilem ſiquidem Dei præſcientiam conciliare cum illorum contingentia & libertatis indifferentia multis difficile viſum fuit. de quo ſit

QUÆSTIO I.

An Deus habeat ſcientiam futurorum contingentium?

SUMMARIUM.

1. *Error* Ciceronis *quis? reprehenditur ab Auguſt.* n. 447.
2. *Scientia futurorum comprobatur ex SS. Scriptura & PP.* n. 448. & ſeqq.
3. *Scientia futurorum ea certitudine Deo competit, qua Deum eſſe Deum.* n. 451.
4. *Omni ſcibili commenſuratur ſcientia Divina.* n. 453.
5. *Ratio futuritionis in quo conſiſtat?* n. 446. & 455.
6. *Futura libera à ſphera objectiva cognoſcibilitatis extrahi nequeunt.* n. 445. *& quare?* ibid.
7. *Contingentia futuri ad actum vel contradictionem illius eſt in cauſa indifferente in actu primo, non eſt autem ejus contingentia in ſe ipſo, dum eſt in actu ſecundo pro aliqua temporis differentia.* ibidem.
8. *Intellectus divinus non exigit objectum eſſe in ſe vel in aliquo motivo præſens, ſecus eſt de intellectu noſtro.* n. 457.
9. *Deus determinatè novit futura contingentia in ſua eſſentia, ſuppoſito Decreto de ipſorum futuritione.*

ASSERTIO I.

Deum cognoſcere futura abſoluta contingentia, de fide certum eſt, habetq; tot teſtes, quot Deus Prophetas.

447 *Ciceronis error corrigitur ab Auguſtino.*

HÆc ſtat extra controverſiam apud Orthodoxos contra errorem *Ciceronis*, qui quamvis l. 3. de Natura Deorum, videatur aſſerere oppoſitum, ſaltem de contingentibus ſecundùm quid, & procedentium à cauſa natura-

naturali, illum tamen ibi, & l. 2. *de Divinat.* & l. de fato absolutè tenet de contingentibus, quæ procedunt à causis liberis, fuitque ad ita sentiendum stimulatus, quia ut ait Augustinus l. 5. de Civit. Dei, c. 9. nescivit libertatem & providentiam humanam componere cum præscientia divina; itaque hanc negando ut faceret homines liberos, fecit sacrilegos, utpote, ut ait Herincx d. 4. de scientia Dei, qu. 3. nu. 28. *suffurantes magnam Dei perfectionem*, cùm indubiè futurorum præscientia sit speciale Divinitatis argumentum, juxta illud Esa. 41. *Annuntiate, quæ ventura sunt, & dicemus, quia Dij estis.*

Herincx.

Est item Assertio contra errorem illorum, qui existimantes omnia necessitate fatali evenire, omnem contingentiam, ac proinde omnem illius præscientiam proscribebant. In hoc errore fuerunt Stoici, Manichæi, cum modernis hæreticis, aliisque, quos refert *Vasquez* 1: p. d. 68: c. 1.

448 Probatur Assertio primò ex iis Scripturæ locis, quæ adducta sunt Controv. XII. q. 7: art. 7: nu. 245: ut ex Job. 22: v. 14: & 28: v. 3: & v. 10: & 31. v. 4. & ps. 71. & ps. 49. v. 10: 11. & ps. 138. v. 1: ex Genes. 1. ex Ecclesiastico 23: v. 27: & 39. v. 24. & aliis locis ibi relatis. Probatur amplius, & ad propositum magis ex Exodi tertio: *Ego scio, quòd non dimittet vos Rex Ægypti ut eatis, nisi per manum validam.* Deuter. 31. *Scio cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie.* Daniel. 13. *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.* Et Jerem. 1. *Priusquam te formarem in utero novi te.* In quæ verba Hieronymus ait: non quòd ante conceptionem (ut hæresis suspicatur) fuerit Jeremias, sed quòd præscivérit eum Deus, cui necdum facta, jam facta sunt. Item Ecclesiast. 23. *Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Sap. 8. *Scit præterita, & de futuris æstimat: signa & monstra scit antequam fiant, & eventus temporum & sæculorum.* Quæ sanè loca haud intelligenda sunt de contingentibus secundùm quid, aut de futuris necessariis, cùm loquitur universaliter, unde in illo Dan. 13. & ps. 138. *Omnes vias meas prævidisti*, sermo specialiter est de actibus humanis liberis, adeoque simpliciter contingentibus. Eadem veritas patet ex Novo Testamento Joan. 12. & 13. *Dixi vobis, priusquam fiant, ut cùm facta fuerint, credatis,* *quia ego sum.* Unde Joann. 2. *Recordati sunt discipuli, quia hæc dicebat, & crediderunt.* Judæ Epist. *Subintroierunt quidam, qui olim præscripti, ab æterno præsciti erant in hoc judicium impij.* Quibus locis sacris accinit rectè Boëtius: *Huic ex alto cuncta tuenti, nulla terra mole resistunt: non nox atris nubibus obstat, quæ sint, quæ fuerint, veniantque, uno mentis cernat intuitu.*

Job. Exodus. Daniel. Jeremias. Hieronymus. Ecclesiasticus. Sapientia. Joann. Epist. Judæ. Boëtius.

449 Confirmatur ex pluribus prophetiis in S. Pagina contentis, quæ de fide faciunt cognitionem futurorum esse Deo propriam, unde in Assertione dixi cum Tertulliano l. 2. contra Marcion. c. 5. Veritatem hujus *tot habere testes, quot Prophetas*, qui inspirati à Spiritu sancto, res futuras pronunciarunt, attestante D. Petro 2: c. 1. Habemus firmiorem propheticum sermonem, oportet proindè multò firmiorem esse in Deo notitiam futurorum, quæ est ipsa Dei præscientia; unde rectè dicitur, quòd tamen propheticum sit participatio quædam divinæ præscientiæ, quæ ratione futurorum præscientia *Divinatio* appellari solet, quia, ut inquit Origenes l. 5. contra Celsum, *Futurorum prædictio Divinitatis nota est & character.* Et iterum Tertull. in Apolog. c. 20. idoneum testimonium Divinitatis, veritas divinationis. Quod ipsum quoque confirmat locus supra cit. apud Isaiam, & c. 44. ubi Diis Gentium illuditur, quia futura nesciunt, quæ solus novérit Deus, suamque ideò probet Divinitatem, dicens: *Ego primus & ego novissimus, & absque me non est Deus, vocet & annunciet, & ordinem exponat mihi ex quo constitui populum antiquum, ventura & quæ futura sunt, annunciet eis.*

S. Petrus Apost. Tertull. Isaias.

450 His minimè obstant alia Scripturæ loca, quæ per particulam *fortè*, *forsitan*, &c. dubitativo modo loqui videntur, ut Jerem. 26. *Noli subtrahere verbum, si fortè audiant.* & alibi; nam quomodo similia loca non obstant nostræ doctrinæ, ostendemus qu. 2. §. 2. sub Assert. 2. nu. 470. certum enim est, ut ait Hieron. in l. Jeremiæ cit. *Verbum ambiguum forsitan Majestati Domini non convenire.* Vide Herincx d. 6. q. 3: de scientia Dei, nu. 30. & q. seq. l. c.

* * *
* *

ASSERTIO II.

Deum cognoscere futura contingentia absoluta constat eâ certitudine ductus naturalis quâ infinitum constat esse Deum.

Gentilium religia ergaDeos suos.

HÆc similiter est extra Controversiam, & patet ex allatis auctoritantibus pro Assert. præced. & videtur deduci ex ipsa Gentium religione, qui solo ductu luminis naturalis sibi persuaserunt Deos suos futura præcognoscere, de quibus illos consulebant, & dæmon ut divinitatem ementiretur, responsa, edi ambigua, & oracula, ut *Apolla* ex tripode *Delphis* edere consuevit, sciens quòd apud homines præsertim sapientes futurorum ignorantia tantùm diceret imperfectionem, ut illa laborans non posset haberi Deus; unde qui illam Deo tribueret, aliud non vellet juxta August. 5. de Civit. c. 9. quàm quod voluit, & in corde suo dixit insipiens: *Non est Deus.* Quare quando *Occam* 1. d 38. q. 5. l. 1v. *Gabriel* ibidem q 1. art. 1. *Gregor.* q. 2. art. 2. *Marsilius* 1. q. 40. aliique *Nominales* in oppositum citantur, talem in Deo præscientiam futurorum contingentium absolutorum non esse demonstrabilem ratione naturali, à Viatoribus, intelligendi sunt de demonstratione à priori, vel volunt negare non evidentiam cognitionis futurorum in Deo, sed modi & medii cognoscendi, in quo Auctores mirè laborant & variant, sed quidquid sit de his apud omnes illos tum Philosophos, cùm Theologos Doctores, qui docent & efficaciter probant propositiones de futuris contingentibus absolutis, aut esse determinatè veras aut determinatè falsas, Assertio nostra est in confesso, inde namque necessariò sequitur, illas Deo certo & infallibiliter notas esse.

Occam vum suis Affectis explicatur ad benignum sensum.

Scientia Dei omni scibili cōmensura ta est.

Probatur: ratio naturalis evidenter dictat, quòd scientia simpliciter infinita se extendat ad omne cognoscibile: atqui futura absoluta sunt cognoscibilia: ergo Deus cognoscit illa. Major patet ex infinitate Dei in omni genere v. g. in infinitate seu omnipotentia, quæ versatur circa omnem effectum possibilem, in infinita duratione seu æternitate, quæ correspondet omni tempori, & infinita immensitas omni loco: ergo infinita scientia correspondet omni scibili, nisi velis præcludere aditum demonstrandi in Deo scientiam non solùm futurorum, verùm etiam possibilium & sui ipsius, omniumque decretorum suorum, quibus ab æterno futura, saltem absoluta decrevit,

Confirmatur efficaciter ex dictis Controversia 12. q. 7. art. 1. num. 147. ubi probavimus lumine naturali ostendi res omnes, quarum Deus est Artifex & Conditor, Illi cognitas esse secundùm omnem ipsarum particularem & propriam rationem, cùm Artifex debeat nosse suum opus ad illud producendum, conservandum & gubernandum: atqui certissimum est, quòd tunc non accipiat de novo illarum notitiam, quasi successu temporis plura cognosceret, quæ ab æterno non cognovisset, cùm omnis notitia divina haud minus sit æterna, quàm volitio divina, eâdem nimirum duratione durat, quâ ipse Deus, id est, æternitate: ergo scientia divina, quâ Deus clarè res cognoscit jam existentes, cognoscit easdem ab æterno, imperfecta enim & variabilis esset scientia, imò misera & imperfecta providentia dicenda foret, quæ ad præsentia se solùm extenderet: ergò præcessit infinitè temporalem rerum præsentiam, consequenter ut sic præcedens illas terminatur ad easdem ut sequentes, adeoque ut futuras. Nam ut supra visum, futurum non dicit aliud, quàm in aliqua differentia temporis sequi, cum negatione suæ inceptionis, sicut præteritum est idem, quod tempore antecedere connotata privatione existentiæ præsentis, sive negatione conservationis existentiæ. Ex his etiam probata manet minor principalis: *atqui futura absoluta sunt cognoscibilia*: de hoc quippe dubitari posset, quomodo sint cognoscibilia futura libera, quia antequam sunt, nullum habent esse, neque in se, cum nondum existant, neque in causis, cùm in his non habeant magis esse, quàm non esse, quod autem nullo modo est, certò sciri non potest, cùm radix & fundamentum omnis scibilitatis sit *esse*. *Pro quo sciendum*, nos in hac quæst. non disputare, an futura contingentia absoluta in se, vel in alio, quod debeat esse cognitionis eorum determinativum & verificativum, sint cognoscibilia, sed solùm an secundùm se sint divinæ scientiæ objecta terminativa, habeantque capacitatem cognoscibilitatis & veritatis objectivæ duratione anteriori, priusquam sint actu extra causas. quod *probando*

Dubium de futuris contingentibus liberis dissolvitur.

secundò

451 *Secundò* probatur *Assertio.* Nihil est, quod extrahat futurum contingens à sphæra objectivæ cognoscibilitatis, sive à veritate objectiva intellectualis cognitionis: ergo. *Anteced.* prob. id vel esset futuritio contingentis, quà futuritio præcisè, vel esset ejus contingentia: neutrum horum est: *non primum*: quia non obstante futuritione quà tali, futurum non contingens est actu cognoscibile: ergo & futurum contingens: *anteced.* patet manifestè, quia Ecclypsis futura à Mathematicis ac Astrologis demonstratur evidenter, antequam sit, & tamen futurum est: ergo futuritio contingentis, quà futuritio non extrahit futurum à cognoscibilitate objectiva.

Contingentia futuri quomodo sit in sua causa indifferente ad ipsum & oppositum sive contrariè sive contradictoriè, non autem pro aliqua temporis differentia in se ipso, dum est in actu secundo.

Non etiam *secundum*: quia ejus contingentia solùm est in sua causa indifferente in actu primo ad ipsum & ejus oppositum, sive contrariè, sive contradictoriè, non autem est ejus contingentia in seipso, dum est in actu secundo, quo pro aliqua temporis differentia, illa indifferentia & potestas ad utrumvis causæ suæ determinatur, nam pro ea temporis differentia, pro qua erit per suum esse, non minus supponit contingentiam & indifferentiam causæ determinatam, & potestatem ad oppositum exclusam, quam pro duratione de præterito: licèt ergo contingentia causæ, sive in causa obesset, ut possit in ipsa certò cognosci, de quo alibi, secus est, ut secundùm se cognosci possit pro temporis futuri differentia, in qua in se determinatè secundùm suum esse determinatum erit, non minus, quàm cùm de præsenti & actu est: ergo non obstante contingentia sui in sua causa, & actu primo, futurum contingens est determinatè cognoscibile, seu capax terminandi sui actualem cognitionem, per consequens terminabit cognitionem divinam, quam nil latere potest, cùm totam permeet & exhauriat sphæram cognoscibilitatis & veritatis objectivæ omnium rerum.

Objectio.

Dices: Absentia existentiæ extrahit illud à sphæra cognoscibilitatis objectivæ, objectum siquidem ut sit cognoscibile, actualem requirit existentiam, sed hanc instantiam nihil urgere patet ex sola cognoscibilitate objecti necessarii seu possibilium:

Solutio.

cui si opponas existentiam, requiri ad cognoscibilitatem contingentis à statu possibilitatis extracti, nihil omninò obtinet, ut patet apertè ex cognoscibilitate præteritorum, quæ ab actuali existentia non minus distant, quàm futura: ergo hæc, quia existentiam habebunt, non minus sunt capacia veritatis objectivæ, seu apta ad terminandam sui cognitionem, quàm præterita, quæ capacia sunt talis cognoscibilitatis & veritatis objectivæ, qui existentiam habuerunt.

Instantia.

Instabis: Hæc paritas nimium ac proinde nihil probat, si enim quid valeret, sequeretur sicut intellectus creatus scit & cognoscit præterita, ita & futura sciret, essetque cognitio futurorum communis intellectui creato, cum intellectu divino, quod falsum esse constat, tum quia contingentium futurorum cognitio propria est Deo & speciale privilegium indiciumque Divinitatis, ut supra relatum vidimus.

Homo de lege ordinaria non intelligit, nisi per species ab objectis emendicatas.

Sed quis non videt hanc instantiam à paritate affectatam in imparitate evanescere, estque hæc; quia naturaliter & de lege ordinaria non possumus cognoscere futura contingentia, nisi per species, aut ab objectis emendicatas, aut per species ab objectis acceptas æquivalenter, id est, quas nobis comparamus sive mediatè & abstractivè in motivo extrinseco, sive immediatè & intuitivè in ipsis futuris, quæ certè, quia non sunt, nequeunt sui speciem causare; ergo tam parum sine illis potest determinari intellectus ad futuri contingentis cognitionem quomodocunque certam, quàm parum possit determinari auditus, ut percipiat sonum sine specie illius, vel visus ut eliciat visum sine colore vel specie luminis, quamvis speciebus futurorum contingentium intellectui divinitus communicatis æquè possemus scire futura ac præterita aut præsentia, quorum species vel jam recipimus à rebus, vel semel receptas etiam iis non præsentibus retinemus.

Brevis de Deo discurrendi.

Diversa est ratio de intellectu divino, qui cùm non intelligit per species ab objecto emendicatas, sive mediatas, sive immediatas, nihilque aliud præter objecti cognoscibilitatem à se distinctam requirit, adeoque nec ut objectum, quod cognoscit, in se vel in aliquo motivo sit aut fuerit præsens: sicut enim objectum non esse in loco, in quo habetur cognitio, dummodo alicubi absolutè sit, haud extrahit ab illa, estque in hoc proportio inter præsentiam temporalem & localem, quæ eam ob causam ad visionem nostram requiritur, ut objectum sui speciem potentiæ visivæ imprimere possit, si quæ talis potentia speciebus vel non egeret, aut divinitùs infusas haberet, posset rem quantumvis distantem videre, quod à potiori de intellectu statuendum, qui sibi omnia magis perfectè præsentia habet, quàm creatus per species quomodocunque acceptas.

* * * * *

De medio; in quo Deus cognoſcit futura contingentia.

458 MAjor eſt difficultas de modo & medio, in quo Deus futura videat, plura hujuſmodi media ex varietate ſententiarũ ſtatuuntur, quæ quaſi objectum ponant & præſentent potentiæ intellectivæ Dei, & quaſi huic materiam cognoſcendam ſubminiſtrant, in debita illam collocando præſentialitate & ſtatu, ut videri poſſint, qua ratione à Theologis media viſionis de futuris contingentibus hauſtæ dicuntur, haud ſecus ac bajuli, qui ſtatuam in conſpectum noſtrum aſportantes media materialia viſionis noſtræ de ſtatua illa dici poſſunt, quia nobis videndi materiam ſubminiſtrant, licèt ipſi non aliter concurrunt quàm debitâ materiæ appuſitione; unde patet differentia hujuſmodi medii cogniti à motivo & ſpecificativo, de quo ſupra fusè actum.

S. Bonaventura. Porrò magna de medio, in quo Deus futura cognoſcat, eſt apud Doctores concertatio, in capite ſtat *S. Bonaventura*, qui tenet 1. d. 39. art. 2. q. 3. Cùm Deus habeat ſimul præſentes omnium ideas, quòd per has futura ita certitudinaliter cognoſcat, ac ſi eſſent præſentia. Aegidius. *Ægydius Romanus* 1 d. 38. q. 1. art. 2. decernit, Deum certò præſcire futura contingentia ante ſuæ voluntatis decretum in ſua eſſentia, prout habet rationem ideæ aut ſpeciei impreſſæ. Molina. *Molina* exiſtimat contingentia ac nominatim actus noſtros liberos in Deo cognoſci in cauſis ſuis proximis & creatis. Alii ſtatuunt divinam voluntatem aut decretum Dei. alii Dei æternitatem. Alii Reding. putant illud coaleſcere ex pluribus partialibus ſimul junctis rationibus, ita ut Deus ſuppoſito aliquo ſuo decreto circa res ad extra & ſuppoſita futuritione contingentium liberorum cognoſcat illa certò & infallibiliter ex illis pluribus ſimul ſumptis, quarum prima ſe teneat ex parte proximarum cauſarum; altera ex parte contingentium, tertia ex parte modi &c. de quibus vide *Reding* qu. 5. art. 4. de Scientia Dei, n. 13. qui ibidem nu. 16. concludit omnium Doctorum ſententias ad id collimare, *an ſcilicet futurorum contingentium veritas objectiva ſeu cognoſcibilitas independens ſit à determinatione divina voluntatis, vel ratione noſtra cum fundamento in re ac virtualiter concludat liberum Dei decretum.* Hac ratione nu. 4. ad mentem Doctoris *Seraphici* notat præſcientiam futurorum in Deo niti præſentialitate divinæ cognitionis ad res in tempore exiſtentes. Hanc autem divinæ ſcientiæ ad res quà exiſtentes præſentialitatem non ſubſiſtere abſque Decreto divino ex eodem Doctore Seraphico infra d. 45. art. 2. q. 1. & 2. Proinde ex mente Doctoris non aſtrui præſcientiam antecedenter ad Decretum divinæ voluntatis: Quæ cùm longiſſimam Controverſiarum ſeriem involvant de divinis Decretis, ad aliud tempus & locum alium, ubi de Decretis, Deo volente, ex propoſito tractatum inſtituemus, remittenda ſunt.

Hoc ſolùm addo ad propoſitum noſtrum, & 459 ad rectè intelligendum Illuſtriſſimum D. *Reding*, Abbatem *Helveto-Einſidlenſem*, & S.R.I. Principem, quando dicit, Cognoſcibilitas objectiva contingentium *independens à determinatione divina voluntatis, vel ratione noſtra, ac cum fundamento in re & virtualiter* &c. quod per illud fortè inſinuet nullum poſſe aſſignari inſtans reale, in quo Deus non determinaverit ſe abſolutè vel conditionatè circa futuritionem, vel non futuritionem omnium rerum poſſibilium. Unde cùm quæritur, an Deus cognoſcat futura contingentia ante vel poſt Decretum, per ly *ante* vel *poſt*, non accipitur anterioritas vel poſterioritas realis, ſed ut cit. *Reding* dicebat, rationis cum aliquo fundamento in re ratione dependentiæ vel independentiæ à Decreto; ſitque idem *antecedenter* ante Decretum cognoſci, ac *independenter* cognoſci. *Quid ſit ante vel poſt decretum cognoſcere futurâ contingentia.*

Ad quod adhuc meliùs intelligendum, Theologi tria in Deo diſtinguunt inſtantia, in quorum primo Deus propriam videt Eſſentiam. In ſecundo videt per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ antecedenter ad quodlibet Decretum ſuæ voluntatis omnia poſſibilia nihil determinando circa eorum futuritionem. In tertio denique prævio Decreto cognoſcit per ſcientiam viſionis res qualvis futuras. His obiter prætactis, dum Auctores diſceptant, an Deus futura contingentia noverit independenter ſive antecedenter ad Decretum, ſenſus eſt, an in ſecundo ſigno rationis, in quo nondum concipitur Decretum de futuritione conſtituendum, Deus futura contingentia noverit. De quo breviter inſtituo ſequentem Aſſertionem.

* * *
* *

ASSER-

ASSERTIO III.

Deus infallibiliter & determinat & novit futura contingentia in ſua Eſſentia, ſuppoſito decreto de ipſorum fruitione.

In quo medio Deus videat futura contingẽtia. Smiſing.

460 HÆc eſt communis: ſive autem Decretum illud antecedens, aut concomitans, aut ſubſequens, non eſt hujus loci, quidquid dicatur, de quo nos alibi, in via Scoti pro certo tenendum, ut optimè *Smiſing* Tract. 3. d. 2. de Intellectu Dei, q. 4. nu. 73. conformiter ad Scotum d. 39. n. 23. Deum non cognoſcere futura contingentia in Decreto ſuo tanquam objecto proximo, ſed tanquam in ratione determinante indifferentiam futuri contingentis ad alteram partem contradictionis, qua determinatione poſita ſtatim illud verum contingens formaliter repræſentatur in Divina Eſſentia, non minus quàm vera neceſſaria. Plura de his in Tractatu de Decretis & ſcientia media.

QUAESTIO II.

Utrùm Deus certò & evidenter cognoſcat futura contingentia conditionata?

SUMMARIUM.

1. *Futurum conditionatum, quid & quotuplex.* n. 461.
2. *Deum cognoſcere futura contingentia conditionata, tenet univerſa Scholaſticorum auctoritas.* n. 462.
3. *Auctores in oppoſitum explicantur.* ibid.
4. *Scriptura teſtatur Deum eſſe conditionatorum preſcium.* n. 463.
5. *Conſtituere in revelationibus divinis aliam, quam certam & infallibilem de futuris contingentibus etiam conditionatis cognitionem, primæ veritati & infinito intellectui repugnans eſt.* n. 466.
6. Hujus loci, Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone facta eſſent virtutes, &c.* reſeratio genuina. à n. 445. uſque 473.
7. *Græci PP. ſubſcripſerunt doctrinæ allatæ.* n. 472.
8. *PP. Latini in eandem iverunt ſententiam.* n. 474.
9. *Conditionatorum infallibilem Dei ſcientiam ratio propugnat, Deum omniſcium reſpectu omnis cognoſcibilis oſtendit.* nn. 475. & ſeqq.
10. *Cur dent homines fidem Numini Divino velut univerſali cauſarum judici?* n. 480.
11. *Veritas in eſſe entis, quomodo pertineat ad perfectam Dei ſcientiam?* n. 475.

461 HIc in diſquiſitionem vocamus futura contingentia conditionata, ſeu difficultates de objecto libero conditionato, quod ſtatim à primo poſſibilitatis ſtatu quaſi medium inter illam & abſolutam rerum exiſtentiam & futuritionem conſtituit. pro quo

Notandum. Objectum ſeu futurum conditionatum in genere eſſe, quòd eſſet certa conditione poſita, quamvis nunquam ſit abſolutè & ſimpliciter futurum, quia nunquam ponitur conditio, eſtque duplex, ſcilicet futurum conditionatum neceſſarium, qualia ſunt, quæ ſuis cauſis & conditionibus contingentia non ſunt, & futurum conditionatum liberum & contingens, qualia ſunt quæ contingentia ſunt & libera in ordine ad cauſas ſeu conditiones, ſub quibus conditionatè futura ſunt, ſi conditiones ponerentur. Non agimus in præſenti de futuro conditionato neceſſario, de quo nec eſſe poteſt difficultas, habet enim naturalem & tam ſtrictam neceſſariæ illationis connexionem cum antecedenti conditione, ut ea poſita nequeat non poni, ſive ea connexio emergat ex natura rei, ut ſi Sol eſt in noſtro hemiſphærio, dies eſt: ſive ex lege divina, ſi Judas moreretur in gratia, ſalvaretur. Neceſſario igitur conditionato ab hac diſputatione relegato, manet Controverſia de futuris conditionatis, quæ non habent connexionem neceſſariam cum conditione, ſed quæ antecedenti ſeu poſità conditione poſſunt ſequi, vel non ſequi, & hæc ſunt duplicis generis: alia, quæ important conditionem, ex qua non neceſſariò ſequitur futurum, ſed tantùm probabiliter per quandam opinationem, ut *ſi fuerit Ariſtoteles in Lyceo, in quo eſt Plato, diſputabit cum illo,*

Contingentium conditionatorum aliud neceſſariũ, aliud liberum.

illo, & hæc dicuntur nexa topicè & probabiliter, quia habent quandam congruitatis connexionem, quâ differunt à non probabiliter nexis, quæ disparata dicuntur, ut *ſi Ariſtoteles diſputet, Magnus Alexander pugnabit.* quæ disparata nullam inter ſe connexionem habent, neque neceſſariam, neque probabilem, quam ob rem dicuntur diſparata, & quaſi conditionata. his prætactis ſit

ASSERTIO I.

Non duntaxat probabilior & communior, ſed & Scripturæ & SS. Patribus conformior eſt ſententia, quæ aſſerit dari in Deo certam & infallibilem ſcientiam de futuris contingentibus conditionatis.

§. I.

Pro hac Aſſertione decertat univerſa Scholaſticorum Auctoritas.

246 *Scotus.* ASſertio probatur auctoritate Scholaſticorum, eſt enim communiſſima vox omnium penè Theologorum, *Scotus* illam ſatis apertè innuit 3.d.14 q 2.§. *Contra diſtinctionem illam*, impugnans opinionem D. Thomæ cenſentis animam Chriſti videre omnia, quæ Verbum videt, & ait: *Intellectus animæ Chriſti poſſet cognoſcere in Verbo aliquod poſſibile futurum nunquam fiendum.* quod nihil eſt aliud quàm conditionatum, cùm mediet inter purum poſſibile & abſolutè futurum. De *D. Thoma* non eſt dubium, ut paſſim apud Auctores oſtenditur, quoad Thomiſtas, qui referuntur in oppoſitum, videlicet *Cabreram* 3 p. q. 1. a. 3. d. 1. §. 22. *Ledeſmam* de auxiliis d. 2. *Catharinum* opuſc. de prædeſtin. part. 2. *Cabezundo* 3. p. q. 2. *Verdu* S. comm. in 1. p. q. 14. art. 13. *Ripa* 1. p. q. 14. art. 13. dub. ultimo. *Zumel* ibidem d 8. concl. 3. qui tamen poſtea ſe retractavit. *Navarretam* apud Ortegam Contr. 2. de Scientia Dei, diſt. 5. Certam. 2. n. 3. Omnes hos explicat & excuſat *Ioannes à S. Thoma* apud noſtrum *Felicem* c 6. diff. 1. n. 2. & *Gonet* diff. 5. de ſcientia conditionatorum a. 1. n. 1. ubi tamen in oppoſitum citat *Curielem* l. 1. Controverſiarum, contr. 7. *Corneum* hîc art. 13. diſt 3. dub. 2. & *Claudium Tiphanium*, noviſſimum Societatis Scriptorem, lib. de ordine, deque priori & poſteriori, c. 25. cum aliis contra omnes quaſi Societatis Theologos docentem futura contingentia conditionata, non cognoſci à Deo certò, ſed tantùm conjecturaliter, *Macedo* Tom. 1. collationum, coll. 10. diff 4 de ſcientia conditionata ſect. 3. quærens an hujuſmodi propoſitiones, v. g. *Si Petrus dormiet, Ioannes diſputabit*, veræ ſint, citat pro parte negativa *Vaſquez.* d. 67. c 3. & 4. *Alarcon* tract. 2 d. 4. *Faſolum* 1. p. q. 14. art. 13. *Leſſium* l. de auxiliis, c. 19. n 3. *Amicum* d. 12. ſect. 3. n. 253. *Arriagam* d. 21. ſ. 7. Verùm hos idem *Macedo* ſimiliter excuſat & conciliat cum illis, qui affirmativam tenent duplicem, diſtinguendo ſenſum quæſtionis, *caſualem* ſcilicet & *cauſalem*. ſi ſumantur iſtæ propoſitiones in ſenſu caſuali concomitantiæ unius cum alia, poterit Deus eam concomitantiam per poſitionem unius cum poſitione alterius cognoſcere. at verò quando ſumuntur propoſitiones in ſenſu cauſali, & ſint ejuſmodi connexiones, ut inter eas non detur nexus nec cauſalitas nec dependentia non poſſunt cognoſci ex vi per illationem & commenſurationem intrinſecam ad objectum ſeu per dependentiam & cauſalitatem inter ſe, & in hoc ſenſu, dicti Auctores rectè negant illas cognoſci à Deo, cum quo ſtat illas in ſenſu caſuali cognoſci ab illo, quod indubiè ſufficit ad rei cognitionem, quod à potiori verum eſt, ſi diſparata ſeu non nexa hæc futura conditionata eorumque veritas dependenter à decreto Dei de poſitione unius ad poſitionem alterius conſiderentur, prout conſideranda veniunt in illo 4 Reg. 13. Eliſæi ad Joas Regem: *Si quinquies aut ſexies, aut ſepties percuſſiſſes Syriam uſque ad conſummationem*, nam ſimilia loca Scripturæ, etſi ſemper ſint diſparata materialiter, attamen propter decretum Dei, quaſi deſinunt eſſe diſparata formaliter, cum non ſolùm ratione objectorum ad coëxiſtentiam vel concomitantiam unius cum alio tale futurum contingens conditionatum eſſet, ſi ponerentur cauſæ ſive conditiones, ſed ratione voluntatis divinæ illa inter ſe connectentis & conjungentis, ut unum ſequeretur ex altero. Itaque & Theologi, qui à communi doctrina receſſiſſe aliquibus viſi ſunt ab aliis, ſi pauculos demas, connumerantur toti cœtui Theologorum, qui noſtram Aſſertionem docuerunt, ut paſſim omnes Societatis JESU Doctores, qui hac de re ſcripſerant. Theologi ex Ordine Seraphico ex Recentioribus recenſentur *Smiſing* Tract. 3: d. 2: q. 5. *Herinx* d 6. de Intellectu & Scientia Dei, q. 5: n. 50. *Maſtrius* diſt. 3. de Intellectu divino, q. 4: art. 1: nu. 208. *Angelus Vulpes* d. 3 1. art. 1. *Fraſſen* Tract. 1: d. 1. art. 2.

art. 2. ſect. 4. qu. 2. *Macedo* loco cit. *Brinzenno* controv. 11. diſt. 31 de Scientia conditionata, art. 5. nu. 46. *Poncius* diſt. 51 de intellectu & ſcientia Dei, q. 6: n. 23. *Sghemma* 2. phyſ. digreſſ. 18. & opuſc. de ſcientia & voluntate Dei, q. 12. *Felix*, *Philippus Faber* diſt. 54. 55. 56. *Viloſius* apud *Herincx* l. c. dicens oppoſitum eſſe periculoſum in fide; ex antiquis Scotiſtis *Mauritius Hybernus* q. de præſcientia Dei & rerum contingentia art. 3. propoſ. 23. *Lyranus* in 4. Regum c. 2. in explanatione illius combinationis conditionatæ, *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiſti, ſi autem non videris, non erit.* item in 1. Regum c. 23. in illa verba: *Si tradent me viri Ceila, & viros qui mecum ſunt in manu Saul?* noſter denique *Matthias Thuringius* ibidem in defenſione Lyrani in replica hujus loci contra *Burgenſem* citatus apud Brizennum l. 1. nu. 51. aliique Scotiſtæ, quotquot in hanc rem ſcripſerunt compleriſque Thomiſtis, qui aut disertè aſſertionis noſtræ doctrinam propugnant, aut ſaltem ab aliis exponuntur, quòd re ipſa illi non contradicant; pro quo præter Joannem à S. Thoma, vide *Reding* q. 5. de ſcientia Dei, art. 5. n. 17. & ſeqq. vide item *Gonet* d. 5. de ſcientia conditionaturum art. 1. n. 1: citatis. Spectando itaque auctoritatem, etſi Auctores inter ſe diſcrepent in modu loquendi, conſentiunt tamen in eo, quod certiſſimò ſciantur à Deo omnia conditionatè futura contingentia.

§. II.

An poſſit validè aſſertio probari per auctoritatem Scripturæ?

SEcunda pars, quòd ſententia noſtra ſit Scripturæ conformior, probatur primò, quia nullus ferè eſt Scripturæ liber, in quo ſcientia hæc Dei de futuris conditionatè contingentibus non
Genes. 11 exprimatur. *Gen.* 11. de Nembrot & ſui conſilii hominibus, ad ædificandam turrim, quæ cælum pertingeret, ait Deus: Cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant, niſi à Deo impedirentur linguarum diviſione, ubi non dicitur, quòd non deſiſtent à cœpto, donec abſolutè compleant, abſolutè enim non cōpleverunt, ſed ſolâ conditione, ni impediantur: ergo ſciebat Deus, quod fuiſſet futurum, ſi illos in cœpto turris machi-
Exod. 34. namento non confudiſſet. Item *Exodi* 34. Judæi à Deo prohibentur per Moyſen ducere uxores alienigenas, ne poſtquam fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios in Deos ſuos, ubi prædicitur hoc conditionatum complexum, ſi Judæi commiſcerentur filiabus alienigenis, apoſtaſiam committerent, quæ prophetia in Sa-
3. Reg. 13 lomone dicitur completa 3. Regum 13. *Rex Salomon admovit mulieres alienigenas de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſraël, non ingrediemini ad eas, neq; de illis ingredientur ad veſtras, certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequantur Deos eorum*, ubi ſub certa aſſeveratione illud certiſſimè à Spiritu ſancto ſua prophetia interprete additum oſtendit certam & infallibilem de conditionatis complexis ſcientiam.

4. Reg. 2. & 13. Panditur hujus iterum veritas 4. Reg. c. 2. ubi petenti Eliſæo ab Elia, ut in eo duplex Eliæ ſpiritus, reſpondit Elias: *Rem difficilem poſtulaſti, attamen ſi videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti, ſi autem non videris, non erit.*

Alter locus eodem libro 4. *Regum* 13: de Eliſæo Propheta Joam Regem Iſraël ex numero ſagittarum de futura victoria edocente: *Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, aut ſepties percuſſiſſes Syriam uſque ad conſummationem, nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Ubi indubiè certitudo hujuſmodi eventus, qui prædicitur conditionatè, & pendet ex numero jaculorum, quem præviderat Deus, & revelavit prophetæ, & veritas illius eventus conditionata erat, licèt conditio diſparata de ſe ſit, neque veritas illius ſit per intrinſecam connexionem commenſurata cum effectu, ſed ab extrinſeco ex Dei ordinatione, nam id non obſtat, ſed confirmat certitudinem conditionaturum in Dei decreto ordinatam.

Quintus locus habetur apud Hieremiam Hierem. c. 38. edocentem dubium *Sedeciam Regem* de eventu. Si profectus exieris ad principes Regis Babylonis, vivet anima tua, & civitas hæc non ſuccendetur igni, & ſalvus eris tu & domus tua; ſi autem non exieris, tradetur civitas hæc in manus Chaldæorum, & ſuccendent eam igni, & tu non effugies de manu eorum. Ubi apertiſſimè prophetavit Hieremias futurum conditionatum, ſciebat ergo Deus, quid futurum eſſet, ſi Sedecias conſilium ſecutus fuiſſet, & urgetur ratio, cùm enim Rex, ſi admitteret conſilium, metueret, quòd eſſet tradendus à transfugis Judæis, iterum reſpondit *Hieremias* nomine & voce Dei: *Non te tradent*, Ac proinde Regi alterutrum quoque infallibiliter prædicitur futurum complexum illud, ſi te ſubjeceris Chaldæis, non traderis illudendus Judæis, & tamen fuit hoc futurum ſub conditione contingens de numero illorum, quæ ob non purificatam conditionem nunquam exiſtent.

Plura teſtimonia extant in veteri pagina, ut Ezech. 3. illud Ezechielis 3. Non ad populum profundi ſermonis aut ignotæ linguæ tu mitteris, & ſi ad illos mitteretis, ipſi audirent te. Et ſimilia paſ-
ſim

sim occurrunt & rescribuntur apud Auctores, illud solum & celebre testimonium Veteris Testamenti adhuc affero ex 1. Reg. 23. ubi David consuluit Dominum, dicens: *audivit famam servus tuus, quòd disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me? si tradant me viri Ceila in manus? & si descendat Saul, sicut audivit servus tuus, indica servo tuo*: & ait Dominus, *descendet*; dixitque David: *Si tradent me viri Ceilæ & viros, qui sunt mecum in manus Saul?* & dixit Dominus, *tradent*. Ecce iterum sermo de futuris conditionatis, quorum tamen neutrum evenit, quia dicitur tradendus David, & Saul descensurus sub conditione, si David in ea urbe persisteret. Hactenus multis aliis omissis ex Veteri Testamento. 1. Reg. 23

464 Ingrediamur ad novum, in quo multa similiter & efficacia loca produntur ad probandam de conditionatis futuris scientiam. Primum sit illud Matth. 11. & Luc. 10. *Væ tibi Corazain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent*. Ecce revelatio divinitùs facta de conditionatis, quæ tamen ob defectum conditionis, quia scilicet illæ virtutes nunquam apud eos factæ fuerunt, nunquam evenerunt, nempe nunquam pro peccatis suis pœnitentiam egerunt. Similia denique & non minus illustria futura conditionata vide Luc. 16. in illis verbis Abrahami ad divitem Epulonem rogantem Lazarum destinari ad instituendos consanguineos suos de suis pœnis, & cautela à pœnis, qua accepta conditione Abraham respondit: *Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*. Matth. 24. *Nisi abbreviati fuissent dies illi, non fuisset salva omnis caro*. Habuit ergo Deus conditionatam scientiam, quòd si in longius tempus protraheretur persecutio Antichristi, plures perituros, qui tamen non perierunt. Et Joannis 4. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi bibere, tu forsitan petisses ab eo aquam vivam*. Et Joannis 5. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi*. 1. ad Cor. 2. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. quæ omnia & alia plura novæ paginæ consistunt in dictis de futuris conditionatis. Matt. 11. Luce 10. Luc. 16. Matt. 24 Joan. 4. & 5. 1. Cor. 2.

Quid, & an congruè respondeant nonnulli ad Scripturæ testimonia pro assertione producta?

465 Pauci illi contrariæ sententiæ Auctores respondent Deum istis in locis prædixisse id quod erat futurum non infallibiliter & absolutè, sed vel secundùm conjecturalem & probabilem notitiam fundatam in dispositione causæ proximæ quod in simili conjunctura, ut v. g. secundùm præsentem voluntatem & dispositionem animi sive Saulis & Ceilanorum, sive Tyriorum & Sidoniorum (& sic de cæteris) probabiliter natum fuisset evenire huic responsioni noster Brizenne Controv. 11. dist. 3. de præscientia conditionatorum, art. 3. à n. 28 (esto nostræ utcertiori adhæreat doctrinæ) usque ad n. 46. valde favet, censetque non esse incongruam, imò propugnat ibidem. Sed sit contra hos Brizenne

ASSERTIO II.

Repugnat primæ veritati & infinito Dei intellectui aliam admittere cognitionem in revelationibus divinitùs factis, quam scientiam certam & infallibilem de futuris contingentibus etiam conditionatis.

466 Hanc tenent plerique moderni, ex quibus noster Herincx Episcopus Iprensis d. 6. de Intellectu Dei, q. 5. n. 51. dicit: *Conjecturalis notitia ineptè Deo tribuitur*. Stapletonus in Antidotis Evangelicis in illud Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone* &c. judicat hujusmodi interpretationem *esse Verbi Dei corruptelam*, nec mirum videtur, quia omnia, & plus quàm viginti Scripturæ testimonia, quorum aliqua adduximus de conditionatis futuris, exponi possent de morali tantùm certitudine, & ut plurimùm secundùm verisimilitudinariam & probabilem causarum propensionem, quod quàm absurdum sit, mox infra docebitur. Herincx.

Probatur Assertio *primò*: futurum contingens etiam sub conditione, esto nunquam eveniet, si non sit futurum tale infallibiliter, sed secundùm prudentem ac probabilem conjecturam in præsenti rerum causarumve perstasi fundatam, neque contradictoriè falsitatem à sua contingentia excludit, neque prædicti eventus oppositum demonstrat impossibile, imò verò non solùm possibile indicat, sed oppositum in revelationibus allatis probabiliùs conjecturandum esse, sed tale quid procul est ab omni revelatione divina, quæ nititur prima veritate, cujus ratio importat infallibilitatem in dicendo & cognoscendo, cùm alioquin, ut ait Illustrissimus Herincx l. c.

l.c. *Deus imprudenter hoc modo revelaſſet, ſalſitati exponendo oracula ſua, quæ verſantur circa poſſibile, cui in particulari poteſt ſubeſſe falſum.* Fatearis ergo falſum potius eſſe tale futurum exprimere tantam certitudinem moralem ex propenſione cauſarum. *Major* probatur argumento *ad hominem* aſſumendo teſtimonium allatum de pœnitentia & converſione Tyriorum &c. ex naturali diſpoſitione Tyriorum & Sidoniorum probabilius longè certumque erat, prædicationi & ſignis, quibus Bethſaidiræ non crediderant, eos non credituros: ergo &c. *Prob. anteced.* Bethſaiditæ & Corozainitæ Judæi erant credentes Deo & in Deum, & quibus ſigna, quæ viderant de adventu *Meſſiæ* per Prophetas prænunciata, Tyrii verò & Sidonii, ut patet apud *Iſaiam* c. 23. v. 1. *Ezechielem* c. 26. v. 2. & 27. v. 3. & 28. v. 2. & 12. apud *Amos* c. 1. v. 9. & paſſim docente Scriptura, fuerunt omninò dediti vitiis, & idololatræ peſſimi: ergo attendendo propenſionem cauſarum in præſenti rerum periſtaſi fundatam, probabile magis & moraliter certum erat hos tam parum propter ſigna & prædicationem adhibitam credituros aut pœnitentiam facturos, quam iiſdem adhibitis crediderunt & pœnituerunt Judæi, ad quos Chriſtus Dominus exinde, quòd ſecundùm propenſionem cauſarum eſſent perditiſſimi homines, & in impœnitentia obſtinatiſſimi comparationem ſuam adorſus eſt, ut apertiùs eorum oſtenderet duritiem, quò magis erubeſcerent & converterentur, neque enervat argumentum, quod viſis ſignis & adhibita prædicatione fuiſſent meliorati ſive ſtatim diſpoſiti ad frugem pœnitentiæ, eò quòd voluntas humana ſit ambulatoria ad quemvis terum eventum, nam ſacer textus expreſſè utitur particula *olim*, dicendo: *Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent*, id eſt, tunc quando fama & veritate erant perditiſſimi homines.

468 *Dices*: ergo Chriſtus non aſſeverando eâ comparatâ locutione uſus fuit, ſed duntaxat exprobrando Judæorum duritiem & obſtinationem, quæ tanta eſſet, ut ſigna & prædicatio Chriſti à Tyriis & Sidoniis ita poſthaberi & explodi non poſſet, & colligitur ex contextu, ubi dicitur: *Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus facta ſunt plurimæ virtutes*, adeoq; Chriſtum ibi non prædixiſſe rem infallibiliter contractam ad alteram partem contradictionis, ſed cum exprobratione ibi vel aſtruere præſcientiam converſionis Tyriorum & Sidoniorum, non ut infallibiliter futuram, ſed ſolùm moraliter certam; vel ita Chriſtus Dominus ſolùm proceſſit ex accommodatione ad vulgarem loquendi modum; nam vulgariter ad amici hominis ingratitudinem dicere ſolemus, ſi talia beneficia in inimicum hominem, vel in agreſtem feram contuliſſem, majora gratitudinis ſigna experirer, atque ita quoad ſecundum, Janſenius c. 47. *Concordiæ Evangelicæ.*

469 Confirmatur ex eo, quòd Chriſtus Dominus hujuſmodi comparata locutione à Sodomitis & Gomorrhæis ductâ utatur ad Capharnaitas dicens: *Quia ſi in Sodomis facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in te, fortè manſiſſent uſque in hunc diem*, &c. ubi particula *forte*, quæ cùm ſit dubitationis nota, eventum ambiguum conjecturalem & opinativum pronunciat ſermonibus Dei, non hic ſolùm, ſed & aliis Scripturæ locis eſt interjecta, ergo ſimilia Chriſtus Dominus duntaxat prædixit futura ſub certitudine morali, ſcilicet fore juxta propenſionem cordium gentilium moraliter certum ipſos Chriſto credituros, ſi ſimilibus ſignis excitarentur.

Contra primò, tunc ut ſuprà innuimus, ſicut Chriſtus ſua oracula veriſimilitudini, ita periculo falſitatis expoſuiſſet, quia ſæpè non evenit, quod veriſimilius eſt & probabilius, ut patet Machab. 2. ubi dicebant Aſſidæi: *Homo Sacerdos de ſemine Aaron venit, non decipiet nos*, & tamen decepti ab illo ſunt, ut patet in ſacro textu, ibidem. Machab. 2.

Contrà ſecundò: hæc Scripturæ interpretatio Stapletonio aſſeverante eſt Calvino propria, & ideo videtur, quòd malè audiat, is enim in hæc verba Chriſti: *Si in Tyro & Sidone*, &c. ait: *Chriſtus hic non diſputat, quid de eis præviderit Deus futurum, ſed quid facturi illi fuiſſent, quatenus ex re ipſa percipi potcrit, ad communem humanæ mentis captum ſermonem accommodat.* Sed replicat Brixeano l.c.n. 36. hæc eſſe inania puerorum terriculamenta, quaſi nil ab hæreticis traditum ſit, quod à fide non diſſentiat. Brixeano

Contra hanc replicam & datum reſponſum eſt tertiò, quòd non ſint inania puerorum terriculamenta, quæ ſcribit contra hanc explanationem S. Auguſtinus in eundem locum c. 9. de dono perſeverantiæ ſub fine. ... Nunquid poſſumus dicere etiam Tyrios & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe, ſi fierent? cùm eis ipſe Dominus atteſtetur, quòd acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent divinarum illa ſigna virtutum, & oſtendens parvulos ſine baptiſmo decedentes ob originale damnari, non ob peccata, quæ agerent, ſi diutiùs vivant, ita concludit: *Quoniam nullus mortuus judicatur ex bonis ſive malis, ſi non mereretur acturus. alioqui Tyrij & Sidonij, non ſecundùm ea, quæ geſſerunt, pœnas luerent, ſed potiùs ſecundùm ea, quæ geſturi fuerant, ſi in eis illa virtutes evangelicæ facta fuiſſent, per grandem pœnitentiam & per Chriſti fidem conſequerentur ſalutem:* Quæ S. Auguſtini doctrina non ſolùm adverſatur reſponſo ab aliis allato, ſed & ut reprobandum ſupponit, ſtatuens certiſſimæ præſcientiæ de futuris conditionatis infallibile ſignum in judicio extremo Dei. c. 95. Enchridii dicens, *tunc non latebit, quod nunc latet, cur apud quoſdam non ſint facta virtutes, quæ ſi facta fuiſſent, illi homines egiſſent pœnitentiam, & facta ſunt apud eos, qui nunquam fuerunt credituri*, apertiſſimè namque Dominus ait: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida* &c. Fruſtra ergo Auguſtinus.

quod

quod Dominus apertiſſimè dixit ſecundùm *Auguſtinum*, & omnes quaſi & tot Theologos pauculi illi ſub involucro conjecturalis ſolùm certitudinis aut formidinis de oppoſito explanandum contendunt, qualis non cadit in dictis primæ veritatis, à quâ teſte eodem *Auguſtino* tract. 73. in Joannem, paulò poſt initium, atteſtante procul abeſt opinio, oportet ergo Dei dictis ineſſe ſcientiam ſimpliciter certam & infallibilem, conſequenter & in his contingentibus conditionatis.

470 Contra quartò & directè falſum eſt ſequi ex noſtro argumento quod exinde in inſtantia eruitur, nam licèt in ſua diſpoſitione meliorari potuiſſent, quia voluntas humana deambulatoria ſit, talis tamen eſt tam in bonum quàm malum, & conſequenter non eſt dicendum, quòd Deus ex ſola veriſimilitudine pronunciaſſet de eventu futuro ex tali vel tali cauſarum diſpoſitione, alioqui voluntatis ambulatoriæ variabilitas rerumque contingentia non eſſet ſubjecta oraculi infallibilitati & ſcientiæ divinæ, ſeu non ſubderetur divinæ revelationi & cognitioni, ſub ratione illa, ſub qua omnimodam habent certitudinem: ſed oracula & revelatio divina & infallibilis Dei ſcientia eſſet ſubjecta variabilitati voluntatis humanæ, quæ annexam habet incertitudinem, & de oppoſito formidinem, quod Theologum ſentire, quis non dicet eſſe abſurdiſſimum?

2. Venio jam ad confirmationem, quæ non urget, nam particula *ſortè*, ut è græco textu patet, tam apud Lucam, quàm apud Matthæum, ponitur particula ἄν, quæ hic non eſt dubitantis ſed affirmantis, nam ut inquit Budæus in panegyrico apud Hennum Stephanum in ſuo Theſauro græco ſub lit. ἄν, illa particula expletiva ἄν, habet vim verbi tacitè ſubaudiendi, ſic hic habet vim tacitè affirmandi, ut verti poſſit, & idem ſit ac *ſane, certè, utique, omninò*, ita quòd non dubietatem, vel aliquando important veritatem & certitudinem, ut non ſolùm *Barboſa* de dictionibus uſu frequentibus diſt. 126, & 127. de his particulis *ſortè*, *forſan*, *fortaſſis*, expreſsè dicit, ut, *condemnes Titium in decem Sempronis, quia ſortè debitor eſt*. Sed & ipſamet Scriptura ſeipſam quoad illius vocis intellectum elucidat in aliis locis, ut *Joan.* 4. reſpondit Jeſus, & dixit ei: *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui tibi dicit, da mihi bibere, tu forſitan petiſſes ab eo.* & c. 8. *Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.* Ubi Syriacus Interpres legit ſimpliciter, *Si me noſſetis, & Patrem meum noſſetis*; eſt enim veritatis infallibilis, quod qui noverit Filium, noſcat & Patrem, cùm enim Filio & Patri ſit una Divinitas eadem Eſſentia extra omnem dubitationis metam, & imò neceſſarium eſt, eſto in ſingulis ſuis locis habeatur particula ἄν expletiva, quòd cognitio intuitiva unius inferat cognitionem intuitivam alterius; non ergo τὸ *ſorte* etiam in verſione latina innuit eventum oraculi divini ambiguum & conjecturalem, ſed certitudinalem & infallibiliter futuram, etſi non malè reſpondeant alii ita dici, ne putaremus Dei præſcientiam ponere aliquam libero noſtro arbitrio neceſſitatem, ſed vel ad oſtendendam liberi arbitrii noſtri mutabilitatem, ut non aliter divina præſcientia viderit ejuſmodi effectus evenire, quàm per cauſas contingentes, vel ad expendendam ipſius rei difficultatem v.g. objecti variabilitatem, tamen invariabiliter Dei ſcientiæ ſubjectam, atque ita oracula Chriſti & revelationes divinæ de rebus ſub conditione futuris verſentur circa illas, non ſub diſpoſitione præſenti & veriſimilitudine tantum, ſed ſub certitudine & infallibilitate ſic & ſic effectus ponendi, ſi ponerentur conditiones.

Particula (fortè) non eſt dubitantis & quando.

Habemus ex his, quòd nullatenus ſatisfaciat 471
nonnullorum reſponſum ad locum ex 1 *Regum* 13. nempe David non conſuluiſſe Dominum, neque hunc reſpondiſſe de Saulis deſcenſu & traditione David a Ceilitis, ſed diſpoſitione animi Saulis ad deſcendendum & Ceilitarum ad tradendum David cum ſuis, tum quia ſi reſpondiſſet Deus ſolùm de diſpoſitione animi Saulis & Ceilitarum, pro quo noſtrum vide *Brizenno Contr.* 11. *diſt.* 3. art. 3. n. 32. ubi affert paraphraſim Chaldaicam, quæ ſic habet: *Num cogitat Saul deſcendere ad id, quod audivit ſervus tuus?* & dixit Dominus, *cogitat deſcendere*; & dixit David: *Num cogitant tradere habitatores Ceila me & viros meos in manus Saul?* dixit Dominus, *cogitant tradere*. Ex qua paraphraſi deducitur, productas Dei reſponſiones eſſe determinatè veras, non ut referantur ad deſcenſum Saulis, ſed actuales machinationes, quas introſpexit Deus in cordibus illorum contra David; unde Burgenſis apud Brizenno cit. concludit: quæ reſponſiones fuerunt veræ, etiamſi Saul non deſcendit, nec David fuit traditus, quia in mente eorum erat ſic facere occurrente opportunitate, prout Deo, qui novit corda hominum, erat notum, ita ille, verum licet Chaldaica paraphraſis in aliis libris à Pentateucho per Rabinorum nugas vitiata non eſſet, ut notat Eminentiſſimus noſter *Franciſcus Ximenes de Ciſneros* præfat. in *Bibl. Complut.* Vulgatæ & S. Hieronymi, aliorumque eruditiſſimorum Hebræorum verſioni cedere & credere debet, quod inſuper in utraque & David de deſcenſu & de traditione conſulebat Deum, probatur ex divino reſponſo, *deſcendet*, *tradent*, eſt apertiſſimè circa objectum diſtinctum à cogitatu & diſpoſitione animi Saulis & Ceilitarum: ergo. *Antecedens prob.* alioquin Deus nihil reſpondiſſet ad id, quod quærebat David; *Sequela* prob. quia nemo erat tam bardus, nedum ſapientiſſimus David, ut neſciret ſubaugurari, quod Saul animo concepiſſet, clamante fama & eſtante de præſenti Saulis diſpoſitione, ut patet ex cit. c. v. 9. quod David reſciſſet, quòd præpararet ei clam malum, ergo Deus reſpondebat, de quo quærebat David, ſed David quærebat oraculum de eventu ſpeciali futuro, idque applicando *ephod* hiſce verbis: *Si tradent me viri Ceilitæ in manus ejus? & ſi deſcendet Saul, ſicut audivit ſervus tuus*, que

Burgenſis

Ximenes.

quæ inquisitio & ad illam responsio *descendet, tradent*, certè non invocat solùm dispositionem & cogitatum animi, sed ipsum eventum, quem David futurum timebat: ergo ut ad propositum redeamus, supponebat David, quòd Deus istum eventum infallibiliter cognosceret,& non minus oraculo de eventu dato,esto non evenit, tenebatur fide divina credere, quàm si aliquid aliud simpliciter revelasset, ut scitè *Herincx* l. c.

§. III.

An SS. Patres admiserint in Deo certam & infallibilem cognitionem de futuris in statu conditionato?

Quid senserint Patres Græci?

47 *Nyssenus.* CLarissimè Nyssenus l. *de ijs, qui acerbâ morte extinguuntur*, circa finem ait: Verisimile est enim, qui id, quod futurum est, æquè ac præteritum cognovit, progressum vitæ infantis ad perfectionem prohibere, ne quod in præscientia malum animadversum est in eo, qui ita dicturus fuisset, perficiatur, atque ei, qui ea voluntate arbitrioque victurus fuisset, vitii nequitiæque materia vita fuit: ecce sentit Deum ex præscientia de futuro conditionato præcavisse, ne infantes quos præsciebat si adolescerent, graviter & finaliter peccaturos, diu viverent, ac propterea morte præmaturâ sustulisse.

Chrysost. *Secundò* S. Chrysost. super Matth. c. 19. manifestè supponit conditionatorum scientiam, secundùm quam explicat ibi, qualiter Deus aliquos vocat hoc tempore, alios alio, quia novit illos consensum præbituros gratiæ in hoc, non in illo tempore, si vocarentur in illo. Verba S. Chrysostomi sunt: *Sed cur non statim omnes conduxit. omnes quidem ille ab initio conducere voluisset: si verò non omnes eodem tempore pervenerunt, à voluntate vocatorum hæc differentia resultavit: idcircò alij mane, alij tertia, alij sexta, alij nona, alij undecima hora vocantur, quia tunc obtemperaturi erant.* Et mox: *Latronem postea vocavit: potuisset ante ipsum vocare, sed vocatus ille non paruisset.*

Athanas. *Tertiò* Athanasius serm. 3. contra Arianos sic objicientes, poterat Deus, etsi Salvator creaturæ existeret, solvere maledictionem Adæ, ad quam objectionem ita reponit, *Istud ipsum etiam ab alia quopiam his obtundi poterit. Poterit sine ullo Adventu Christi solvere maledictionem, cæterum spectandum est, quod hominibus sit utile, non quod situm sit in viribus Dei.* Quæ responsio versatur circa objectum conditionatum, scilicet quòd si Deus ita voluisset secundùm absolutam suam potentiam, alio modo redemptio generis humani fieri potuisset.

Quartò, aliter ad propositum idem loquitur Cyrillus in Dial. de Trinit. ante medium docens: *Si peccatum non fuisset, nec futuram fuisse Incarnationem*, id autem necesse fuit cognosci à Deo, quòd futura esset Incarnatio, si Adam peccasset, hoc autem erat futurum conditionatum, *Si*, inquit, *non peccassemus*, neque esset nobis factus similis, nec sustinuisset crucem, & si mortuus non esset, non esset assecutus, ut adoraretur à Sanctis. Idem Cyrillus l. 9. in Joann. c. 10. *Sed*, inquit, *quæret aliquis primùm, si omnia scire Christus creditur, cur Iudam, qui futurus proditor erat, elegerit? cur enim cum alijs eum annumeravit? quem non ignorabat quæstûs cupiditate captum, in Diaboli laqueum esse casurum.* Et infra: si sic imperiti effecti erimus, ut in omnibus quæ à Deo facta sunt, similia velimus excogitare. *Quid enim prohibebit incusare Deum, ac dicere, cur in Regem Saul elegisti, quem sciebat gratiam tuam esse spreturum? imo cur primò à terrâ hominem formasti, quem non ignorabas mandata tua non observaturum? ascendet hæc oratio etiam in superiora, cur enim Angelorum naturam creasti, cùm ut Deus praevideras futurorum nonnullorum rebellionem.* Eandem quæstionem versant alii PP. ut Hieron. l. 3. contra Pelag. c. 2. Damasc. adversus Manichæos ad medicum, qui certò supponunt in Deo scientiam conditionatorum; unde Cyrillus respondet ibi; ex istis sequeretur, ut præcognitionis causas aut nihil omninò creare debuerit, aut insensatam solummodò naturam producere &c. Plures PP. Græci videri possunt apud Macedo l. c. hic sufficiunt adducti, qui ex ore duorum aut trium testium Lectori satisfactum autumo.

Cyrill. *Damascen.*

* * *
* *

§. IV.

Quid de ſcientia conditionatorum PP. Latini cenſuerint?

474 SI nulli Latini, quorum tamen plurimi ſcientiam conditionatorum in Deo agnoſcunt: unus pro omnibus ſufficeret *Auguſtinus*, qui diſcens ex *Proſpero* Præceptore ſuo in Epiſtola ad ipſum à *Proſpero* miſſa errorem Pelagianorum & Semipelagianorum opinantium judicari & puniri homines ex prævifione meritorum conditionatorum paſſim ita diſputat contra errorem illum, ut nuſquam neget præviſa à Deo ſeu præſcita merita vel demerita ſub conditione futura, ea enim prævifione negatâ quæſtio cum Pelagianis ceſſaſſet, ſed negat talia *futura, quæ non ſunt futura*, eſſe merita, id eſt, talia quidem futura ſub conditione eſſe objecta divinæ ſcientiæ, ſed non eſſe ſubjecta divinæ juſtitiæ, ſeu eſſe eorum futurorum quidem præſcientiam, ſed non habere rationem meriti actualiter Deum moventis ad dandam primam gratiam & primam vocationem ad fidem, neque habere rationem demeriti actualiter Deum moventis ad puniendum illa futura mala, quæ nunquam fecerunt, ſed feciſſent, ſi Deus non impediviſſet, produco illum locum, quem habemus libro de *prædeſtin. ſanct.* c. 12. ubi ad Epiſtolam reſpondens ait: unde hoc talibus viris venerit in mentem, neſcio, ut futura quæ non ſunt futura puniantur, aut honorantur merita parvulorum. & quia hic locus objici ſolet in oppoſitum, audi quid ibidem ſubinferiùs ſubdat: *Judicari autem quemquam non ſecundùm merita, quæ habuit, quando fuit in corpore, ſed ſecundùm merita, quæ fuerat habiturus, ſi diutiùs vixiſſet in corpore, unde opinari potuerint homines, quorum ingenia non eſſe contemptibilia, veſtra indicant litera mirans & ſtupens, reperire non poſſum.*

Augustinus.

His adde, quæ habet capite ſeq. 13 *Quòd ſi forſitan dicant pœnitentibus peccata dimitti, & iſtos non baptizari in parvula ætate morientes, quia præſciti ſunt pœnitentiam, ſi viverent non acturi, eos autem qui baptizantur, & parvuli de corporibus exeunt, Deum præſciſſe acturos pœnitentiam fuiſſe, ſi viverent, attendant & videant, ſi ita eſt, jam non parvulis ſine baptiſmo morientibus peccata originalia vindicari, ſed ſua cuiq; futura, ſi viveret, itemq; baptizatis non originalia dilui, ſed ſua futura, ſi viverent, quoniam non poſſent, niſi in majori ætate peccare: ſed alios acturos pœnitentiam, alios non acturos fuiſſe præviſos, ideò alios baptizatos, alios ſine baptiſmate exire de vita.* Quæ perſpectè indicant, Auguſtinũ ſuppoſuiſſe in Deo ſcientiam de futuris conditionatis, cùm aliàs fruſtrà loqueretur, quidquid hîc aſſerit contra ſententiam Semipelagianorum, quos duntaxat oppugnat in eo, quòd aſſererent illa præſcita merita quæ quiſquis eſſet facturus, ſi viveret, etſi nihil eorum abſolutè futurum eſſet de facto, idonea eſſe ad ſubdendum illa ſupplicio aut præmio. Alterum locum producamus Auguſtini l. de correptione & gratia c. 8. ubi ex illo loco Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*, probat donum Dei eſſe acerbum & immaturam mortem, qua homo rapitur, nec peccet, donum Dei eſſe, inquit, *coguntur fateri, ut finiat homo iſtam vitam, antequam de bono mutetur in malum.* Idem docet apertè l. 1. de animæ orig. ad Renatum c. 12. ad confutandum dictum errorem ejus, qui dixit, homines judicari de peccatis, quæ facturi eſſent, ſi viverent, ac ita inquit: *Si peccata, quæ homo commiſſurus eſſet, ſi viveret, etiam non commiſſa damnantur in mortuo, nullum beneficium allatum eſt illi, qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus; quandoquidem judicabitur ſecundùm ea, quæ in illo fuerat futura, malitiam, non ſecundùm ea, quæ in illo inventa eſt, innocentiam.* Ejuſdem Argumenti doctrina c. 14. l. c. de *prædeſtin. Sanct.* c 14. *Si enim judicarentur homines*, inquit, *pro meritis, ſive vitiis, quæ non habuerunt morte præventi, ſed habituri eſſent, ſi viverent, nihil prodeſſet ei, qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, nihil prodeſſet eis, qui lapſi moriuntur, ſi antè morerentur, quod nullus dicere Chriſtianus audebit.*

Ex hoc Auguſtini teſtimonio non comprobatur ſolùm in Deo dari ſcientiam conditionatorum, ſed & rejiciuntur illi, qui illum ibidem in oppoſitum trahere cõtendunt, eò quòd de illo Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*, ibi dicat, hoc dictum eſt, ſecundùm pericula vitæ hujus, non ſecundùm præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat, quaſi diceret, futurum illud conditionatum, ſi raptus non fuiſſet ab hac vita, malitia mutabit intellectum ejus, ſolum eſſe cognitum conjecturaliter attentis hujus vitæ & fragilitatis humanæ periculis. quod firmant ex altero Auguſtini loco l. de animæ orig. c. 12. ajentis: *Ipſa exinanitur omninò præſcientia, ſi quod præſcitur non erit, quomodo enim dicitur præſciri, quod non eſt futurum.* Certum enim eſt, quòd per hæc *S. Doctor* non neget in Deo ſcientiam certam & infallibilem de futuris conditionatis, cujus oppoſitum evidenter cernitur in ipſo, unde vel explicandus eſt juxta dicta ſuperiùs, quòd velit non eſſe in Deo ſcientiam, qua præſciret talia opera conditionata habere rationem meriti vel demeriti, vel cum *S. Bonaventura* ſuper illud *Magiſtri* 1. d. 35. §. *Ad hoc*, inquientis, ſi nulla eſſent futura, non eſſet in Deo præſcientia, vel non eſſet Deus præſcius, in cujus expoſitione textûs *S. Doctor* ait: Bonaventura.

quòd

quòd præscientiæ nomen ponatur in Deo, quatenus connotat eventum absolutè futurum, in qua usurpatione nominis *præscientiæ*, certum est, quòd non sit in Deo præscientia de futuris conditionatis, quæ nunquam erunt, esto possint esse, si conditio purificaretur. Augustinus itaque, aliique Patres in hujusmodi locis non negant in Deo scientiam conditionatam, quoad rem ipsam, sed quoad nomen præscientiæ, ut colligitur ex illo *Hugonis de S. Victore* l. 1. de *Sacram*. p. 2. c. 16. ait: Si res futuræ non fuissent, sapientia Dei scientia esset, sed præscientia non diceretur, sed de nominis notione, non est multum disceptandum, quando res tenetur.

Secundum huc refero ex August. locum Tom. 10. serm 7. de verbis Domini, c. 1. sic circa illa verba, quæ quidem Christo proposuit
Matth. 8. *Matth* 8. & *Lucæ* 9. Magister sequar te, quo-
Lucæ 9. cunque ieris. Et circa Christi responsionem ajente: quid hoc, quod Magistro bono Domino Jesu Christo invitanti discipulos, quibus daret regnum cœlorum, displicuit tam paratus? ad quod Augustinus respondens, subdit: talis Magister erat. quia futura prævideret, intelligimus fratres istum hominem, si sequeretur Christum, sua quæsiturum fuisse, non quæ Jesu Christi. Quo responso Augustinus removet omnem dubitationem, quæ de scientia Dei circa contingentia conditionata futura suboriri posset, alioquin frustra ita discuteret, si talis discipulus admitteretur ad sequelam & discipulatum Christi, quod per præscientiam Christus scivisset, talem quæsiturum potiùs, quæ sua sunt, quàm quæ Jesu Christi Domini Nostri.

Plura loca ex *S. Augustino*, quæ directè probant eam de conditionata complexione scientiam, qui videre desiderat, videat nostrum *Macedo coll.* 10. *diff.* 4. de scientia conditionata, *sect.* 4. usque ad *coll.* 11.

Possent ad idem propositum in magna copia alii ex Latinis PP. afferri, ut Ambrosius l. de Paradiso, c. 8. *Hieronym.* Dial. 3. contra Pelagium. *Beda* 14. Tomo in expositione *Genesis* de tentatione primi hominis. *Anselmus* in Elucidario *colum.* 9 qui omnes videri possunt apud cit. *Macedo sect.* 3. §. 2. aliique multi apud Ruitz Tom. *de Scientia Dei*, d. 65. à *sect.* 1. usque ad 6. sed non video cur rei tum certè diutiùs immoremur, in cujus consensum omnes quasi Scholastici unanimiter videntur conjurasse, ut patet ex §. 1. hujus quæstionis.

§. V.

Pro ea conditionatorum scientia pugnat ipsa ratio & appetitus agnoscendi hominibus innatus & fides Numini divino habita.

475 PRima ratio esse potest illa, quam superiùs nu. 451. sub secunda Assertione invenies. Secunda desumi potest ex Controv. hujus Tomi II. q. 2. per totum, ubi ostensum est, quòd veritas objectiva secundùm communissimam acceptionem sit ipsa vis & ratio, qua ens potest manifestare seipsum, sicuti est, cuicunque intellectui eam manifestationem attingere valenti, ut ibidem *art.* 4. sub *Assert.* Soletque ista ratio communiter explicari per conformitatem entis ad intellectum actualem vel possibilem, à quo valeat ipsum cognosci sicuti est, accipiendo esse non solùm ut est existens & præsens, sed etiam ut est possibile futurum, sive sit absolutum, sive conditionatum; atqui hujusmodi contingentibus conditionatis non minus inest ea vis & ratio manifestandi seipsa, quàm in absolutis præsertim intellectui divino eam manifestationem, omnemque veritatem perfectissimè & infallibilissimè attingere valenti, ergo eo ipso quod illis inest talis veritas conditionalis, illa subterfugere nequeunt intellectum divinum.

Nec sufficit dicere, quòd illa sit veritas solùm in esse entis, quia ens non est concipiendum adinstar Ideæ Platonicæ, sed in rebus determinatis & contractis, consequenter eo nomine sufficienter pertinet ad perfectam & completam scientiam Dei, etiam circa determinata & contracta sive absoluta, sive conditionata versantem.

Confirmatur, Contingentia conditionata 476 sunt cognoscibilia, quemadmodum sunt possibilia, seu quòd eòdem redit illa habent sufficientem veritatem objecti, sive cognoscibilitatem ad terminandam rerum cognitionem de ipsis. *prob. assumpt.* quia conditio, esto nunquam ponatur, est possibilis, causa libera posita illa conditione aliquid determinante operaretur, ut satis remonstratum est in exemplis ex Scriptura adductis; igitur sicut est ibi veritas sub conditione futurorum, si purificarentur à conditione, ita cognoscuntur à Deo fore potius, quàm non fore. *Conseq. prob.* quia nulla potest Deum veritas latere, cùm sit omniscius, ejus cognitio necessariò extenditur ad omne cognoscibile.

Confirmatur 2dò, argumento ducto ab opponentiú sententia. ipsi concedunt in Deo scientiam conjecturalē & probabilem de eventibus conditionatis: ergo eventus illi conditionati, 477

qui terminant scientiam divini intellectus ex judicio eorumdem cum verisimilitudine jam comperta necessariò porriguntur sex extendunturad objectivam veritatem: *Conseq. prob.* quia illa veritate objectiva à conditionato contingenti sublata, judicium de eo sicut de omni alio, quod objectivè non est verum io se, adeoque nec veri judicii terminativum, est essentialiter falsum, judicium autem essentialiter falsum, est essentialiter improbabile, & sic nisi admittant objecta illa eventuum conditionatorum comperta jam eorum verisimilitudine in ordine ad divinum intellectum extendi ulterius eo ipso ad veritatem objectivam certam & infallibilem, Ita ut non stetur in futuro conditionato secundùm esse, quod habet in causa proxima sic & sic disposita, sed ulterius secundùm esse, quod haberet in seipso determinatum extra causam pro tali temporis differentia, si conditio actu poneretur, judicium de eo est essentialiter falsum, nedum asserta verisimilitudini & probabilitati eorum repugnans: ergo dicendum in esse contingenti conditionato veritatem objectivam & terminativam secundùm se judicii veri.

Sublatâ veritate objectivâ à contingête, falsum evadit.

Verisimilitudo cõtingentiũ respectu divini intellectus extenditur ad veritatem certam & infallibilem.

478 *Confirmatur tertiò*, eodem modo discurrendum est cæteris paribus de futuro conditionato, sicut de futuro absoluto, quia eodem modo se habet res ad esse futurum vel non esse futurum conditionatè, sicut se habet ad esse vel non esse futurum absolutè, nusquam enim datur medium, æque enim pugnat cum eo principio, *impossibile est rem esse & non esse*, sive dicatur rem esse vel non esse in aliqua hypothesi, sive dicatur rem simpliciter esse vel non esse, consequenter unum contradictionis extremum, sive sit conditionati, sive absolutè futuri erit determinatè verum, & alterum determinatè falsum, undequaque tandem eruatur illa veritas determinata, sive ex decreto Dei, sive ab ipsismet futuris, quod ad præsens perinde est, sed quod est determinatè verum, est cognoscibile à Deo, seu potest certè & determinatè terminare intellectum cognoscentem certò & determinatè: ergo & futura conditionata, dico *terminare intellectum* &c. nam ut statim dixi, undequaque eruatur illa veritas, quid ad hanc veritatem, (quod est longè aliud,) intellectum determinet, dicemus in sequentibus.

Sicut se habent futurum absolutũ, ita conditionatum quî intelligatur?

479 *Confirmatur quartò*, & secundum membrum probatur à congeneo & ipsi naturæ rationali creatæ insito appetitu cognoscendi quæsita conditionalia, vel explorando illa proprio marte & per conjecturas, vel per opiniones, vel per ipsam fidem, quam Numini Divino damus tanquam universali omnium causarum & controversiarum Judici, & ostendo singula per singula. Primò quidem primum, quod per conjecturas & proprio marte probatur ex communi omnium sensu, quo homines frequentissimè maximè prudentiores & magis perspicaces omni studio vel arte si hoc vel illud eligant, faciant aut aggrediantur, consultant, explorant & judicant, & conjectantur probabiliter fore vel non fore v.g. ideo modestum & virtutis studiosum Adolescentem, de quo prudenter conjectana dico ille adolescens, si cum gravi pioque aliquo Religioso frequenter conversationem, fiet Religiosus, si negotiationi applicetur, inibit matrimonium, & fiet dives mercator, & vir consularis &c. & vicissim video alium juvenem ad virtutem habere agrestem indolem, & per experientiam scio illum esse promptum alieni appetitorem, de quo probabiliter conjectari possum, si ille juvenis incidat in arcam divitis apertam, quod erit furaturus, sic ex cujusvis indole probè perspecta, si in hoc vel illud incidat, si hoc vel illud aggrediatur, de eventibus conditionatis, fore hoc vel non fore hoc, circa illos providè judicamus, alioquin stultè tanto studio homines & inaniter ad statum sibi vel suis eligendum, sive ad mercaturam discendam, sive ad mittendos filios studii gratiâ ad Universitates, aut ad militiam, aut ad opificium applicandos prius ex eorum genio & aliis rerum circumstantiis, quid eventurum, discurrerent concluderentque: ergo ut ra conjectura & judicium verum sit, Deus certò & infallibiliter cognoscit, ac proinde certò & infallibiliter cognoscit contingentia conditionatè futura vel non futura.

Hominũ divinatio ex indole & genio cujusvis arguit in Deo scientiam conditionatorum.

Quoad secundum, quo etiam per ipsas hominum opiniones hujusmodi scientia de conditionatis probari possit, ostendi potest vel ex celebri illa controversia inter nostram & Thomistarum Scholam: *An, si Adam non peccasset, Christus venturus fuisset*, Thomistica posita ea conditione, negat determinatè opinativè Christum venturum: opinativè etiam venturum determinatè affirmat Scotistica, utra earum determinatè vera sit, quis dubitat Deum infallibili certitudine discernere posse? Idem est de aliis quæstionibus controversis inter Theologos, quos *Scotus* movet 2. d. 28. q. un. *Utrum si Adam non peccasset, habuissemus in statu innocentia corpora immortalia*, & *utrùm Adam in eo statu fuisset moriturus?* & d. 20. *Utrùm homines fuissent confirmati in justitia.* Et secundò, *Utrùm fuissent soli geniti, qui ex nunc sunt electi.* Tertiò, *Utrùm crevissent in corpore & scientia, sicut modò.* Et in quarto d. 1. q. 3. *An fuissent sacramenta in statu innocentia*, & similes quæstiones, quarum veritas determinata est conditionata, quæ si lateret Deum, imprudentiùs se occupassent Theologi in hujusmodi quæsitis conditionatis, spectando regulas directivas, quibus rectificantur horum scrutinia, quàm infideles in suis somniis, sortibus & auspiciis, aliisque id genus divinationibus augustùsque.

Quoad tertium, quòd conditionatorum scientia in Deo comprobetur per fidem, quam habent homines Divino Numini tanquam universali omnium causarum & controversiarum Judici pater, quia homines ita natura comparati sumus, ut circa omnia nostra dubia de contingentibus conditionatè futuris Deum consu- 480

conſulamus, ſic nimirum, ut quotidiana docet experientia, magna cum pietate fideles, & timoratæ conſcientiæ viri ac fœminæ conſultationes & orationes ſuas Deo commendant, v.g. ſi res, de qua agitur, ſi hoc & illud faciant, eligant aut aggrediantur, ſi ruinæ occaſio futura, Deus illam propitiùs avertat, cauſas & conditiones, à quibus hujuſmodi eventus pendent, impediat, piamque hanc fidelium ſollicitudinem de eventibus conditionatis ſine manifeſta dementia & temeritate nemo poteſt improbare, quaſi Deus non poſſet reſolvere noſtra dubia, & eventus conditionatos, proinde conſultus à nobis tacere deberet, aut ipſe de ſe vel nos de illo dicere deberemus, quod neſciat aut dubitet, quod ſit determinatè reſpondendum, quod certè dedecet Majeſtatem Divinam, primamque Veritatem, ad quam ſpectat reſolvere, quidquid in quæſtionem cadere poteſt, ut quemadmodum apud Lucam 1. *Non eſt impoßibile apud Deum omne verbum.* ita omne, quod in dubiam venit conſultationem, apud Deum non ſit inſolubile, idque omnium judicio fidelium fatendum eſt, alioqui ſtato judicio Ethnici de Diis ſuis falſis meliùs ſenſiſſent, quàm Chriſtiani de Deo ſuo

Deo nihil inſolubile.

vivo & vero; illi namque, ut hiſtoriæ loquuntur, dum bellum vellent aggredi, aut grande aliquid attentare, Deos ſuos de eventibus conditionatè contingentibus conſulere ſolebant, erroneè ſupponentes, quòd tanquam veri Dii haberent talium contingentium notitiam certam & infallibilem, idque ex inſito & naturæ rationali congenito judicio, quòd talis notitia Diis conveniret, aut aliàs Dii haberi non poſſent: ergo à potiori non naturâ duce ſolùm, ſed & altiori lumine edocti Fideles Divino Numini certam de illis contingentibus ſub conditione futuris ſcientiam tribuere oportet, non veriſimilem ſolùm & probabilem, ſed infallibilem; ita ut dum Fideles ad Deum ſupplices porrigunt manus circa conſultationes de futuris conditionatis non veriſimiliter ſolùm, ſed cum manibus conſultationes quoque ſuas porrigunt, ulteriùs inſtando juxta explicationem & rationem ſuprà ſub n. 477. in confirmatione ſecunda adductam, quid infallibiliter omninò & certò futurum ſit, idque propitiùs diſponat &c. alioqui deeſſet mundo Arbiter & Judex cauſarum & controverſiarum univerſalis, quod neſcio, quo genio doctus, quis ſuſtinere poſſet.

Gentium religio erga Deos ſuos.

§. VI.

De modo & medio ex parte objecti, quo Deus cognoſcat futura contingentia conditionata, ubi obiter de ſcientiæ mediæ indemnitate & probabilitate.

481 QUanta fuerit olim difficultas circa hoc quæſitum, dicemus ſtatim: pro quo *notandum*, certū eſſe, *ſcientiam mediam* propter ſententiarum diverſitatem non eſſe confundendam cum *ſcientia conditionatorum*, quam ſub hac appellatione amplectuntur & propugnant etiam hoſtes ſcientiæ mediæ. Nomine itaq; conditionatorum intelligitur perfecta omninò notitia evidenter & infallibiliter attingens objecta conditionata, abſtrahendo à modo & medio attingendi dependenter vel independenter à Decreto divino. Nomine autem ſcientiæ conditionatæ ſeu mediæ intelligitur quidem etiam perfecta prorſus notitia certò, evidenter & infallibiliter attingens conditionata objecta, ſed vel in ſupercomprehenſione cauſarum ſecundarum, vel in veritate objectiva conditionatorum independenter à quolibet particulari decreto actu exiſtente in voluntate divina.

Diſcrimē ſcientiæ mediæ à ſcientia conditionatorum.

482 Hæc, quam conditionatam dicunt, cur appelletur media, non dant eandem rationem: nonnulli dicunt illam ſic vocari, quia verſatur inter ſcientiam neceſſariam poſſibiliū ſeu ſimplicis intelligentiæ & viſionis, ſeu liberā, quaſi media inter utramque per participationem utriuſque, participat enim cum neceſſaria ex parte ſubjecti, id eſt, Dei; quod ſit antecedens omne actuale decretum liberum de futuritione rei; quomodo primæ cogitationes in homine dicuntur neceſſariæ, quia omnem voluntatis noſtræ anteeunt electionem; cùm ſcientia autem viſionis ſeu libera participat, quia ultra neceſſariam, quæ non progreditur ad exiſtentiam abſolutè futurā, addit eorum poſſibilium futuritionem conditionatam, id eſt, determinationem ad omnem partem exiſtentiæ, poſitâ ſcilicet congruitate & opportunitate gratiæ ſub ea conditione præparatæ.

Cur dicatur ſcientia media.

Aliter alii *mediam* dicunt ab objecto, quia per illam ſcilicet ſcientia divina attingit futura conditionata, quę medium tenent locum inter merè poſſibilia, quæ ſpectant ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & abſolutè futura, quæ ſpectant ad ſcientiam viſionis. Vel denique, ut viſum fuit *Valentino Herice* Tract. 1. d. 7. c. 7. nu. 8. apud *Brizenno* controv. 11. *diſt.* 3. *art.* 4. n. 1. & placet aliis, talis dicenda eſt ſciētia *media*, quia eſt medium divinitùs inventum ad Pelagii & Maſſilienſium ſeu Semipelagianorum hæreſin evertendam, & deinde à Deo Societatis hominibus inſtillatam, ut imprudentiæ Lutheranæ & Calvinianæ obviam iret oblatranti, liberum arbitrium noſtrum adinſtar ſervi à Deo ad agendum agi, quam hæreticorum vecordem blaſphemiam ſola hac ſcientia media proterè

asserit *Auct.* citatus, quæ ex duabus primis rationibus justior videatur ad nomen ei *media* imponendum, stet ab arbitrio prudenti cujusvis: tertia hæc opinio, vel divinatio potiùs, quæ supponit illam scientiam ab Antiquis ignotam, valeat quantum potest, & cessabit quæstio libertatis frustraneo conatu obtrusa à Luthero & Calvino hæresiarchis, sitne autem simpliciter ad hoc necessaria, adeoque admittenda, dicetur suo loco, ubi non in nomen, sed in id, quod probatur, seu in rem ipsam scrutandam incumbemus; indigna enim res est, & parum fundamenti subest, cur ita nonnulli aliàs sapientissimi & religiosi Theologi tam acerbè invehantur, & succenseant illi ob solum scientiæ mediæ nomen, cùm non minus fuerit licitum, *Petro Fonseca* vel *Molina*, qui hanc scientiam, si non in lucem produxerint, saltem magis illustrarunt & excoluerunt, imponere nomen mediæ scientiæ ad differentiam scientiæ simplicis intelligentiæ & visionis, quàm *Scoto* mediæ suæ distinctioni nomen distinctionis *ex natura rei formalis* ad differentiam strictè realis, quæ est inter rem & rem & cæt. & rationis, quæ est ab intellectu cogitante, præsertim cùm teste *Fonseca* l. 6. Metaph. c. 2. q. 4. sect. 8. scientiæ istius inventio solùm quoad nomen, quomodo *Vasquez* 1. p. disp. 67. c. 4. n. 27. asserit, antiquos Theologos de hac scientia nihil meminisse aut disputasse, non quoad rem, nova censeatur, cùm habeat fundamentum in antiquis Patribus, ac Theologia Scholasticis, potestque de hoc videri *Ioann. Baptista Gonet* Tom. 1. de Deo, disp. 6. art. 2. per totum. & *Suarez* in prol. 2. de gratia l. 2. c. 1. 2. & 3. omnem novitatis suspicionem de scientia media radicitùs tollit. *Veken.* dist. 19. de Deo uno, c. 5. & alii diversi ex Societate ostendentes, quis fuerit abusus hujus scientiæ apud *Pelagianos*, hujusmodi autem novæ adinventiones circa solum nomen, non sunt nota novitatis censurandæ, sed laudabiles & amplectendæ, ut rectè *Petrus* à S. *Ioseph* Ord. S. Bernardi, in sua suavi Concord. d. 4. n. 4. apud *Reding* qu. 5. de scientia Dei, controv. 2. n. 1. quia ex antiqua fidei doctrina difficultatem objectam ad potiorem reducunt expositionem, & ex nubilo vehunt ad splendorem. Possitnè autem isthæc scientia conditionatorum media ex sacris literis & Patribus erui, in proprio Tomo ad hasce difficultates discutiendas destinato, videbimus.

Nomen scientiæ mediæ non est improbandum, sed de re inquirendum.

Veken.

Petrus à S. Ioseph

Reding.

§. VII.

Scientia media mirè agitatur, sanctione Apostolica indemnis declaratur.

28 ID operæ pretium judico, ut ostendamus breviter saltem, mediam hanc scientiam in ipsis disputationum flammis indemnem, & censurarum fluctibus inconcussam tulisse gloriam cum invidia, semper namque fuit invidia intra gloriam; hinc quemadmodum nascenti distinctioni *Scoti* inter strictè realem & rationis mediæ domestica sydera fausta illoxêre, externa adversa; ita scientia media in Societate JESU, ex utero sive ut volunt Scripturæ, sive SS. Patrum vix eo nomine renata, in ipsis adhuc cunis, cùm reluctantibus Societatis Theologis, ab aliis præfocari non posset, famæ tamen & invidiæ extitit obnoxia, laudari multum juxta ac vituperari cœpit, eaque an esset legitimus partus, & non in fide orthodoxa monstruosus, primò agitari cœpit ad Tribunal inquisitionis Lusitanicæ, ubi in multis vehementer accusata, deinde ad Hispanicam tracta Inquisitionem, jubente Apostolico Nuncio Eminentissimo Cardinale *Cajetano*, & Senatu S. Inquisitionis per annum integrum rigido examini subjecta fuit. Tandem re Romam devolutâ ad supremum Tribunal, primò octo Theologi, quibus deinde duo accesserunt pro excutienda doctrina hac de scientia media, sed cùm hi, ut refert *Richardus Archdekin* in sua Theologia Tripartita p. 2. de præscientia futurorum §. 2. propositiones aliquas *Molinæ* modò censurarent, modò censura eximerent, Clemens VIII. Summus Pontifex causam rei revocavit ac instituit in Congregatione Generali coram se discutiendam à selectis Doctoribus, tum Patrum *S. Dominici*, tum *Societatis IESV* assistentibus utriusque Ordinis Generalibus, ex parte Dominicanorum contra scientiam mediam, sententiam de auxiliis gratiæ communem & antiquam propugnans, fuit *Thomas de Lemes*; ex parte Societatis, qui oppositam tutabantur, Pater *Gregorius de Valentia*, & *Ferdinandus de Vastida*, hi ingenti utrinque conatu anno 1602. à die 28. Martii, usque ad annum 1606. concertationes habuerunt quadraginta septem, præsente Clemente VIII. celebratæ sunt triginta septem; quo è vivis sublato, Paulus V. reliquis decem interfuit, estque eò in illis progressum circa scientiam mediam, ut censores sive arbitri eam censuerint condemnandam, velut commentum Semi-pelagianum, eamque ut *Herincx* d. 6. de intell. & scientia Dei, q. 5. n. 58. volunt in Bulla sub *Paulo V.* jam formata inter articulos *Molinæ* fuisse collocatam. Verùm huic fundamento quam parum modò deferendum sit, docet Decretum *Innocentii X.* editum *Romæ* die 23. *Aprilis*, anno 1654. & die 27. ejusdem mensis affixum & publicatum, quo iteratò damnatur Augustinus Cornelii Episcopi Yprensis, unà

Scientia media è cathedra trahitur ad Tribunalia.

Thom. de Lemes Dominicanorũ partẽ scientiã mediam impugnat.

Scientia media discutitur Romæ in Congregatione Generali coram Clem. 8. & Paulo V.

Gregor. de Valentia & Ferdinandus Soc. Iesu pro scientia media pugnant.

cum

Innoc. X. ſcientiã mediam declarat indemnẽ.

cum aliis libris pro eodem vulgatis, ubi ad calcem ejuſd. Decreti abrogatur omnis fides actis illis aſſertis coram *Clemente* 8. & *Paulo V.* placet adducere verba Decr. *Cùm tam Romæ, quàm alibi circumferantur quædam aſſerta acta manu ſcripta, & forſan typis excuſa congregationum habitarum coram felic. record.* Clemente VIII. & Paulo V. *ſuper quæſtione de auxiliis gratiæ, tam ſub nomine Franciſci Pegna, olim Rotæ Romanæ Decani, quàm Fratris Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumq́; Prælatorum & Theologorum, qui, ut aſſeritur, prædictis interfuerunt Congregationibus. Nec non Antographum quoddam, ſive exemplar cujuſdam aſſertæ conſtitutionis ejuſdem* Pauli V. *ſuper definitione prædictæ quæſtionis de Auxiliis ac damnationis ſententiæ, ſeu ſententiarum Ludovici Molinæ Societatis Ieſu; Eadem Sanctitas ſua hoc præſenti Decreto declarat, ac decernit prædictis aſſertis actis, tam pro ſententia Fratrum Ordinis S. Dominici, quàm Ludovici Molinæ, aliorumq́; Societatis Ieſu Religioſorum & Antographo, ſive Exemplari prædictæ aſſertæ conſtitutioni* Pauli V. *nullam omninò eſſe fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, ſeu à quocunque alio alligari poſſe, vel debere, ſed ſuper quæſtione prædicta obſervanda eſſe Decreta* Pauli V. & Urbani VIII. *ſuorum prædeceſſorum.* Illud Pauli V. Decretum, cujus hìc fit mentio, emerſit die 28. Auguſti, 1606, ut *ſcilicet omnis doctrina Molinæ indemnis perſiſteret, & utriuſque familiæ ſententia in ſcholis catholicis tutò & impunè doceretur, donec aliud à S. Sede decernatur;* eâ tamen lege, ut neutra pars alteram injuriis cenſuriſvè laceſſat. Itaque licèt hiſtoria diſputationum *Romæ* habitarum non ſit apogrypha, ut malè *Ortega* Contr. 2. de Scientia Dei, d. 5. q. 2. certam. 2. n. 4 & Contr. 6. q. 1. certam. 5. n. 8. & Certam. 6. n 1. ad initium. Ceſſant tamen argumenta, quæ hac ex parte ſcientiæ mediæ præjudicium adferre videbantur.

§. VIII.

Auctoritas præjudicata pro ſcientia media.

484 MAnet ſcientiæ mediæ præterea præjudicata auctoritas Theologorum Illuſtriſſimæ & Inclytæ Societatis JESU tam Scholaſticorum quàm Scripturiſtarum; horum utriuſque claſſis ingentem cœtum refert: *Ortega* Controv. 2. de ſcientia Dei, d. 6. q. Certam. 2. item *Macedo* Collat. 1 t. differentia 1. ſect. 3. qui licèt ibi ſubdat, non eſſe tantam inter Patres iſtos in ſentiendo de ſcientia media concordiam, ſicut narrant eorum Scriptores, cùm non diſcrepent ſolùm in modo cognoſcendi futura conditionata, ſed & quidam inſignes Theologi Societatis omninò diſſentiant ac adverſentur ſcientiæ mediæ, quod ſect. 5. oſtendit §. 1. de Patre *Henrico* vel *Henriquez*, qui fuit Magiſter *Suarezij*, is *Henriquez*, inquit *Macedo* coll. 10. *ſect.* 1. Salmanticæ Lector ſeſe conſtanter oppoſuit *Molinæ*. Secundò §. 2. eximit ab hac ſententia *Bellarminum* §. 3. deniquè adimit illis *Gabrielem Vaſquez*, & ſect. 3. ſuperius, ait, Bellarminum quidem citari ab aliis in oppoſitum Tom. 3. l. 2. de amiſſione gratiæ c. 17. l. 1. de gratia & libero arbitrio, c. 12. & l. 2. c. 2. & c. 14. & *Vaſquez* 1. p. d. 67. & 98. c. 6. & 7. & d. 99. c. 7. & 8. illumque ab *Ruitz* citari d. 67. ſect 9. nu. 1. & 2. hunc ab *Alarcon* tract. 2. d 4. c 4. n. 7. & c. 6. n 9. ubi *Ruitz* extra ordinem ponit *Vaſquium* & *Alarcon*, omittit Bellarminum, certius ut paulò pòſt dicam, omittendo, quàm allegando, ita *Macedo*, addens Scripturiſtas ſeu Interpretes è Societate admiſiſſe quandam ſcientiam conditionatorum, ſed non expreſſiſſe mediam, *Ortega* tamen l. c. n. 1. ait, Bellarminum cum Atotio, Michaële Marco, & Ferdinando Vaſtida, quos *Martinez de Prado* citat pro ſententia Thomiſtica eſſe reſtitutos prædicto cœtui ſcientiam mediam propugnanti à Faſolo, 1. p. q. 14. art 13. n. 184. & aliis, quos ibi recenſet, ſed his denuò quoad Bellarminum ſe opponit *Gonet* in ſua Apologia ſeu *Calviniſmi & Ianſeniſmi depulſa*, *art.* 6, n. 98. ubi præterquam ibi n. 100 producat Claudium Tiphanium, recentem Societatis Jeſu Theologum, & Marianum, qui ſententiam mediam improbant, de Bellarmino ſic ait: illum nuſquam de ſcientia media ſcripſiſſe contra D. Thomam, *ſed à quibuſdem Ieſuitis Germanis, qui impreſſioni libri Controverſiarum ejus præerant, intruſa fuiſſe*, pro cujus fide affert quædam argumenta, quæ Lector, cui lubet, videat apud hunc Auctorem l. c. Quidquid ſit de his, certum eſt, quòd tota quaſi Societas, eſto ſui juris ſit, nec in ullius Magiſtri verba jurare ſolear, jam in *Molinæ* ſententiam ierit, ſuamque & publicam fecerit, nec refert, quòd pauci ab ea opinione in Societate deflexerint, quomodo, etſi nonnulli *Scotiſtæ*, quos citavimus *Tom.* 2. ad initium ad literam *Scoti*, ſtatim poſt Concilia ſub num ni fallor 4. & & ſeqq. diſtinctionem Scoti mediam inter rationis & ſtrictè realem aut neſcire, aut è Scoti ſubtilitaribus demetere, adeoque aliis magnæ copiæ Scotiſtis refragari. Scotumque & doctrinam illius alieno colore veſtire voluerint, non ſequitur quin totus literarius orbis Seraphici Ordinis, qui Scotum Magiſtrum elegit & ſequitur, unanimi conſenſu & animo uno eam ſententiam tuetur & propugnet; itaque ſcientia media, etſi potenter impugnetur, æquè tamen potenter à ſcholæ libertæ Theologis adminicnlata manet, præſertim cùm

Ortega. Macedo. Ruitz. Alarcon. An Bellarminus ſtet pro ſcientia media? Gonet. Societas Ieſu ivit in ſententiam Molinæ.

Præter Auctores Societatis haud deſint alii Doctores, & quidem celeberrimi, qui pro ea ſcientia media, aut probabilitate illius egregiè decer-

Scientiæ mediæ auctoritate ful-

situr Archiep. & Episcoporum.

decertant, quos inter connumerantur apud *Archdekin* p. 2. *Controv.* 1. ad finem ex *Henao* & *Philalete* c. 3. §. 3. p. 175. magna Ecclesiæ sydera, Archiepiscopi & Episcopi scilicet Hugo Cavellus, Antonius Perez, Augustinus Antolinus, Gaspar Nemius *Duaci* olim professor. Ex Episcopis autem Malderus, Mascarenius, Diotalevius, Manriquez, Abelli, Crespi, Joannes Strienus, Levinus Torrentius, S Franciscus Salesius, quibus adde Hetincx Episcopum Yprensem, qui d. 6. de intellectu & scientia Dei. q. 5. n. 59. etsi oppositæ ut probabiliori subscribat, censet esse probabilem. Aliorum Doctorum numerus pro hac scientia pugnans est similiter copiosus, quem referunt *Macedo* & *Ortega* ll. *citatis*, quibus adcense *Danielem à S. Josepho* Carmelitam Reformatum apud *Vekon* disp. 19. *de objecto libero conditionato* c. 4. n. 17. ubi graviter invehitur in eos, qui hanc scientiam maledictis suis in invidiam trahunt.

Referuntur item Stapletonius *Antidoto in Matth.* c. 11. & ad *Rom.* 9. & 11. & l. de justif. c. 8. Topia. 3. p. q. 2. art. 5. *Zumel* Tom 2. var. dub. d. 5. *Lorca* tom. 2. d. 21. *Curiel.* Cont. l. 1. contr. 7. *Basil. Poncius* 1. p. var. disq. q. 6. Scholast. c. 6. verùm de *Lorca*, *Curiele*, *Basilio* dubitatur, sicut & de *Soto*, à cujus parte stent, Curielem vindicant Salmanticenses pro Thomistarum parte, *Basilius Poncius* ait, Macedo *coll.* & *diff. cit. sect.* 3. mihi certò constat mutasse sententiam, & cum Thomistis tandem sensisse.

Nonnulli Scotistæ iverunt in sententiam Societatis.

Ex Scotistis in sententiam Molinæ iverunt præter citatos *Herincx* & *Cavellum* aliosque: Corduba in quæst. l. 1. q. 55. dub. 10. *Poncius* dist. 5. de intell. & scientia Dei. q. 6. n. 28. & seqq. *Faber Faventinus* 1. d. 44. d. 55. & 56. apud Ortegam ex Scotistis insuper citantur *Vega* to. 3 edit. Lugdun. in tract. Scoti de primo principio c. 4. concl. 4. n. 8. scholio 3. *Hieronymus Tamarit à Tamaria* Flor. Theol. tract. de Scientia, q. 2. *Meurisse* tom. 2. Metaph. c. 3. p. 5. q. 3. ante 1. concl. citans *Caspensem* tom. 1. tract. de scientia. d. 6. sect. 6. *Ludovicus à Dola* p. 1. Quadrip. c. 3. n. 8. § *hac enim præsupposita.* *Carthag* dis. 9. de prædest. ex aliis Ordinis Scriptoribus proferuntur ibi apud *Ortegam* cit. *Alensis*, *Bonaventura*, item *Marsil. Gabriel*, *Gregorius*, *Henricus*, insuper & *Smising*, imò ipse *Scotus*, *Smising* quod attinet, is *Tract.* 3 d 2. de intellectu divino, q. 5 n. 135. dicit, hanc sententiam de scientia media, ob eam, quam præfert facilitatem, sibi aliquando placuisse, diuturna tandem omnium, quæ de quæstione scripta sunt, consideratione sibi displicere, quare non immeritò dicit *Ortega* l. c. eum tamen in oppositum citari, quod idem de aliis quibusdam citatis, ut alio in loco ostendetur, arbitrandum.

Me quod attinet, mihi omninò sufficit au- 485
ctoritas *Societatis Iesu*, ut omninò probabile æstimem, admittendam esse in Deo scientiam mediam, qua conditionata contingentia certò & evidenter cognoscat in seipsis sine recursu ad Decreta tanquam media cognoscendi, ad quod asserendum, citra tamen præjudicium Scholæ meæ, me determinat oculatissimus & exploratissimus in docendis sententiis delectus & summa eruditio, quæ in sanctissima hac *Societate*, velut in Sapientiæ Aula perpetuam sedem fixisse cernitur; unde rectè noster *Bruno Neußer* in sua *Polyanthea* disputat. *proemiali*, q. 20. num. 52. ad *finem numeri* pronunciavit: *Asserta, quæ communia sunt inter Doctores Inclytæ Societatis IESU, sunt certò & evidenter probabilia, cùm nullum repugnat principiis certis, & Societas viris eruditissimis & pientissimis abundat, qui Ecclesiæ dogmata mirè illustrant*, sed nullum est, quantum scio, assertum inter probatissimas Scholas & Doctores controversum, in quod conjunctiius mentibus & manibus Doctores Societatis conspirent, quàm in sententiam de astruenda scientia media, ut patet, tam ex primis illius Scriptoribus, quàm modernis & recentioribus, quibus multi alii adstipulantur, *ut supra.* Sed plura de his, si Deo placeat, in distincto Tomo de Decretis & Scientia media ex professo.

Scientia media nō caret ex mente Autoris probabilitate.



CONTR. XVII.



CONTROVERSIA DECIMA-SEPTIMA.

De Divisionibus variis scientiæ divinæ.

Sintnè scientiæ divinæ divisiones argumentum distinctionis, ubi sit decisio non solùm Quæsiti Controversiâ XIV, ut ibidem polliciti sumus, sed & de actibus voluntatis divinæ necessariis & liberis, an inter se distinguantur ex natura rei formaliter.

SUMMARIUM.

1. *De Divisionibus scientia Dei, quales sint, & an sit adaquata divisio? unica resolutione deciditur.*
2. *Possitnè ex supradictis argui distinctio inter scientiam simplicis notitia, & scientiam visionis, item inter actus necessarios & liberos divina voluntatis?*

QUAESTIO I.

De Divisionibus scientiæ Dei in simplicem intelligentiam & visionem, in liberam & necessariam, &c.

SUMMARIUM.

1. *Nomenclatura scientia simplicis intelligentia non placito, sed ex ratione est.* 486.
2. *Visionis scientia unde trahat notionem suam.* ibidem.
3. *Alia obambit objecta scientia Dei necessaria, & alia libera, & quanam illa sint.* 487.
4. *Bimembris divisio scientia in visionis & simplicis intelligentia, item in necessariam & liberam approbatur, & quare?*

EX actis hactenus liquet, varias à Theologis scientiæ divinæ divisiones assignari, aut ex diversitate objectorum, aut ex modo cognoscendo alio & alio, non quòd sit divisio, quasi in membra realiter distincta, id enim repugnat divinæ simplicitati, an autem in membra formaliter saltem distincta, cùm distinctio formalis illi non officiat, ostendetur Quæst. secunda. Sit

§. I.

De divisione scientiæ in simplicem intelligentiam & visionis.

486 PRima & celebris est *divisio* scientiæ Dei in scientiam *simplicis intelligentiæ*, & scientiam *visionis*. Scientia simplicis intelligentiæ dicitur non solùm, ut ait *Poncius* d. 5. q. 7. n. 34. Poncius. quia placuit eo nomine eam scientiam secernere ab altera, sed subest aliqua ratio, nimirum

quia

Vnde tra-hatur sci-entia sim-plicis in-telligētia quia hæc simpliciter existit & præcisè in linea intellectionis, nec aliquid ex parte objecti supponit præter intelligibilitatem, id est, neque supponit voluntatis decretum, neque objecti existentiam, sed fertur & terminatur ad res possibiles non existentes pro aliqua temporis differentia; hæc item appellari à nonnullis solet naturalis, quatenus possibilia per ipsam sunt intellectui divino præsentia, non per aliquod superadditum intelligibilitati rei, putà, ut dixi, non per decretum, neque per existentiam rei, sed naturali virtute Essentiæ Divinæ, & secundùm rationem simplicem & quidditivam terminorum præscindendo à quocunque contingenti.

Nota Scientia visionis terminatur ad omne illud, quod existit in aliqua temporis differentia, & cùm Deus primùm sit existens non pro aliqua temporis differentia, sed pro omni æternitate præscientiam visionis maximè fertur in seipsum. *Scientia visionis.* Determinatur autem scientia visionis ad similitudinem visionis corporeæ, cui conveuit attingere res secundùm esse reale existentiæ, in quo physicè illi præsentia sunt.

Scientia visionis dici quoque solet scientia intuitiva, sicut & altera simplicis intelligitur scientia abstractiva, veluti abstractum ab existentia objecti, longiùs autem disputare, an scientia Dei, quæ dicitur simplicis intelligentiæ, ideo possit vel non possit dici rectè scientia abstractiva, non est operæ pretium, & nil nisi arbitrarium continet.

§. II.

De divisione scientiæ Dei in necessariam & liberam.

487 Secunda & celebris divisio est scientiæ Dei in *necessariam* & *liberam*: scientia necessaria fertur primariò, ut ostendimus Controv. XII. qu 5. in ipsam Essentiam Divinam & cætera quæ extant in illa, sive relativa, sive absoluta, etiam in ipsa Decreta libera Dei sub ratione essendi & entitativè sumpta, si quis autem velit Deum per visionis scientiam solùm cognoscere ea, quæ sunt extra Deum, sistciat litem de nomine, cùm certum sit scientiam Dei simplicis notitiæ in Deo respectu sui locum non habere; cùm enim, ut ostendimus Controv. IX. q.3. art.2. & q.8. Deus essentialiter existentia sua sit, implicat, ut scientia divina de Essentia Dei abstrahat ab existentia, sed necessariò est visionis & intuitiva. *Scientia simplicis intelligē-tia, quam abstracti-vam di-cunt, non habet lo-cum in Deo.*

Itaque isthæc scientia secundariò fertur in creaturas possibiles, ut vidimus etiam Controv. XI. de objecto Dei secundario. item in omnes propositiones, quas dicimus æternæ veritatis, aut circa impossibilia, circa entis rationis & omnia illa, quæ non dependent à decreto divinæ voluntatis.

Super quatrans eat scien-tia Dei libera. Scientia libera, quæ primariò versatur circa Decreta Dei libera, ut talia in quocunque demum statuatur libertas divina, de quo *alibi*, Deinde versatur circa ea, quæ alicujus libertati subjecta sunt, aut saltem divinis decretis, ut aliquando futura sive absolutè, sive conditionatè; est ergo scientia Dei libera, quæ habet actum voluntatis, aut tanquam objectum, aut aliquo saltem modo afficientem objectum.

Nolo hic, cùm generatim de intellectu terminorum solùm hic agimus, in quæstionem vocare, an benè vel malè nonnulli confundant scientiam necessariam cum simplici intelligentia; scientiam liberam cum visione, quantum ad rem ipsam, videtur certum, quòd nec omnis scientia necessaria sit simplex intelligentia, ut liquet in scientia, quam Deus habet de seipso, quæ indubiè & necessaria, & visio est. Deinde an scientia libera v. g. conditionatorum possit confundi cum visione, difficultas est, cùm illa à multis dicatur abstractiva, & ad simplicem potiùs intelligentiam revocetur, quàm ad intuitionem. Item scientia, quam Deus habet de negatione existentiæ respectu illarum rerum, quas posthac vult relinqui in classe possibilium, libera est, & tamen negationes illæ sicut nonnisi valdè inconvenienter possunt dici existere, ita & inconvenienter valdè & abusivè spectabunt ad scientiam visionis, de quibus videre licet *Amicum* 1. p. d. 12. & alios passim. *Rectènè confunda-tur scien-tia neces-saria cum simplici intelligen-tia, & scientia libera cum vi-sione?*

Sit

ASSERTIO VNICA.

Bimembris divisio scientiæ Dei, scilicet in simplicem intelligentiam & visionem, sicut & in necessariam & liberam sufficiens est & adæquata.

488 Est passim apud Auctores recepta contra Auctores scientiæ mediæ sumptæ pro notitia attingente futura conditionata antecedenter ad divinum decretum ex parte actus absolutum. Prob. 1. pars ex *S. Thoma* 1. p. q. 14. art. 9. & 12. 3. p. q. 10. art. 2. & q. 13. art. 1. ad 2.

in-

in 1 d. 38. q. 1. art. 4. & passim in suis scriptis, in quibus nullius alterius meminit scientiæ, vel ad alterutram harum reducit quodlibet objectum à Deo cognoscibile. *Probatur ratione:* non est assignabilis scientia Dei, quæ aut visio, aut simplex intelligentia non sit: illa enim esset scientia media conditionatorum, quam pro futuris contingentibus conditionatis statuimus supra Q. 2. Controversiæ 16, sed illa assertam divisionem non reddit insufficientem & inadæquatam, quia potius ista scientia est membrum subdividens partim visionem, & partim simplicem notitiam, estque partim sub simplici intelligentia scilicet absolutè, & partim sub visione, scilicet conditionatè.

Scientia conditionatorum est membrum subdividens scientiæ &c.

Eadem pars probatur secundò: quia si agatur de scientia Dei circa creaturas, illæ considerari possunt secundùm duplex esse, nempe vel secundùm esse possibile, vel secundùm esse futurum, ac proinde comparatione divini intellectus duplicem sortiuntur intelligibilitatem duplici illi esse commensuratam, sed illa aut spectat ad simplicem intelligentiam, aut ad visionis notitiam, ad quam revocatur scientia visionis ipsiusmet Dei: ergo bimembris hæc divisio exhaurit adæquatè totum divisum &c. Secunda pars patet ex §. 11. cùm neutra divisio scientiæ Dei sumatur ex parte Dei, sive subjecti, ut Q. seq. dicemus, sed ex parte objecti, atqui totam sphæram objectivam ejusdem adæquatè dividunt tum objectum necessarium, ut Deus ipse & creaturæ possibiles, cùm liberum, quod, ut supra innuimus, hic sumitur, prout complectitur omne contingens, ergo & est divisio adæquata.

QUAESTIO II.

Possitnè ex supradictis argui distinctio inter scientiam simplicis notitiæ, & scientiam visionis &c.?

SVMMARIVM.

1. *Scientia divina est unica formaliter, & ex natura rei omnino indistincta.* 489.
2. *Actus liber in Deo est idem entitativè actus volitionis divinæ cum actu volitionis essentiali & necessario.* n. 491.
3. *Opinio Riccioly de distinctione actus liberi in deo & necessary rejicitur.* 490.
4. *Ratio actus liberi nil superaddit actui essentiali & necessario volitionis divinæ.* 491.

§. I.

Qualis sit distinctio inter scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis?

ASSERTIO I.

ESto secundùm dicta *Controv.* 9. q. 5. & *Controv.* 12. q. 3. *Assert.* 3. omninò probabile sit, quòd scientia Dei indivisim ad se intellecta & duntaxat comparata ad ipsam Dei Essentiam & ad principium suum intellectivum formaliter ex natura rei distinguatur, comparata tamen & quasi divisim intellecta à seipsa *ad* & *ob* diversa objecta, tam respectu sui, quàm respectu creaturarum ex natura rei est unica formaliter & simplicissima scientia.

489 Hæc in Schola Thomistica & Neutralium est extra omne dubium, in Schola Scoti nullus est, qui hujus oppositum indicet, potestque probari generatim eadem probatione, quam in superioribus aliquoties inculcavimus, videlicet *Controv.* 10, *Assert.* 1. & 2. q. 2. & *Controv.* 12. q. 3. nu. 210. in *Confirm.* consultiùs esse non multiplicare formalitates in prædicatis Dei absolutis absque urgente ratione, qualis certè non est in proposito, cùm tota diversitas sumi debeat ex diversitate objectorum, aut modi cognoscendi, unde ne quidem distinctio rationis cum fundamento à re petito, sed rationis solùm vel virtualis & extrinseca à connotatis deducta originari potest in scientiam Dei, de quibus revidenda sunt, quæ diximus de simili quæsito *Controv.* 12. q. 2. art. 4. n. 202. & seqq. nimirum quod ibi diximus, & hic est asserendum, posse quidem scientiam visionis apprehendi ut distinctam à scientia simplicis notitiæ per distinctionem virtualem extrinsecam seu rationis fundatam in connotatis, nullatenus tamen distingui per emanationem quasi logicam & rationis, quæ se teneat ex parte rei conceptæ, id est, per distinctionem virtualem intrinse-

trinsecam, seu rationis ratiocinatæ cum fundamento in ipsa re; à potiori itaque astruenda non est inter illa distinctio formalis ex natura rei, de qua solùm hic inquirimus.

§. II.

Possitnè argumentum distinctionis formalis in Deo deduci ex actibus divinæ voluntatis, necessario scilicet, quo amat Deus seipsum &c. & libero, quo vult creaturam?

470 SUppono ex dictis in superioribus Controversiis, & ex alibi dicendis, ut indubitatum apud omnes, Deum habere volitiones tam liberas quam necessarias. Hasque habere primò respectu sui, certum est, cùm enim sit infinitæ perfectionis & amabilitatis, necessarium est amoris objectum, id est, tale, quod non potest non amari à Deo. Secundò respectu creaturarum possibilium amorem similiter habere necessarium, saltem communius asseritur, etsi non sit ita necessarius, sicut amor suipsius, nec efficax, cùm sit tantùm simplex complacentia, ex qua non sequitur necessariò productio illarum.

Certum item est, Deum habere volitionem liberam, esset enim maximæ imperfectionis in Deo, necessitari ad volitiones illas, quæ requiruntur ad productiones rerum, easque dispositiones, quæ illis non necessariò conveniunt. His suppositis

Ricciolij opinio. Ante Assertionem occurrit *Ricciolius* in Tractatu suo de *distinctionibus entium*, cap. 20. à n. 210. usque ad n. 233 ubi fusam hac de re adornavit disputationem, resolvens pro affirmativa, quam probat hac ratione, de Deo, inquit, ejusque amore, quo se amat & creatum amat bonum amore complacentiæ, sed inefficaci, verè affirmatur necessitas: eadem verò de amore ipsius libero, seu de volitione efficaci, quia voluit creare mundum & omnia, quæ in ipso sunt, sive in ordine naturæ, sive in ordine gratiæ & cæt. ergo non possunt esse omninò idem, sed vera aliqua distinctione distinguuntur, sed non possunt distingui realiter ut res à re, id enim repugnat summæ simplicitati divinæ à PP. & CC. assertæ, nec solâ ratione per intellectum, quia antecedenter ad intellectum decretum divinum de condendo mundo caruit necessitate, qua non caruit amor Dei erga seipsum. Nec sufficit distinctio virtualis sumpta pro mera capacitate verificandi prædicata contradictoria, quantumcunque enim dicatur fundata in infinitate Dei, si in nulla vera distinctione fundatur, nec ipsa est vera species distinctionis. Nec potest hic recurri ad distinctionem per connotata, quia circa eandem rem creatam v. g. Solem, Deus ab æterno exercuit amorem necessarium complacentiæ de bonitate identificata cum essentia Solis, & volitionem liberam, quâ decrevit Solis existentiam in tali æternitatis instanti causandam, & cæt.

Deinde aliis interpositis concludit non aliam inter illos actus assignari posse distinctionem, quàm ex natura rei formalem, quod infra nu. 211. confirmat multis probando conformiter ad sua principia, quibus innititur. Sit

ASSERTIO II.

Ratio actus liberi est in Deo omninò indistincta, seu formaliter ex natura rei idem adæquatè entitativus actus volitionis divinæ cum actu volitionis essentiali & necessario.

491 EST communis apud *Scotistas* & conformis nostro *Doctori*, qui etsi in 3. d. 7. q. 3. nu. 3. & 4. inter decreta divina ratione infinitatis divinæ per æquivalentiam admittat ordinem quendam prioris & posterioris, ut fusè ostendit *Frassen* Tract. 2: d. 1: art. 2: q. 3: nu 5. & seqq. nusquam tamen negat illa esse unicum & simplicissimum actum entitativum divinæ voluntatis. quod quoad Assertionem probari potest iisdem argumentis & rationibus, quibus iidem *Scotistæ* probant hanc positionem, nimirum rationem actus liberi nil superaddere actui essentiali & necessario volitionis divinæ, sed esse ipsam volitionem divinam necessariam Dei, quatenus ab ea egreditur nova denominatio, quæ potuisset non egredi, per hoc quòd Deus tendat in objecta liberè & contingenter futura, seu quia voluntas divina quà operativa ita tendat in objectum contingenter, ut in eodem instanti per eandem volitionem posset tendere vel in aliud, vel in oppositum objectum, quæ sanè positio nostram involvit,

Ordo prioris & posterioris in decretis Dei ex mente Scoti.

imò

Imò exprimit, nec eget probari hoc loco, sed supponi, utpotè quæ in proprio loco de libertate divina, & subtilia, & solida apud Scotistas passim veritatis habet suffragia, qualia & hîc expedita habes, ubi te aut ad illos contuleris, aut ad nostras Controversias de Decretis Dei, ubi tractabuntur commodius, quæ ad libertatem Dei spectant, adeòque & ea, quæ sunt ad unitatem volitionis divinæ, quomodo nimirum unica, & simplicissima Dei volitio omnem colligat in se perfectionem omnis volitionis, & nolitionis possibilis, sive liberæ, sive necessariæ citra ullam imperfectionem, ita ut quidquid valent infinitæ voluntates per infinitas volitiones, & nolitiones, id Deus per unicam, esto considerari possit, ut distincta penes nostrum modum intelligendi, & juxta variam divinæ illius volitionis tendentiam & terminationem ad objecta, in quæ tamen invariata manens potuisset non tendere, utpotè indivisibiliter includens omnem perfectionem omnis volitionis & nolitionis possibilis.

Simplicissima Dei volitio in se colligit omnem perfectionem omnis volitionis, & nolitionis possibilis.

Illa, quæ affert *Ricciolius* de ratione formali libertatis divinæ, unde distinctionem Scoti probare intendit, non subsistunt, tum quia multa ibi proponit, quæ non admittuntur ab assertoribus hujus distinctionis in nostra Scholastum quia falsum est, quòd actus liberi divinæ voluntatis includant veras relationes ad objectum extrinsecum. Item quod actus liberi Dei non sint perfectiones Dei simpliciter simplices, accipiendo volitionem divinam, ut emanat à voluntate divina. Item falsum est, scientiam visionis inter actus Dei liberos commemorandam esse, quando agitur de actibus liberis voluntatis divinæ, visio quippe spectat ad intellectum, non ad prædicata voluntatis, neque dubium est, quin sicut intellectus à voluntate, ita & actus illorum inter se distingui consequens sit, hîc autem agimus de prædicatis voluntatis inter se comparatis. Alia quoque, quæ ibi de libertate divina secundùm particularia quædam principia de habitudinibus rerum proponit ad probandum Scoti distinctionem inter volitionem creaturarum possibilium, & volitionem creaturarum, quæ ad mundi hujus universitatem & ordinem naturæ, & gratiæ, & gloriæ pertinent, simpliciter non subsistere, ostendetur suo loco, agendo de libertate divina.

Rejicitur doctrina Riccioli de liberis actibus Dei tradita.

CONTROVERSIA
DECIMA-OCTAVA.

De distinctione Scoti oriri nata in Divinis ex processione Verbi divini, & Spiritus sancti.

SVMMARIVM.

1. *An Persona divina, Filius, & Spiritus S. immediatè egrediantur, & procedant per naturam, sive ab essentia, ut talis est præcisè, sive illa transcendat attributa divina, intellectum scilicet, & voluntatem, sive distinguatur ab illis aut per rationem, vel per distinctionem ex natura rei formaliter.* q. 1.
2. *An, & qualiter divinæ processiones sint per intellectum, & voluntatem, ubi & quæritur: An Verbum divinum generetur per intellectionem, & Spiritus S. procedat per amorem, seu an potentia notionalis ad generandum, & spirandum dicat intellectum, & voluntatem per modum actus primi, vel secundi.*
3. *Cur processio Spiritus S. non sit generatio, & cur Spiritus S. non sit Filius?*
4. *Resolvitur Quæstio principalis, an statuenda sit distinctio inter intellectum, & voluntatem divinam?*

492 DAri distinctionem inter intellectum, & voluntatem, probavimus quidem ex generatione Verbi, & processione Spiritus sancti in Tractatu præliminari Controv. 5. qu. 3. §. 3. num. 119. & seqq. Controv. item 12. qu. 1. art. 2. à num. 170. usque ad num. 179. ostendendo intellectum, & voluntatem distingui ex natura rei formaliter ab essentia sub num. 174. iterùm argumentati sumus ex diverso modo principiandi Verbum, & Spiritum sanctum eâdem Controv. 12. denique quæst. 2. num. 174. & quæst. 3. ubi investigamus, an potentia intellectiva ab intellectione, volitiva, à volitione distinguatur formaliter ex natura rei, pro affirmativa sub num. 214. ad finem Lectorem remisi ad præsentem Controversiam, quâ ut pollicitationis nostræ fidem liberemus illas Quæstiones per-

pertractandas suscipimus, quarum expeditione, & vis eorum argumentorum amplius solidetur, & effugia adversariorum fortius praecludantur.

QUÆSTIO I.

An Personæ divinæ, Filius, & Spiritus sanctus immediatè egrediantur, & procedant per naturam, sive ab essentia ut talis est præcisè, sive illa transcendat attributa divina, intellectum scilicet, & voluntatem, sive distinguatur ab illis aut per rationem, vel per distinctionem ex natura rei formaliter.

SVMMARIVM.

1. *Essentia non generat, nec generatur. n.494.*
2. *Difficultas de principio* Quod *processionum divinarum. num.495.*
3. *Paternitas divina imbibit* hypostasin, dictionem *&* relationem. *Ibid.*
4. *Processiones divinæ non sunt per naturam, aut essentiam divinam ut talis est, tanquam per principium* quo *divinarum processionum proximum, & immediatum. num. 496. & seqq.*
5. Alogiani *qui dicantur? ibid.*
6. *Intellectus habet rationem principii respectu Filii, & voluntas respectu Spiritus sancti. ibid.*
7. Durandi *doctrina exploditur. n.498.*
8. Basilius *non est contrarius doctrinæ communi Theolog. de processionibus divinis. n.499.*
9. *Discrimen Verbi divini, à Verbo creato. num.500.*
10. *Processiones quidem non sunt per essentiam tanquam potentiam notionalem, seu principium* quo *proximum, sunt tamen per illam ut suum principium radicale, & remotum non simpliciter, sed quà determinatur per relationem personæ producentis. n.501.*
11. *Relatio non habet rationem principii activi in divinis, sed conditionis sine qua non. n.504.*
12. *Specialiter nec relatio potest esse principium* quo *productionis num. 506.*
13. *Nec essentia communicationis. ibid.*
14. *In divinis impossibile est produci Filium, quin sit idem in natura cum Patre producente. num.506. circa finem.*

493 Illud primò ex hac Quæstione emergit, quòd si nullam intellectus habeat rationem principii respectu Filii, neque voluntas respectu Spiritus sancti, nulla erit, aut saltem cessat principalis ratio, cur dicatur intellectus & voluntas distingui formaliter ab essentia contra doctrinam Controv. 12. propugnatam.

Quantum ad rem autem, non desunt Auctores Catholici, qui volunt divinas processiones esse per Essentiam divinam, nedum ut per principium earum radicale, & remotum, sed etiam ut per immediatum, & proximum, quia putant attributa divina ne ratione quidem distingui intrinsecè, seu cum fundamento ex parte rei, sed extrinsecè solùm per connotata. *Durandus* autem 1. dist. 6. quæst. 2. num. 19. & seqq. voluit illas procedere ex ipsa natura velut prius fœcunda, quàm sit intellectio, & volitio, quæ sunt quid posterius, item essentiales, non notionales actus. Huic sententiæ præluisisse videntur SS. Patres: *Augustinus* enim l. 15. de Trinit. cap. 20. ait: *Verbum per quod omnia facta sunt, esse Filium Dei naturâ*, Damascenus l. 1. de fide, c. 8. vocat processionem Filii *Opus naturæ procedere per modum naturæ*, quod verè dici non posset, nisi Verbum immediatè procederet à natura, seu Essentia divina. *Opinio Durandi.* *August.*

§. I.

§. I.

Cur processiones divinæ non sint per essentiam, ut principium *Quod?*

ASSERTIO I.

Processiones divinæ nullatenus immediatè sunt per Essentiam divinam tanquam per principium radicale *Quod?*

494 HÆc est fidei consona ex Concilio Lateranensi, obt sub Innocentio III. Cap. *Damnamus*, definitur oppositum, uti hoc Tomo ostendimus in Tract. præliminari, Controv. 5. quæst. 3. §. 1. à num. 112. & Tomo 2. Controv. 9. quæst. 1. per totum, ubi ex professo fusè deduximus, quòd in nullo sensu dici possit Essentiam divinam generare, sed Patrem, neque generari, sed Filium. & patet ex ratione ibidem & communiter adduci solita, nimirum quòd principium *quod* cujuscunque productionis realiter distingui debeat à termino producto: atqui Essentia divina non distinguitur realiter à Filio, & Spiritu sancto: ergo &c. *Essentia non generans, nec generatur.*

495 Difficultas solùm apparet, cùm essentia non possit esse principium *Quod*, sed Pater, ut suo loco dicetur, quomodo cùm Pater constituatur in esse Patris per illam generationem, sit principium illius generationis, manifestum enim est, quòd sicut homo non potest esse principium rationalitatis, quâ constituitur in esse hominis; ita nec Pater generationis, si per illam constituatur in esse Patris. *Sed advertendum* est, Paternitatem divinam esse *hypostasin*, *dictionem*, & *relationem*, ita ut simplex forma Paternitatis imbibat, & transcendat tria ista prædicata, prædicatum scilicet *hypostasis*, & constituentis personam generantem; *dictionis*, per quam generat Verbum; & *relationis*, vi cujus Pater refertur ad Filium genitum, atque ita secundùm nostrum modum concipiendi inadæquatum, & analogicum, Pater æternus constituitur Paternitate, non ut concipitur sub explicata forma relationis, sed hypostasis.

Similiter Pater æternus dicit Verbum per Paternitatem, non quatenus est formaliter hypostasis suppositi generantis, cùm suppositum generans apprehendatur constitutum in ratione suppositi antequàm generet, sed ut subit munus actionis notionalis seu dictionis, nec etiam per analogiam ad creata Pater subit munus dictionis, & generat per relationem Paternitatis sub explicito conceptu relationis, sed quatenus est productio notionalis, seu actio generativa: ratio est, quia in creatis relatio principii ad principiatum actionem productivam subsequitur, non verò constituit illam, ut in divinis, ubi & ab eadem ista generatione Pater divinus habet generare, seu dicere Verbum, & etiam habet ab illa constitui in esse Patris, adeòque non subsequitur seipsam actionem generativam, seu dictionem, neque illa egreditur à Patre, jam producto Filio in signo sequenti naturæ.

Cùm itaque in mota difficultate suprà, quomodo Pater sit principium illius generationis, per quam constituitur in esse Patris, apprehenditur generatio divina analogicè ad relationem generationis creatæ, quasi prius consurgat, & egrediatur à Patre jam producto Filio in sequenti signo naturæ, adeòque intercedat quædam causalitas inter Paternitatem (ut generationem) & Paternitatem, ut meram habitudinem ad genitum, quod falsum est, supposita omnimoda identitate inter Paternitatem ut dictionem generativam Verbi, & inter Paternitatem, in quantum est habitudo realis suppositi generantis ad prolem genitam, quod tamen aliò spectat, Vide Quæst. 2. *Solvitur objectio.*

§. II.

An processiones sint per essentiam ut principium immediatum *Quo*?

ASSERTIO II.

Processiones divinæ non sunt per Essentiam aut divinam Naturam, ut talis est, tanquam per principium *Quo* divinarum processionum proximum, & immediatum.

496 HÆc, quæ est contra *Durandum*, apud Theologos recepta magis, & verior est sententia, imò opposita à multis Doctoribus graviter censuratur, Valentia namque 1.p.q.27.art.1.punct.3.censet esse *temerariam*. Zumel *temerariam, & fortè erroneam* ait ibidem conclus.2. *errori proximam*. Suarez lib.1.de Deo, cap.5.num.4. *periculosam in fide & erroneam* judicat Molina 1.p.qu.27.art.5. dist.2. quibus apud Ricciolium subscribunt Ruiz, Perez, Martinonus: sed censuris relictis assertio probatur ex Scripturæ testimoniis, qualia contra Ebionem, & Cerinthum S. Joannes non solùm exprimit in suo Evangelio cap. 1. Filium Dei *Verbum* appellando, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; item, *Verbum caro factum est*. Sed & in sua prima Ep. 5. c. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*. Et in sua Apocal. bis Agnus Dei vocatur Verbum: *Nomen ejus Verbum Dei*: atqui Verbum est terminus, & operatio intellectus formatum per dictionem intellectualem.

497 His novæ paginæ locis adnumerari possunt haud obscura testimonia ex veteri Testamento Ecclesiastici 1. *Fons sapientiæ Verbum in excelsis*. Et Eccli. 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita, &c.* Os autem significat intellectum, cujus est mentaliter loqui formando Verbum. Psal.119. *Ex utero ante Luciferum genui te*, id est, ex mente, & memoria fœcunda ab æterno te genui fœtum mentis, & partum intellectus secundùm Augustinum lib.9. de Trinit. cap.12. ergo. Min. prob. primò ex S. Cyrillo, l. 1. in Joann. cap. 5. ubi ait: *Filius appellatur Verbum, ac sapientia, quoniam ex intellectu immediatè, ó indivisibiliter est*. Non ergo est immediatè ex essentia. *Athan.* contra Arianos in epist. de sent. Dionys. Alexand. *Estque mens per se subsistens Verbi Pater, Verbum autem veluti Filius mentis*. *Nazianz.* orat.36. *Verbum dicitur, quia se habet ad Patrem, ut sermo ad mentem propter vim enunciatricem*. Basil. homil. 16. in Joann. *Manens tota mens in proprio statu, Verbum totum ac perfectum emittit, & Verbum procedens totum mentis, à qua gignitur, vim in seipso complectitur*. Et lib. 5. contra Eunomium: *Pater Filii genitor, ut mens Verbi, Pater ut sapiens, qui sapientiam genuit*. Gregor. Nyssen. epist. contra Apollinarem: *Generatur in corde, id est, interius in me Verbum generatione quadam incomprehensibili*. Chrysosto. tom. 5. orat. 9. *Quemadmodum se habet sermo ad mentem; sic Unigenitus Deus Verbum se habet ad Patrem*. Quibus verbis sanctus Doctor innuit Verbum vocis exteri um, quod ore profertur, & Verbum illud mentis intùs conceptum, quod terminum intellectionis appellamus, seu speciem expressam dicimus, estque formalis imago objecti. U traque rationem SS. Patres, & Scholastici approbant, internumque Verbum mentis Filio Dei à Patre generante Nato tribuerant, externumque oris eidem Verbo cùm Incarnatum est, & foras per humanitatem exiit, applicârunt, quæ optima interpretatio trahitur ex illo cit. Joannis 1. ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. *in principio erat Verbum*, λόγος enim, & *Verbum*, & *sermo* vertitur à nonnullis, & quidem quod attinet ad Verbum mentis internum, quod propriè per λόγος importatur, ait S.Thomas 1.p.q.34 art. 1. in corp. primò *principaliter interior mentis conceptus Verbum dicitur, secundariò ipsa vox interioris conceptus significativa*, & paulò pòst: *Dicitur autem propriè Verbum in Deo, secundùm quod Verbum significat conceptum intellectus*. Quare ex propria natura Filius Dei est ratio Verbi, unde illi inest ratio Filii; nam nisi Verbum non esset, Filius non esset, ut clarè docet Augustin. lib.7. de Trinit.cap.2.& lib.15. multis in locis, de Filio dici asserunt; itaque omninò affirmandum Verbum propriè mentis esse & dici, ut iterum docet S. August. lib.15.de Trinit.cap.10. & cum illo S.Thomas, Scotus, & utriusque schola, differentes in hoc solùm (ut infrà suo loco) quod Thomistæ dicant Patrem generare Filium per intellectionem, Scotistæ per dictionem, quodque *dicere* & *dici* & *Verbum* relativa sint.

sed

[Marginalia: S. Joan.; Eccles. 1. & 24.; Ps. 119.; Cyrillus.; Athan.; Nazian.; Basilius.; Nyssen.; Chrysost.; S. Thomas.; Augustin.; Scotus.]

sed quidquid de hoc sit, certum est, secundùm S. Evangelium Verbum græcè λόγος scribi, eoque secundùm SS. Patres significari Filium Dei, utpote qui ἀναλόγως, ut aiunt iidem, purè, & candidè sine ulla corruptione aut macula naturaliter ex mente Patria procederet. *Quod ex eo confirmatur*, quòd hæretici, qui Filium Dei esse negabant, Verbum esse inficiati sunt, quales fuerunt *Alogiani*, id est, sine Verbo, teste Epiphanio *heresi 51.* & August. *l. de heresibus*, hæresi 30. qui ne errons convincerentur, Evangelium, & Apocalypsin non recipiebant, imò ne ipsas quidem fortassè Epistolas, in quibus Filius Dei *Verbum* dicitur, authore eodem Epiphanio citato apud *Macedo.* in suis scholiis *scholio 1. p. 7. col. 2. ad illustriam.*

Alogiani qui dicantur.

Quibuscum Theologi Scripturæ innixi communiter docent necessarium esse, ut intellectus habeat aliquam rationem principii respectu Filii, item voluntas respectu Spiritus sancti, sicut enim Filius vocatur Verbum, ita Spiritus S. dicitur *charitas, amor*, aliaque plura prædicata illi appropriantur, quæ à natura non possunt provenire, quin potius naturali productioni contradicunt, utpote quæ ex ratione sua requirunt esse germen voluntatis. Plura argumenta ex ratione afferri solent ex differentia generationis à spiratione passiva, quæ infrà, ubi agemus de hoc ex professo, videre licet.

intellectus habet rationem principii respectu Filii; voluntas respectu Spirit. S.

498 Ex his primò itaque simpliciter non subsistit responsum *Durandi* recurrentis ad locutionem tropicam, quasi Scriptura, & SS. Patres, Filium Dei *Verbum*, & Spiritum sanctum *Amorem* impropriè, translatitiè, & per metaphoram sic appellent, nempe quòd sicut intellectus est prima naturæ intellectualis proprietas, & voluntas secunda, ita Filius *Verbum* dicatur, quia prima procedit, & Spiritus S. appellatur *Amor*, quia quasi secundò oritur, & Filius originem præsupponit, quod ooo arbitrariè solùm, & gratis sine ullo fundamento asseritur, sed & reapsè sapit & firmat *Alogianorum* errorem, qui ad tuendum suum errorem, Verbum non esse personam à Patre distinctam, similiter Scripturæ loca cit. ad tropicam locutionem detorquebant, aientes, Filium metaphoricè duntaxat, non propriè esse Verbum. Repugnat item directè communi Ecclesiæ sensui, & SS. Patrum, quos adduximus statim suprà, ut vel in solo Cyrillo l. 7. Thesauri c. 1. post initium ostenditur: *Verbum (ait) Joannes appellat Filium, & hoc nomen quasi proprium, & ipsius esse Filii maximè significativum elegisse videatur, &c:* Et iterùm: *Frustrà, inquit, miramur Evangelistam, & quasi magnum quid proprium tonasse, eonstrui Filium appellamus, nisi Verbum quasi proprium, mirabile, & inauditum pronunciasset.* Denique isthæc explicatio *Durandi* ex hoc solo titulo reprobanda est, quia aperit ostium ad quæcunque falsas interpretationes de Filio Dei communicandas: cur enim si hoc nomen *Verbum*,

Durandi doctrina explodi- tur.

Cyrillus.

quo S. Joannes toties contra prædictos hæresiarchas, appellat Filium Dei, metaphoricè, & figuraliter intelligeretur, cur, inquam, non possent pari audacia, & justa consequentia idem dici de hisce locis, *& Verbum caro factum est, Omnia per ipsum facta sunt*, & similibus aliis, &c. qua ratione subverteretur salutis nostræ, id est, ipsum mysterium Incarnationis, quod est immanissimum absurdum, inferens doctrinam repugnantem illi, quâ à summo Theologo Joanne, Verbum Dei Filium dicente, reliqui Theologi Patres, & scholastici appellare Verbum Dei Filium, didicerunt ut Justinus martyr in *Apolog.* ad *Antoninum.* Origenes l. 7. *in Joannem.* Clemens Alexand. *in exhortatione ad Gentes.* & in *Padagog.* c. 12. Athanas. *de definitionibus.* Basilius *in hac verba Joannis.* Nazianz. *Orat. 4. de Philos.* Hilar. l. 2. *de Trinit.* August. l. 5. *de Trinit.* c. 13. & l. 6. c. 2. & l. 7. c. 1. & tract. 1. & 14. *in Joannem.* & 10 *comment. epist.* 1. in Joannem. & l. ult. de Trinit. Fulgent. l. 3. ad *Monymum.* & l. 2. ad *Thrasimundum.* Anselm. in *Monol.* c. 29. & 30. & 31. & 32. Rupert. *Comment. in cap. 1. Joannis.* Beda denique, Bernardus, Ambrosius, aliique ex scholasticis, Magister 1. dist. 27. & ibi S. Bonaventura, & Richardus, Scotus, Thomas, & utraque schola Thomistica, & Scotistica, & reliqui omnes, excepto *Durando* contra expressam Scripturæ phrasin, quæ seipsum explicat, & clarè Verbum Vitam & Filium Dei appellat, *quod Verbum, inquit, manus nostra contrectaverunt, quod erat apud Patrem, & apparuit nobis.* & paulò pòst, cum Patre, ait, & cum Filio ejus JESU Christo. & c. 5. undecies Filium Dei vocat, quem ibidem Verbum dixerat. & Apoc. 19. cùm JESUM nominasset, Verbum Dei nuncupat, ut eundem omninò & Filium, & Verbum esse doceret, quæ loca etiam hæreticis & *Alogianis* ita perspicua visa sunt, ut potiùs, ut suprà maluerint è libris canonicis extorquere Evangelium & Apocalypsin S. Joannis, atque ex libris sacræ Paginæ excludenda judicaverint, quàm credere illa tam contortè ad metaphoricum sensum revocari posse.

Justin. M. Origenes. Clem. Al. Athan. Basilius. Nazian. August. Fulgent. Anselm. Rupert. Beda. Bernard. Bonav. Richard. Scotus. Thomas. Magister sent.

Secundò, Nec obstat doctrinæ nostræ *Basilius* l. 1. contra Eunomium, c. 11. ubi ait: *Dei quidem Verbum Filius est, Filii autem Verbum Spiritus*, ubi Spiritum sanctum appellat Verbum. De Spiritu item intelligit locum *Pauli* ad Hebr. 1. *Portans omnia Verbo virtutis sua*, quod Verbum de Spiritu S. interpretatur; non obstat, inquam, quia ex illis textibus nihil potest concludi, cùm ibidem idem S. *Basilius* circa medium doceat etiam Verbi nomen Filio proprium esse, *Pater*, inquit, *Filii genitor, ut mens Verbi Pater, ut sapiens, qui sapientiam genuit.* Loquitur ergo S. Doctor & appellat Spiritum S. impropriè Verbum, nimiròm quia Christi doctrinam hominibus declaravit, & sicut Filius Patris, ita Filii Spiritus S. interpres sit, exinde tamen nemo magis dixerit Spiritum dici posse Verbum, 499

Basilius interpretatur ipsum in sensu catholico.

quàm ipsum Patrem, qui Filium suum Deum esse declaravit. Extendunt itaque SS. Patres nomen Verbi latius ad minus usitatam locutionem, ut nedum significent loquentis operationem seu generationem, quæ est in Patre generante, sed etiam omnem appropriatam S. Spiritui operationem & communicationem erga creaturas. Sic S. Ambrosius l. unico *de Filii divinit.* c. 30. ait: *Sive lumen de lumine dicas, sive Verbum de Verbo, sive Spiritum de Spiritu, sive Dominum de Domino, quodcunq; de eo dixeris, unius tamen Essentiæ Patrem & Filium credas*, quis dubitat, dum dicit, *Verbum de Verbo*, eum impropriè loqui, cùm ibidem nomen Verbi cum aliis sanctis Patribus soli attribuat Filio dicens: *Hoc Verbum*, putà notionaliter, *nuncupatur, quia ex proprio divino ore processit, & nihil Pater sine eo aut jussit, aut fecit.* Et iterùm idem Ambrosius præfat. in l. 2. *de fide*, has proprietates secundæ personæ recenset: *Generatio, Filius, Verbum, similitudo Patris, splendor, character, speculum, imago, sapientia, veritas*; Et lib. de Filii Divinit. cap. 6 *Ratio quædam est, quæ apud Græcos λόγος nuncupatur, quæ inter Patrem, & Filium personas & vocabula distinguit, quia & ipse Filius ratio dicitur.* Licèt ergo S. Ambrosius in uno loco impropriè sumat Verbum pro ipso Patre; ubi tamen propriè de hoc loquendum fuit de Verbo propriè dicto, soli illud Filio attribuit, quia nimirùm est extra dubium, Verbum esse notitiam mentis, à qua oritur, & in quam cognoscendo redit, atque adeò ejusdem mentis, cujus est partus, esse, ut ait Ambrosius, *imaginem* & figuram seu similitudinem repræsentativam sui principii, *lumen, speculum*, & *splendorem* Patris intellectualem, *sapientiam, rationem*, quia est eadem substantia, & ejusdem cum mente Patris naturæ, ideòque verus illius *character*, quo ipsum novit, & seipsum novit; nam Pater novit Filium gignendo, & Filius novit Patrem nascendo. Ecce omnia hæc Filio appropriantur, ut sunt notionalia intellectus ad indigitandum Filium esse per intellectum, non per essentiam immediatè.

Ambros.

500 Porrò objectio pro *Durando* adduci solita, quod fœcunditas competat eodem modo servata proportione Deo, & creaturis: hæ autem immediatè seipsis ad productiones substantiales concurrant; ergo & in divinis, frivola est, tum quia, ut benè *Poncius* disp. 9. sui cursus de Trinit. q. 3. concl. 3. nu. 15. nec ratio est, nec auctoritas, quæ probet idem esse de substantia creata, sicut est de substantia divina respectu processionum divinarum, imò si proportionaliter Deo, & creaturis fœcunditas convenire deberet, sequeretur, quòd Deus non haberet essentiam alteri personæ communicabilem, quia nulla creatura spiritualis per nullam naturæ fœcunditatem potest essentiam suam communicare alteri: tum & secundò, quia absolutè falsum est, quòd creatura concurrat immediatè ad productiones substantiales, quia concurrunt mediante potentia generativa ab ipsa formaliter distincta, ut patet manifestè in creaturis spiritualibus, in quibus licèt nulla sit fœcunditas per intellectum, quæ sit generativa Verbi substantialis, est tamen generativa Verbi accidentalis, unde dici solet, *ab objecto & potentia paritur notitia.* Idcircò autem partus intellectus creati est tantùm accidentale Verbum, quia ut *Doctor* 1. dist. 3. quæst. 8. intellectus creatus producit intellectionem concurrente partialiter specie intelligibili, quæ cùm sit accidens, non potest producere substantiam, aliàs effectus, qui sequitur debiliorem partem, esset perfectior suâ causâ, intellectus divinus autem concurrit ad productionem notitiæ genitæ, ut est fœcundatus specie intelligibili, quæ est ipsa Essentia divina, seu ut est memoria fœcunda, quæ tota substantia est, adeòque substantiæ productiva.

Poncius.

Discrimẽ Verbi divini à Verbo creato.



§. III.

§. III.

Essentiam, ut modificata est per relationes, esse processionum divinarum principium *Quo*.

ASSERTIO III.

Processiones divinæ etsi non sint per essentiam, tanquam potentiam notionalem, seu principium quo proximum, sunt tamen per illam ut suum principium radicale & remotum; id est, Essentia non nudè spectata est ultimata agendi ratio in actu primo, sed qua determinatur per relationem personæ producentis non determinatione quasi per modum principii activi, sed per modum conditionis agendi; sic nempe per relationem Paternitatis determinatur, ut sit principium generationis in Patre, & per relationem Patris, & Filii, ut sint principium spirandi Spiritum S. per relationem verò Spiritus sanctus ad nullam aliam determinatur originem activam.

501 EST conformis Doctori subtili, & probatur ex SS Patribus, quoad primam partem, quòd sit principium remotum, & radicale divinarum processionum, è quibus Cyrillus l. 1. Thesauri, c. 7. ait: *Generativam virtutem esse Essentiam Dei.* Damasc. l. 1. de fide, c. 8. *Generatio*, inquit, *est naturæ, non sicut generantis, sed sicut ejus, quo generat.* Anselm. *in Monol.* c. 52. ubi de Spiritu S. ait: *Non ex eo procedit*, Spiritus sanctus, *in quo plures sunt Pater, & Filius: sed ex eo, in quo unum sunt; nam non ex relationibus suis, qua plures sunt, ... sed ex ipsa sua essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater, & Filius tantum pariter bonum.* Et opusculo de *processione* Spiritûs S. c. 10. (aliàs 9.) post principium: *Fortè quis dicat*, inquit, *Spiritum S. non procedere de Deitate Patris, sed de Paternitate, nec per Deitatem Filii, sed per Filiationem, qua opinio sua se patenti fatuitate suffocat.*

Cyrillus. Damasc. Anselm.

Hisce sancti Patres satis aperiunt, divinam processionem esse de essentia divina, hac ratione Dionys. cap. 2. *de divinis Nominib.* Filium, & Spiritum S. *fœcunda divinitatis gemmas & germina.* His concordant verba Joannis Theologi in Concil. Florent. sess. 18. asserentis: quòd *persona sit producens, & generans, principium autem* quo *ipsa persona generet, sit id, quod solum communicabile est. Pater ergo generativum principium est, & suppositum quoddam significat: divina verò substantia, quæ cum Patre realiter idem sunt, non quidem generat, sed est principium* quo *generatio fit.* Et subinferius: *Nam persona Patris suppositum est atque generans, divina verò Natura generativum principium* quo *Pater Filium generat.* Et sess. 19. *Hanc nobis doctrinam Doctores omnes tradiderunt, orationes has exponentes: Filius est ex substantia Patris, & S. Spiritus ex Patris Filiique substantia.*

Assertionis nostræ ratio Theologica est, 502 quia principium radicale generationis Verbi est, in quo genitum generanti secundùm formam, quâ agit, assimilatur; nam juxta fidem, & id Hilarii 2. de Trinit. *Nativitas Dei, non potest eam, ex qua profecta est, non tenere naturam*, id est, non potest non illi assimilari secundùm naturam, imò omne producens per suam actionem productivam aliquid sibi simile producit secundùm formam, quâ agit, ut in omni generatione viventium genitum sit simile gignenti, sic v. gr. homo genitus in natura humana est similis generanti: atqui id, in quo Filius divinus genitus cum Patre generante convenit, & formâ quâ agit, & ratione cujus sit Pater fœcundus ad generandum, non est relatio, sed Natura divina: ergo hæc est principium *quo* primum & radicale generationis divinæ.

Filius assimilatur Patri in natura.

Altera pars, quòd tale principium non sit 503 simpliciter, & absolutè considerata, sed quatenus modificata, & determinata ad primum suppositum per relationem Paternitatis & cætera. Probatur ex Doctore 1. dist. 7. q. un. §. *Quia autem*, num. 22. ubi respondendo primùm, quomodo Essentia divina nudè spectata non agat, explicat in simili à creaturis sumpto: *Species*, inquit, *si ponatur principium elicitivum operationis videndi in oculo, si per se existeret, non posset esse principium illius operationis: & ratio esset, quia non posset esse potentia propinqua ad agendum, quia non posset habere passum approximatum* (quod est organum visivum) *quia approximatio, ut dictum est prius, requiritur ad rationem potentiæ propinquæ*; idque suæ opinioni applicans, ita pergit: *Sicut autem approximatio requiritur in creaturis, vel amotio impedimentorum, ita dicitur in proposito, quòd requiritur suppositum conveniens ad agendum;*

 dum;

dum: ergo forma, id est, Essentia divina, *quæ esset principium actionis in supposito distincto, si esset per se existens, non esset suppositum, nec principium distinctum, nec in supposito distincto conveniente generationi; & ex quo illud suppositum requiritur ad potentiam propinquam agendi*, subaudi notionaliter, *non poterit talis forma per se agere; Essentia autem, si per se existat in aliquo instanti naturæ, antequam intelligatur esse in supposito, vel persona, in illo priori non est suppositum agens in potentia propinqua ad agendum. Ista enim actio distinctionem* (putà realem) *requirit aliquorum in ista natura, quæ non potest esse nisi suppositorum: ergo suppositum conveniens huic actioni, est suppositum distinctum existens in ista natura &c.* Quibus Subtilis Doctor subtiliter ostendit, cur relatio personæ producentis pertineat ad potentiam notionalem, ut sit potentia propinqua ad actum notionalem, & patet ex ipso mysterio SS. Trinitatis, de fide enim certum est, Essentiam divinam, non ut est in quacunque persona sibi vendicare actum notionalem, non enim sibi vendicat actum spirandi in Spiritu sancto, imò spectata de se, & sine relatione sumpta, ut rectè Doctor, est indifferens, ut exeat in actum notionalem, vel non, aut in hunc vel illum, si enim ex se esset determinata in ratione principii productivi, esset sic determinata in quocunque supposito divino, quod enim convenit Essentiæ de se, convenit illi, ut est in quocunque supposito: si ergo non est de se determinata activè ad actum notionalem: ergo indiget aliquo determinante: consequenter determinatur per relationem personæ producentis, cùm nihil aliud sit in persona, quæ sibi vendicat actum notionalem præter essentiam, & relationem: ergo & nihil est præter relationem, per quam essentia determinetur ad agendum.

Scotus.

504 Confirmatur, & secundò probatur ex Scoto mox citato, & ex cap. *Damnamus.* de SS. Trinitate, quòd Essentia non generet, sed quod ad principiandum requiratur suppositum realiter distinctum à persona producta, hæc autem est per relationem: ergo.

505 Tertium membrum assertionis, quòd relatio non determinat essentiam per modum principii activi, sed per modum conditionis agendi, probatur passim apud Scotistas, Primò contra illos, qui quidem cum Essentia divina relationem personæ producentis volunt pertinere ad potentiam notionalem, ut sit propinqua ad operandum actione notionali, sed reducunt illam in consortium principii notionalis, ut sit quasi pars constitutiva principii *Quo*, quemadmodum in aliis rebus naturæ earum rationes solent censeri formaliter illarum constitutivæ.

Relatio non induit rationem principii.

Quam opinionem *Doctor* evertit d. e. §. *loquendo tunc de potentia.* n. 9. rationes adhuc licet apud ipsum, & à *Lycheto* in Comment. ibidem clarè explicatas, item apud *Smising* d. 3. de Deo Trino, qu. 3. num. 193. & alios nostræ scholæ Doctores. Quantum ad nostrum intentum sufficiat, quòd Auctores ideò requirant relationem ad agendum in principio, ut sit potentia propinqua, seu habens omnia ad agendum requisita, sed talis propinquitas non ingreditur necessariò constitutionem potentiæ simpliciter, sed sufficit, si hæc illi attribuatur, quòd sit conjuncta cum conditionibus operandi, ut patet in exemplo allato à Doctore suprà, neque enim approximatio agentis ad terminum actionis est simpliciter constitutiva potentiæ activæ, seu mera agendi conditio sine *qua non*.

Adde, quòd aliundè relatio non possit esse principium notionale, eò quòd tunc cessaret discrimen à Scholasticis, & PP. assumptum quòd processio Filii, fit per modum naturæ, processio autem Spiritus sancti per modum voluntatis: Sequela prob. quia omnis relatio æquè naturaliter respicit suum proprium correlativum: adeòque nonnisi per modum naturæ, quod falsum est; sed de hoc q. ultimâ pluribus à proposito.

Relatio ad terminum dicitur naturaliter.

Specialiter & secundò probatur hæc pars contra illos, qui principium *Quo* communicationis, quâ una persona communicat alteri suam essentiam, statuunt esse ipsammet essentiam; principium autem *Quo* productionis esse relativam proprietatem, seu ipsam relationem; adeòque adæquatum principium generationis esse essentiam cum Paternitate, ad quod dicendum, cautantur potissimum, quia ratio principii necessariò dicit habitudinem veram originis principii ad suum principiatum, ac proinde dicit oppositionem ad principiatum: ergo ratio principii notionalis nequit esse identificata principiato, sive personæ productæ, consequenter illud principium non potest statui essentia, ac proinde relatio erit statuenda ut in Patre Paternitas, in Filio filiatio. Deinde cùm præter personale distinctum generatio divina adæquatè spectata exigat in termino genito, & esse simpliciter idem, scilicet eandem naturam, adeòque involvat tum communicationem ejusdem naturæ, tum productionem filiationis distinctæ, omninò dicendum videtur cum S. Bonav. d. 7. a. 1. qu. 1. (qui tamen alteram sententiam problematicè defendit) & cum *Derkenne* de processionibus divinis c. 2. §. 3. aliisque, quòd essentia sit principium *quo* communicationis, & proprietatem relativam esse principium *quo* productionis; sed hæc opinio ex proprio horum Auctorum ratiocinio rejicitur, eosque sic reconvenio, & directè oppositum concludo, quòd scilicet ipsum principium communicationis formaliter involvat principium productionis, & vicissim principium productionis idem sit, quod principium communicationis, adeòque non posse dici, quòd relatio sit principium productionis, essentia verò communicationis, & unum præscindatur ab altero. Sicque urgeo: Generatio divina (idem est de spiratione a- 506

Retorsio argumenti in adversarios.

ctiva

ctiva) adæquatè spectata, duo exigit, scilicet esse non virtualiter tantùm, sed simpliciter, & formaliter idem secundùm eandem naturam cum generante in termino genito, & præterea esse personale distinctum: ergo principium communicativum in Deo nequit præscindi à principio productivo, & econtrà, hoc principium in Deo productivum nequit præscindi à communicativo: Antecedens est extra dubium: Consequens probatur. Non aliter concipitur Essentia Patris communicari Filio, quàm quòd Pater producat Filium ejusdem secum essentiæ, id est, ut SS. Patres loquuntur Filium homousium, & coessentialem sibi: ergo eodem principio, quo producit Filium, eodem communicat seipsum Filio. *Anteced.prob.* Eatenus concipitur essentia Patris communicari Filio, quatenus principium communicativum Patris, seu suipsius refertur ad Filium, ut ad alterum, nihil enim communicat seipsum sibi, haud secùs, quàm quis non seipsum, sed alterum producit: atqui alter, ad quem hîc refertur principium communicativum, id est, Filius, non præsupponitur communicationi, imò cùm rei præexistentiali nihil possit identicè communicari, nec præsupponi potest: ergo necessariò alter ille seu Filius producitur per ipsam communicationem, & sic principium communicandi involvit principium producendi, & vicissim illud in divinis involvit alterum: dico *in divinis*; nam esto principium productivum in genere præscindi possit à communicativo, secùs in divinis, ubi productivum principium respicit terminum consubstantialem producenti, ut nisi eandem cum suo principio teneret essentiam terminus productus, produci sit impossibile personalitatem Filii: ergo licèt materialiter præscindat essentia à relatione, & vicissim, in ratione tamen principii *quo* unum præscindi aut inadæquatè concipi nequit ab altero.

Filium produci impossibile est in divinis, quin sit idem in natura cum Patre producente.

Ex quo patet ex ratione in oppositum adducta, etsi verissima sit, malè deduci duplex principium *quo* in divinis, ubi sufficit habitudo, oppositio & distinctio realis inter principium *quod* & principiatum. Nec mirum, quòd in creatis principium *quo* etiam distinguatur realiter à principiato; nam ibi producens, ut dixi, non producit effectum sibi secundùm naturam identificatum. Aliundè etiam liquet, quòd in creaturis potentia productiva realiter & physicè in effectum influat, in divinis autem divina Essentia, juxta cap. *Damnamus*, de SS. Trinit. non est principium producens, sed quo intellectus Patris fœcundetur, fiatque potens ad producendum. 507

Cap. Damnamus.

QUÆSTIO II.

An, & qualiter divinæ processiones sint per intellectum, & voluntatem?

ubi quæritur:

An Verbum divinum generetur per intellectionem, & Spiritus S. procedat per Amorem: seu an potentia notionalis ad generandum & spirandum dicat intellectum & voluntatem per modum actus primi vel secundi.

SVMMARIVM.

1. *Opinio & consectarium ejus, quo sustinetur quidditativa transcendentia Deitatis cum intellectu, & intelligentia.* n. 508.
2. *Dictiva actio, quæ est à memoria fœcunda, detinetur in productione termini, intellectio autem versatur circa objectum percipiendum.* Ibid.
3. *Productio Verbi à Patre, non est formaliter actus intelligendi, nec spiratio passiva amor formaliter.* n. 509. & seqq
4. *Non sufficit distinctio rationis ratiocinata ut Verbum dicatur produci per intellectum à parte rei, & non à parte rei per intellectionem.* num. 509.
5. *Ordo præsuppositionis naturalis secundum subsistendi consequentiam quid sit, & inter quæ habeatur?* num. 510.
6. *Discrimen inter prioritatem originis, & naturæ.* Ibid.
7. *Si per impossibile in divinis non esset intellectio actus, adhuc esset productio Verbi, & Spiritus sancti.* Ibid.

8. Ut

8. *Ut intellectus in actu primo constituat principium productivum, ad quod non spectet intellectio à parte rei, exigitur distinctio Scoti. Ibid. circa finem. & num. 511. in argumento.*
9. *Intellectus ut principium operativum connexionem habet cum intellectione in ratione principii ad principiatum, secùs cùm ut est principium productivum. n. 511.*
10. *Paternitas divina transcendit hypostasin, dictionem, & relationem. n. 512. & seqq.*
11. *Discrimen notabile, cur intellectus, ut est semel operativum, & semel productivum principium fundet distinctionem ex natura rei; secus Paternitas, esto sit semel hypostasis, semel dictio, & semel relatio. n. 514.*
12. *Doctorem Subtilem non arare analogiam per analogiam in quo sensu explicetur? n. 516.*
13. *Verbum non generari per intellectionem, nec Spiritum sanctum per amorem. num. 520. & seqq.*
14. *Intellectio non est productio Verbi, nec amor processio Spiritus S. Ibid.*
15. *Non possunt esse plures intellectiones aut volitiones infinita, & cur? num. 521. & 522.*
16. *Relatio nil addit supra tendentiam operationis vitalis, totum esse suum, est esse ad aliud, non est formaliter intellectio, & cur? num. 522.*
17. *Verbum divinum procedit per dictionem, & Spiritus S. per spirationem activam.*
18. *Intellectio & dictio sunt formaliter distincta. &c.*

508 IN opinione eorum, qui autumant, quod intellectus & voluntas, memoria, & intellectio sint de quidditate Dei (quorum fundamenta ex *Scoto* eruta Controv. 12. q. 1. art. 1. num. 168. & seqq. adducta, refelluntur ibidem art. 2. & 3. à num. 170. usque ad n. 179.) supponimus ut certum, Verbum procedere per intellectionem, & Spiritum sanctum per amorem, etiam ex nostra ratione concipiendi: nam ut observavimus Controv. 12. quæst. 2. art. 4. Assert. 9. & qu. 3. Assert. 1. à n. 207. si ita dicendum, eò quòd ut ibidem probabiliter sustinetur intellectus transcendat essentialiter intellectionem, voluntas volitionem, id verificabitur multò magis, si etiam intellectus & voluntas sint de conceptu quidditativo Dei, nullasve exprimant formalitates ex natura rei distinctas, evidens enim est, quòd si intellectus & intellectio sint de quidditate Deitatis, etiam intellectio sit de quidditate intellectus, quia quæ identificantur formaliter in aliquo tertio formali adæquato, indubiè identificantur formaliter inter se.

Opinio quorundam & confutatarum illius.

Quidditativa transcendentia Deitatis cum intellectu & intelligentia.

Pro Resolutione hujus difficultatis observandum, quòd dictio in divinis sit productio quâ Pater Filium generat sibi omninò æqualem, intelligentia autem in divinis, esto per illam produceretur Verbum, insuper illa est operatio divinitatis, quâ Personæ divinæ suam essentiam, & seipsas comprehendunt; huic proinde seu intellectioni tribuitur, quòd stet simul circa objectum percipiendum velut in simplici illius visione; dictioni verò, quæ est à memoria fœcunda, tribuitur, quòd versetur duntaxat circa Verbum producendum, seu detineatur in productione termini, sicut enim dictio in creatis est propriè influxus vivens, per quem producitur proles intentionalis à memoria parente in similitudinem vivam, ita ut dictio sit generatio qualitatis, quæ est viva imago objecti relucentis in memoria, ita dictio in divinis est, quâ vitaliter producitur Verbum vivens à vivente conjuncto in similitudinem naturæ, ita respectu amoris divini, quo se amant Personæ divinæ, si ille simul sit actio spirandi, seu spiratio activa, quâ producitur Spiritus S. proportionatè discurrendum. Sit

Discrimē dictionis ab intelligentia.

ASSERTIO I.

Sicut longè probabilius asseritur ad mentem Doctoris Subtilis, distinctio ex natura rei inter intellectum & suam intelligentiam, seu ipsam intellectionem actualem (idem dico de voluntate & volitione) ita longè probabilius asseritur non solùm ex ratione nostra concipiendi, sed etiam ex parte rei conceptæ, intercedente scilicet distinctione ex natura rei inter memoriam, & intelligentiam, hanc intelligentiam, seu intelligendi actum non attinere ad principium formale generativum Verbi, neque amorem ad spirationem Spiritus sancti, ita ut processio Verbi, cujus est principium intellectus, non sit intellectio formaliter, nec processio Spiritus S. sit amor formaliter.

509 HÆc quoad primam partem, probatur ex dictis Controv. 12. qu. 3. assert. 2. n. 212. & seqq. quæ, ut ibi num. 214. in fine post actus sum, ita prosequor: ut asseratur Verbum pro-

produci à parte rei per intellectum seu memoriam Patris, & non per intellectionem, & Spiritum sanctum à parte rei per voluntatem in actu primo, & non per amorem seu volitionem exercitam, non sufficit distinctio rationis ratiocinatæ, id est, quæ præbet fundamentum distinctioni vel ex parte rei conceptæ ob pluralitatem æquipollentem, vel virtutem eminentialem, vel per connotata, &c.

Ut Verbum producatur ex parte rei per memoriã Patris, non per intellectionem, requiritur distinctio ex natura rei formalis.

Atqui ex mente *Scoti* primò quidem Verbum producitur à memoria fœcunda, non verò ab intelligentia, secundò ex mente ejusdem generatur vel producitur *à parte* rei per memoriam, & non per intelligentiam à parte rei: ergo nisi velis prosternere principale fundamentum *Scoti*, quo nititur astruere distinctionem ex natura rei inter intellectum & voluntatem, eo quòd Verbum generetur à parte rei per intellectum, & à parte rei non generetur per voluntatem, illa distinctio ob eandem rationem admittenda est inter intellectum & suam intelligentiam. *Major* patet ex iis, quæ diximus *Tractatu Prælimin.* in diversis *Controv.* licèt enim ut ibidem docuimus *Controv.* 5. q. 1. a. 2. Ass. 1. distinctio rationis ratiocinatæ seu virtualis Thomisticа præbeat fundamentum ad contradictorias enunciationes, quæ non exprimunt objectum, quatenus existit à parte rei, sed prout cadit in nostram analogicam inadæquatamque, &c. concipiendi rationem, nullatenus tamen sufficiens est ad verificandas contradictiones, quæ spectant objectum extra analogiam, & prout à parte rei existit, ut ll. cc. prolixè est disputatum, ubi agitur de primario isto fundamento *Scoti* ad astruendam suam distinctionem ex natura rei tam in divinis, quàm in creatis. *Minor* quoad primam partem expressè habetur apud *Scotũ* 1. d. 2. q. 7. n. 15 ubi contra adim articulum *Henrici*, quo asserit intellectum ut informatum notitia actuali, elicere notitiam genitam: *Hoc*, inquit, *improbo sic: Verbum non gignitur ab intelligentia, sed à memoria*, citansque pro hoc *Augustinum* 15. *de Trinit*, c. 7. dicentem: Verbum gigni per memoriam, non per intelligentiam. Mox infert: *ergo licèt in Patre concurrant memoria, intelligentia & voluntas, Pater non gignit Verbum formaliter intelligentia*, ut quo, *sed memoria*: quod est dicere, licèt intelligentia, seu actuale intelligere Patris præexigatur quasi materialiter, & quatenus spectatur ex parte subjecti ante dictionem generativam, eo quòd in divinis essentialia & absoluta priora sint notionalibus, ac proinde intellectus & voluntas prius sint facultates operativæ, quàm productivæ; nullatenus tamen æstimat intelligentiã ita prærigi, ut attineat formaliter ad rationem principii *quo* generandi Verbum, quod dicit esse intellectum divinum in actu primo cum objecto intelligibili sive Essentia divina sibi præsenti, sicque constituitur memoria fœcunda Patris, per quam, non per intelligentiam seu intellectum in actu secundo, pronunciat August. *supra* gigni Verbum, pro quo videri potest *Smising* Tom. 2. *de Deo Trin. disp.* 3. quæst. 3. num. 153. & *seqq.*

Augustinus.

Intellectio non spectat ad rationem principii quo generandi Verbum.

Pro secunda parte *Minoris*, quòd secundùm *Doctorem Subtilem* Verbum divinum ex parte rei generetur per memoriam & non à parte rei per intelligentiam, præmitto notandam eam *Scoti* doctrinam, qua docet, quòd sicut Personæ divinæ ordinem originis habent inter se, ita habent ordinem naturæ seu naturalis præsuppositionis inter se essentialia absoluta inter se; item inter essentialia & notionalia, ac proinde inter intelligere & dicere docet naturæ ordinem, quatenus vult essentialia absoluta esse non secundùm causalitatem, sed secundùm subsistendi consequentiam natura priora notionalibus, illud enim est prius natura secundùm subsistendi consequentiam, quod non convertitur essendi consequentia, essentialia autem non convertuntur sic cum notionalibus, in eo siquidem secundùm *Philosophum* cap. *de modis prioris*, consistit ordo secundùm subsistendi consequentiam, quod prius in eo ordine non convertitur essendi consequentia, quam prioritatem, quæ est ordinis naturæ ab illa, quæ est originis sic distinguit schola *Scoti*, quod prius natura ita præsupponatur alteri, ut cognitione perfecta possit sine altero cognosci, licèt non sit propriè principium productivum alterius, quale requiritur è contra ad prioritatem originis, quo pacto in divinis persona producẽs est prior persona producta, & intellectus fœcundus & fœcunda voluntas quamvis minus propriè (cùm origo propriè ita non sit nisi inter distincta realiter) dicuntur priores origine dictione Verbi & spiratione Spiritus sancti. *Hoc pacto* igitur Scotistæ ordinem naturæ constituunt quoad absoluta inter se, ut Essentia in Deo sit natura prior Attributis, & quædam Attributa aliis Attributis, ut in proposito intellectus & voluntas actu intelligendi & volendi divino, ut multis in locis *Scotus*, & hâc eâdem distinct. 2. cit. q. 7, n. 22. ubi expressè *actus*, inquit, *primus* (id est memoria, quæ est principium operativum) *est prior prioritate originis* (puta impropriè originis seu longè pro prioritate naturæ) *actu secundo* (scilicet intellectione) & mox: *Non fundatur igitur actus productivus super actum essentialem, qui consistit in actu secundo, videlicet qui est operatio, quasi super rationem formalem eliciendi illum actum secundum; sed quodammodo præexigit illum actum, quia actus primus, qui est operativus & productivus, est ratio perficiendi suppositum in actu secundo, qui est operatio suppositi, in quo est quodam ordine prius, antequam intelligatur producere illud quod producitur: operans enim & producens, per idem principium prius est operans, quàm producens.* Quibus verbis *Doctor* de intellectu seu memoria fœcunda Patris, quà est principium operativum duo decernit. *Primò*, quòd sit naturâ prior sua operatione, quæ est intellectio. *Secundò* decernit eandem Patris me-

510

Scotus.

Prioritas secundum subsistendi consequentiam inter essentialia & notionalia.

Ordo naturæ differt ab ordine originis, & in quo?

Scotus.

Littera Scoti declaratur.

memoriam, ut est principium productivum, adeoque productionem Filii quidem præexigere actum absolutum intelligentiæ, seu actum essentialem intelligendi, quem dicit operationem ejusdem memoriæ, qua operativa est, nullatenus tamen ille actus dici debeat ratio formalis producendi Filium, ita quòd Pater per idem principium sit operans quidem & producens, prius tamen scilicet prioritate naturæ operans, id est, intellectionem percipiens, quàm producens, id est, quàm generans Filium.

His positis subsumo: Sed loquitur ibi *Scotus* de productione Verbi, ut est à parte rei posterior natura actu essentiali intelligendi, ita ut actus intelligendi essentialis possit cognitione perfecta cognosci sine productione, imò isthæc productio seu generatio dictiva esset à parte rei, ut *Lychetus* Comment. in cit. textum *Scoti*, esto per impossibile non esset talis actus intelligendi in intellectu Patris, adhuc enim intellectus Patris, ut habens Essentiam perfectè præsentem in ratione objecti intelligibilis, esset principium verè productivum: ergo & à parte rei Verbum ita producitur per memoriam, ut revera à parte rei non sit per intelligentiam seu actum intelligendi essentialem, ac proinde, quod hic loci ex allato discursu erat probationis intentum, ad mentem Doctoris *Subtilis* probabilius asseritur distinctio ex natura rei formalis inter intellectum & suam intellectionem. Conseq. patet; & amplius probatur ex iis quæ Doctor mox subdit: nimirum, quòd intellectio & dictio generativa, id est, productio Verbi sint quasi effectus ordinati ejusdem causæ, ita quòd intellectio sit actus seu operatio natura prior, quàm actio generativa, & unus actus à parte rei non sit ratio formalis actus alterius, & tamen uterque ab eadem memoria: ergo indubitatum est actum productivum esse à parte rei per memoriá, non esse à parte rei per intelligentiam, sive à parte rei per principium productivum, non per operativum, consequenter licèt ob illimitationem memoriæ divinæ seu intellectus divini, ut est principium operativum, intellectio anteeat productionem, eo quòd nulla sit distinctio realis inter intellectum in actu primo, & intellectionem exercitam, est tamen ea distinctio constituenda, quæ exigatur ad hoc, quòd intellectus in actu primo constituat memoriam generativam Verbi, ad quam non spectet intellectio, ut exercita, qualis distinctio indubiè ex dictis non est alia, quàm illa Scoti formalis ex natura rei.

Si per impossibile in divinis nō esset intellectio, adhuc esset ibi productio.

Distinctio Scoti facit, quòd non intellectio, sed intellectus sit productivus Verbi.

511. *Confirmatur* ex illo loco *Scoti* 1. d. 2. q. 2. cc. n. 23. quem obiter exposuimus *Contr.* 2. q. 3. *Assert.* 2. n. 212. & seqq. *Nunc autem neutrum istorum principiorum includit aliquam imperfectionem, non magis in quantum productivum, quàm in quantum operativum: nec ergo unum ad alterum reducetur, ut ad prius natura, nec ambo ad tertium propter idem, quia neutrum est imperfectum.* Ex quo redit argumentum supra

Scotus.

insinuatum, & formatur ita. Principium productivum, quod est memoria includens intellectum in actu primo, est principium perfectum, idque contradistinctum secundùm *Scotum* à principio operativo, quod est idem intellectus, ut subest operationi; & vicissim principium operativum est contradistinctum à principio productivo: atqui hæc contradistinctio obtinetur & sumitur à ratione solius operationis seu intellectionis divinæ: ergo illa non est eadem formaliter cum illo, à quo condistinguitur; *Maj.* patet ex textu: *min.* prob. ut supra, quia principium operativum & productivum quà principium sunt unus idemq; intellectus, ad quem productio scilicet & operatio seu intelligentia ut effectus ordinantur ut ad unam eandemque causam: est ergo ibi distinctio principii operativi à productivo, quatenus principium operativum concipitur cum actu intelligendi formaliter ex natura rei distincto, quocum, quantum est de se, non cōcipitur idem intellectus ut est principium productivum. *Antecd.* patet, *conseq.* prob. concipiendo intellectum divinum, quà est principium operativum, & intelligentiam ejus, seu actum intelligendi, apprehendimus ut conceptus connexos in ratione principii & principiati, quando autem concipimus eundem intellectum divinum, ut est principium productivum cum eodem actu intelligendi, non apprehendimus ut actus connexo in ratione principii & principiati, sed quasi disparatè, ceu attributa nullam quasi causalitatis nequidem logicæ connexionem ad se habentia: ergo iam ex natura rei est ibi distinctio, quòd principiatū nequeat esse suipsius principium; quàm ex eo quòd intellectus, ut est principium productivum seu dictivum ita comparetur ad intelligendi actum, ut nec logicam emanationem cum fundamento in re, neque analogicam ad connotata extrinseca habere intelligatur actus intelligendi cum principio productivo.

Intellectus ut principiū operativū connexionem habet cum intellectione, secus quà est productivum.

Confirmatur 2. ex Doctore 1. sent. d. 2. q. 7. n. 25. ubi distinctionem inter intellectum & intellectionem æquiparat cum illa, quæ est inter intellectum & voluntatem: sed inter intellectum & voluntatem est distinctio secundùm *Scotum* ex natura rei: ergo & inter memoriam & intelligentiam suam: major habetur in terminis ita: *Dico, quòd illi Adversarii non ponunt differentiam realem inter intellectum & voluntatem Patris, & tamen habent concedere tantam differentiam, quod alterum potest esse principium elicitivum alicujus productionis, cujus alterum non potest esse principium elicitivum formale: filius enim producitur formaliter per modum naturæ, sed non producitur formaliter per modum voluntatis.* 512.

Igitur, licèt non differant realiter memoria, & intelligentia Patris, est tamen tanta differentia inter illa, quòd alterum posset poni principiū elicitivum alicujus productionis, cujus reliquum non ponatur principiū elicitivū formale. Quid clarius?

Con-

513\. Contra hæc nihilominus opponit *Brizenno Contr. 11. dist. 1. Appen. a. 1. in digressione, n. 93.* quamvis asseratur distinctio à *Scoto* inter memoriam & intellectionem, illa tamen non est distinctio actualis ex natura rei, sed ad summum virtualis seu rationis ratiocinatæ petita hac pluralitate per æquipollentiam ex natura rei conceptæ, quod urget in sententia Scoti asseverantis Paternitatem divinam esse *hypostasin, dictionem & relationem*, & quòd illa fundet conceptus tam distinctos, quàm principium productivum & principium operativum, tam enim completi sunt conceptus *hypostasis*, *dictionis* & *relationis* intra lineam suæ præcisionis, ut ratio objectiva unius prædicati nil completionis & integritatis exspectet à ratione objectiva alterius, ideo tamen non potest in via *Scoti* inferri distinctio formalis ex natura rei inter illa tria prædicata, quæ imbibit & transcendit, simplex forma Paternitatis divinæ, nimirum prædicatum *hypostasis* ut constituentis personam generantem; *dictionis*, per quam generatur Verbum, & *relationis*, vi cujus Pater refertur ad Filium genitum. Si ergo non possit constitui distinctio ex natura rei inter Paternitatem, in quantum gerit munus *dictionis* seu productionis Verbi; & eandem Paternitatem, ut subit vices meræ *relationis* terminatæ ad Verbum productum, & quæ respondet in creatis illi habitudini reali, quæ est de prædicamento relationis, & quam exprimit memoria ad Verbum genitum, quæ est habitudo principii ad principiatum, præmittens pro priori naturæ ipsius Verbum jam prolatum & genitum, sicut & quælibet alia relatio causæ ad effectum non consurgit nisi præsupposita substantia genita pro aliquo priori naturæ ante pullulationem relationis: ergo neque constitui potest distinctio inter principium productivum & operativum, &c.

514\. Quam parum hæc oppositio, si de mente *Scoti* agatur, nostræ doctrinæ præjudicet perspicuum fit ex ipsa opponentis ratione, qua supponit & rectè, Paternitatem, ut gerit munus *hypostasis*, *dictionis* & *relationis* esse simplicem relationem formaliter indivisibilem, ex hoc ipso enim consequens est, nullam in ea dari rationem, quam formalitatem dicimus objectivè conceptibilem conceptu stricto & adæquato distincto à conceptu, quo conciperetur alia formalitas ejusdem seu ipsamet relatio, adeoque licèt in linea præcisionis intellectivæ conceptus *hypostasis*, verbi gratia, nihil completionis & integritatis exspectet à ratione objectiva alterius, verbi gratia, *dictionis & relationis*, hoc tamen non habent per discretionem ex natura rei sive actualiter & ante operationem nostri intellectus, sed fundamentaliter solum vel virtualiter, ac proinde petita pluralitate per æquivalentiam rei tribuentis intellectui fundamentum diversimodè apprehendendi rem simplicissimam & formaliter indivisibilem sub diversis conceptibus, quibus non exprimitur res omninò ut se habet à parte rei, sed quod habet in intellectu, secus est, secundùm *Scotum*, de principio operativo, quod est intellectus Patris, tum quia illud principium involvit non secundùm nostrum modum apprehendendi, sed à parte rei intellectionem, quàm à parte rei non involvit idem intellectus quà est principium productivum, imò si per impossibile, ut innui supra, non esset operativus, adhuc revera esset productivus; cùm etiam, quia intellectus Patris, qua operativus, est prior natura, ut supra ex Doctore ostendimus, sua operatione, habentque se ut principium & principiatum, ita ut intellectio divina posset dici verè producta, si esset realiter distincta à producente, uti patet ex litera ibi numero vigesimo tertio. *Si enim illud*, inquit Doctor, *quod non producitur, sed quasi producitur, esset realiter distinctum à producente, esset verè productum: igitur quod modo sine productione inest* (puta intelligendi actus seu intellectione) *tamen virtute principii, quòd esset productivum ejus, si posset distingui, & pro tanto dicatur quasi productum, non variat formaliter actum ab illo, quo produceretur, si esset producibile.* Ecce, esto sine productione insit intellectio, inest tamen virtute principii, se proinde habens ut principiatum, ut pro tanto dicatur quasi productum, ita ut ly *quasi* non sit ex conceptione nostra, si comparetur ad intellectum, ut operativum principium, sed si comparetur ad illum, ut ad principium physicè productivum, physicè enim ut nos *Controversia duodecima, quæstione secunda, articulo secundo, assertione tertia*, numero 183. & seqq. & Doctor hic, non producitur, hinc ait, quasi producitur, *tamen virtute principii*, de quo vide, quæ diximus *Controversia* & quæst. cc. articulo secundo *per totum*, & 3. *Assertione octava*, numero 200 & *seqq.* Explicatio literæ Scoti.

Instat Brizenno loco citato numero nonagesimo quarto. Taliter se gerunt prædicata *dictionis* & *relationis* in paternitate divina, quòd si habitudo illa ad Verbum genitum (quæ per analogiam ad Verbum creatum intelligitur consurgere jam producto Filio in sequenti signo naturæ) realiter distingueretur ab ipsamet Paternitate, in quantum subit munus *dictionis*, Paternitas ut *dictio* esset vera ratio fundandi respectu Paternitatis (ut *mera habitudinis*) ad prolem genitam. Et intercederet ea connexio causalitatis inter Paternitatem (ut *generationem*) & Paternitatem (ut *meram habitudinem* ad genitum) sed non potest constitui distinctio formalis ex natura rei inter Paternitatem, in quantum gerit munus *dictionis* seu *generationis Verbi* & eandem Paternitatem, ut subit vices *meræ relationis* terminatæ ad Verbum productum: ergo nec est constituenda inter principium operativum & productivum, sive inter intellectum & intellectionem &c. 515. Brizenno.

Respondeo ut supra, hanc instantiam nihil obtinere roboris, quia procedit ex supposito supponente

Refutatur objectio Brizenni.

nente transcendentiam formalem horum prædicatorum, secundùm quam subsistit omnimoda identitas ex natura rei inter Paternitatem ut *dictionem* generativam Verbi, & inter eandem Paternitatem, ut est *habitudo realis* Patris generantis ad Verbum generatum, &c. ad suppositū non supponens illam transcendētiā formalem, ut perspicuè patet tam ex dictis, quàm ex ipso textu *Doctoris* à nu. 510. & seqq. expresse dicens, intellectum, ut est principium productivum seu generativum in actu primo nullatenus fundari super actum essentialem, imò intellectū quā talis est, prius naturâ illi actui præsupponi, posseq; perfecto consequenter conceptu à potētia perfectè concipiente apprehendi sine tali actu, qui se habet ad illum, sicut principiatum ad suum principium, quæ de illis sanè non supponunt transcendentiam formalem ex natura rei, sicut præsupponitur de Paternitate divina & prædicatis *hypostasis, dictionis & relationis* formaliter in Paternitate imbibitis.

A supposito supponente ad non supponens cur valeat consequentia.

516. Nec valet effugium ab analogia intellectus & intellectionis creatæ petitum, ad quid enim Doctor ad suam doctrinam melius explanandā recurreret ad exemplū dicēs; sicut si *lucere* (quæ sit operatio) & *illuminare* (quæ sit productio) essēt à luce ut à principio, nec tamen lucere, quæ est operatio, esset ratio formalis illuminationis, quæ est productio, *& cat.* vide supra statim, ita, inquit, est de intelligere, quod est operatio Patris, & *dicere*, quod est productio Patris respectu Verbi producti, licèt ad eundem intellectū, ordinem quendam habeant *intelligere & dicere*, sicut habent lucere & illuminare ad lucem, non tamen talem ordinem, quod intelligere Patris concurrat ut principiū productionis Verbi, sed quòd immediatius sit quasi productum à Patris intellectu suum intelligere, quàm sit productū Verbum ab eodēm, quam similitudinē frustra advocasset ad tuēdam suam doctrinam, si per analogiam ad mentem creatam locutus fuisset, hoc enim esset analogiam arare per analogiam, quod non cadit in Subtilem. Vide de hoc infra n. 518. & seq. ubi recurrit hoc idem.

517. *Confirmantur* omnia hæc, & iteratò Assertionis pars prima ex cit. dist. 2. Primi sentent. q. 2. §. *Nunc ulterius quo ad conclusiones*, n. 22. ita habet: *Velle intelligitur quasi posterius voluntate: si igitur velle est idem illi natura, multo magis voluntas.* Et mox: *Quartò sequitur, quòd ipsa ratio intelligendi se, quasi præintelligitur ipsi* intelligere. Ubi, ut rectè *Smising* Tomo 1, de Deo Uno *Tract.* 3. de intellectu divino, *disp.* 2. q. 1. n. 13. arguit, *Scotus* loquitur de prioritate secundùm rationem non fingentem distinctionem in objecto, sed eam supponentem ex natura rei, ideo namque, & quidem à potiori, ait, intellectum & voluntatem realiter identificari naturæ divinæ, cùm ipsa intellectio & ipsa volitio illi identificentur, esto illos actus ut natura posteriores intellectus & voluntas antecedant, ubi præsupposito intellectus divini in actu primo ad actum secundum seu ipsum intelligere (idem de voluntate & velle divino) nequit esse chymerica aut mere fictitia, sed ex natura rei, aliàs enim peteret Doctor principium, probando identitatem realem facultatis intellectivæ & volitivæ in actu primo cum natura divina per præsuppositionis ordinem, non qui est à parte rei inter intellectum & intelligere, voluntatem & velle, sed qui fingitur esse, quod idem est, atque probare intellectum & voluntatem (à quibus nimirum sola commentitia distinctione distinguuntur intelligere & velle) realiter identificari Deitati seu naturæ divinæ, quia intellectus & voluntas illi naturæ identificantur.

Scotus.

Ex dictis autem liquet, quàm sit infirmum responsum secundùm *Brizenum*, quod ad hanc rationem affert l. c. n. 88, dicēs: quòd hæc ratio solum evincat distinctionem virtualem seu rationis ratiocinatæ, qualis asseritur inter Paternitatem divinam, ut gerit munus *hypostasis, dictionis* & *relationis*. 518.

Nec valet, quod affert in primo *responso* ibi, nempè quòd sufficiat distinctio rationis per analogiam ad creata, tam levi fulcro siquidem *Scotus* non nititur in sua doctrina, aut certè pro suo more id insinuasset, cujus potius oppositum ibi in terminis demōstrat repudiādo argumentum sumptum ex identitate potentiæ & objecti in se: *Potentia*, ait, *& objectum sunt idem, ergo & actus ejus, sed non valet*, inquit, *consequentia, nam Angelus intelligit se, & amat se, & tamen actus Angeli amandi & intelligendi non sunt idem substantia ejus*. Ergo non per analogiam ad creata, sed potius dū agit de divinis, removet hujusmodi ordinem argumentandi à creatis ad probandam identitatem intellectûs & voluntatis cum prima natura, & transit ad necesse esse, dicens: *Illa voluntas, cujus est velle incausabile, est incausabilis.* Et statim: *Similiter*, inquit, *velle* (quod est incausabile) *intelligitur quasi posterius voluntate*, ut ostendat rectè sequi, & non per analogiam ad creata, si posterius est simpliciter incausabile, ergo & prius, & cùm sit tantùm unum incausabile simpliciter, sequitur, quòd si voluntas sit incausabilis, quòd illa erit realiter ipsa prima natura omninò incausabilis, quod probare, ibi est *Scoti* intentum, unde à fortiori statim concludit idem de intellectione, ut quæ sit propinquior illi naturæ, quàm velle; non etiam per analogiam ad creata, sed quia intellectus & intelligere à parte rei præsupponitur volitioni & voluntati, & ita de ipso intellectu per intellectionem concludit, si enim hæc sit eadem Naturæ divinæ, à fortiori intellectus, qui necessariò, non per analogiam dictam ad creata, præsupponitur intellectioni. Deinde, si *Doctor* ibi procederet solùm ex prioritate secundum rationem, quæ non supponit, sed fingit distinctionē in objecto; ad hoc, quòd ostendatur, Doctorem tunc nihil probare nisi idem per idem, perinde est, sive illa prioritas rationis trahatur ab analogia ad creaturas vel connotata, sive ab ipsa re.

Scotus non argumentatur per analogiam ad creata.

Nec juvat *Brizenno* illa particula *quasi*, ut supra ostensum est, & explicatur ex aliis locis, ubi Doctor idem dicit & docet sine illa particula *quasi*. Pro quo

Ulte-

Ulterius ostendo nullitatem responsi, & probatur Assertio quo ad hanc partem aliter
519 & secundò ex *Scoto* Quodl. 1. n. 12. §. *Tertia ratio sumitur*, ubi disertis verbis, ut probet intellectum divinum, ut intellectus est, non habere primum esse in Deo per operationem suam, eò quòd natura prius nequeat ab aliquo, quod est natura posterius, suum esse accipere; neque potētia aliqua à sua operatione, sic ait: *Omnis actus intelligendi naturaliter, præexigit intellectum, cujus est, vel coexigit, ita ut nullo modo tale esse actuale proprium intellectus ut intellectus, nec aliquid per se inclusum in tali esse actuali, per actum intelligendi ipsi intellectui tribuatur, quia omnis actus est posterior, & ideo præexigit suam prim.* Quæ doctrina non valeret, si intelligere Dei sit formalissimè intellectus Dei, illo enim supposito perinde est, sive dicas per intelligere Dei constitui intellectum Dei, in talis est, sive per intellectum ut intellectum haberi ipsum intelligere Dei, sicut perinde est dicere per esse hominis constitui in suo esse actuali animal rationale, sive hominem constitui, atque accipere esse actuale suum proprium per animal rationale.

Intellectio non est formaliter intellectus.

Perperam etiam diceretur, actum intelligendi præexigere ex natura rei intellectum ut intellectum, si ille ex natura rei formaliter nil sit, quàm ipsum intelligere, nihil enim est prius natura seipso, ut taceam, quod ibi sub n. 15. perspicuè distinguat intellectum ut intellectum ab intelligere ut intelligere, dicens in Deo esse *intellectum* ut *intellectum* ex natura rei, & similiter ex natura rei ibi esse *intelligere* ut *intelligere*: *Ergo*, inquit, *Deus habet actu intellectum ut intellectum, & intelligere ut intelligere, & hoc merè ex natura rei.* Et licèt contendat *Bricenus Controv.* 12. *dist.* 1. *Append.* art. 1. in *digressione* de principio *Quo* generandi & spirandi nu. 102. & *seqq.* quòd Doctor non intendat ibi probare distinctionem ex natura rei inter intellectum & intelligere, omninò tamen, non solùm consuetus *Scoti* laconicè & succinctè loquendi modus, sed & iste in particulari ubi sub *num.* c. repetitis & diversis vicibus intellectum distinguit ab intelligere, supponit innuitque distinctionem ex natura rei formalem, & sanè tota isthæc Controversia, quæ est circa partem Assertionis secundam, supponit quòd intellectio aliquo modo distinguatur ab intellectu, alinqui illa tam benè, quàm intellectus tale principium esset, ut [illegible] ter considerant.

Bricenus.

Et hæc hactenus contra *Scotistam* ex Scoto. Puto autem hisce satisfactum pollicitationi & verbo, quod pro hac *Assertionis* parte dedi Controv. 12. q. 3. n. 214. *circa fin.* nunc itaque cum extraneis agendum, contra quos

Ostenditur pars altera Assertionis, quâ principale quæsitum resolvitur, scilicet: Verbum non generari per intellectionē, neque Spiritum S. per amorem essentialem, ita ut processio, cujus principium est intellectus, non sit intellectio formaliter, neque processio Spiritus sancti sit amor.

Hæc Assertionis pars secunda, quo ad au- 520
ctoritatem Scoti, luculentè patet ex textibus supra cit, quibus oppositū confutatur. Ex ratione vulgò ex eodem arguitur *primò*: nō quidem quia intellectio & volitio sint cōmunes tribus Personis, sed quia productio actualis Filii, & actualis processio Spiritus S. nequeāt esse communes Personis: ergo intellectio & amor non sunt actualis productio earundem. *Maj.* patet. *min.* prob. quia aliàs divinæ Personæ singulæ à singulis, imò à seipsis procederent: vel certè si talis actus essentialis, qui esset formaliter productio, deesset alicui Personæ divinæ, talis non esset beata, cùm amor infinitus & actus intelligendi, quo Deus comprehensivè intelligit suam Essentiam, faciunt Deum esse beatum.

Cur intellectio non possit esse productio.

Hic imprimis nihil valet *Thomistarum* quorundam responsio jam dudum explosa de duplici actu intelligendi & volendi, uno essentiali, & altero notionali, quæ & directè militat contra *S. Thomam* 1. p. q. 37. a. 1. in cap. & a. 2. ad primum sic ajentem: *in divinis intelligere tantùm essentialiter dici.* & q. 34. a. 1. ad 2. *Nihil eorum, quæ ad intellectum pertinent personaliter dici in divinis, nisi solum Verbū.* Similiter ad tertium ibi: *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed* dicere *importat principaliter habitudinem ad Verbum conceptum.*

Secundò militat contra rationem, sicut e- 521
nim in Deo non possunt poni plures Deitates, quarum una sit essentialis, altera notionalis, ita nec plures amores aut intelligentiæ essentiales, ideo namque implicat multiplicari Deitatem infinitā, eò quòd infinita in eodem genere plura esse repugnantiam dicat, infinitum quippe complectitur omnem omninò excogitabilem perfectionem intra proprium genus suæ infinitatis: ergo cùm similiter amor & intelligentia in divinis sint quid infinitum in ratione intelligentiæ & amoris; consequens est, non posse altrui duas intelligentias aut duos amores, ut acutè ostendit *Aureolus* d. 32 q. un. *art.* 3. *prop.* 2.

Implicant duæ intellectiones in divinis.

Pluris æstimanda est responsio aliorū, quòd 522
licèt actus essentiales, intellectio & volitio, si merè absolutè spectentur, nequeant esse productiones notionales Personarum; secus in quantum intellectio concernit relationē Paternitatis ad generationem Verbi; & volitio spirationem activam ad productionem Spiritus sancti, quod est dicere, quod intellectio, quatenus est modificata in Patre, habet terminum, estque expressio Verbi, non autem in Filio & Spiritu S. similiter amor essentialis, prout est modificatus in Patre & Filio habet terminum, non autē prout est in Spiritu sancto, quod exemplo ostendunt in intellectu & voluntate divinā, quæ sunt principia harum processionum & Personarum; nā licèt intellectus

& voluntas sint omnibus Personis communes, nō tamen in omnibus principiant & producunt: sicut ergo communicatur intellectus & voluntas pluribus Personis absq; eo, quòd circumferant secum processionem & productionem Personæ alicujus, ita non apparet, cur idem dici non possit de intellectione & volitione seu amore essentiali.

523. Sed, quòd nec hæc responsio solidè subsistat, ostendit *Smising* Tom. 2. de Deo Trino, disp. 3. q. 3. nu. 158. & *Frassen* Tom. 1. de Deo Trino, *tract. 3. disp. 1 art. 2. q. 5. concl. 3.* n. 9. nequit enim ostendi, quid contrahat communitatem illorum actuum ut constituantur productiones notionales, id enim v.g. respectu productionis Verbi, nequit esse relatio Paternitatis (estq; idem de Filiatione) eo quòd cōtractio aut quasi contractio intellectionis sive productionis intelligibilis debet esse intra cōceptum & rationem objectivam formæ intellectualis apprehensivæ & volitivæ objecti, ut possint dici intellectio & volitio notionalis, vel attinens ad rationem intelligendi & volendi, tum quia gradus intelligendi & volendi non cohæret Paternitati, neq; ex genere suo, cùm relationis esse non sit formaliter repræsentare vel inclinare vitaliter, sed totum se habere ad aliud; neq; item cohæret illi à contracto conceptu relationis divinæ, cū nec illa sit perceptio objecti, nec eadem formaliter cū intellectione & perceptione objecti, neq; enim occupatur vitaliter circa objectū percipiendo illud, quatenus objectum est, sed vel duntaxat quà relatio respicit illud, quatenus terminus est naturæ divinæ & hypostasis, divinam constituit Personam, vel quà productio, dicit pro termino Verbum, &c.

Relatio non est repræsentativa.

524. Deinde intellectio & volitio divina in ratione intellectionis & volitionis sunt infinita, ac proinde intra latitudinem intellectionis & volitionis sunt ultimò determinatæ, ut nihil requiratur infinitæ intellectioni & volitioni addēdū, quo amplius determinētur: ergo perspicuum est, non posse ulterius per relationem etiā divinā determinari ad contrahendam & constituendā intellectioné aut volitioné notionalē, ut quæ extra lineā & rationē objectivā productionis intelligibilis esse nequit: ergo cùm relatio divina nil addere potest supra tēdentiam operationis vitalis, quòd quasi contrahat illos actus intelligendi & volendi intra cōceptū vitalis terminationis in objectū, proinde nec pertinet ad cōceptū intellectionis & volitionis notionaliter acceptæ. Vel si relatio addat istis actibus aliquid, quò illos cōtrahat & modificet in Patre & Filio, ut dicātur productiones Verbi & Spiritus S. vel illud additum est quid essentiale vel quid notionale: nō *primum*, ut patet; quia non solùm recurrit eadem difficultas, quòd essentialia sint communia tribus Personis, sed & essentiale illud addītū intellectioni essentiali, cùm non sit eadē ipsa intellectio essentialis, (si enim nequit esse productio, nam idem manens omnino idem, semper natum est facere aut non facere idē) erit ab eā intellectione formaliter distinctū, adeoq; jam intellectio, ut volunt, nō erit productiva termini, ut essentialis est, sed ut est intellectio notionalis, ex dictis autem liquet nō posse in Deo distingui duas intellectiones, quarū una sit essentialis, altera notionalis. Nō etiam *secundum*: quia illud notionale debet esse intra conceptum & rationem formæ intētionalis generativæ in Patre, & volitivæ in Patre & Filio, relatio autem quæ esset illud notionale (aliud quippe cùm non sit quid essentiale, non est assignabile) non est, ut diximus, nec formaliter intellectio, nec eadem formaliter cum illa; totum enim intellectionis est percipere & repræsentare objectum, relationis è contra totum esse ad aliud se habere, quæ duo distincta sunt.

525. Porrò nec valet instantia, quam fingunt in exemplo intellectus & voluntatis divinæ omnibus Personis cōmunis, quæ tamē in aliquibus, non in omnibus Personis principiant & producunt, longè enim aliud est de facultate productiva, & de ipsa actuali productione, de fide namq; est, quòd intellectus & voluntas non habeant terminum productum, seu non principient in singulis Personis, repugnantia autē est quòd ipsa intellectio & volitio essentialis sit ipsa productio Personarum, adeoque essentia productionis Personarum consistat in illis actibus secundis, & tamen non producās illas ibi, ut repenuntur, sicut repugnantia est, quòd calefactio actualis non calefaciat, fieret enim principiationem (ut est actualis principiatio) seu idem manens idem sejūgi à seipso, quod est impossibile: cùm ergo Mysteriū hoc sit quidem supra, non tamen contra naturam implicat actus essentiales intelligendi & volendi formaliter esse ipsas Personarū productiones, aut certè implicat, ut sint in aliquā Personā actus, qui sint essentialiter productio in actu secundo, nec tamen in eā producant terminum; falsum ergo est intellectionem & volitionem esse productiones Personarū, seu ipsas actiones *dicendi & spirandi*. Puritas namque quam trahunt ab intellectu & voluntate divina, dicendo quòd sicut intellectus & voluntas sint omnibus Personis communes, & tamen non principient in omnibus Personis, ita de intellectione & volitione dicendū, nihil omninò valet, uti ex ipsa natura ostēditur, quomodo v.g. fieri posset, quòd sint ignis & calor, qui tamen actu non calefaciat, nequit autem fieri, quòd calefactio actualis non calefaciat, quia tota essentia illius cōsistit in actu secundo, sicut ergo implicat actualem productionem caloris non esse illius productionē, ita si actualis intellectio & volitio sint actualis productio Personarum, implicat ut sint in aliqua Persona, attamen non producunt terminum, cujus oppositum de intellectu & voluntate, & fides docet & ratio, quā Doctores docent nō dari in divinis processiones plures ejusdem rationis & solo numero distinctas, eò quòd terminus productus adæquatè cor-

Repugnat productio sine producto.

ce-

respondeat & ad æqualitatem commensuretur principio generandi v. g. in una Persona, ut non sit potens notionaliter ad producendum aliud Verbum, adeoq; contradicat multiplicatio terminorum intra eandem vim seu potentiam generandi, ut sint plures Filii aut Verba. Videatur *Scotus* 1.d.7.q.un.§. *Partem affirmativam probo* n 10. & *Suarez* 1.part.l.5. de Trinit. c.7.§. *Dico* ergo n.11.

Ex quibus patet malè *Scotistis* imponi, quasi esset ratio eorum ad probandum, quòd intellectio non sit principium *Quo* processionis Filii præcisè ideò, quia illa sit communis ipsi Filio, ut gratis etiam de *Scoto* opinatur *Arriaga*, sed illa ratio adducta est ab ipsis ad probandum, quod ex causa dicta nu. 525. intellectio non possit esse ipsamet productio actualis, & stabilietur magis ex mox dicendis infra sub *Assert.* 2.

Probatur eadem pars *secundò*. Ad generationem Verbi infiniti nil aliud requiritur, quàm illimitatus intellectus in actu primo, seu memoria infinita, quæ constituit principium formale *quo* dictionis: ergo intellectio actualis excluditur à ratione principii, estque idem de volitione. *Anteced.* prob. ex dictis supra, quia si per impossibile, intellectus paternus non intelligeret, utique adhuc ob illimitatam suam fœcunditatem diceret & exprimeret Verbum infinitum. Unde licèt PP. apud *Bellarminum* l.2. de Christo c.17. dicant Verbum procedere à Patre, quatenus sapiens & actu intelligens est intellectione essentiali, id alio sensu accipi nequit, quàm superius explicabe, nempè quòd intellectio præexigatur quasi ina erialiter & ex parte subjecti ante productionem generativam Verbi, eo quòd ibi nulla intercedat distinctio realis inter intellectum & intellectionem exercitam, & absoluta sive essentialia divinis Personis communia sint priora notionalibus.

Aliis & solidis rationibus propugnant *Scotistæ* hanc doctrinam, quos Lector, qui eas videre desiderat, consulere potest.

Probatur tertiò per solutionem rationum pro opinione opposita.

527. *Objicies* ex Brazenno *Controv.* 51. d.1. in *Append.* art.1. in *digress.* de principio *Quo*, ubi sub n.52. impugnat *Smisingum* & doctrinam nostram, qua dicimus conceptum relationis divinæ, dictionis nempe & spirationis activæ non imbibere prædicatum aliquod intellectionis & impulsus, contra quam ita discurrit: dicere est actus secundus memoriæ fœcundæ, quæ imbibit intellectum paternum seu facultatem intelligendi; spiratio item activa est actus secundus seu impulsus potentiæ volitivæ, quæ est ipsa voluntas divina: ergo dic io est intellectio, & spiratio erit volitio. *Anteced.* patet ex supradictis. *Conseq.* prob. quia omnis operatio intellectûs est intelligere, sed dictio est operatio intellectû: ergo est intelligere. Ita discurrendum de spiratione activa, quòd sit operatio facultatis volitivæ, adeoque volitio.

Respondeo concedendo *antecedens*, negando *conseq.* ad cujus probationem nego *anteced.* quòd omnis operatio intellectûs sit intellectio, duplicem namque intellectus habet operationem, nempe dictionem productivam Verbi, quæ est ab intellectu, quatenus potentia productiva est, seu memoria fœcunda Patris, à qua Verbum per dictionem producitur vitaliter, & à quâ Verbum habet appellationem Verbi, non ab intellectione, ut vel ipsi fatentur Adversarii dicentes, Verbum non procedere ab intellectione, quatenus est intellectio formaliter tribus Personis communis, sed tantùm quatenus modificata & contracta est in supposito divino.

Dices: Ex hoc sequeretur, Verbum non procedere ab intellectu, quatenus intellectus est, consequenter Filius vi suæ processionis non posset appellari Verbum mentis paternæ, neque diceretur procedere sapientiam de sapientia, & visionem de visione, ut loquitur *S. August.* lib.15. c.7. & 13. *Anteced.* prob. intellectus enim non est intellectus formaliter, nisi quatenus se explicat in actum intelligendi, qui est actus adæquatus intellectui, quatenus intellectus est. 528.

Respondeo & retorqueo hoc argumentum in Adversarios, qui, ut liquet ex statim dictis, docent Verbum divinum non procedere ab intellectione divina, quatenus intellectio est formaliter, quæ tamen secundùm illos ut formaliter intellectio est, nullo modo distinguitur ab intellectu, sed est formaliter intellectus, sed sic dum dicitur, ab intellectione, qua formaliter intellectio est non procedere Verbum idem erit ac non procedere ab intellectu, quà intellectus est, proinde argumentum militat potius contra illos, quàm nos, quia dicimus Verbum procedere ab intellectu per dictionem, non quatenus est intellectus principium operativum, sed quatenus est productivum & memoria fœcunda Patris, à qua magis propriè dicitur Verbum mentis paternæ, ut statim diximus: dicitur item magis propriè Sapientia de sapientia, &c. quia memoria Patris seu intellectus quà principium productivum præexigit necessariò sapientiam & intellectionem, adeò ut illam habeat, quando producit Filium, neque de facto produceret illum, nisi esset sapiens, unde ad argumentum distinguo *sequelam*: Verbum non procedit ab intellectu, quatenus intellectus est principium operativum, concedo *sequelam*: quatenus est principium productivum, nego *illam*; & absolutè nego *sequela* probationem, quòd intellectus non sit intellectus formaliter, nisi quatenus se explicat in actum intelligendi, estque falsum, quòd actus adæquatus illius sit intellectio, cùm non minus productio notionalis sit ab intellectu, quàm intellectio, licèt hæc illi præsupponatur, ut sæpius inculcatum est, & *Assertione* sequenti amplius firmabitur. Sic

ASSERTIO II.

Processio in Divinis seu ipsa productio divinæ Personæ est in Patre respectu Filii ipsa relatio generationis, quæ propriissimè dictio vocatur, in Patre & Filio respectu Spiritus sancti est ipsa spiratio activa.

529. Hæc est in schola *Scoti* communis, & probatur primò ex dictis pro *Assertione prima*, datâ namque hypothesi, quòd Verbum non procedat per intellectionem, nec Spiritus S. per amorem, sive dixeris utrumque actum essentialem sive notionalem, consequens est, quod procedant divinæ Personæ per actus dicendi & spirandi, cùm aliud nihil supersit excogitandum.

530. *Ponciu ratio probatur.* *Et confirmatur* optima ratione, quam affert *Poncius* disp. 9. q. 3. n. 19. quando in aliquo, quod subflat denominationi formali, datur aliqua forma, quæ non datur in alio non substante illi denominationi, tunc illa forma potiùs dicenda est causa formalis ejusmodi denominationis, quàm forma ulla, quæ daretur in utroque: sed Pater & Filius sunt duæ Personæ, quarum una nempè Pater subest denominationi formali, quòd generet & producat Filium, Filius autem illi denominationi non subflat; similiter Pater & Filius, ut sunt unus spirator formaliter subsunt denominationi, quòd sint spirantes Spiritum sanctum, quâ denominatione non afficitur Spiritus sanctus: ergo quia Pater habet formam nempè relationem Paternitatis, quæ est ipsamet generatio seu dictio Verbi, quâ formâ caret Filius, ab illa forma Pater habebit suum esse denominatum, quòd dicatur generans Verbum, non ab illa quæ est simul in Filio, similiter Pater & Filius habebunt esse denominatum, quod dicantur spirantes Spiritum S. ab illa spiratione activa, non ab illa forma alia quæ tam benè est in Spiritu S. quàm in Patre & Filio. *Min.* est de fide: *maj.* prob. quia si ab illa alia, quæ in omnibus Personis est, formaliter acciperetur denominatio, jam redit argumentum factum supra sub n. 525. scilicet implicantiam esse, quòd in aliquo sit ratio, quæ sit essentialiter productio in actu secundo, seu quod sint ipsæ actiones *dicendi & spirandi*, nec tamen producat terminum.

Probatur secundò solvendo argumenta in oppositum. *Pro quo*

531. *Objectio ex ratione.* *Objicies* primò: productio notionalis sub conceptu actionis ab intellectu egredientis, ut est principium productivum, nequit esse formaliter relatio: ergo in ratione actionis est quid absolutum, sicut & intellectio ipsa: Prob. *anteced.* tum *primò*, quia divinæ processiones non solum sunt Personarum productiones, sed etiam communicationes naturæ & essentialium: atqui nulla relatio potest esse talis communicatio. *Maj.* patet, *min.* prob. primò, quia relatio non includit essentialia: ergo nec illa cōmunicat Essentiam scilicet & actus essentiales alteri; *Prob.* secundò, quia nulla relatio est forma vitalis, esto enim afficiat principium vivens, ita mortua tamen & inanimi ratione procedit à principio eliciente, ac si esset principium merè inanimum. *Tum secundò*, quia secundùm *Scotum* relatio Paternitatis in Patre (idem est de relatione Filiationis in Filio) est terminus divinæ naturæ constituens ipsam in ratione Personæ, Pater enim constituitur in esse personali per Paternitatem: ergo nequit esse ipsa productio, seu dictio & generatio Verbi, quæ est, ut *Doctor ait*, 1. d. 2. q. 7. n. 22. posterior ipso principio productivo seu memoria Patris, adeoque ipso Patre quid posterius, si enim principium ipsum seu actus primus est prior actu secundo, per consequens suppositum habens illud principium, erit quoque prius ipsâ productione: ergo relatio Paternitatis in Patre non est ipsa generatio vel productio Verbi; ita discurrendum de relatione filiationis in Filio.

532. *Objectio explanatur, & tria continet.* Pro responso hujus objectionis *nota* tria hic objici: *primò*, quòd relatio nequeat esse naturæ divinæ communicatio, qualis tamen esse debet Personæ divinæ productio. *Secundò*, quòd nulla relatio sit forma vitalis, *Tertiò*, quòd relatio sit Personæ divinæ constitutiva, adeoque non possit esse ejusdem actio generativa seu productiva, cùm non sit intelligibile, supposito quòd Paternitas & productio Verbi idem sint, quomodo posterius, quale est productio respectu sui principii & respectu habentis illud principium, sit constitutivum sui prioris, & suo constituto quid posterius, per consequens est intelligibile, quomodo relatio constitutiva Patris, sit productio Verbi in Patre.

Sed distinctè respondeamus ad singula, & patebit nihil obesse, quin relatio Paternitatis in Patre (de spiratione activa in Patre & Filio idem est) sit ipsa generatio & productio, seu dictio Verbi.

Quod processiones in divinis sint communicationes.

533. *Productio notionalis non est quid absolutum.* *Ad primum* itaque respondeo neg. *anteced.* cum *consequentia*. Ad prob. *antecedentis* concedo divinas Processiones non solùm esse Personarum productiones, sed etiam communicationes, quia ut q. 1. diximus, processio divina velut continet & verè communicat Essentiam divinam cum omnibus suis essentialibus, sed nego exinde sequi productionem notionalem esse quid absolutum, seu actum intelligendi, posi enim ratione productio Fi-

hi, quà veluti continetur, & communicatur Filio voluntas; dici posset actus volendi, licèt itaque Filio, idem est de Spiritu S. vi suæ processionis communicetur tota Essentia, & omnia essentialia, inde tamen concludi nequit, quòd processio, & productio notionalis debeat esse actus absolutus, & essentialis, pari enim pacto concludendum esset ipsam Essentiam divinam formaliter spectare ad divinas processiones, quia Filius, & Spiritus S. vi suæ processionis, non minus habent Essentiam divinam, quàm intellectionem, quod nemo asseret: ratio itaque, quòd productio notionalis involvat conceptum communicationis essentiæ, & omnium perfectionum essentialium Dei, est, quia essentia ipsa est alterum comprincipium *quo* Pater communicat essentiam personæ productæ. Vide Quæst. 1.

Quòd relatio in divinis sit vitalis,

534 *Ad secundum*, quo dicitur nullam relationem esse vitalem, *Respondetur*: Esto relatio generationis (idem est de spiratione activa) sit pura & puta relatio, quæ secundùm se nihil includat intelligentiæ, vel operationis absolutæ, eò quòd neque à communi conceptu relationum, neque exinde, quòd sit relatio divina, imbibat transcendentiam quidditativam cum intellectione, aut aliquo absoluto in divinis, attamen sicut dictio in creatis est vivens influxus, per quem producitur proles intentionalis à memoria parente in similitudinem vivam intentionalem, ita non est ratio, cur si relatio Paternitatis in Patre sit dictio intellectus paterni, non sit asserenda productio vitalis exprimens eatenus conceptum vitæ, quatenus est vivens influxus principii intelligibiliter dicentis Verbum vivens à vivente conjuncto in similitudinem naturæ; neque enim obstat, quòd dictio generativa Patris sit mera relatio nihil includens intelligentiæ, vel operationis absolutæ.

Dictio generativa & in divinis est vitalis.

535 *Dices*: Relatio Paternitatis in divinis se habet ad instar Paternitatis, quia in gradu relationis conveniunt, sed Paternitas in creatis non est forma vitalis: ergo neque in divinis.

Respondetur non esse hìc argumentandum à creatis ad divina, quis enim unquam vidit in Paternitate creata hypostasim, & relationem formaliter ex natura rei inter se esse identificata, ita ut sese imbibant per formalem transcendentiam, sicut contingit in relatione Paternitatis divinæ, quæ ob eminentiam suam non solùm identificat secum prædicatum hypostasis, sed & prædicatum dictionis? licèt ergo mera relatio in creatis, quæ sequitur in principio vivente suppositâ substantia geniti, vivens dici possit denominativè, formaliter tamen est prorsus inanima, sicut quæcunque relatio cujuslibet alterius causæ ad suum effectum; aliud est de Paternitate divina, quæ ut gerit munus dictionis, seu ob formalem transcendentiam ex natura rei cum dictione, obtinet conceptum vitæ, potestque dici non denominativè, sed essentialiter productio vitalis.

Paternitas divina transcendit diversa prædicata

Quidni, gratis dato, quòd relatio, quà talis, seu ut se habet ad aliud, fortè non referat conceptum vitæ, illum tamen referre poterit sub alia habitudine, scilicet ut se habet, ut influxus vitalis à principio vitali, quemadmodum intellectio creata comparata ad principium suum est verbum mentis, & imago vitalis, non quà comparata ad objectum extrinsecum, & licèt fortè inter creatæ intellectionis prædicata vitalitatis scilicet, & repræsentationis (de quo in *Vnilabio* nostro agetur de distinctione Scoti in creatis) intercedat distinctio ex natura rei, qualis non est inter prædicata relationis, & vitalitatis in Paternitate divina, ob dictam tamen eminentiam, & transcendentiam illius formæ cum prædicato dictionis generativæ Verbi divini, vitæ conceptus illam effugere nequit, nec vicissim illa effugere potest conceptum vitæ.

Quòd dictio generativa constituens suppositum non præsupponat illud,

Ad tertium, quod reverà non caret difficultate, concedo *Anteced.* quòd per relationem Paternitatis Pater constituatur in esse personali, negando *Conseq.* quòd eadem relatio Paternitatis non possit esse ipsa productio, seu dictio generativa Verbi. ad auctoritatem Scoti, quà dicit principium productivum in divinis esse prius productione, & sic Patrem esse priorem origine productione, responderi posset, & difficultas cessabit, quòd Doctor loquatur de productione passiva, Pater enim in quantum Pater in divinis est prior origine Filio, & similiter Pater, in quantum generans est prius origine genito, potestque hæc responsio deduci ex Scoto 1. dist. 26. & 28. & ex *Quodl.* qu. 4. Verùm hæc explicatio Scoti non consonat dictis hàc Quæst. pro assertionis primæ prima parte, ubi expressè declaravimus Doctoris mentem, quòd loquatur de prioritate intellectûs, tam quà est memoria Patris, & principium productivum respectu productionis activæ, quà constituitur Pater in esse Patris, quàm quà intellectus est principium operativum: quare nego *consequentiam*, quòd propterea suppositum habens illud principium, sit quoque prius ipsâ productione, sive quòd Pater sit prior origine productione activa, quæ constituitur in esse Patris, hoc enim, ut constitutum sit prius essentialiter suo constitutivo, fateor, non est intelligibile. Neque debet alicui paradoxum videri, quòd licèt generatio activa necessariò præsupponat principium scilicet memoriam fœ-

536

Responsio ad objectionem.

Responsio alia & melior.

eundam, non tamen præsupponat ideò suppositum producens, id enim disertis verbis innuit Doctor *Quodl.*4.in responsione ad primum argumentum §. *Ad argumentum principale*, num.30. ubi versu: *Respondeo esse in divinis*, ait, quòd actio dictiva sive generatio necessariò præsupponat esse simpliciter, non autem esse incommunicabile, quod constituitur in esse suppositi per ipsammet actionem.

537 *Dices*: Agere præsupponit potens agere, sed potens agere est ipsum suppositum, non autem memoria fœcunda: ergo. Min. prob. Agens quà agere potens, est potens *quod* memoria fœcunda est ratio formalis agendi *quo*.

Agens potens ad agendum quid dicat. Respondet Doctor in littera *Quodl.* 4. cit. num.31. dicens: posse agere nullo modo à parte rei præsupponitur ipsi agere, imò agens est primò potens per ipsum *agere*, cùm per ipsum agere dicere, sive producere constituitur in esse suppositi, præsupponit tamen illud *quo*, ut principio formali aliquid est potens agere.

538 *Instabis* primò: Productio non tantùm præsupponit principium formale productivum, sed etiam præsupponit conditionem producentis, quæ conditio, & proprietas incommunicabilis.

Scotus. *Secundò*: Doctor 1.d.7. expressè docet, *quòd gerundivum constructum cum potentia notat actum, ut egredientem ab eodem supposito, cui tribuitur potentia*: ergo cum memoria fœcunda sit potentia generandi in Patre, generare erit actus egrediens à supposito habente talem potentiam generandi, per consequens præsupponit suppositum, & hinc docet memoriam fœcundam non esse in Filio potentiam generandi, eò quòd hinc actus generativæ actionis censeretur egredi à supposito Filii, quæ illatio non valeret, nisi talis actio præsupponeret suppositum.

Ad primam instantiam, quæ principium petit, respondeo negando, quòd proprietas incommunicabilis in divinis sit conditio producentis, hoc enim, quod prima actio non præsupponat conditionem producentis est, quòd negamus, cùm sufficiat, quòd præsupponat rationem formalem producendi, & licèt non habeamus fortè hujus exemplum in creatis, dum agitur de conditione generantis secundùm substantiam, non desunt tamen si agatur de productione secundùm accidens, ut patet de calore separato in Eucharistia, qui producere potest immutationem sensûs, & tamen in calore non est talis proprietas, idem est de anima separata, quæ alioqui non esset agens, & si natura assumpta à Verbo dimitteretur absque omni actione positiva circa ipsam, adhuc hic homo posset agere omnem actum, quem habet modò Verbum mediante istâ naturâ, præsertim cùm de facto in sententia probabili, in creatis nihil positivum constituat suppositum creatum, ac proinde etiam de facto ratio suppositi nihil dat alicui positivum ad agendum.

Ad secundam instantiam respondeo Scotum in illa d.7. *Primi sentent.* quæst.un. contrarium asserere sub num.22. in responsione ad primum argumentum contra primam opinionem §. *Quia autem aliqua argumenta*, ubi dicit, quòd generatio activa, quando respicit principium per se existens, possit immediatè elici à tali principio, cujusmodi est hîc *Deus qui*, inquit, *quodammodo præcedit relationes, & sic agit*. Et mox: *Igitur videtur, quòd possit in omnem actionem, cujus suum quo est proprium principium formale, & ita hic Deus generat primò*. Et concordat Doctor hic cum his, quæ affert *Quodl.*4. ubi ad hanc ipsam instantiam n. 30. §. *Ad argumentum principale*, ostendit duplicem sensum habere, quando dicitur actum generationis egredi à supposito existente, semel quòd verè sit à supposito, seu ut ait Doctor, *ut actio sit suppositi existentis aliqua entitate priori ipsâ actione*; semel quòd egrediatur à principio productivo ut actu existente in supposito, seu à supposito existente hypostaticè formaliter per ipsam actionem, primo modo non egreditur generatio à supposito, cujus dat Doctor hanc rationem: „quòd prima entitas incommunicabilis non „præsupponit aliquod ens incommunicabile, „nec per consequens præsupponit suppositum, quia suppositum est ens incommunicabile: actio autem prima productiva, „sive productio prima, vel originatio activa „est prima entitas incommunicabilis in divinis, quia illam nihil præcedit nisi memoria perfecta vel essentia, & totum hoc est „communicabile; sed primum producere „non potest communicari, quia tunc productum per illud produceret se, quod est „impossibile, nulla enim mens hoc capit secundùm August. 1. de Trinit. c.1. ita Doctor in qu. *Quodl.* cit. num. 30. Et mox: *Quia non est ibi entitas hypostatica, quæ nec incommunicabile ante actionem primo modo*, in hoc sensu proinde falsa est instantia. Secundo modo verum dicit, *quia ipsa actione est ens hypostaticè, quia incommunicabiliter* id est, quòd actio egrediatur à principio productivo, ut actu existente in supposito, sit, quia per ipsam actionem generativam Pater constituitur in esse suppositi, quando autem in instantia urgetur dictum Doctoris, quòd memoria fœcunda non est potentia generandi Filio, quia tunc actus generationis activæ intelligeretur egredi à supposito Filii; sensus est, quòd quia memoria fœcunda non æquè primò, & immediatè se habeat ad Filium, sicut ad Patrem, Paternitas namque nullo modo nata est haberi per productionem, cùm sibi repugnet, Filiatio autem ex sua ratione formali non est nata haberi nisi per productionem, adeòque consequens est, quod Filius præsupponat producens realiter distinctum, & sic primam personam producentem, quod, ait Do- 539

Actionem esse à supposito quî accipiendum.

Memoria fœcunda prius est in Patre, quàm in Filio, &c.

Doctor, falsum foret, nisi memoria fœcunda, à qua immediatè pullulat generatio activa constituens Patrem in esse personali in eodem instanti, quo egreditur ab illa, & Patrem in esse Patris constituit, primò inesset Patri, quàm Filio, & sic per Patrem inesset Filio pro instanti posteriori originis, quo Pater formaliter generat, ut prior origine, si enim æquè immediatè, & pro illo priori originis inesset Filio, ac Patri memoria fœcunda, indubiè intelligeretur actus generationis activæ æquè egredi à supposito Filij, quàm à supposito Patris, quod falsum est.

Ex superioribus solvitur Quæstio I. quorundam Scotistarum ex auctoritate Scoti, & ratione metaphysica desumpta.

540 Ex hactenus dictis à num. 536. dirimitur lis quorundam Scotistarum apud *Frassen* Tract. 3. dist. 1. art. 2. quæst. 5. de processionibus divinis, conclus. 3. num. 18. *An actus intelligendi præsupponatur ad actum dicendi in divinis*, indubiè qui *Subtilis* doctrinam sectatur, affirmativam tenere debet, id quod non duntaxat probatur ex eo, quòd Pater secundùm Doctorem nostrum sit prius beatus, quàm generet, adeoque prius intelligat, amet que infinitam essentiam suam, cùm beatitudo consistat in actu intelligendi & volendi, sed ex omnibus hactenus hâc quæst. dictis, quibus vidimus intelligere in divinis, ut quid essentiale, præsupponi ad dicere, ut ad quid notionale, cùm secùs contingat in creatis, ubi dicere præcedit intelligere, eò quòd intellectus creatus non sit formaliter intelligens, nisi per receptionem Verbi producti per dictionem, quod nullatenus currit in divinis, ubi ipsa intellectio non est Verbum, nec est realiter distincta ab intellectu, sicut est in creatis, ut alibi.

541 Nec premit apparens ratio metaphysica nostri Baronis *Apolog. 2. actione 4.* apud *Frassen* l. c. oppositum affirmantis, nempe in Patre, quia Pater est ideo priorem esse dictionem actu intelligendi, & volendi, quia dictio est Patris constitutivum, nihil autem sit prius in aliquo, quàm sit id, per quod constituitur, nihil enim potest esse in aliquo priusquàm illud sit, nec potest esse, priusquàm in esse constituatur, nec potest constitui, nisi per principium sui constitutivum, adeòque nihil potest esse in Patre, priusquàm Pater constituatur in suo esse Patris: sed non constituitur in illo esse personali Patris, nisi per dictionem, quæ ut probatum est, & supponitur, est ipsamet generatio activa: ergo concluditur, quòd quamvis absolutè in Deo sit prius intelligere, quàm dicere, tamen in Patre, prout in Patre reduplicativè prius est dicere, quàm intelligere, sicut quamvis animal sit prius, quàm

Rejicitur ratio Baronis.

rationale, tamen prout est in homine, prius est rationale, quàm animal.

Sed hæc ipsa ratio facilè eliditur ex iis, quæ dicta sunt Controv. 11. hujus Tomi, quæst. 8. num. 71. & seqq. nimirum aliud esse, quòd dicatur quidpiam primò concurrere ad essentiam alicujus, & aliud esse ultimam rationem constitutivam alicujus, non enim sola ratio constitutiva alicujus, est de essentiali conceptu rei, qualiscunque illa sit, sed aliæ etiam rationes, quæ essentialiter de re prædicantur, hoc pacto ibi diximus, non solùm vitam intellectualem radicaliter sumptam, quæ dicitur ratio ultimò distinctiva & constitutiva Dei esse de conceptu Dei, sed & rationem substantiæ, Spiritus, viventis &c. ita in proposito, quantumvis Pater ut consideratur sub conceptu formali ultimæ actualitatis completæ in esse personali constituatur per dictionem generativam, per hoc non sequitur, quin alia essentialia Dei æquè concurrant ad constituendum Patrem, & quidem illa, quæ Filio, & Spiritui sancto communia sunt, primò concurrunt ad constituendum Patrem, & ultimò illud, quo Pater constituitur in esse Patris, & quo ab illis distingui concipitur, eo modo, quo Deitas gradus essentiales, substantiam, spiritum, & reliqua prædicata cum creaturis primò communia habet. Deinde per rationem ultimò constitutivam ultimò distinguitur à quocunque alio, quod non est Deus, quare totus discursus hujus Auctoris *dictio est Patris constitutio, nihil autem est prius in aliquo, quàm sit id, per quod constituitur, nihil potest esse in aliquo priusquàm illud sit, nec potest esse, priusquam constituatur, nec potest constitui, nisi per principium sui constitutivum, adeòque nihil potest esse in Patre, antequam Pater constituatur in esse Patris*, ita retorquetur in ipsum: dictio est Patris constitutivum, nihil autem est ultimò constitutivum, nisi quod est ultimò constituti distinctivum, nihil est ultimò distinctivum constituti, nisi supponat aliqua, quæ constituto, & aliis communia sunt: ergo ratio constitutiva Patris præsupponit aliqua communia, quæ sunt essentialia, & aliis personis communicabilia: ergo ratio constitutiva, quæ Patrem distinguit a Filio, & Spiritu S. non est in Patre quasi ratio prior, sed ultimò illius constitutiva, & ab aliis personis, ut ultimum sui complementum, distinctiva: ergo falsum est, quòd nihil sit, quasi prius in aliquo, quàm sit id, per quod quid ultimò constituitur; falsum etiam est, quòd nihil potest esse, priusquàm illud intelligatur ultimò constitutum, per consequens falsum est, quòd intelligendi actus non sit in Patre, priusquàm distinguatur per rationem Patris constitutivam, seu per dictionem generativam à Filio. Nec quidquam juvat, sed destruit intentum Auctoris illud quod affert exemplum de animali, & rationali; nam falsum etiam est, quòd in homine prius sit rationale, quàm animal, an non æquè utrumque

Essentia constitutivum est idem quod esse de essentia.

con-

concurrit ad constitutionem hominis? nemo inficias ibit, animal concurrere ut prædicatum superius, rationale verò ut prædicatum inferius: ergo quid obstat, ut pari passu dicamus, quod intelligere, & dicere simul Patris essentiam constituant, sed dicere sit constitutivum illius seu prædicatum ultimum ante quod, nec post quod aliud sit, quo Pater distinguatur à Filio, & Spiritu S. Vides ergo, quòd dicere Patris, præsupponat actum intelligendi in Patre, & miror Baronem; quod tam discors sit à reliquis Scotistis, & ab ipso Scoto, cujus mentem in hoc exteri melius perceperunt ut *Suarez* l. 1. Tract. 3. de Trinit. cap. 6. num. 14. postquàm statuit cum communi essentialia secundùm ordinem rationis esse priora notionalibus &c. sic ait: *Unde etiam ipse Scotus fatetur intelligere, ut est perfectio Patris, esse prius, quàm dicere.* Sit

ASSERTIO III.

Sive Thomista, sive Scotista sis, malè confundis intellectionem in Patre cum dictione, quin potius hanc ab illa in schola Thomistica ratione in schola Scoti per distinctionem formalem ex natura rei distingui comprobatur, eritque verum in omni schola, Filium procedere per dictionem, non per intellectionem.

543 HÆc quoad substantiam patet ex dictis suprà, & quoad primam partem conveniunt in eo meliores Theologi tenendo, quod intelligere & dicere sint distinctæ actiones, sed an ex natura rei vel ratione, de eo dubitant, probatur tamen prima pars auctoritate S. Thomæ quæst. 34. art. 1. ad 3. & qu. 37. art. 1. & 2. docentis, quod in Deo intelligere & dicere distinguantur ratione, & fatetur Suarez in 1. p. Tract. 3. l. 1. c. 6. *Quòd in Deo*, inquit, *illa duo: dicere, intelligere*, distinguantur ratione, docuit *ipsemet S. Thomas*, idem satis innuit Vasquez dist. 112. c. 3. nu. 9. docens, quod *dicere* includat in se *intelligere*, tanquàm notionale essentiale, sicque passim loquuntur Thomistæ, ut distinguant unum ab alio, ut apud plerosque aliquo modo differant illæ rationes intelligendi, & dicendi, ut conceptus *dictionis* non sit conceptus *intellectionis*, & è converso.

S. Thom. *Suarez.* *Vasquez.*

544 *His præsuppositis* subsumo, & prob. *Assertio*, quòd in utriusque Scholæ Doctorum sententia semper est verum dicere: *Per dictionem producitur Verbum, non per intellectionem. De facto* verum est, Filius generatur, Spiritus S. non generatur; Filius procedit per intellectum, non per voluntatem: sed ad has veritates apud Thomistas sufficit distinctio rationis: ergo similiter verum erit dicere: Filius procedit per dictionem, non per intellectionem; sicut enim dici debet: Spiritus sanctus procedit per intellectum, virtute solius distinctionis rationis; ita non poterit dici: Verbum producitur per intellectionem, cùm per Thomistas sufficiat distinctio rationis ad illas contradictorias componendas, nec aliam in divinis distinctionem dicunt asserendam inter essentialia & notionalia.

Secundò de facto per suam distinctionem distinguunt essentialia à notionalibus, & absoluta à relativis, unde has dicunt esse veras: Essentia est communicabilis, relatio non est communicabilis: ergo de facto per eandem distinctionem veræ sunt istæ: Verbum procedit per dictionem, non procedit per intellectionem; intellectio est communicabilis, dictio non est communicabilis: ut quid ergo impallescunt Scoto nonnulli Recentiores, & perperàm ipsum carpunt, dum, ut apud *Arriagam*, dist. 45. nu. 28. & *Cacheranum* tract. 2. de Deo, §. 5. pag. 479. videre est. *Scotus* docet processionem non esse per intellectionem, ac propterea dicunt Scotum assignare duos actus intellectûs, unum, qui sit intellectio, & alterum, qui sit dictio? quos duos actus, ait *Arriaga* num. 30. distinguere omninò impertinens est, & absque ullo fundamento; sed hic Auctor, ut rectè advertit *Poncius* disp. 9. de Trinit. quæst. 3. num. 17. impertinenter de Scoto loquitur, qui solùm vult, quòd intellectio non sit processio, sed alius actus, non in linea intellectionis seu intelligendi, sed dicendi, quem ideò vocat dictionem, estque ipsamet generatio, seu productio Verbi, quam ipse nobiscum concedit, an autem dici debeat actus vel dictio, quid interest, cùm de re, non de nomine agimus? secundùm omnes productio Verbi est dictio, Verbû enim est terminus actûs dicendi, qui egreditur à memoria fœcunda Patris, &c. ergo cùm de re non sit dubium apud ullum, non possit dici actus dicendi, qui est ipsa dictio à linea intelligendi distincta? Imò hanc ipsam dictionem distingui formaliter ex natura rei iisdem probatur argumentis, quibus probat Doctor intellectum ex natura rei distingui à voluntate, quia per intellectum procedit Filius, non per voluntatem, ita dictione procedit, non intellectione, adeòque ex natura rei ut luculentè ex supradictis probatum manet. Adde

Argumentum ad hominem

quod processio Filii sit per dictionem, non per intellectionem.

Dictio generativa non pertinet ad intelligentiam.

Dictio ex natura rei distinguitur ab intellectione.

Adde: Intellectio est quid absolutum, dictio quid relativum: intellectio est quid essentiale, dictio quid notionale. Dicere opponitur relativè *dicto* seu Verbo, intelligere oon &c. ergo distinguuntur plus quàm ratione, ut patet ex omnibus iis, quæ tractavimus Tract. Prælimioari de distinctiooibus.

QUÆSTIO III.

Cur processio Spiritus sancti non sit generatio, & cur Spiritus sanctus non sit Filius?

SVMMARIVM.

1. *Quòd processio Verbi sit generatio, non processio Spiritus sancti non est, quia Verbum procedit ab uno, Spiritus S. à duobus.* 548.
2. *Nec causa illius discriminis est, quia Verbum procedit in similitudinem naturæ.* 549.
3. *Neque, quia Filius est imago Patris.* 552.
4. *Neque quia Filius est per intellectum, non Spiritus S.* 554.
5. *Sed quia productio Verbi est ab intellectu naturalis, productio autem Spiritus S. libera per voluntatem.* 556. & seqq.

545 IN Divinis admittendam esse generationem, de fide certum est, id quippe utriusque paginæ testimoniis luculentè comprobatur, & quidem quantum ad paginam novi Testamenti, clamant pro hac veritate Apostoli, & Evangelistæ, & ipse Christus in Evangeliis. Quantum ad antiquum Testamentum, apertè habetur Psal. 2. v. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Psal. 109. v. 4. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Isaiæ ult. v. 9. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam.*

546 Secundò fide divina certum est, & in variis Conciliis definitum; Quòd Verbi divini processio, sit vera ac propriè dicta generatio, cum sit origo seu processio viventis à vivente vitâ intellectuali mediante principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ, & quidem quòd sit *origo viventis* patet, quia est Filii habentis vitam in semetipso à Patre vivente sibi communicatam, unde & liquet, quod sit à *vivente* Patre æterno *medio principio vivente vita intellectuali*, id est (cùm Deus Spiritus sit, cujus vivere est intelligere) mediante intellectu fœcundo, quia Verbum procedit per vim intellectivam, adeoque verè, & propriè dicitur procedere à principio vivente vitâ intellectuali. Est denique *à principio conjuncto, in similitudinem naturæ* cùm totum in ipsum Filium Pater effundat, & communicet naturam cum omnibus perfectionibus naturæ, quod innuitur in hoc, *ex utero* genui te. Unde esto nemo teste Propheta Isaia cap. 53. v. 8. dignè generationem Verbi penetrare, & enarrare valeat, supposita fide tamen, quòd detur isthæc generatio aliquo modo ratione naturali ad excludendas, & confundendas hæreticorum objectiones declarari potest, quòd processio Filii sit vera generatio. *Isaias 53. v. 8.*

547 Tertiò certum est de fide, solam Filii dictionem productivam, non item Spiritus sancti processionem esse veram generationem, & in hoc consonant cuncti Theologi cum SS. Patribus: solùm difficultas est, quæ nobis in proposito manet resolvenda, quæ sit ratio proxima, & immediata, cur processio Verbi divini sit generatio, non autem processio Spiritus sancti. Sit



ASSER-

ASSERTIO I.

Ratio sufficiens cur processio Verbi sit generatio, non processio Spiritus sancti non consistit in eo, quia Verbum procedit ab uno, Spiritus sanctus à duobus, seu quòd Verbum producatur primò, & ab uno, & Spiritus sanctus secundò, & à duabus personis.

548 EST contra *Durandum*, & prob. Non requiritur ad generationem ut sit prima productio: ergo exinde, quòd Verbum primò producatur, non habetur sufficiens ratio, cur processio Verbi sit generatio: Anteced. prob. Ex viventibus creatis, in quibus posterior productio, non prima productio est generatio, prima quippe est augmentatio, & mutatio, non generatio: ergo falsum esse potest, quòd prima productio sit generatio.

Deinde non tantùm prima productio in creatis, cui primogenitus respondet, sed etiam secunda, cui secundogenitus, tertia, & quarta potest esse generatio, quibus scilicet tertio- & quartogenitus respondent, unde ergo asserunt, quòd Deo prima processio in divinis debeat esse generatio? quod licèt à parte rei verum sit, & hinc à S. August. velut ratio reliqua congrua censeatur ad inculcandas simplicibus processiones divinas, non tamen illum approbat ut scholasticam, & ad intentum nostrum sufficientem, minus convincentem.

ASSERTIO II.

Non est sufficiens ratio, cur processio Verbi sit generatio, non processio Spiritus sancti, quia Verbum procedit in similitudinem naturæ fœcundæ, id est, cum virtute illum communicandi alteri.

EST contra *Richardum* à *S. Victore* l. 6. de Trinit. c. 18. & *Zumgam*, & paucos quosdam alios existimantes, cùm generatio sit in similitudinem naturæ, illam similitudinem requiri inter personam genitam, & personam generantem, eamque consistere in eo, quòd persona genita habeat fœcunditatem, & virtutem communicandi propriam substantiam vitaliter, quod confirmant isti Auctores ex eo, quia per nomen ipsum naturæ strictè acceptum, significatur principium motus, ac proinde volunt, quòd natura vivens substantialis significat principium motus substantialis vitalis, seu productionis alterius personæ. Contra quos

Fundamentum opinionis hujus.

549 Probatur Assertio primo: Etiamsi de ratione generationis esset fœcunditas in termino genito, cujus oppositum apparet in mulo, si verum sit, quòd mulus sit sterilis, talis tamen non est in Verbo divino: ergo quòd Verbum procedat in similitudinem naturæ non esset sufficiens ratio, ut illius processio sit generatio, & non processio Spiritus sancti. *Anteced.* prob. Genitum non est simile generanti in fœcunditate naturæ per hoc, quòd habeat virtutem producendi utcunque, scilicet viâ non generativâ, sed via generandi, sive fœcunditas ad *generandum* duntaxat est similis fœcunditati generantis, quandoquidem neque in creatis aliter Filius habet fœcunditatem generantis, quàm posse producere hominem viâ generandi: sed talis fœcunditas ad generandum non reperitur in Verbo divino, quod non producit alium Filium seu Verbum, ac per consequens, si hæc ratio horum Auctorum vera esset, Verbum divinum non esset propriè Filius, quia non esset perfectè Patri simile in natura, ideò enim Spiritus S. secundùm hosce Auctores non est similis in natura cum Patre, quia non habet vim spirandi, quam habet Pater, sed Verbum non habet vim generandi, quam habet Pater: ergo Verbum non est perfectè simile Patri in natura, imò Filius creatus perfectiori modo esset Filius, quàm sit Filius increatus, iste est enim similior Patri in natura ad generandum fœcunda, quàm Filius divinus, ut patet.

Virtus generandi arguit similitudinem in natura.

Dices: Est de ratione Filii in divinis, quòd sit alterius personæ productivus scilicet Spiritus S. & hoc sufficit, ut sit similis in fœcunditate generantis. 550

Contrà: Tunc sequeretur Verbum in ratione Filii potius constitui per spirationem activam, quâ refertur ad Spiritum S. quàm per filiationem, quâ refertur ad Patrem: sed hoc est falsum; quia Filius nullo modo nec adæquatè, nec inadæquatè constituitur per spirationem activam, cùm hæc sit Patri æquè communis, ita ut licèt non spiraret adhuc haberet rationem Filii, ut communiter admittunt Theologi.

Contrà, & probatur Assertio secundò: 551
Tam Patres Græci, quàm Latini admittunt in divi-

Divinis personam, quæ verè sit genita, & verè Filius independenter ab eo, quod talis persona haberet cum suo principio virtutem productivam alterius, sive similitudinem naturæ fœcundæ: ergo utriusque Ecclesiæ tam Orientalis, quàm Occidentalis Patres, senziunt ad generationem non requiri aliquam fœcunditatem in genito, adeòque quòd Verbum procedat in similitudinem naturæ fœcundæ esse quid impertinens ad discriminandam processionem Filii ut sit generatio, & talis non sit processio Spiritus S. Anteced. quoad Græcos colligitur ex ipso Concilio dicente, Græcos agnoscere inter personas dati Filium, cui tamen negabant omnem fœcunditatem, ponendo Spiritum S. à solo Patre procedere. Quoad Latinos Patres probatur etiam, quia hi nunquam contra Græcos negantes Filio omnem fœcunditatem intulerunt inde sequi, non dari, aut desinere Filium in Divinis, si autem ratio Filii in opinione Patrum Latinorum constitueretur per hoc, quòd assimilaretur Patri in virtute spirativa, indubiè contra Græcos eâ ratione usi fuissent.

ASSERTIO III.

Etsi ea ratio, cur processio Verbi sit generatio, non processio Spiritus sancti, quæ secundùm quosdam consistit in eo, quòd Verbum procedat per modum imaginis, sitque naturalis imago Patris, non item Spiritus sanctus, non sit omninò rejicienda, haud tamen sufficiens est ad declarandum dictum discrimen Filii à processione Spiritus sancti.

552 PRobatur Assertio quoad primam partem ex S. Athan. epist. de Decretis Nicenæ fidei *Si, inquit, eum imaginem nominet, Filium hoc ipso esse judicaverit, quod enim simile Deo, nisi sua ipsius progenies?* Athanasio consonat *Scotus* 1. dist. 10. qu. un. ad primum principale, num. 15. ubi ait, verum esse, *quòd Spiritus S. non est imago Patris, sicut Filius, qui ex vi productionis suæ procedit ut similis Patri.* Et passim alii ex SS. Patribus assignatur hæc ratio, quòd secunda persona dicitur Filius in divinis ejusque processio generatio, quia procedit per modum imaginis. Ita S. Anselmus in Monolog. c. 53. cur Verbum, non Spiritus S. sit Filius, respondet: *Sicut Verbum mox ut consideratur, se prolem esse ejus, à quo procedit evidentissime probat, promptam præferendo Parentis imaginem: sic amor apertè se prolem negat, quia dum à Patre, & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti ejus, ex quo est similitudinem.* Ubi apertè vides ex mente Anselmi Spiritum S. non exhibere perspicuam similitudinem ejus, ex quo procedit, esse, quòd non exhibeat imaginem, sicut exhibet Verbum. Ex quibus apparet, quòd illa ratio in Assertione expressa, non sit omninò abjicienda.

Congruitas pro- [illegible] pro- [illegible] generationem.

553 *Alterum tamen*, quòd illa ratio non sufficiat, probatur ex dicendis infrà, ubi assignabitur alia ratio clarior, neque hæc est prima, & immediata, sed pendet ab illa à nobis inferius quam dabimus Assert. 4. tanquàm à priori, ut ibi patebit. *Secundò* ratio, cur Patres Filio potiùs adscripserint rationem imaginis, quàm Spiritui S. est, quia ex vi suæ processionis producitur ex memoria Patris fœcunda ut Verbum, cujus proprium est repræsentare intentionaliter, & declarare objectum, de quo nascitur; Spiritus S. autem dici nequeat imago intentionalis sui producentis, quia procedit per voluntatem fœcundam ut amor, cujus non est repræsentare propriè rem amatam, sed supponit repræsentatam: atqui hæc ratio non est sufficiens, cur debeat dici origo Filii generatio, & non debeat talis dici origo Spiritus S. ergo. Major patet apud Auctores, qui in hoc volunt differre processionem Filii à processione Spiritûs S. nam ideò inquiunt cum Vasquez ignis productus, qui procedit similis in natura specifica cum igne producente, non est, nec dicitur Filius; quia non procedit ut intentionalis imago ad repræsentandum expressa. Min. prob. Petrus est filius & imago Pauli, Plato Socratis, non quòd eum intentionaliter ac intelligibiliter repræsentet, cùm non procedat per intellectum, sed quia habet naturam similem parenti, à quo productus est, ita ut imago potius attendi debeat ex ratione imaginis naturalis, quæ in similitudine naturæ præcisè fundatur, ad quam impertinenter se habet ratio imaginis intentionalis: atqui loquendo de hac similitudine naturæ Spiritus S. æquè assimilatur Patri, & Filio, quàm Filius Patri, est enim ex vi processionis suæ Spiritus S. ita univocè Deus, sicut Pater, & Filius: ergo ratio illa ab illis Auctoribus assignata non exprimit satis, quo jure processio Filii potiùs generatio dicenda sit, quàm processio Spiritus S. sunt enim æquè similes in natura. Itaque quærenti, cur Verbum generetur potius, quàm Spiritus sanctus, respondere, quia Verbum procedit ut imago, non Spiritus S. est afferre rationem, quæ tanto indiget examine, quanto ipsum quæsitum, ignotius enim est, quòd Verbum sit imago, non Spiritus S. quàm quòd

quòd Verbum generetur, non Spiritus S. apud omnes enim in comperto est Verbum generari, non Spiritum S. qui autem dicit, Verbum generari, quia est imago, non Spiritus S. tenetur ulterius eam rationem assignare, cur ita sit, quam & assignabimus, sed ex ratione illa, quam cum Scoto dabimus infrà.

ASSERTIO IV.

Indubitatum licèt & orthodoxum sit, quòd Spiritus sanctus univocè & æquè perfectè Deus sit ac Verbum, non Deus identicè duntaxat, sed formaliter, sicut est Verbum, habeatque Naturam divinam, non à se, sed procedendo ab alio, sit Deus verus de Deo vero, cur tamen processio illius non sit generatio, sicut est processio Verbi, vera & sufficiens ratio consistit in hoc: quòd Verbum procedendo per intellectum, procedat viâ assimilativâ, adeoque procedat ex vi propriæ processionis, ut propria processio est in similitudinem naturæ, ita ut similitudo ista non sit duntaxat in termino procedente seu dictionis generativæ quomodocunque, sicut est in termino, seu Spiritu sancto ex Patre Filioque procedente, sed ex proprietate, & modò ipsiusmet processionis, processio ista Verbo competat; Spiritus sanctus econtrà procedendo per voluntatem, non procedat viâ assimilativâ, & ut Verbum ex vi & munio propriæ processionis, & originis naturalis, ut origo est, sed viâ impulsivâ in similitudinem naturæ nullatenus originata.

554 HÆC est communis tam apud Thomistas cum D. Thoma 1. p. qu. 27. art. 4. in corp. 4. contra Gentes, c. 19. quàm apud Scotistas cum Scoto, etsi discrepent in modo loquendi, dum explicant, in quo origo illa assimilativa consistat, de quo infrà. Hîc cum aliis ad Assertionis intelligentiam præmitto; processionem Spiritûs considerari posse; vel ut processio divina est, vel ut processio per voluntatem est, quidquid habet Spiritus S. sicut habet ab alio, ita habet ex vi processionis, sed tum ex vi processionis, ut divina est; & univoca cum processione Verbi, partim ex processione, ut per voluntatem est. Ex vi processionis, ut per voluntatem est, non per principium naturâ suâ assimilativum; præcisè habet, ut via impulsiva procedat tanquàm terminus mutui amoris inter Patrem, & Filium. Ex vi processionis, ut divina est, & intra Deum exercetur, & circa terminum, qui Ens divinum est, adeòque qui Deus est, Spiritus sanctus quoque habet, quòd sit Deus Patri Filioque consubstantialis, & similis in natura, & sic quidem Spiritus sanctus procedit ut Deus ex vi processionis, sed ut divina est, nempe ratione materiæ, seu potiùs termini, circa quem processio versatur, ubi quidquid est, Deus est, adeòque unum semper & idem est, non ex vi processionis, ut per voluntatem est, ad differentiam Verbi, in quod in divinis originatur similitudo naturæ duplici titulo, scilicet titulo processionis ut divina est & univoca cum processione Spiritûs S. (quia productum productione univoca ex vi talis productionis est similis producenti in natura specifica, vel quasi specifica) & titulo processionis, ut per intellectum, seu principium naturâ sua assimilativum est, adeò, ut si per impossibile posset in divinis procedere aliquod dissimile in natura, & consequenter ex vi processionis, ut divina est, non foret univoca, aut secundùm naturæ similitudinem, ratione entis divini, adhuc Verbum divinum procedens per intellectum Patris fœcundum, id est, ipsâ Naturâ divinâ velut specie fœcundatum, ex munio, & proprietate processionis per intellectum naturaliter prodiret in similitudinem naturæ; & hinc in Assertione consultò dixi, quòd isthæc similitudo, ad discriminandam processionem in divinis, à processione ad generationem requiratur, non alio utcunque modo, sed ex vi processionis propriæ, quà est per viam assimilativam, quod ulterius probando

Explicatio Assertionis.

Duplici titulo processio in divinis considerandа venit.

Natura similitudo ad generationem requiritur ex vi processionis propriæ, quæ, ut talis est, fit assimilativa.

555 Probatur Assertio. De ratione generationis viventium est, quòd fiat in similitudinem naturæ, non duntaxat quasi materialiter, & in termino procedente, sed *formaliter, & ex vi processionis propria*; quatenus *talis est*, hæ particulæ siquidem sive addantur definitioni generationis viventium, sive non, semper subaudiuntur, quia generatio viventium ex definitione communiter recepta, est productio in similitudinem, qualis productio non exigit tantùm ut res sit producenti similis in termino producto, sed quòd reperiatur simi-

Generatio est in similitudinem naturæ.

ſimilitudo quaſi in via, id eſt, in ipſa originatione, & proceſſione formaliter ſumpta, qualis habetur duntaxat per intellectum, per quem procedit Verbum, non per voluntatem, per quam procedit Spiritus S. ſubſumo: atqui ſoli proceſſioni Verbi conveniunt omnes hæ partes, quibus conſtat definitio generationis, utpote Verbum procedit per intellectum in ſimilitudinem naturæ, ſeu viâ aſſimilativâ formaliter, & ex vi proceſſionis propriæ, quatenus talis eſt, non autem proceſſioni Spiritûs ſancti conveniunt omnes iſtæ partes, quibus conſtat definitio generationis viventium, ut qui procedendo per voluntatem viâ impulſivâ, non procedit in ſimilitudinem naturæ formaliter, & vi ſuæ proceſſionis ex proprio modo procedendi, ſeu viâ ex genere ſuo aſſimilativâ. Aſſumptum hoc eſt apud omnes in confeſſo, plerique enim Scholaſtici differentiam hanc reducunt ad intellectum, & voluntatem: ergo hæc, quæ aſſignatur ratio in Aſſertione, eſt ſufficiens, & vera, cur Verbum ſit Filius, & non Spiritus ſanctus. Item cur proceſſio Verbi ſit generatio, non proceſſio Spiritus ſancti.

Non conveniunt origini Spiritus S.

Conſequentia patet: nam eſto in proceſſione Spiritus ſancti partes cæteræ adſint ad generationem, ut quod vi illius Spiritus ſanctus univocè procedat, & ſimilis in natura cum Patre, & Verbo, quia tamen hoc unicum deeſt, quod non importetur illa ſimilitudo formaliter ex vi originis, procedendo viâ non ex genere ſuo aſſimilativa, ſed impulſiva, nequit eſſe, ut proceſsioni Spiritus ſancti conveniat ratio generationis, ſicut convenit proceſsioni Verbi, ac proinde nequit eſſe Filius, ſicut eſt Verbum, ubi enim una pars deeſt in definitione, non conſtat definitio, adeòque nec definitum: Habent ſe namque definitiones ut numeri, quorum unitate adjecto vel dempto tota eſſentia mutatur: ergò à primo ad ultimum, licèt adſint hæ conditiones in proceſsione Spiritus ſancti, quod procedat vivens à vivente eque conjuncto, & etiam in ſimilitudinem naturæ, præcipua tamen & illa, quæ generationis definitionem conſtituit in eſſe completo, deſideratur, nimirum, quòd non ſit in ſimilitudinem naturæ formaliter, & per ſeptimò, ſeu ex vi ipſiuſmet ſuæ proceſſionis, cùm nec voluntas, nec ſpiratio activa tendant per ſe primò & formaliter in ſimilitudinem ſui termini, ſive ex genere ſuo viâ aſſimilativâ.

556 Ex hactenus dictis habes, Verbum in divinis non eſſe in natura magis ſimile ſuo principio, quàm ſit Spiritus ſanctus, ſed eſſe magis ſimile in modo habendi naturam, quatenus non habet duntaxat naturam ſuo principio prorſus ſimilem, ſed etiam habet ipſum modo ex ſuo genere & ratione formali aſſimilativo, cum Spiritus ſanctus habeat quidem naturam ſuo principio omnimò ſimilem, at nullatenus viâ & modo ex ſua ratione formali aſſimilativo, id quod, eſto veroſimilius ſit *Adamum* non concurriſſe activè ad productionem Evæ, multi tamen explicant exemplo Evæ ex coſta Adami formatæ, & ejuſdem cum illo ſpeciei, non tamen filiæ, quia coſta ad illam ſimilitudinem non erat deſtinata à natura; ſed quidquid de hoc ſit, demus hoc, vel activa vi Jovis, ex hujus cerebro produiſſe *Palladem*, viâ generativâ autem, & ex fœmore lumbisque *Bacchum*, hoc caſu uterque homo erit æquè ſimilis producenti quoad naturam, unus autem producenti magis ſimilis, quàm alter in modo habendi ſimilitudinem in natura, id eſt, ſimilitudine afficiente modum productionis, non afficiente modum productionis alterius. Sic itaque dici poteſt abſolutè de Spiritu ſancto, quòd procedat ſimilis in natura, aſt non procedit in ſimilitudinem, quæ afficiat ipſum modum procedendi. Verbum verò procedit & ſimile, & in ſimilitudinem modo explicato. Ecce ratio, cur debeat dici de Verbi proceſſione ratio generationis, & negari de proceſſione Spiritus ſancti, habetur ex ipſiſſima definitione generationis communiter recepta.

Similitudo eſt à modo habendi naturam.

Porrò ut clarius innoteſcant, quæ de hac aſſimilatione diximus, & fortiùs ſolidentur, quæ in Aſſertione concluſimus, videlicet in quo conſiſtat aſſimilatio illa intellectui propria, quæ non eſt tantùm intentionalis, ſed maximè realis, qualis non eſt in proceſſione Spiritus ſancti, pono Aſſertionem ſequentem.



ASSERTIO V.

Processionem Verbi ex ratione sua & modo procedendi assimilativo esse generationem, non verò processionem Spiritus sancti, ex inde natum est, quòd productio Verbi est ab intellectu & *naturalis*; productio verò Spiritus S. à voluntate, & *libera*. non quidem libertate accidentali & contingentiæ, sed essentiali, quæ stat cum necessitate.

Cur Verbi processio, & non Spiritus S. sit generatio.

557 HÆC est Scotistarum cum suo Doctore Subtili, dist. 10. num. 13. & 1. dist. 13. qu. 1. *ad primum principale*, num. 20. & 3. dist. 8. q. 1. §. *Ad quæstionem*. Ubi docet, quòd filiatio sit habitudo producti naturaliter similis producenti in natura intellectuali, defectu cujus naturalis productionis, vult productionem Spiritûs S. generationem dici non posse, neque Spiritum sanctum dici posse Filium, nimirùm quia producitur *voluntariè*, non *naturaliter*, seu, non per intellectum, sed per principium liberum, seu per voluntatem. Huic doctrinæ concinit D. Bonaventura, pluribus in locis maximè 1. dist. 6. qu. 2. ubi ait: *Si voluntas est principium cum communicante natura, sic est processio Spiritûs sancti, qui procedit per modum amoris, tamen similis in natura: si verò natura est principium cum communicante voluntate, sic est generatio Filii, qui producitur ut omninò similis, & per modum naturæ.* Et libro *Compendii Theologici*, c. 7. *Proprium*, inquit, *Filio procedendi modus est instar naturæ.* & 1. dist. 38. art. 1. qu. 2. idem affirmat hisce: *Quia erit per modum naturæ, & ita per modum Verbi, & speciei, & per modum similitudinis expressa.* Accedit etiam, & probat Assertionem S. Augustinus lib. 5. de Trinit. c. 9. & 14. ubi investigans rationem discriminis inter originem Filii, & Spiritus sancti nimirùm, *cur Spiritus sanctus non sit Filius, cum tamen à Patre exeat.* Respondet: *Exit enim non quomodo natus, sed quomodo datus*, ut donum liberaliter, & per modum amoris, & per voluntatem, Filius verò per intellectum, & per modum naturæ: ergo diversa ratio procedendi per intellectum & voluntatem desumitur ex eo, quòd Verbum procedat naturaliter ex principio naturali, ut ideò ejus terminus productus dicatur *natus*, *quod enim naturaliter ex aliquo nascitur*, ait Magnus Athanasius in epistola de Decretis Synodi Nicenæ, *& est similé in natura, id pro Filio agnoscit natura, & eam vim significandi id vocabulum præfert*, Spiritus S. autem cùm procedat liberè, quia voluntas non est principium naturale, sed liberum, ideòque ejus terminus non dicitur *natus*, sed *datus*, ac liberè spiratus, esto procedat tam necessariò quàm Verbum; necessitas enim nullatenus coincidit cum naturalitate, sed potest stare cum libertate essentiali. Itaque falsum est, quòd aliqua productio, quæ est necessaria, sit quoque naturalis, ac per modum naturæ

S. Bonav. Scoto concinit. *Bonav.* *S. Athan.*

Liberum & naturale sunt differentia opposita contrahentes principia agendi ad dualitatē.

Ut autem intelligas, quomodo agens naturale non potest agere liberè, nec agens liberum naturaliter, esto utrumque agens possit agere necessariò, adeò, ut licèt voluntas necessariò operetur circa aliquod objectum adhuc dici nequeat naturaliter operari, Notandum à Doctore Subtili *Quodl.* 16. art. 2. afferri ex Philosopho quatuor operandi modos, *liberè*, *naturaliter*, *contingenter*, & *necessariò*, ex quibus duo priores immediatè dividunt principium activum, ut duæ differentiæ oppositæ, quæ nullâ viâ eidem quadrant insuntve principio, adeò ut sicut implicantiam dicit idem animal etiam respectu diversorum esse rationale, & irrationale; ita implicat idem principium activum esse liberum & naturale, etiam respectu diversorum, hac de causa Doctor 1. dist. 2. quæst. 7. pluralitatem principiorum agendi ad numerum reducit binarium, ad liberum scilicet, & naturale, quia omne agens vel agit ex se determinatè, sicque *naturaliter* agit, vel ex se non determinatè, & sic *liberè*; agere verò *necessariò*, & agere *contingenter*, non ita opponuntur, quin eidem respectu diversorum convenire queant, ideòque tam in agente libero, quàm in agente naturali se compati possunt, agere enim necessariò est sic agere, quòd non possit non esse actio, quod tam voluntati; quàm intellectui accidere potest, undecunque sit illa necessitas; agere contingenter, per oppositum est sic agere, quòd possit non sequi actio, sive id proveniat ex impedimento extrinseco, sive ex intrinseca agentis libertate. Agens itaque naturale potest agere contingenter, si ab extrinseco impediatur, & agens liberum necessariò, si aliunde proveniat necessitas, sed agens liberum non potest agere naturaliter, nec agens naturale potest velle, & operari liberè, neque enim in præsenti ipsum agere liberè accipitur pro agere sponte, & complacenter, seu non coactè & citra violentiam; ut libertas idem sit quod complacentia; nam in hoc sensu libertas non opponitur essentialiter naturalitati, omne siquidem agens, quod secundùm suam agit inclinationem, dicitur agere sponte, non coactè, seu complacenter, quomodo ipsa bruta operantur valde complacenter, id est, juxta sui appetitûs inclinationem, & propensionem. Sumitur ergo ipsum agere liberè, ut excludit ex se intrinsecam determinationem ad unum.

Quid sit agere necessariò, quid agere contingenter. *Libertas non est confundenda cum complacentia, & spontaneitate naturali.*

558

Ini

559 In proposito itaque procedere per modum naturæ, accipitur pro procedere necessariò, & per intrinsecam determinationem ad unum, sicque negamus Spiritum sanctum procedere, esto enim procedat necessariò, non tamen procedit per principium intrinsecè, & ex se determinatum ad unum, sed procedit liberè libertate essentiali, quâ se eligibiliter determinat ad agendum, & non determinatur ab alio, quamvis aliundè sit necessarium, ut se determinet liberè & eligibiliter ad actionem, videlicet ex infinita rectitudine voluntatis, & infinita bonitate objecti, ut *Doctor Subtilis*, 1. dist. 10. qu. un. & alibi passim.

560 Itaque prima differentia dividens agens naturale à libero, in hoc sita est, quòd liberum natum est agere *eligibiliter* determinando seipsum; cum perfecta cognitione omnium, sive se determinet necessariò, sive contingenter, & per hoc distinguitur à principio naturali; agens verò naturale est, quod agit per principium determinatum ad actionem, sive ex se sit determinatum; sive ab alio, ut contingit in creatis, perperàm proinde hæc duo principia distinguuntur à Thomistis, quòd agere naturaliter sit agere necessariò, & agere liberè sit agere contingenter, quia id merè per accidens est; pro cujus veritate, ut hic brevitati consulam, remitto Lectorem ad meum *Unitabium*, ubi hac de re fusius egimus, in ea Quæstione, *An admittenda sit ex mente Scoti distinctio sua formalis in rebus creatis*, ubi ostenditur tam ex ratione, quàm ex auctoritate cum objectionum solutione exactâ, quòd *liberum*, & *naturale* sint differentiæ dividentes principium activum; ac constituentes modos agendi specie differentes, & ita sibi oppositos; ut eidem principio convenire non possint, adeòque voluntatem non posse per modum naturæ, & libertatis simul operari.

561 Assertio itaque breviter probatur ex ratione: Voluntas non potest esse principium naturale: ergo cùm Spiritus sanctus procedat per voluntatem fœcundam, tanquàm per principium *Quo* procedit per eam, ut principium liberum; & vicissim, cùm intellectus nequeat esse principium liberum, adeòque cùm Verbum procedat per intellectum fœcundum, ut per principium *Quo* procedit per intellectum naturaliter, per consequens prima, & immediata ratio, quòd processio Verbi sit vera generatio, id est, quòd sit ex genere suo per viam assimilativam, seu in similitudinem naturæ, quatenus processio Verbi est, habetur, quia est ab intellectu; & quia est *naturalis*; ac econtrà, quòd talis non sit processio Spiritus sancti, ab eoque removetur filiationis prædicatum, ut non sit Filius, est, quia ex ratione sua formali est processio per voluntatem, & *libera*, & nullatenus naturalis, prout naturalitas opponitur libertati essentiali.

Spiritus S. processio est per principium liberum; Verbi autem per principium naturale.

562 Ex his deducitur, quod diximus superiùs sub Assert. 3. scilicet quòd verum sit, Verbi processionem esse generationem, & non processionem Spiritus sancti, quia hic non est imago Patris, sicut Filius, qui ex vi processionis suæ procedit ut similis Patri, finaliter dependere, & ultimatè resolvendum esse in rationem à nobis statim allatam, si enim quæratur, quare Verbum ex vi suæ originis procedat ut imago Patris, non autem Spiritus S. non potest assignari alia ratio immediatior & convenientior; quàm quia imago *naturaliter* procedit, id est, non tantùm ut proles intentionalis, quæ ad fundandam filiationis relationem non sufficit, sed ut partus seu proles naturalis, quod est procedere per modum naturæ, non sic autem Spiritus S.

Consectarium.

QUÆSTIO IV.

In qua resolvitur intentum principale:

Num possit concludi ex dictis distinctio formalis ex natura rei inter intellectum, & voluntatem divinam?

ASSERTIO ULTIMA.

Omninò ita est, ut distinctio inter intellectum, & voluntatem sit inficiabilis.

HÆC luculentè probata manet ex dictis, rum quia non apparet, quomodo intellectus & voluntas sint prorsus unum & idem, seu una simplicissima realitas, & tamen unum possit esse principium præ altero; tum quia falsum est, uni, & eidem formalita-

ti convenire ut jam naturaliter, jam liberè agat, habeatve duos operandi modos sibi specificè, aut quasi specificè oppositos; Tum denique, quia ut suprà quæst. 2. & alibi, isthæc distinctio inter intellectum, & intellectionem, item inter hæc, & generativam dictionem asserta, & propugnata est: ergo multò magis asserenda est inter intellectum, & voluntatem.

Recolat Lector, & relegat, cui libet, rationes Recentiorum, quibus conantur ostendere distinctionem suam virtualem, & ea quæ dicta sunt, suis locis de aliorum distinctionibus, indubiè enim illa evincunt aliquam distinctionem esse in divinis admittendam, illam autem aliam esse non posse, præterquam illam Scoti, perspicuum fecimus toto Tractatu Præliminari hujus Operis. Multa porrò pro stabilienda nostra Assertione & doctrina adduci possent, imò restat integra Controversia de distinctione Scoti inter absoluta Dei, & relationes divinas, sed ut calamum sistam, urget Typographus tempori litans. Lector itaque accedat Tomi II. Controversiam IX. quæst. 2. per totum, ubi hæc difficultas aliquatenus conformiter ad Concilia reperitur discussa. Adeat item hujus Tomi Controversiam IV. quæst. 4. à num. 80. usque ad num. 84. Omnia hæc cedant ad majorem gloriam, & honorem Dei, & subjecta sunto S. Romanæ Ecclesiæ, cujus *sum, vivo*, & *morior* filius.

F I N I S.



INDEX



INDEX

SVMMARIORVM TOMI PRIMI,

Ubi numerus non paginæ, ſed margini reſpondet.

CONTROVERSIA I.

De Simplicitate in genere.

SVMMARIVM.

1. *Quid & quotuplex ſimplicitas?*
2. *An eſſe ſimplex præſtet compoſito?*
3. *An illam lædat diſtinctio?*

QUÆSTIO I.

Quid Simplicitas?

SVMMARIVM.

1. *Cur iſthæc Controverſia ſit cæteris præambula?* n. 1.
2. *Notio ſimplicitatis quotuplex?* ibidem.
3. *In quo ſenſu dicatur ſolus Deus ſimplex.* ibid.
4. *Quænam importent conceptus metaphyſicè & phyſicè, quænam phyſicè ſolùm irreſolubiles?* ibid.
5. *De qua ſimplicitatis notione Tomo iſto, §. 2. tractandum erit.* n. 2.
6. *Conceptus ſimplicitatis exprimitur per negationem compoſitionis.* ibid. & n. 3.
7. *Vekeni ratio, ob quam à communi Scholaſticorum doctrina recedit, refellitur.* ibid.
8. *Quot modis ſit compoſitio, totidem opponitur ſimplicitas.* ibid.

QUÆSTIO II.

An eſſe ſimpliciter ſimplex præſtet compoſito?

SVMMARIVM.

1. *Eſſe ſimpliciter ſimplex, quot modis accipi poſſit?* n. 4.
2. *Non eſt perfectius ſemper compoſito.* n. 5.
3. *Simplicitas materiæ primæ &c. non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex.* ibid.
4. *Expers compoſitionis & componibilitatis præſtat omnibus compoſitis.* n. 6.
5. *Expenduntur rationes Vekeni in oppoſitum, & exploduntur.* n. 7.

QUÆSTIO III.

An lædat ſimplicitatem diſtinctio?

SVMMARIVM.

Quæſtionis gravitas quanta, & unde? n. 8.
Myſterium Trinitatis non lædit ſimplicitatem Divinam. n. 9.
Veritas contradictoriorum diſtinctionem importans, quomodo ſtet cum ſimplicitate, quare hic reſolvi nequeat ibid.
Locúmne habeant prima principia in ente infinito, dubitant nonnulli. ibid.

CONTROVERSIA II.

An ad tuendam Dei ſimplicitatem, rectè dicatur, Deum per ſuam infinitatem & eminentiam ſupernaturalem tranſcendere prima principia: *Quodlibet eſt, aut non eſt: impoſſibile eſt idem eſſe, & ſimul non eſſe.* & regulas de contradictoriis, adeo ut in Divinis detur exceptio ab hiſce regulis, omniſq; excludatur inſtantia ab ente creato & limitato ad Ens infinitum & increatum.

SVMMARIVM.

Quis intellectus Controverſiæ præſentis?
Quid & quotuplex ſit oppoſitio contradictoria?
An detur à parte rei ſalvâ contradicentiæ naturâ, & in qua teneat circumſtantia: doctrina notabilis de impoſſibili veritate utriuſque.
Quæſitum Controverſiæ negativè reſolvitur, Art. 3. per totum.

QUÆSTIO I.

De Natura contradictoriorum.

SUMMARIUM.

Oppositio contradictoria est eorum, qua secundùm affirmationem & negationem opponuntur. n. 11.

Contradictoria alia complexa, alia incomplexa in omni schola admittuntur, sed non eodem modo, & quare? ibidem.

Quid, quotuplex contradictio, & qui circumscribenda, ut teneat, vel non teneat. Doctrina notanda. n. 12, & 13.

Veritas utriusque contradictoria est impossibilis. Varia axiomata Philosophorum ex primo principio nata. Ibidem.

Contradictionis Essentia penitus explicatur. numer. 14

Quodnam sit principium complexum omnium primum & firmissimum atque notissimum? n. 13.

Contradictoria oppositio non est universim convertibilis cum negativa. n. 15.

Ex speciali titulo repugnat de Deo verificari sine vera distinctione aliqua contradictoria. nu. 16. 19. & 20.

Oppositio contradictoria cur sit omnium maxima. n. 12. & 21.

Nulla virtus aut eminentia in Deo capax est sine distinctione à contradictionis repugnantia, Essentiam Divinam eximere. numero 20, & 21.

Doctrina de non admittendis contradictorijs, nisi per Scripturam vel Ecclesiam determinetur, reficitur. n. 23.

Ea doctrina fidelibus perniciosa, & fomentis err. ibid.

Quot vias passim ingrediantur Auctores ad vitandam contradictionem summatim recensetur. nu. 24.

CONTROVERSIA III.

De modo salvandi contradictoria in Deo, & primò, an ad hoc requiratur distinctio realis?

SUMMARIUM.

An contradictorijs salvandis opus sit distinctione reali, & quo jure id prætendatur? q. 1.

An ad idem sufficiat distinctio realis in tertio, & quid illa? q. 2.

QUÆSTIO I.

An contradictoriis salvandis necessaria sit distinctio realis & qualis?

SUMMARIUM.

Contradictio congenea distinctioni tali, qualis ipsa est. num. 25.

Quid distinctio realis in tertio, seu inadæquata & mediata? n. 27.

Num contradictio polleat vi concludendi distinctionem realem, quæ sint hujus opinionis fundamenta? n. 29, 30, 31.

Qualiter nonnulli commendent distinctionem realem inadæquatam seu mediatam in tertio, & quæ illius potissimùm fundamenta. n. 32. usque ad n. 35. inclusivè.

QUÆSTIO II.

Quid valeat distinctio realis mediante tertio, id est, non absolutè inter extrema ipsa, sed in ordine ad tertium, à quo alterum illorum realiter distinguitur, juxta datam explicationem n. 3. & 8. & an rectè illam assumant Auctores sibi in præsidium ad sufferenda contradictoria inter Divinam Naturam & Relationes divinas.

SUMMARIUM.

Plenitudo Naturæ Divinæ, quæ est in singulis Personis, est & in qualibet earum, stabilitur ex SS. PP. n. 42.

Tetragrammaton Deus, non significat Trinitatem, nisi quæ de singulis verificetur Personis. numer. 43.

Personalitates non integrant Essentiam Divinam. ibid.

Simul sumptæ distinguuntur immediatè à natura. ibid.

Doctrina Adversariorum nec vera, nec tuta videtur, periculosis saltem obnoxia interpretationibus. n. 44. & seqq.

Distinctio realis mediata non sufficit distinctionem immediatam inter Personas & Essentiam. n. 45.

Natura non tota Trinitas communicabilis est. n. 46.

Non datur distinctio mediata & gratis concessa, non est contradictorijs sufferendis idonea. numer. 47.

Paternitas non potest esse verificativum improducibilitatis in natura. n. 48. & seqq. per extensum.

Natura Divina essentialiter improducta, quia est Ens à se. n. 49.

Opinio opposita deducitur ad absurdum. n. 50.

Quid Minotaurus? n. 51.

Casus, in quo nequit distingui natura divina ratione tertij. num. 52. & sequent. & num. 34. & 35.

Eorum, qui videbantur sententiam oppositam recommendare, ostenditur nullitas. n. 54.

Argumenta in oppositum diluuntur. n. 56.

CONTROVERSIA IV.

An & quomodo Divina inter se identificata præscindamus per rationem,

ubi

De Præcisionibus,

An præter præcisiones formales aliæ admittendæ sint, quas objectivas vocamus.

QUÆSTIO I.

Num dentur præcisiones objectivæ in ente creato, in quo nulla est distinctio virtualis aut formalis intrinseca, sed ea, quæ vel per solam æquivalentiam extrinsecam ad plura, id est, quæ ad statum purè intentionalem explicatur, vel ad statum realiter intentionalem in specie, prout est in intellectu, & refunditur in objectum.

SUMMARIUM.

Auctorum in opinando diversitas. n. 57.

Quid sit objectivè præscindere, ex quo actus dicantur inadæquati. ibid.

Objectiva præcisio quot modis contingit, Thomistica per quid differat à Scotistica, ubi & cur actus præcisivi.

Distinctio virtualis alia ad prædicata logica, alia ad physica, & unde interdignoscantur. ibid.

Præscindi objectivè objectum realiter & formaliter indivisibile implicat. n. 58.

Non datur idolum intentionale.

Præcisio non est inter realiter distincta. nu. 59. & 60.

Primò & secundò intentionalium contradictoriorum eadem ratio quoad inferendam veritatem vel falsitatem contradictoriorum aut reducuntur ad impossibile. n. 61.

Effugium expugnato responso præcluditur. n. 62.

Æquivalentia ad plura nequit esse fundamentum in re præscindendi objectivè. ibid.

Veritas consistit in conformitate objecti secundùm se, sive in conjunctione vel negatione conjunctionis prædicati cum subjecto. n. 63.

Animalitas Petri in statu intentionali difformis est animalitati in statu reali, & quomodo? nu. 62, & 64.

Opponentes nullum habent fundamentum præscindendi objectivè æquivalentia, ad plura nequit subire tale fundamentum. n. 62, & 63.

Effugium ad connotata præcluditur. n. 64.

In objecto, de quo simpliciter quæcunque negatur distinctio virtualis aut formalis, multò minus datur ex parte objecti præcisio. n. 65.

Inter hominem & animal rationale cur nulla præcisio, adeoque cur nulla inter animal & rationale in opinione opponentium. nu. 66.

QUÆSTIO II.

An & in quo sensu præcisis connotatis objectivas præcisiones explodi contingat?

SVMMARIVM.

Quo intellectu doceant Nominales, quòd non possint præcisis connotatis dari præcisiones objectivæ in homine. n. 67.

Præcisis connotatis non dantur præcisiones ex parte objecti in connotante indivisibiliter eodem. n. 68.

Intellectus practicus qui distinguatur à speculativo, judicativus ab apprehensivo, &c. numer. 69.

Præcisis connotatis, quæ in connotante intrinsecam supponunt distinctionem, non exploduntur præcisiones objectivæ. n. 70. & 71.

Enervatur responsum Arriagæ, & Nominalium opinio refutatur. n. 72.

Inverisimile esse, aliquid denominari à cognitione, & non esse actum cognitionis circa illud. ibid.

Convincuntur præcisiones sine connotatis. n. 73.

QUÆSTIO III.

Num in creatis præter formales præcisiones etiam objectivæ, quæ supra plures realitates ejusdem rei ab invicem, vel ex natura rei Scoticè vel virtualiter Thomisticè distinctas fundantur, admittendæ sint.

SVMMARIVM.

Præcisiones objectivæ in schola D. Thomæ & Doctoris Subtilis receptissimæ. numero 75. & seqq.

Exploditur Arriagæ doctrina. ibid.

QUÆSTIO IV.

Sintnè admittendæ præcisiones objectivæ ex parte objecti in Divinis?

SVMMARIVM.

CONTROVERSIA V.

Quid tenendum de modo salvandi contradictoria in Deo per distinctionem rationis?

SVMMARIVM.

QUÆSTIO I.

An & quo sensu vera contradictoria, quæ dicuntur de realiter identificatis in Deo, à contradictione vindicari possint per distinctionem rationis?

SVMMARIVM.

QUÆSTIO II.

Quale sit, & an sufficiat fundamentum Adversariorum, quo suffulti causantur capacitatem salvandi contradictoria per distinctionem rationis, seu multiplicitatem objectivam extendendam esse ad omnia prædicata contradictoria, quæ absoluiè & simpliciter dictante fide, de Deo enunciantur?

SVMMARIVM.

Propo-

QUÆSTIO III,

in qua speciatim

Resolvitur Quæstio principalis, ubi doctrina Scotistarum amplius firmatur argumentis ex SS. Trinitatis Mysterio petitis, & quàm valenter iisdem respondeatur, ad trutinam revocatur.

SUMMARIUM.

Contradictoria notionalia in sensu Assertionis secunda per connotationem Deo intrinsecam nulla prorsus verificari possunt. n. 146.

Veritas contradictoriorum in Divinis tenetur aquè primò ac ipsa actualis affirmatur productio, & Divina communicatio Essentia in Deo verificatur. n. 147.

Incidit Veken in eandem, quam vitare volebat implicantiam, n. 148.

CONTROVERSIA VII.

De distinctione virtuali intrinseca, & modo salvandi contradictoria per illam distinctionem, an illa sit tanti pretii vel valoris ac utilitatis in ordine ad prestandum hunc effectum, quanti à suis venditatur Patronis?

SVMMARIVM.

Qua notio distinctionis virtualis, ubi de variis illius descriptionibus. q. 1.

Distinctio virtualis intrinseca fundata in eminentia rei non obtinet vim praestandi sine vera distinctione, quod distinctio praestat. q. 2.

Non datur distinctio virtualis intrinseca, qua explicatur per meram aquivalentiam, & insitam quandam perindeitatem, id est, quæ perinde se gerere, ac si, *vel per* perinde se habere, *vel denique per* quasi ac si *obtineat vim praestandi ad verificanda contradictoria, sine vera distinctione, quod praestat distinctio vera.* q. 3.

Proponuntur diversorum Auctorum placita de distinctione virtuali, & improbantur, à n. 187. usque ad n. 200.

Doctor Subtilis nusquam suam formalem confundit cum distinctione virtuali. q. 4.

QUÆSTIO I.

Quid nomine distinctionis virtualis intrinsecæ veniat intelligendum?

SVMMARIVM.

Qualiter secundùm diversos Auctores distinctio virtualis censeatur vel non censeatur completa. n. 150. & seqq.

Auctorum discrepantia in descriptione, quid sit distinctio virtualis? n. 151. & seqq.

Distinctio virtualis Recentiorum media inter rationis ratiocinata, & Scoti ex natura rei formalem.

Constituitur ab aliquibus in capacitate componendi contradictoria omnē conceptū antevertente, ab aliis in quadam aquivalentia, ab aliis deniq; in quadam sicuitate, non per aquivalentiam explicata, sed per insitam quandam perindeitatem, quasieitatem ac sicuitatem. n. 151. & 152.

Singularis acceptio virtualis distinctionis apud Nominales. n 153.

Corollarium { *primum* / *secundum* / *tertium* } *de distinctione virtuali.*

QUÆSTIO II.

An detur distinctio virtualis intrinseca Thomistica, seu fundamentalis, id est, fundata in eminentia rei sive divinæ, sive creatæ, sine actualitatis suæ dependentia ad intellectum, eaque verè obtineat vim præstandi sine vera distinctione, quod præstaret distinctio vera, & satisfaciat contradictoriis fide credendis?

SVMMARIVM.

Distinctionis fundamentalis seu virtualis apud Thomistas quanta sit amplitudo. n. 158.

Refutatur per totam Quaestionem.

Contradictio & distinctio sibi commensurantur. n. 160.

Termini primi principii sunt affirmatio & negatio. ibid.

Fundamentalis Thomistica non est veri nominis distinctio. n. 161.

Causa virtualiter continet plures effectus, ergo virtualiter componit contradictoria processus inutilis. n. 162.

Particula virtualis *est additum destruens rationem significatam per veri nominis distinctionem.* ibid. & num. seqq.

Per repugnantiam ad contradictoria predicata, quid importet identitas realis entitativa, seu realis Thomistarum, & ex natura rei formalis Scotistarum, quacum suam confundunt realem explicatur. n. 164. & seqq.

Virtus, qua subeat sine distinctione actuali munus distinguendi nec in creatis rerum Essentiis, nec in Deo reperibilis est, vel ibitur in infinitum in eadem virtualitate. ibid. & n. 167. & q. seq.

Nihil pradicatur de toto subjecto indivisibili & non totaliter, effugium pracluditur. n. 171.

Responsum Cajetani enervatur. n. 173. & seqq.

In distinctione virtuali committitur circulus vitiosus. n. 174.

Distinctio virtualis aquè difficilis ac ipsum Mysterium SS. Trinitatis. n. 176.

Nominalium distinctio est ipsiusmet Mysterii SS. Trinitatis expressio. n. 179.

QUÆSTIO III.

An detur distinctio virtualis intrinseca, quæ explicatur per meram æquivalentiam, & insitam quandam perindeitatem, id est, quæ *perinde se gerere ac si*, vel per *perinde se habere*, vel denique per *quasi, ac si*, obtineat vim præstandi ad verificanda contradictoria sine vera distinctione, quod præstat distinctio vera, adeoque recurrendo ad hanc virtualem distinctionem satisfiat argu-

mentis Scoti & contradictoriis fide credendis.

SVMMARIVM.

Cur hac virtualis Recentiorum major & nobilior dicenda, alterâ Thomistarum n. 180.

Æquivalentia pro perindeitate promiscuè non est accipienda, & cur? ibid.

Æquivalentia multiplex. ibid.

Ad supportanda contradictoria est inutilis. n. 181.

Sicut affirmatio opponitur negationi, ita res affirmata negata. ibid.

Ex intrinseco conceptu suo involvit contradictionem. ibid. & n. 182. & seqq.

Capacitas ad contradictoria sine actuali distinctione refert non imputationem contradictionis, n. 183.

Summa identitas præstando quod præstaret negatio destruit seipsum. n. 184.

Nusquam docet fides Catholica in Deo admittendi contradictoria absque omni vera distinctione; n. 185.

Arriaga discursus cur non subsistat? n. 187. *cedit argumento.* n. 189.

Proponuntur & improbantur speciatim Arriaga, Izquierdo, Honoratus Faber, Perez, Esparza, à n. 191. usque ad n. 199.

Laus & fama, utilitas & nullitas distinctionis virtualis ex mente Auctorum. n. 199.

QUÆSTIO IV.

Quid senserit Doctor Subtilis de distinctione virtuali, ubi, qua nonnulli à Scoto robur illi mutuare putant, nullitas ipsius palam fit amplius.

SVMMARIVM.

Distinctio Scoti ex mente quorundam confunditur cum virtuali Thomistica, ab aliis cum virtuali Recentiorum. n. 200.

Textus Subtilis præposterè censuratur. ibid.

Distinctio Scoti ad res, non ad realitates virtualis dici potest. n. 201.

Scoti modestia novam innuit doctrinam. ibid.

Scoti distinctio intuitivè cernitur ab intellectu divino. ibid.

Respondetur ad fundamentum Adversariorum, & amplior explicatio, in quo sensu distinctio Scoti virtualis dici possit, in quo non? n. 201.

CONTROVERSIA VIII.

An sit possibilis major distinctio, quàm rationis, & minor in actu, quàm realis, consequenter inter utramq; media talis, per quam nec destruatur identitas extremorum realis, nec tamen per illam astruatur identitas eorundem ex natura rei formalis?

SVMMARIVM.

An Doctor Subtilis docuerit distinctionem quandam tertiam, id est, inter simpliciter realem & rationis? q. 1.

Inter qualia extrema indicata distinctio inveniatur? q. 2.

Num in eadem re ad pluralitatem graduum plurificentur existentia, quarum singula singulis formalitatibus proportionatè correspondeant? q. 3.

Resolvitur quæstio principalis, an Scoti distinctio sit possibilis, ubi expenduntur rationes in oppositum: primò quòd ea distinctio necessariò frustra sit vel realis, vel rationis, ac proindè media sit impossibilis. Secundò, quòd illa inducat mysterium ss. Trinitatis in creaturas, adeoque non falsitas solùm suspecta sit, sed omninò chymarica æstimanda. Tertiò, procedunt contra hanc distinctionem ex principiis negativis. Omnia primò diluuntur.

Secundò, ostenditur, quòd opponentes relabantur in eandem criminis censuram, quam Scotistis impingere voluerunt.

Tertiò tandem pro Scoto resolvitur astruendam, tam in divinis, quàm in creatis distinctionem ex natura rei formalem. q. 4.

QUÆSTIO I.

An Doctor Subtilis docuerit distinctionem quandam tertiam, id est, mediam inter simpliciter realem & rationis?

SVMMARIVM.

Distinctionem mediam dari inter rationis & realem, sic per antonomasiam dictam, in quo sensu verificetur. n. 204.

Est constans & perpetuum Scotistarum consensus esse assertam à Doctore Subtili tertiam quandam distinctionem, quæ sit verè major, quàm rationis Thomistarum, & virtualis minor in actu, quàm strictè realis. n. 205.

Non malè vocari Scoti distinctionem rationis, aut virtualem, in quo sensu capiendum, elucidatur. n. 206.

QUÆSTIO II.

Inter quæ dicta distinctio reperiatur extrema, ubi, quid illa sit, aut quomodo describatur?

SVMMARIVM.

Unde proficiscatur error quorundam, & falsæ suppositiones de doctrina Scotistica. n. 207.

Character notitiæ quid sit propriè res, quis & quotuplex? n. 208.

QUÆSTIO III.

An in eadem re, ad pluralitatem graduum plurificentur existentiæ, quarum singulæ singulis formalitatibus proportionatè correspondeant?

SUMMARIUM.

QUÆSTIO IV.

in qua
Resolvenda venit Quæstio principalis, sitne aliqua distinctio possibilis media inter simpliciter realem & rationis?

SUMMARIUM.

CONTROVERSIA IX.

De
Natura & quidditate Dei, ejusq; ratione formali constitutiva, & ultimo distinctiva, seu per quid Natura Divina sub ratione Naturæ & radicis Attributorum formaliter constituatur?

SUMMARIUM.

QUÆST. I.

ab operatione & sub conceptu naturæ, ut est principium operationis, eadem sub significatione accipienda sunt.

QUÆSTIO VI.

An Deus essentialiter sit hæc substantia, ut singularitas sit de Essentia Dei?

SUMMARIUM.

Opinio negans sibi conciliat auctoritatem cum rationibus. n. 60.
Fundamentum & ratio signa essendi in Deo, qualia statuat noster Frassen. *ibid.*
Discrimen inter modos specificos & individuales. ibid.
Ordo naturæ secundùm exigentiam naturalem in Deo quis sit ad mentem Mastrij, Lycheti & aliorum?
Sententia affirmans verior, auctoritate & ratione uberior. n. 61. & seqq.
In nullo signo prima Entitas in Deo est de se existens, quin sit de se hæc. ibid.
Mastrij fundamentum exsufflatur. n. 64.
Implicat Deum esse existentem & subsistentem pro aliquo signo, & non esse hunc subsistentem, & hunc existentem. n. eodem.
Retunduntur objectiones & rationes adducta pro sententia opposita. n. 66.

QUÆSTIO VII.

An Essentia Divina ultimò constituatur & formaliter distinguatur per aseitatem?

SUMMARIUM.

Aseitas non est ratio constitutiva Dei. num. 67. & seqq.
Aseitas solùm distinguit id quod est Divinum, ab illo quod est creatum. ibid.

QUÆSTIO VIII.

inqua

Resolvitur Quæsitum principale Controversiæ, scilicet per quid Natura Divina sub ratione naturæ & radicis Attributorum constituatur.

SUMMARIUM.

Esse de Essentia alicujus non est esse rationem ultimò constitutivam. n. 70.
Constitutivum Deitatis non est adæquata ratio, sed quidditas Deitatis. n. eodem.
Ratio constitutiva Deitatis, ab omni alio quod non est Deus, est intellectualis Dei radicaliter existens, seu vita intellectualis essentialiter existens. n. 71.
Essentiale nomen Dei, quod significat ipsum esse Dei, ut est radix proprietatum attributalium exprimitur in hoc, Qui est. n. 72.

Rejicitur opinio Gonet. n. 73.
Ordo distinguendi in Deo secundùm diversos gradus. n. 74.

CONTROVERSIA X.

An præter realem distinctionem Personarum alia distinctio, & quanta, & inter quæ prædicata in Divinis sit astruenda?

SUMMARIUM.

An, & quomodo Essentia ab Attributis & relationibus originis, item Attributa inter se distinguantur. q. 1.
Sitnè eadem ratio aliquam non identitatem ex natura rei inter prædicata Dei quidditativa, quæ est de Essentia & Attributis, item de essentia & relationibus divinis, et de Attributis inter se. qu. 2.
Desturne respectu Dei et creaturæ conceptus entis ex natura rei actualiter ab inferioribus præcisus. q. 2. in Digressione ad Q. Metaphysicam. n. 97.
Sintnè in Deo perfectiones attributales, consequenter earum inter se et ab essentia distinctiones infinita, ubi an attributa in tot obeant formalitates, circa quot termenos et objecta versantur. q. 3.

QUÆSTIO I.

An, & quomodo Essentia ab Attributis & Relationibus originis: item Attributa inter se distinguantur?

SUMMARIUM.

Nulla attributa Dei, neque proprietates relativæ ab Essentia divina realiter distinguuntur. nu. 75.
Attributa Dei non spectant ad essentiæ divinæ conceptum, nec vicissim. n. 76.
Nulla suppetit distinctio in divinis ad sufferenda contradictoria, præterquam Scoti, non identitas, sed distinctio ex natura rei formalis. n. 79. & seqq.
Quo sensu Scotistæ ab Adversarijs intelligendi veniant. n. 80.
Effugium ad distinctionem rationis ratiocinatæ occluditur. n. 84.
Effugium ad distinctionem virtualem non spectatè distinctione rationis exploditur. numer. 85.
Effugium ad eminentiam divinam reprobatur. n. 87.
Effugium ad im. et explicitum resollitur. n. 89.
Effugium ad modum significandi, appellandi & reduplicandi *proprium et explicitum conceptum per modum velut differentias, et secundùm quod actu exercet distinctionem virtualem ab*

ab altero attributo, eique velut opponi concipitur, non subsistit. n. 191. & seqq.
Veritas Amico non cedit. n. 92.

QUÆSTIO II.

Sitne eadem ratio admittendi aliquam non identitatem ex natura rei inter prædicata Dei quidditativa, quæ est de Essentia & Attributis, item de Essentia & Relationibus divinis, & de Attributis inter se.

SUMMARIUM.

Opinio affirmans authoritate fulcitur & ratione. n. 93.
Opinio negans statuitur ut verior, sive authoritatem spectes, sive rationes. n. 95. & seqq.
Conceptus entis transcendentis respectu Dei & creaturæ non fundatur in aliqua realitate communi, quæ sit formaliter ab inferioribus ex natura rei distincta. n. 98. & seqq.
Examinantur & discutiuntur melius Scoti authoritates. n. 100. & seqq.
Spectando rationem opinio negans ens in Deo ex natura rei distinctum, prævalet. num. 104. & seqq.
Baro nihil suffragatur oppositæ Assertionis nostræ. ibid.
Poncij doctrina, quòd esset quid in Deo, prius Deo, repudiatur. nu. 107. *Sicut & dari aliquid, quod nec sit participatum, nec imparticipatum.* n. 110.
Novæ rationes in oppositum proponuntur & diluuntur. n. 111. & seqq.
Deus eò formaliter est Deus, quò est formaliter ens, & quo est ens, est substantia, quo est substantia, est spiritus, ac in eodem sensu, quo est spiritus, est vita, intellectualitas, singularitas, existentia & tota actualitas &c. n. 115. & seqq.
Diluuntur Argumenta ab initio Quæstionis sub n. 93. & 94. *adducta pro opinione affirmativa.* n. 118. & seqq.

QUÆSTIO III.

Sintne in Deo perfectiones Attributales consequenter eorum inter se & ab Essentia distinctiones numero infinitæ, ubi, an ipsa Attributa in tot concidantur formalitates, circa quot terminos & objecta versantur?

SUMMARIUM.

Perperàm dicitur Deum nihil esse nisi cumulum infinitarum perfectionum. n. 122. *idq; Scoto attribuere impostura est.* n. 124.
Attributa Divina non veniunt distinguenda in alia pro infinita objectorum multitudine, & multiplici tendentia ad illa quasi in infinitum.

CONTROVERSIA XI.

De Attributis Dei transcendentalibus: An, & quomodo ab ente distinguantur, consequenter à Deo, quatenus includit rationem entis?

SUMMARIUM.

De unitate entis, & quomodo explicetur? q. 1.
Quid veritas entis ut sic? q. 2.
De bonitate entis ut sic. q. 3.
De tribus entis passionibus, quatenus Deum contingunt. q. 4.
Resolutio ad quæsitum principale de distinctione attributorum Dei. q. 5.

QUÆSTIO I.

De unitate entis, & quomodo explicetur?

SUMMARIUM.

Unitas, quæ est passio, non rectè describitur per fugam inclusionis plurium se non unitorum. n. 127.
Unitati fundamentali nihil deesse, quò minus sit unitas & passio formalis, non consonat Scoto. ibid.
Unitas radicalis, cur non sit passio entis dicenda. ibid.
Aptior descriptio unitatis, ut est passio. n. 128.

QUÆSTIO II.

De unitate entis ut sic &c.

SUMMARIUM.

Pugna sententiarum ostenditur. n. 129.
Intelligibilitas aptitudinalis ex mente Scotistarum non consistit in mera non-repugnantia. n. 130.
Vindicantur Scotistæ à Paralogismo & circulo vitioso. ibid.
In quo sit ratio Ideæ? n. 136.
Conformitas ad Ideas divinas, quo sensu sit & non sit veritas. n. 137. & seqq.
Dependentia ad Ideas contradicit Deo. nu. 140. & 141.
Deus & creatura univocè conveniunt in ratione veri, & cur? ibidem.
Verum esse objectum intellectus in quo sensu verum falsumve sit? n. 131.
Veritas transcendentalis nec absoluta de se, nec respectiva est. n. 133. & seqq.

Veri-

QUÆSTIO III.

De bonitate entis.

SUMMARIUM.

QUÆSTIO IV.

De unitate, veritate & bonitate, quatenus Deo, ut includit rationem entis, præcisè attribuuntur.

SUMMARIUM.

QUÆSTIO V.

Quid resolvendum ad quæsitum principale de distinctione Attributorum Dei transcendentium ab Essentia divina.

SUMMARIUM.

CONTROVERSIA XII.

De Intellectu Divino, quatenus est potentia operativa; ubi, de Attributis, quæ ad intellectualem Dei Naturam spectant, scilicet, de intellectu, voluntate & distinctione eorundem ab Essentia Divina; item eorundem inter se, & ab actibus suis, & de ratione & distinctione habituum in Deo intellectualium & moralium de specie, objecto specificativo scientiæ divinæ.

SUMMARIUM.

QUÆSTIO I.

An intellectus ut est facultas intellectiva, & voluntas ut est facultas impulsiva naturæ intellectualis ad metaphysicam illius attineant constitutionem?

SUMMARIUM.

QUÆSTIO II.

An intellectus & voluntas divina habeant rationem potentiæ sive actus primi respectu divinæ intellectionis & volitionis?

SUMMARIUM.

QUÆSTIO III.

Resolvitur altera pars principalis hujus Controversiæ, qualiter inter se distinguantur potentia intellectiva ab intellectione, volitiva à volitione.

SUMMARIUM.

QUÆSTIO IV.

An dentur in Deo virtutes intellectuales & morales per modum habitus, & qualiter ab intellectu & voluntate distinguantur?

SUMMARIUM.

QUÆSTIO V:

Quodnam sit objectum divini intellectûs primarium?

SUMMARIUM.

& specificum est objectum, habetq; rationem speciei intelligibilis. n. 225, & 226.

Transcendentia Essentiæ cum attributis non excludit attributa abesse objecti motivi. n. 226 in confirmat. & responsione n. 228, ad hominem.

Intelligibile per Essentiam nequit intelligi secundò per attributa, ubi vide argum. ad hominem. n. 229

Essentiam Divinam esse objectum adæquatum intellectus divini, docuerunt SS. PP. n. 233

Cognitio Dei est infinita etiam per denegationem termini extrinseci. n. 235. *& in aliquo sensu sibi ipsi finita.* ibid.

In Deo non datur cognitio reflexa virtualiter distincta à directa. n. 237

QUÆSTIO IV.

An Deus possit seipsum cognoscere in creaturis?

SUMMARIUM.

Cognosci in alio & ex alio, diversa sunt, & in quo? n. 238

Deus seipsum cognoscens omnia cognoscit prædicata divina. ibid.

Quòd Deus cognoscat seipsum in suis creaturis, duplicem loquendi modum admittit pro diverso modo opinandi. n. 239

Deus nulla via seipsum cognoscit in creaturis. nu. 240. & seqq

Dei cognitio non est multiplicanda in abstractivam & quidditativam, & cur? n. 240, 241 243, & seqq.

Deus quidem non cognoscit seipsum in *creaturis, cognoscit tamen seipsum* cum *creaturis.* numer. 242

Opponentes dum respondent ad argumenta in oppositum, nostram roborant assertionem. numer. 243

Deus nullatenus potest esse secundarium & indirectum suæ cognitionis objectum in ratione motivi. ibid.

Deus seipsum in creaturis in seipso cognitis ita cognoscit, ut divina Essentia unicum sit divinæ cognitionis motivum. quo solo omnia corruunt in oppositum referibilia. ibidem circa finem. & q. 7. art. 2, & 3.

QUÆSTIO VII.

De objecto Dei secundario,

SUMMARIUM.

Oculo Dei, omnia etiam minutissima pervia sunt. n. 245, & seqq

S. Hieronymus liberatur à censura Vasquez. nu. 248 *ubi quòd Deus nesciat mala. scientia* approbationis; *alia verò, quæ sunt infra conditionem humanam nesciat scientia, cui annexa sit specialis.*

In Deo non datur cognitio creaturarum, quæ Theologica non sit. n. 250, & seqq.

Cognitio matutina & vespertina quid sit. n. 251

Continentia eminentialis tam est secundùm esse intentionale & objectivum, quàm esse physicum, n. 254

Medium sufficiens ad cognitionem comprehensivam causæ est sufficiens ad comprehensionem effectus. ibidem.

Urgens instantia scitu digna. n. 256

Continentia eminentialis in Deo, item vitalis imago divinæ scientiæ nihil dicunt intrinsecum supra absolutam Dei sufficientiam. n. 257, & seqq.

Ex minus impossibili non sequi impossibilius, subtiliter ostendit Subtilis Doctor. n. 258

Ens absolutum sub ratione absoluti cognosci potest. n. 263

Data hypothesi, quòd omnium possibilium congeries impossibilis foret nullatenus imaginis creaturarum expressiva prædicatum ideò deperiret in Verbo. n 264, & seqq.

Deus tam scientia visionis, quàm scientia simplicis intelligentiæ vivit in actu secundo. n. 266, in fine.

Prædicata Dei intrinseca independentiæ sunt à creatura possibili, qua sublata in nullo imminuatur cognitio Dei comprehensiva ibid

Creaturæ possibiles ab intellectu divino cognoscuntur non in propria earum cognoscibilitate, sed in Essentia divina, ut per medium quod. n. 267

Quòd unio potentiæ cum objecto pariat notitiam, quomodo probetur. n. 269

Eximitur Aureolus *à censura Vekeni.* n. 273

CONTROVERSIA XIII.

De Ideis divinis, num ex illis distinctio Scoti in Divinis ritè probari possit?

SUMMARIUM.

An dentur ideæ in intellectu divino? q. 1.

In quo consistat ratio ideæ divinæ? q 2.

Cui propriissimè competat esse ideam primariò imitabilem aut intuendam ab Artifice in opere edendo. q. 3.

De distinctione & pluralitate idearum, q. 4.

QUÆSTIO I.

An dentur ideæ in intellectu divino?

SUMMARIUM.

Dari in Deo ideas, tam est extra Controversiam, ut contradicat Scripturæ & Patribus, cuilibetq; Theologus, qui oppositum somniaret. nu. 275, & seqq.

QUÆSTIO II.

In quo consistat ratio Ideæ divinæ?

SUMMARIUM.

QUÆSTIO III.

Cui propriissimè competat esse ideam, & primariò imitabilem aut intuendam ab Artifice in opere edendo.

SUMMARIUM.

QUÆSTIO IV.

De distinctione & pluralitate idearum.

SUMMARIUM.

CONTROVERSIA XIV.

De distinctione scientiæ simplicis intelligentiæ & scientiæ visionis.

CONTROVERSIA XV.

De scientia simplicis intelligentiæ, ubi

Quidnam sit Ens possibile terminans Divinam simplicis intelligentiæ scientiam.

SUMMARIUM.

An

An [illegible] fla q. 1. art. 2. cit. à n. 359. usque ad nu. 362 ex Subtili Doctore rectè argumententur contra doctrinam superiorem. qu. 1, art. 1, Assert. 1, & 2, propositam, q. 3.

Quid solidi afferant Auctores primæ classis cit. q. 1, art. 2, nu. 362, & seqq. contra doctrinam nostram in eadem q. 1. art. 1 assert. 1, & 2, assertam, ubi, an aut possibile pendeat à potentia Dei, aut sit tam necessarium & independens ac ipse Deus. q. 4.

Discutitur, quid denique comportent Auctores in quæst. secundæ classis citati q. 1. art. 2, n. 365, contra doctrinam ibi art. 1. assert. 1, & 2, datam. Ubi, an possibile logicum pendeat à Deo in genere causæ exemplaris. quæst. 5.

An creatura possibilis sit quid medium inter ens reale & rationis, ubi brevis occurrit relectio super doctrina Poncij & Mastrij Scotistarum Recentiorum de ente possibili. q 6.

QUÆSTIO I.

Unde trahatur possibilitas entis?

SUMMARIUM.

Poss[illegible] logicum, per quid distinguatur ab impossibili. n 346

Logici possibilis à physico quale discrimen. numer. 347

Ens possibile accipit ab intellectu divino esse productum, in esse cognito. n. 335, & seqq. *Quid sit esse cognitum.* ibid.

Cur solus intellectus divinus conferat esse cognitum rebus. n. 352, & n 413, q. 3.

Intellectus non confert creaturis possibilitatem logicam. n. 354, & seqq.

Possibilitas logica esset, quamvis nullus daretur intellectus. n. 355, & 357. & seqq.

Scotistarum Argumenta nostræ doctrinæ opposita. à n. 359, usque ad n. 362

Argumenta externorum contra eandem doctrinam. n. 362, 363, 364, & 365

QUÆSTIO II.

An creaturæ ab æterno sub statu possibilitatis dicant aliquod verum esse, idque sit essentialiter quid positivum vel negativum? quidvè importent in recto, quid in obliquo?

SUMMARIUM.

Creaturæ ab æterno nullum obtinuerunt reale positivum actuale n 3 9 & seqq.

Creatio & annihilatio quid, & qui differant ab aliis producti onibus? ibid.

Creaturæ terminant Dei causalitatem tam quoad Essentiam, quàm quoad existentiam. numer. 370

Detúrne conceptus quidditativus existentiæ potentialis? resolvitur negativè. à n. 373, usque ad n. 384

Ens possibile non potest connotare tempus. n. 392, & seqq.

Eadem numero creatura, quæ fuit possibilis, est actualis, non per conjunctionem identitatis numericæ sed terminativè solùm & connotativè. n. 396. & seqq.

Creatura possibilis est ipsa creatura in actu signato, ubi quid in recto, quid in obliquo importet? à n. 403, usque ad q. 3.

QUÆSTIO III.

An Scotistæ qu. 1. art. 2. cit. à nu. 359. usque ad n. 362, ex Subtili Doctore rectè argumententur contra doctrinam superiorem qu. 1, art. 1, Assert. 1, & 2, propositam?

SUMMARIUM.

Possibilitatem rerum primò originari ab intellectu divino Subtili non consonat. nu. 407. & seqq. & iterum 409. & seqq.

Intellectus divinus confert rebus quæ ante possibiles erant primum esse positivum ex parte formæ, non ex parte objecti. n. 409, & seqq.

Productio in esse cognito est declarativa rei extendentia, quid illa sit, explicatur. n. 409, & 413

Esse diminutum creaturæ ab æterno est esse secundùm quid totius, non partis. n. 412

Prioritas in divinis quandam dependentiam indicat, similiter connexionem. n 417

Corollarium de esse diminuto. n. 418

Vindicatur Scotus ab impostura quorundam. ibidem.

QUÆSTIO IV.

Quid solidi afferant Auctores primæ classis cit. q. 1, art 2, n. 362. & seq. contra doctrinam nostram in eadem q. 1, art. 1. Assert. 1, & 2, assertam, ubi, an aut possibile pendeat à potentia Dei, an sit tam necessarium & independens ac ipse Deus?

SUMMARIUM.

Possibilitas logica subalternatur necessariò. numer. 419

Nullatenus tamen infert æqualem necessitatis gradum cum illo, qui competit Deo ibid.

Ens possibile logicum quoad formale significatum non pendet ab omnipotentia n. 422, & seqq.

Pendet tamen ab illa ratione connotati. ibid.

Possibilitas logica connotat existentiam non per modum potentiæ physicæ, sed logicæ ad instar habilitatis negativæ. ibid.

Expediuntur argumenta. n 426. & seqq.

Cur pendeat à Dei potentia possibile physicum & non logicum. ibidem.

QUÆSTIO V.

Discutitur, quid denique comportent Auctores in Quæst. secundæ classis citati, q. 1,

SVMMARIVM.

QUÆSTIO VI.

An creatura possibilis sit quid medium inter ens reale & rationis, ubi brevis occurrit relectio super doctrina Poncii & Mastrii Scotistarum recentiorum de ente possibili.

SVMMARIVM.

CONTROVERSIA XVI.

De scientia visionis, ubi De futuris contingentibus, sive de objecto scientiæ Dei contingenti.

SUMMARIUM.

QUÆSTIO I.

An Deus habeat scientiam futurorum contingentium?

SVMMARIVM.

QUÆSTIO II.

Utrùm Deus certò & evidenter cognoscat futura contingentia conditionata?

SUMMARIUM.

CONT.

CONTROVERSIA XVII.

De divisionibus variis scientiæ divinæ.

Sintnè scientiæ divinæ divisiones argumentum distinctionis, ubi fit decisio non solùm quæsiti Controv. XIV. ut ibidem polliciti sumus, sed & de actibus voluntatis divinæ necessarius & liberis, an inter se distinguantur ex natura rei formaliter?

SUMMARIUM.

De divisionibus scientiæ Dei, quales sint, & an sit adæquata divisio? unica resolutione deciditur.

Possitnè ex supradictis argui distinctio inter scientiam simplicis notitiæ, & scientiam visionis; item, inter actus necessarios & liberos divinæ voluntatis?

QUÆSTIO I.

De divisionibus scientiæ Dei in simplicem intelligentiam & visionem, in liberam & necessariam &c.

SUMMARIUM.

Nomenclatura scientiæ simplicis intelligentiæ non placitô, sed ex ratione est. n. 486

Visionis scientia unde trahat notionem suam? ibidem.

Alia obambit objecta scientia Dei necessaria, & alia libera, & quænam illa sint? n. 487

Bimembris divisio scientiæ in visionis & simplicis intelligentiæ; item, in necessariam & liberam, approbatur: & quare?

QUÆSTIO II.

Possitnè ex supradictis argui distinctio inter scientiam simplicis notitiæ, & scientiam visionis & cæt.?

SUMMARIUM.

Scientia divina est unica formaliter & ex natura rei omninò indistincta. n. 489

Actus liber in Deo est idem entitativè actus volitionis divinæ cum actu volitionis essentiali & necessario. n. 491

Opinio Riccioli *de distinctione actus liberi in Deo & necessarij refellitur.* n. 490

Ratio actus liberi nil superaddit actui essentiali & necessario volitionis divinæ. n. 491

CONTROVERSIA XVIII.

De distinctione Scoti oriri nata in Divinis ex processione Verbi Divini & Spiritus sancti.

SUMMARIUM.

An Persona Divina, Filius & Spiritus S. immediatè egrediantur & procedant per naturam, sive ab Essentia ut talis est præcisè, sive illa transcendat attributa divina, intellectum scilicet & voluntatem, sive distinguatur ab illis aut per rationem, vel per distinctionem ex natura rei formaliter? q. 1.

An & qualiter divinæ processiones sint per intellectum & voluntatem: ubi, An Verbum divinum generetur per intellectionem, & Spiritus S. procedat per amorem, seu an potentia naturalis ad generandum & spirandum dicat intellectum & voluntatem per modum actus primi vel secundi, expensa consequenter potentia notionali statuitur quomodo distinguatur a dictione & spiratione? q. 2.

Cur processio Spiritus sancti non sit generatio, & cur Spiritus sanctus non sit Filius? q. 3.

Resolvitur Quæstio principalis, an statuenda sit distinctio inter intellectum & voluntatem divinam? q. 4.

QUÆSTIO I.

An personæ divinæ, Filius & Spiritus Sanctus immediatè egrediantur & procedant per Naturam, sive ab Essentia ut talis est præcisè, sive illa transcendat Attributa divina, intellectum scilicet & voluntatem, sive distinguatur ab illis aut per rationem, vel per distinctionem ex natura rei formaliter?

SUMMARIUM.

Essentia non generat, nec generatur. n. 494

Difficultas de principio Quod *processionum divinarum.* n. 495

Paternitas divina imbibit hypostasin, dictionem *&* relationem. *ibidem.*

Processiones divinæ non sunt per Naturam aut Essentiam divinam, ut talis est, tanquam per principium quo *divinarum processionum proximum & immediatum.* n 496, & seqq.

Alogiani, *qui dicantur?* ibidem.

Intellectus habet rationem principij respectu Filij, & voluntas respectu Spiritus sancti ibid.

Durandi doctrina exploditur. n. 498

Basilius non est contrarius doctrinæ communi Theol. de processionibus divinis. n. 499

Discrimen Verbi divini à Verbo creato. n. 500

Processiones quidem non sunt per Essentiam tanquam potentiam notionalem, seu principium quo *proximum, sunt tamen per illam ut suum principium radicale & remotum non simpliciter, sed quà determinatur per relationem Personæ producentis.* n. 501

FINIS INDICIS SVMMARIORVM TOMI PRIMI.



INDEX

RERVM ET MATERIARVM

TOMI PRIMI.

Vbi numerus non paginæ, sed margini respondet.

Attri-

4

Deus.

Dei nomen.

Dependentia.

Dictio, vide Paternitas Divina, *item* Processio.

Distinctio ut sit, vide non identitas.

Distinctio realis.

Distinctio realis in tertio, seu inadæquata & mediata.

Distinctio rationis ratiocinata.

Distinctio virtualis extrinseca, sive per connotata.

Distinctio virtualis intrinseca Thomistarum.

Distinctio virtualis intrinseca Recentiorum.

Distinctio Scoti.

Divinatio.

Durandus.

E

Ens, vide *res*, *aliquid.*

Essen-

Scien-

FINIS TOMI PRIMI.

